BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 N
18

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

71
8
D
4

7 7
a a
1 19



B. P.
FRANCISCI ASSISIATIS OPVSCVLA:

Nunc primùm collecta, tribus Tomis diſtincta, Notis et Commentarijs Aſceticis illuſtrata,

Per Fr. LVCAM WADDINGVM *Hibernum Menapien. Ord. Minorum Regul. Obſeru. Prouinciæ D. Iacobi, olim apud Salmanticenſes Theolog. Profeſſorem.*

Adiecta ſunt, cum Appendice Opuſculorum dubiorum, S. P. Vita et Elogia.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ
EX OFFICINA PLANTINIANA
Apud Balthaſarem Moretum, et Viduam Ioannis Moreti, et Io. Meurſium.
M. DC. XXIII.

Ex Legato Illustriss: Cocini.

ILL^{MIS} ET REV^{MIS}

DOMINIS,

D. GABRIELI DE TREIO

S.R.E. PRESB. CARDINALI

TITVLI S. PANCRATII

E T

D. FR. ANTONIO DE TREIO

EPISC. CARTHAGINENSI

CATHOLICO REGI A CONSILIIS,

GERMANIS FRATRIBVS

PERPETVAM FELICITATEM.

PRISCORVM hominum, Ill^{mi} & R^{mi} PRÆSVLES, & ſanctioris notæ Patrum doctrina quàm conducat ad veritatem indagandam, vel ad vitam componendam, ſolus neſcit, qui vel illam negligit, vel hanc non obſeruat. Sunt etenim, vt cum Auguſtino loquar, *lumina ciuitatis Dei*, Aug.l.1 con.Iuliã. c.4. Tom.7.

qui omnem noſtram obſcuritatem ſuæ diſciplinæ facibus illuminant, & denſas nouitiorum errorum nebulas, ex Orci paludibus exſurgentes, antiquæ veritatis luce depellunt.

Cant.3. v.3. Sunt illi ſolertes ciuitatis vigiles, *Qui Eccle-*

Gregor. Ho.25. in Euang. ad princip. *ſiæ ſtatum cuſtodiunt, qui noſtris bonis ſtudiis occurrunt, vt ſuo vel verbo vel ſcripto nos doceant.* * Propugnacula ſunt turris Eccleſiæ,

*Cãt.4. v.4. qui vndecumque congredientem repellunt inimicum, dum vel doctrinæ puritatem hæreſum cœno turbare, vel morum honeſtatem vitiorum illuuie deturpare molitur. Adeò recta eſt virtutis & veri regula illorum doctrina, vt quidquid à veritate deuiat, quidquid iniuria eſt recti, ad eam liceat adæquare. Amplam habet, ſi non aliunde multam, vel à ſola antiquitate commendationem: magna etenim vetuſtæ doctrinæ auctoritas, non leuis nouellæ ſuſpicio. Perquam ſcitè & grauiter dixit peruetuſtus Tertullianus:

Tertul. l.1. adu. Marciõ cap. 23. Tom. 3. *Omnino res Chriſtiana ſancta antiquitate ſtat, nec ruinoſa rectiùs reparabitur, quàm ſi ad originem*

Indidem c.1. *cenſeatur.* Et alibi: *In tantum hæreſis deputabitur, quod poſteà inducitur; in quantum veritas habebitur, quod retrò & à primordio traditum eſt.* Quod expreſſiùs confirmat patrocinio illius

illius parabolæ Euangelicæ, quæ doctrinarum diſtinctionem figurat,& bonum ſemen frumenti à Domino primò ſeminatum conſtituit, zizaniorum autem adulterium ab inimico diabolo poſteà ſuperducit. *Ita*, inquit doctus Afer, *ex ipſo ordine manifeſtatur, id eſſe Dominicum & verum, quod ſit priùs traditum: id autem extraneum & falſum, quod ſit poſteriùs immiſſum.* Hinc illa Imperatoria & planè Chriſtiana Conſtantij Principis vox: *Bonorum virorum eſſe, fide veterum viuere.* Quòd ſi ad ſalutaris doctrinæ antiquitatem adiungatur & Scriptoris approbata conſummataque erga æternum Numen religio, eò religioſiùs & fidentiùs ſuſcipi oportet, quò certiùs conſtat, quòd *Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines*, qui diu noctuque in Dei lege meditabantur. Probè norunt, quantum ferant rei Catholicæ adiutorij huiuſmodi Patrum diſciplinæ, qui perturbato & confuſo hoc proximè elapſo ſæculo, nihil tam curarunt ad fidei nitorem vel retinendum vel reſtituendum, quàm ſanctorum Patrum monimenta perquirere, emaculataque in omnium conſpectum obiicere. Hinc eruta ex imis cimæriis,& ab obli-

Idem l. de Præſcript. adu. hæret. c. 31. Tom. 3.

Niceph. l. 9 c. 36

2. Pet. 1. v. 21. Pſal. 1. v. 2.

uione vendicata multa, eaque proficua ſanctorum Doctorum opera: hoc Pandectarum Theologicarum, ſeu Bibliothecæ veterum Patrum felix exordium; hæc eius Auctarij, ipſa auctiſsimæ recentioris editionis occaſio. Inter ceteros autem Patres ſuũ non immeritum, nec infimum obtinuit locum FRANCISCVS Aſſiſias, noſtri Inſtituti auctor & Princeps, ſi non vetuſtate, certè pietate primis abſque inuidia conferendus. Etenim in Pariſienſibus & Colonienſi editionibus, quædam ſancti viri Opuſcula prodierunt: pauca tamen, & quæ in tam vaſto rerum ſtudio, abſque improbo labore faciliter Bibliothecę ſtructoribus occurrerunt. Maiorem ego impendendam duxi curam in inueſtigandis aliis quamplurimis, quorum clariores Auctores non obſcurè meminerunt, & in adnectendis aliis quæ ſparſim ſe mihi offerebant. Dedi operam quam potui plurimam, vt quæ latebant, Solem viderent, & in vnum diſperſa coïrent. *Nouam rem aggreſſus ſum ex veteri*, vt nouus integer Tomus prodiret ex vetuſtis ante quatuor ſæcula exaratis Opuſculis. Vtique crediderim, quòd vetera licet, noua apparebunt, forſan & inaudi-

Tertul. l. 1. adu. Marc. cap. 1.

audita: vereor ne & quibuſdam duræ fidei hominibus non tam miranda, quàm incredibilia; etenim *incredulitas miratur, non credit*. Sunt profectò plerique homines adeò ſuæ fidei auari, vt quidquid in conſpectu non habent, ad fidem non admittant; & quod multis diebus latuit, nullo extitiſſe credant. Vitium hoc durioris naturæ quorumdam hominum, *qui nimis in hac corporalia progreſsi atque lapſi, nihil aliud putant eſſe, quàm quod iſtis quinque notiſsimis nuntiis corporis ſentiunt: & quas ab his plagas atque imagines acceperunt, eas ſecum voluunt, etiam cùm conantur recedere à ſenſibus, & ex earum mortifera & fallaciſsima regula ineffabilia penetralia veritatis rectiſsimè ſe metiri putant.* Apud hos rerum credendarum menſura oculus eſt: nam quod quotidianum & præ oculis non eſt, eſſe non poſſe putant; quod extitit, dum non extet, non fuiſſe volunt; cuius memoriam tempus interpoſitum ſubduxit, omni ætati negant; & quæ recentia apud alios viguerunt, ea interiecto ſpatio his obſoleſcunt. Inter hos verum illud Stoici, quòd, *quemadmodum illa quæ in vſu ſunt, & manum quotidie tactumq́; patiuntur, num-* *quam*

Idem lib. de Baptiſmo c. 2. Tom. 3.

Auguſt. lib. de Vtilit. cred. c. 1. Tom. 6.

Seneca l. 3. de Benef. c. 2.

quam periculum ſitus adeunt: ita illa, quæ ad oculos non reuocantur, ſed extra conuerſationem vt ſuperuacua iacuerunt, ſordes ipſa colligunt vetuſtate; & quidquid frequens cogitatio non renouat, & reuocat in medium, omnino deletur. At quidquid ego hîc in medium produco, tam multo vetere & nouo, eoque candido, teſte id probo, vt quod primo obtutu nouum poſſit videri, vetuſtum & verum eſſe quiſque perſpiciat. Vbi autem Lector poſsit hærere, appoſitis Notis dubia illuſtraui, & viri ſancti doctrinam, vbi magis conducit ad Chriſtianæ vitæ integritatem vel reformationem, adiectis ex ſacro Codice & ſanctis Patribus aſceticis commentariis, confirmaui. Vt autem laborem terminaui, Opuſque peregi, Illuſtriſſimis veſtris nominibus, viri Principes, conſecrandum multis titulis iudicaui; tum quòd inſtructiſſimæ veſtræ Bibliothecæ multam huic ſtructuræ materiam, & liberaliſſimæ manus vberes adminiſtrarint ſumptus, dum inter familiares domeſticos me benignè connumeraſtis; tum quòd ſancti Patris opera præclariſſimis debeantur filiis, qui non tam purpurata veſte aut infula gloriantur Pontificia, quàm huius

huius Patriarchæ ſodalitiis ſua nomina dediſſe. Id mihi, imò & vniuerſæ Catholici Regis Curiæ probauit numquam ſatis laudanda, ſed nec aliquando delenda Illuſtriſsimi Cardinalis pietas, qui, vt rubeum accepit pileum, cinereum ſuperinduit in pleno Nobilium conſeſſu Tertij Franciſcani Ordinis habitum; quaſi in purpureæ togæ celſitudine, circumdari voluerit mortis memoria; in tantæ maieſtatis faſtigio, vilis, ſed certi, humanarum rerum finis cupierit admoneri, & ſub humili veſte pœnitentum legibus adſtringi, ne tantæ gloriæ periculoſo tumore poſſet efferri. Nec Illuſtriſſ. Epiſcopus, quem tenellus aſſumpſit, Minorum cucullum aliquando vel ad tempus voluit deponere, malens inter Dynaſtas & Maiores Minor videri, quàm FRANCISCI alumnum eſſe deſinere. Demum excelſæ veſtrę virtutes eo pacto ſibi vendicant hæc Opera, quo & præclariſſimos compararunt honores. Primum etenim, poſt præclarè peracta optima Reipublicæ munia, poſt ſapienter adminiſtrata Regi in multis tribunalibus conſilia, ſua merita in ampliſsimum Purpuratorum aduexerunt Collegium. Alterum, poſt præcipuos inter

b ſuos

ſuos Conſodales adeptos honores, & prudenter gubernatam ex ſupremo vertice vaſtiſsimam Minorum familiam, ad Epiſcopatum Carthaginis Spartariæ in Hiſpania ampliſsimum & antiquiſsimum, ſtatimque ad nobilem dignitatem Oratoris Regij ad PAVLVM V. virtutum cumulus aſſumpſit. Taceo in vobis antiquiſsimorum Heroum & præclariſsimarum familiarum coadunatam nobilitatem, & glorioſas apud efferos Indos, aliaſque exteras nationes à Maioribus partas victorias: noui etenim generoſum veſtrum ſpiritum, vanis ſtemmatibus ſuperiorem, non veſtra, ſed aliena hæc reputare; nec veram nobilitatem tam ab aliis acceptaſſe, quàm in vobis incepiſſe. *Non* etenim *facit nobilem, atrium plenum fumoſis imaginibus: nemo in noſtram gloriam vixit; nec quod ante nos fuit, noſtrum eſt. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Sileo etiam magnam ſacrarum & humanarum literarum peritiam, feraci ingenio & ſerio ſtudio plenè acquiſitam, quia iamdudum vndique diuulgata percrebuit, & longè lateque reſplendens omnium admirationem excitauit. Egregias inſuper animi

Seneca Ep. 44.

& na-

& naturæ dotes, quibus decenter & affluenter ornamini, inuitus prætereo, eadem ipſa ratione, qua Cyrillus Alexandrinus Antiſtes optimarum Reginarum Pulcheriæ & Eudoxiæ ampliores laudes pertranſiit; nimirum *quia me gloriæ & celebritati veſtræ parem orationis dignitatem afferre non poſſe ingenuè fateor. Vnde & venia quoque dignus meritò cenſebor, ſi ea laudare veritus ſum, quorum excellentiam me aſſequi poße non puto.* Quod dignè exprimi non licet, tacere libet; præſertim cùm probè ſciam, meum ſilentium veſtræ famulaturum modeſtiæ, qui potiùs omnes laudare, quàm ab vllo laudari velitis. Tot ac tantis titulis debitum iam tandem, Illuſtriſſ. Mæcenates, accipite munuſculum. FRANCISCI, meumq; opus eſt; à FRANCISCO humili ſublime, à me puſillo puſillum, & veſtræ impar Amplitudini. Adſpicite non donum, ſed donantis affectum. Semper apud illuſtres Heroës ξενίων τε θυμὸς ἄριςος, *munerum animus optimus*: &, vt habet Plutarchus, *munus non vſu rei oblatæ, ſed ſtudio dantis metiantur.* Meus, quotus quantuſque eſt animus, in dono eſt; ſed veſtrum repoſcit, vt obla-

Cyrill. Alexan. lib. ad Reginas, in princ.

Plutarchus l. de Apoph in princip.

tum à detractorum linguis tueri dignemini. Quod FRANCISCI eſt, ſuo ſat ſecurum eſt Auctore; quod meum eſt, veſtro indiget patrocinio. Viuite, proſperamini. Romæ, ex æde diui Petri, in Monte aureo.

Illuſtmarum Veſtrarum Dominationum

Studioſiſſimus

Fr. Lucas Waddingus.

HVIC *meæ Epiſtolæ, ob ſuam in me beneuolentiam, & magnum in* D. FRANCISCVM *affectum, alia longiori & longè doctiori reſpondit è ciuitate Tiburtina Illmus D. Cardinalis, quam ad multum Operis ſplendorem, & æquam Smi Patriarchæ doctrinæ commendationem, hîc duxi ſubnectendam.*

G A-

GABRIEL
DIVINA MISERATIONE S.R.E. TITVLI S. PANCRATII PRESBYTER CARDINALIS
DE TREIO

Dilectiſsimo in CHRISTO *Fratri, Fr.* LVCÆ WADDINGO *Ordinis Minorum Regularis Obſeruantiæ, & in* S. PETRI *in Monte aureo Vrbis Cœnobio Sacræ Theologiæ Lectori*

S. P. D.

Simulq́ Operis Lectorem admonet de excellentia Auctoris & doctrinæ.

CVM primùm ex Hiſpania in ſacram Vrbem, longo itinere feſſus, reuertiſſem, deſiderabam (ita ingenuè fateor) in locum aliquem delicioſum & ſolitarium diuertere, quò & corporis laborem, & oppreſſi animi curas pauliſper relaxarem; ita tamen, vt mihi ipſi non omnino otioſus vacarem, ſed, vt ſoleo, ſacræ Scripturæ, Sanctorum & Philoſophorum libris, ſolitudini condimentum, & otio ſalem adhiberem. *Suaue quidem eſt pratum & hortus* (inquit affluentiæ diuinæ riuulus Chryſoſtomus) *vtroque*

Chryſoſt. Hom. in illud, *Adſtitis Regina à dextris tuis*, in princ.

tamen ſuauius multò ſpirat diuinæ Scripturæ lectio: illic ſiquidem flores inuenire eſt, ſed qui tempore marceſcunt; hic autem occurrunt ſententiæ in natiuo virore permanentes: illic adſpirat Fauonius, hîc afflat aura Spiritus ſancti: illic ſpinæ pro muro obſepiunt hortum, hîc Dei prouidentia tutum reddit lectorem: illic cicadæ ſtridore ſuo obſtreperæ, hîc Prophetæ ſuaui iubilo perſonantes: illic ex ipſo aſpectu quiddam oblectationis concipitur, hîc autem ex ipſa mox lectione plurimum decerpitur vtilitatis. Quid enim vtilius illa poteſt eſſe, *in cuius verbis tot delicias inuenimus, quot ad profectum noſtrum intelligentiæ diuerſitates accipimus, vt modò nuda nos paſcat hiſtoria, modò ſub textu literæ velata medullitus nos reficiat moralis allegoria, modò ad altiora ſuſpendat contemplatio, in præſentis vitæ tenebris iam de lumine æternitatis intermicans.* Voluptatem illam æternam, curis omnibus vacuam, & à ſæculi procellis liberam, veluti cominus poſitam præoſtentat: *ad hanc etenim ſi attentus fueris, anxietatem à te depellet, cordi tuo inſeret incredibilem voluptatem; ſublata malitia radices virtutum affiget animæ, interque turbellas iſtas negotiorum, quæ ritu vndarum ſeſe agitantium fluctuant, non te ſinet vlla conflictari perturbatione. Inſanis licet afflictetur mare procellis, tu in tranquillo nauigas: habes enim, quæ te moderetur ac gubernet, Scripturarum lectionem: nec enim funiculum hunc interrumpit vlla tentatio negotiationum.*

Gregor. lib. 16. Moral. c 9.

Chryſoſt. citatus.

Cùm ergo vtraſque has animi & corporis ego delicias pararem, & paucis petitis è noſtra Bibliotheca libris, in Tiburtinam ciuitatem (quæ ab aëris temperie & ſalubritate ab antiquis laudata, adhuc retinet & nomen & rem) ſeceſſiſſem, adducta eſt mihi elegantiſſima Epiſtola tua Dedicatoria; oblatus ſimul Codex Operum Seraphici Patris noſtri Franciſci à te in vnum collectorum, cum breuiuſculis, iiſque neceſſariis, Notulis, & Obſeruationibus quibuſdam amplioribus, à te adhibitis. Gratum mi-

hi

hi donum, optatiſſimum munus, nullo non pretio æſtimabile, pretioſius ſuper millia auri & argenti. Certè vt vidi, deſideriis meis ſuſpicatus ſum fauiſſe Deum, & annuiſſe optatis: quippe qui animum tuum diſpoſuerit, vt eo tempore, quo ſacra lectione animum pauliſper recreare, & occurrentium rerum tumentes fluctus diuertere tentabam, offerres mihi librum, cuius lectione non ſolùm animi compararetur quies, ſed & memoriâ tanti Patris ſpiritus refocillaretur. Sunt quidem multi librorum cumuli, ita vt Auctorum nomina, librorumque titulos vix cognoſcere valeamus, in quorum lectione nimio & nonnumquam inutili labore conſumimur; ſunt varia ſanctorum virorum à longo tempore tracta & enucleata monumenta: ſed ſi verum amamus, deſiderabatur meritò huius ſanctiſſimi Patris doctrina; quæ ſi ſententiarum elegantia, dicendique numero, librorumque breuitate aliis humilior videatur, pondere tamen rerum ita excellens, vt ſi in aliis ſanctæ Eccleſiæ Patribus Spiritum Dei locutum meritò credimus, in hoc Spiritum Dei inflammantem, & Seraphico ſpiritu implentem, non ſolùm loqui, ſed ignem mittere in orbem terrarum, facilè conſpicere poſſimus. Luc. 12. Hinc fortè opus in vltima ſæcula reſeruatum, cùm refrigeſcente charitate multorum, ignita & Seraphica euulgatur doctrina, Mat. 24. inſtauratur Euangelium Chriſti, & in zelo & virtute Eliæ vltimi iudicij prænuntius loquitur, & Regnum Dei citò venturum prædicat Franciſcus, ad pœnitentiam animas conuertens, & igne amoris, quo ipſe flagrabat, inflammans.

Ego certè me continere non potui, quin ſtatim Opera hæc percurrerem: & fateor, in ipſa lectione plurimam me deprehendiſſe huius doctrinæ commendationem, quam ſub vno vel altero capite libet tranſcurrere. Viget primò optimo fundamento humilitatis, in qua, vt Auctor excellens,

cellens, ita in iis, quæ enodat, ſacris eloquiis intelligendis & explicandis excellentiſſimus. Humilitas namque & ſacrarum Scripturarum intelligentia, pari paſſu ambulant.

Iob 37. Scriptum enim eſt: *Ideò timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes, qui ſibi videntur eſſe ſapientes. Contemplari enim Dei ſapientiam non poſſunt, qui ſibi videntur eſſe ſapientes: quia tantò ab eius luce longè ſunt, quantò apud ſemetipſos humiles non ſunt: quia in eorum mentibus dum tumor elationis creſcit, aciem contemplationis claudit; & vnde ſe lucere præ ceteris æſtimant, inde ſe lumine veritatis priuant.* Profectò *ex diuinis Scripturis eò vberiùs diſponente Domino veritatis erumpunt ſtillicidia, quò credendo percipiuntur humiliùs. Humilitate inueſtiganda ſunt, & pronuntianda humiliter, quoniam elatum fugiunt, & ab eo, qui ſe procaciter iactat, elongari noſcuntur: nam ſicut Deus ſuperbis ſe occultando reſiſtit, ita humilibus dat intelligentiæ gratiam, quod Propheta indicauit, dicens: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Paruulos autem pro humilibus accipi in Sacra pagina, oſtendunt verba Chriſti, inde gratias agentis Patri, quòd paruulis, hoc eſt, humilibus, reuelauerit ea quæ ſapientibus & prudentibus huius ſæculi abſcondit. Et ſuperbiam Philoſophorum, impedimentum fuiſſe, ne veram fidem agnoſcerent, quam humilitate didiciſſent, probat Auguſtinus. Si ergo Franciſcus humilitatis idea, in locum, quem ſuperbus Lucifer amiſit, creditur eleuatus; ad naturalem & ſupernaturalem Angelorum ſupernorum ſcientiam, diuina gratia euectus meritò reputabitur. Clauem accepit diuinę ſapientiæ, & legis intelligentiæ, hoc eſt humilitatem, quæ clauis eſt Regia Chriſti, qua ad veram capeſſendam ſcientiam introitur, & aliis introitus aperitur; quam Scribæ & Phariſæi acceperant, & tumentes in ſuperbiam elati, foras remanentes, audire meruerunt à Chriſto: *Væ vobis legis*

Marginal notes: Gregor. lib. 27. Moràl. c. 27. — Laur. Iuſtin. de Contemptu mundi, c. 4. — Pſal. 118 — Mat. 11. — Aug. de Ciuit. Dei l. 10. c. 28 & 29. — Luce 11.

legis peritis, quia tuliſtis clauem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis. Nullus ergo Franciſco ſapientior, quia nullus humilior. Nemo clauis acceptæ meliùs poteſtatem in legis peritia exercuit, quàm ipſe, qui non ſolùm aperuit ſibi, & introiuit, ſed alios innumeros doctrina ſua & Religione fecit introire. Et ſi tertiam partem terræ combuſtam igne, ad vocem clangentis tubæ, qua primus Angelus cecinit, vidit Ioannes; & *per tertiam partem terræ, eos qui per doctrinam & exempla bonorum hominum ſalui facti ſunt, debemus intelligere, qui igne timoris Dei atque amoris, quidquid praui in ſe fuit, combuſſerunt, atque deleuerunt;* per Franciſcum Angelum Dei electum, voce & factis, verbo & exemplo tubam Dei perſonantem, non ſolùm tertiam partem terræ diuino amore combuſtam, ſaluamque factam dicere debemus, ſed vniuerſum illuminatum orbem à ſe & ſuis, & totam reparatam Eccleſiam, vt ex nocturna viſione percepit Innocentius III. cùm Franciſcum labentem Eccleſiam, vt diuinum Atlantem, humeris ſuſtinere conſpexit. Hic verè Eccleſiæ Doctor & Magiſter: nam ſi doctrina in hoc à Deo inſtituta eſt, vt ſaluos faciat nos; qui plures ſaluos fecerit, verus erit Magiſter.

Apoc. 8.
Ambr. in Apocal. c. 8. viſione 4.
S. Bonau. in Legen. S Franciſ. c. 3. in fine.

Illinc ſecundò huius ſancti viri mihi commendatur doctrina, quòd ſimplici & candido ſermone eam tradiderit: nullos enim tam abhorruerim, quàm eos, *qui in verbo doctrinæ non humiles, ſed arrogantes exiſtunt; qui & ipſa recta, quæ prædicant, non ſtudio correctionis, ſed vitio elationis annuntiant.* Hi ſucceſſores ſunt Eliu amici Iob, qui in ſuperbiam elatus, dicebat: *Attende Iob, & audi me, & tace dum ego loquor; audi me, & tace, & ego docebo te ſapientiam.* & iterùm: *Audite ſapientes verba mea, & eruditi auſcultate me.* Hi ſuperbi Doctores vulnerare potiùs quàm emendare norunt, Salomone teſtante, qui ait: *In ore ſtulti*

S. Iſidor. l. 3. Sent. c. 41.
Iob 33. & 34.
Prou. 14.

Ex Gregor.24. Mor.c.22 *virga ſuperbiæ*, quia *increpando rigidè feriunt, & compati humiliter neſciunt*. Franciſcus verò didicit & docuit ſapienter, & humiliter, nec in verbis nec in ſententiis tumidæ elationi & propriæ laudi ſtudens, ſed vtilitati audientium & legentium, quod proprium eſt Chriſtiani Doctoris: Aug. l. 4. De doctrina Chriſtiana, c. 5. nam *qui affluit inſipienti eloquentia, tantò magis cauendus eſt, quantò magis ab eo, in iis quæ audire inutile eſt, delectatur auditor; & eum quoniam disertè dicere audit, etiam verè dicere exiſtimat*. Idem eod. lib. c. 7. At Patris noſtri ſcripta humilia, *non humana induſtria compoſita, ſed diuina mente ſunt fuſa*. An non hæc humilis eloquentia, ſimplex & incomptus ſtylus ſacræ Scripturæ, in qua non prurientibus auribus expectandus cadentiæ ſonus, ſed ſinceris mentibus requirenda ſubſtantia doctrinæ? Dum ad vanam eloquentiam & verborum corticem totus adhuc attenderet Auguſtinus, & cùm Aug. l. 3. Conf. c. 5. primùm legeret ſacram Scripturam, *viſa eſt ipſi indigna, quam Tullianæ dignitati compararet: tumor enim eius* (ſic ipſe de ſe loquitur) *refugiebat modum eius, & acies eius non penetrabat interiora eius: illa enim erat quæ creſceret cum paruulis, ille autem dedignabatur eſſe paruulus, & turgidus faſtu ſibi grandis videbatur*. Ita vereor ne contingat iis qui ſibi magni videntur, & ſuperbo animo ad hæc Franciſci Opera legenda acceſſerint; & ne dum hanc doctrinam tamquam incomptam abiiciant, abſque fructu ſteriles, & mente ieiuni recedant. Sed ſi animo humili, vt paruuli, lactis ſapientiæ cupidi, eam perlegerint, non verborum compoſitas orationes, non doctas fabulas, non poëtarum figmenta, non facetias, ſed Euangelicam doctrinam quærentes; vberes fontes inuenient, quibus numquam ſatiati adhuc ſitient, donec ad Deum fontem viuum acIoan 4. cedant, qui propinet ipſis calicem *aquæ viuæ ſalientis in* Hier. Epiſt. 101. ad Pammach. *vitam æternam*. Facilè hanc Franciſci *in loquendo ſimplicitatem excuſabit ſanctimoniæ auctoris magnitudo*, & candidum

Lecto-

Lectoris ingenium: *bonorum enim ingeniorum inſignis eſt indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus, non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt? Et ſicut effoſſum informe aurum & rude, eò charius eſſe ſolet, quòd nihil videatur alterius metalli habere commixtum; ita egregia monumenta, ſua ipſius vetuſtate atque ſimplicitate micantia, quibus res potiùs quàm verba in pretio eſſe ſolent, gratiora planè erunt atque iucundiora, quouis ſcripto recentioris Auctoris, quibuſcumque eloquentiæ phaleris exornato. Quidquid enim obducitur fuco aut pigmentis, ſuſpectum redditur; pulchriorque eniteſcit ipſa ſua puritate ſimplicitas: quæ quòd mentiri neſciat, omne, quamuis adornatum, compoſitum, velamentum abhorret.* Ex humilitate ergo Auctoris & ſtyli ſatis hæc commendatur doctrina.

Aug. l. 4. De doctr. Chriſtiana, c. 11.

Baron. To. 3. an. Chriſti 356.

Atque ex eius vita & exemplo, quis ignorat, quàm digna ſit veneratione? Optima planè eſt viri humilis humilitatis doctrina, quæ *ſiue loquendo inſtruat, ſiue commendabiliter tacendo quieſcat, ſemper noſcitur eſſe proficua: de theſauro namque ſuo bonorum operum, quæ geſſit rudimenta pronuntians, auditorum animos conuertit ad gratiam: concordat quippe eius vita cum voce, efficaciterque benedictio diuina aſſentitur in opere.* Priùs ardeat lux in ſeipſa neceſſarium eſt, quàm ponatur ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt; & ſi ſal in ſeipſo infatuatum fuerit, quomodo condimento ipſius cetera ſalientur? Ideò vitam priùs quærendam quàm doctrinam, ſignificauit Regius Vates; priùs beatos clamans eos, *qui immaculati viam huius ſæculi pertranſeunt, greſſus ſuos ſecundùm legem dirigentes;* quàm eos, *qui ſcrutantur teſtimonia eius: antè enim vita, quàm doctrina quærenda eſt: vita enim bona ſine doctrina habet gratiam; doctrina ſine vita, integritatem non habet.* Hinc de Ieſu dicitur cœpiſſe facere, & docere; quo loco verbo-

Laur. Iuſt. de Vita ſolitaria, c. 7.

Mat. 5.

Pſal. 118. in princ.

Ambr. in Pſal. 118. in princ.

Actuũ 1.

rum antepoſitio non caret myſterio, & ipſe de Doctoribus loquens dicit: *Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cælorum.* Audis quoniam *præcedit factum, ſubſequitur doctrina; ſiquidem benefacere, prima doctrina eſt. Ceſſantibus enim verbis, hoc ipſum docet homines opus optimum, dum videtur; quod etſi voce aures non excitet, virtute tamen corda compungat. Quis enim bonum factum videns non gaudeat, miretur, imitetur, ac veluti tacito magiſtro vtens, eius exemplo doceatur? Dictis igitur facta præcedunt.* Inanis ergo & ridicula, contemnenda, hypocriſique plena, vana, inutilis, mendax, & ſui Auctoris inimica, cùm ſit doctrina quæ Auctoris moribus non probatur, & ex exemplo ſibi fidem ſortitur; neceſſariò fatendum eſt, eam, quæ plenè moribus Auctoris conſtat, omnibus meliorem & efficaciorem eſſe.

Mat. 5. Ambr. in Serm De Comm. Martyr. per annũ.

Scio quidem, inter Sanctos & Sanctos, inter merita & merita differentiam eſſe maximam, vt Bernardus docuit; diſputationes autem & controuerſias de eorum comparatione & gloria, inutiles & periculoſas eſſe, nec viris piis conuenire, cùm potiùs controuerſias excitent, quàm imitandi deſiderium & deuotionem; atque ita ad ſanctitatis comparationes non deueniam. Id ſolùm dixero, debere vnumquemque doctrinam Seraphici Franciſci, ex eius vita & meritis æſtimare: & qui eum (vt par eſt) inter Angelicos choros collocatum, ſedem Luciferi occupare crediderit, Angelicam reputet doctrinam: qui inter Apoſtolos illum maluerit recenſere, Apoſtolicam exiſtimet: qui eum in vita verum & certum imitatorem Chriſti, & in corpore eius effigiem ſenſerit & adorauerit, credat nullam doctrinam Auctoris non canonici plus hac Chriſti imitari doctrinam. Portat ſigillum Chriſti Franciſcus ſtigmataque eius in corpore ſuo, quibus auctoritatem Regiam præſtat doctrinæ ſuæ: quę enim ſigillo Regio ſigna-

Bernard. Serm. 5. in Feſt. omnium Sanctorum.

ta ſunt, Regiam maieſtatem præ ſe ferunt: ſignatam ergo & confirmatam dicemus Franciſci doctrinam Chriſti ſigillo. Miraculoſus ille liber, quem Ioannes vidit ſcriptum intus & foris, quem nemo poterat aperire, quouſque venit Agnus tamquam occiſus, & aperuit illum, qui dignus aperire viſus eſt, quoniam occiſus fuit, & ex omni lingua, & natione, & gentibus congregauit Eccleſiam & Regnum Dei. Hæc quidem de Chriſto intelligi, communi conſenſu probant ſancti Doctores, qui quaſi occiſus, quoniam poſt mortem occiſionis ſigna portans, viuus apparuit. At poſt Chriſtum, cui meliùs hæc viſio, quàm Franciſco competere dignoſcitur? qui viuus quaſi mortuus apparuit, tum ex mortificatione, tum ex ſignis mortis, quibus Agnus occiſus eſt Chriſtus: ipſe autem amoris dulciſſima morte correptus viuus apparuit, & adhuc poſt naturalem mortem ſemiuiuus perſeuerat, erectus in ſepulcro, vt teſtatur à Pontifice inſcriptum Epitaphium. Si ergo aliquis poſt Chriſtum, legis diuinæ meruit aperire librum, & eius exponere præcepta, is Franciſcus eſt; qui vt occiſus eiſdem vulneribus, quibus Agnus apparuit, & Spiritu Dei plenus, poterit ſoluere & explicare ſignacula eius, quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei. Et ideò forſan erectus & incorruptus per tot ſæcula in ſepulchro perſeuerat, vt ſemiuiuus, non mortuus, aut occiſus, ſed quaſi mortuus appareat: & integritas & incorruptio ſint ſigna optimi Doctoris & magiſtri; *quia ſicut aurum & argentum, & lapides, quos ignis non corrumpit, ita bonus magiſter incorruptibilis permanebit.*

Apoc. 5.

Ambr. in Epiſt. Paul. 1. ad Cor. c. 3.

Docet etiam in ſuis libris Franciſcus, tamquam poteſtatem habens exemplo Chriſti: quem enim verba Seraphico ſpiritu plena, & Regio ſignata ſigillo, non commoueant? non trahant? non compellant? Non immeritò ei conuenire exiſtimem quod Tito præcipit Apoſtolus,

Mat. 7.

Ad Tit. c.2. ſtolus, Cum omni imperio doceto (non quòd imperioſè & tumidè diuina doctrina prædicanda ſit, ſed quòd bono exemplo, & vitæ integritate, venerabilis factus Magiſter ſuam doctrinam reddat obſeruandam, vt ipſius capitis ſeries ſatis oſtendit, & obſeruant ſacri Doctores.) Franciſcus enim cum imperio & poteſtate docet, tum ex vitæ & morum integra diſciplina, tum ex auctoritate & maieſtate Chriſti; cuius ſignis ſignatus, adeò Deiformis effectus eſt, vt humanis oculis, cùm non diſſonet doctrina, ſed conueniat, Chriſtus videri poſſit: & ſi nos, qui non vidimus perſonam Chriſti, Franciſcum ſtigmatibus decoratum, loquentem verba Chriſti audiremus, aut ſcribentem manu, clauo transfixa, videremus; non immeritò eius ſimilitudine decepti, Chriſtum audiſſe, aut vidiſſe ſcribentem dicere auderemus. Quis ergo non plurimi faciat? quis non libenter legat doctrinam Chriſti, transfixis manibus Franciſci ſcriptam? quis manus tranſfixæ ſanguine madentem chartam, calamum, atramentumque non veneraretur, ſi Franciſcum ſcribentem adſpicere mereretur? Crede tamen mihi, Lector, pluris facienda eſſe verba, dicta, & ſententias eius, quàm illa materialia ſigna: nam ſi iſta transfixæ manus ſanguine rubebant, illa cordis ſanguine, & Seraphico ſpiritus ardore ſunt ignita; & quantò Spiritus diuinus, ex quo fonte illa emanabant, omnibus aliis pretioſior eſt rebus, tantò dicta, ſententiæ, præcepta, & conſilia Franciſci, pluris fieri debent, quàm charta, calamus, & atramentum, etiam eius ſanguine rubricata. Qui ergo illa, ſi dignus videre fuiſſes, tanti haberes; pluris iſta, quæ tibi nunc traduntur, habeto.

Gregor. l. Mor. 23 c. 13. Iſidor. 3. Sent. c. 36

Vides iam quantum ex vita, qualitate, & maieſtate Auctoris commendetur Opus? vlteriùs velim attendas, quantũ ſeipſam commendet, ſingularis, ſeu *particularis hæc philoſo-*

Clem. Alex. l. 6. Stromat. c. 3.

loſophia quodammodò tradens eius elementa, quæ verè perfecta eſt, ſcientiæ. Non aliud ſuis Operibus commendat Franciſcus, quàm quod in Euangelio tradidit Chriſtus: illius perfectiſſimæ ſcientiæ doctrina hæc præcipua tradit elementa, ſalutariaque Chriſti hortamenta tam ſimpliciter ſuadet, quàm efficaciter perſuadet. Quis, quæſo, meliùs explicauit, comprobauit, docuit, & monſtrauit exemplis, illud Euangelicũ: *Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiuſquam vita eius eſt ex his quæ poſſidet*: quàm ille, qui vt ab auaritia ſuos diſcipulos arceret, nihil penitùs poſſidere aut habere voluit? Quis neminem fallere, diuinæ prouidentiæ fidem demonſtrauit, & experientiæ auctoritate muniuit, certiſſimumque eſſe oſtendit illud Euangelicum: *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori quid induamini; conſiderate coruos, qui non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & Deus paſcit illos; quantò magis vos pluris eſtis illis?* quàm ille qui ſe & ſuos diuinæ prouidentiæ omnino commiſit? Quis verum ſenſum attigit meliùs verborum Chriſti: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: quàm qui terrena omnia deſpiciens, ſe ſuaque abnegauit, & nudus nudum ſecutus, alios nudos ſequi docuit Chriſtum? Quis elegantioribus commentariis proſecutus eſt illud Dominicum verbum: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, aut matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus*: quàm ille, qui licet à patre vapulauit, carceribuſque fuit mancipatus, ne poſt Chriſtum abiret, per patrem (vt cum Hieronymo loquar) calcatum perrexit, matrem reliquit, & fugiens, ad Epiſcopi genua nudus procubuit: & aliàs cùm vxorem tentaretur accipere, vt filios procrearet, mulieris & puerorum formas ex niue compoſuit, & eas oſculatus, ad

Lucæ 12. Lucæ 12. Mat. 6. Mat. 16. Lucæ 9. Lucæ 14. Mat. 10. Hier. Epiſt. 1. ad Heliod. ad princ.

ad nudumque corpus adſtringens, & placidè amplectens dixit: Hi ſunt, Franciſce, filij tui, & vxor tua; ſicque animam ſuam, id eſt vitam, conterens in hoc mundo, ad æternam felicitatem cuſtodiuit? Quis glorioſiùs expertus eſt, ac meliùs explicuit illam centupli promiſſionem eis

Mat.19. factam, *qui reliquerint filios, domum, aut agros propter nomen Chriſti*, quàm qui modica mercatoris patris domo, & tenui patrimonio relicto, non ſolùm æternæ vitæ accepit à Deo retributionem, & dona quæ centupli promiſſionem longè excellunt, ſed & materialiter in hac vita, tot domos opulentas, in vniuerſo obtinuit orbe terrarũ, plenas optimis filiis, ita vt nulla ſit apud Indos & Antipodas ita remota natio, quæ domos Diuo Franciſco non conſecrauerit, & filios ei pepererit? & pro facultatibus, quas reliquit, tributa voluntaria Pontificibus, Regibus, & priuatis in vniuerſo impoſuit, quibus alunt indigos filios, habentes mundi ſibi ſubiectas poteſtates? Quis talem vnquã mercandi artem cognouit, & docuit, quæ non ſolùm pro centum reddat decem, aut pro vno centum, ſed pro minimo millia millium complurima, & innumerabilia? qua ſimilis

Mat.13. omnino factus *homini negotiatori quærenti bonas margaritas; inuenta autem vna pretioſa margarita, abiit, & vendidit omnia*

Ibidem. *quæ habuit, & emit eam*; & ei, *qui inuento theſauro in agro* Euangelicæ doctrinæ, *abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum?* Aut quis vnquam tam auidus mercator vlli non pepercit labori, vt lucrum ex mercatura reportaret, quàm iſte qui fame, ſiti, nuditate, vigiliis, ſtudiis, humilitate, & labore iam virtutum aurum adquirebat, iam ad palmam martyrij properabat? Quis ex his, qui argenti & auri metalla ſe conficere poſſe præſumunt, chymicam iſtam vnquam artem potuit imitari, quæ non ſolùm ceteras artes, ſed naturam excellit? præter naturam quippe eſt, vt omnes etiam

tam tenuis ſubſtantiæ viri ſua donent illis, qui à Franciſco edocti ſua reliquerunt; ita vt ſibi & filiis priùs alimenta deeſſe, quàm Fratribus Minoribus patiantur. Præterea quis potuit commodiùs explicare illud, *Beati pauperes, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*; quàm ille, qui non ſolùm voluntariam paupertatem coluit, ſed in ea proprium ſibi & filiis conſtituit firmiſſimum & indeficiens patrimonium? Denique, vt vno verbo omnia complectar, nullus, præter Apoſtolos, meliùs legem Euangelicam intellexit, nec politioribus commentariis explicuit; nemo eam non ſolùm poſſibilem, ſed neceſſariam, vtilem, & facilem, iugum ſuaue & onus leue oſtendit, nec alter ſequi Chriſtum meliùs docuit. Mat. 5. Luc. 6.

Vnde fateor, mi Frater, me antequam titulos Operum, quæ inueneras, perlegiſſem, alios vltra hos expectaſſe tractatus, Franciſci vitæ & virtutis proprios; videlicet, Commentaria in Euangelium Chriſti, De eius vera imitatione tractatum, De ſui ipſius & vanitatis ſęculi contemptu, De vita ſolitaria & monaſtica, De purgatiua, illuminatiua, & vnitiua via, De perfecta in Ieſum crucifixum transformatione, De humilitate, De paupertatis gloria, De fide in Deum, & eius prouidentia; ſed poſtquam Opuſcula non abſque gaudio percurri, & rem altiùs mecum perpendi, cognoui hæc omnia breuiter in Operibus à te mihi oblatis contineri, longioreſque earum rerum tractatus à Patre noſtro editos, non chartis commendatos, ſed vt opera legis *ſcripta eſſe* voluiſſe *in cordibus noſtris*: talis eſt enim practica & exemplo euulgata & probata doctrina Franciſci, vt naturalem ſimul & Euangelicam legem comprehendat, quibus cordis noſtri medulla conueniens membrana eſt. Eſt igitur doctrina Franciſci Euangelica, Apoſtolica, Seraphica, ad pœnitentiam vocans, cæli viam oſtendens. Non eſt doctrina illa, quam Apoſtolus dicit *ſapien-* Rom. 2. 1. Cor. 2.

 tiam

Clem. Alex. l. 6. Stromat. c. 3. *tiam huius ſæculi*, quæ eſt ſcilicet voluptaria, & nimio tenetur ſui amore, & *vt quæ doceat, quæ ſunt huius mundi, & quæ ſunt circa ipſum ſolum*: non eſt doctrina numularia, quam Dominus eiecit de templo, eorum ſcilicet qui doctrinam Chriſti & ſacras eius Scripturas ad lucrum & honorem interpretantur, & caſta eloquia, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum, corrumpunt, & Regis adulterinam imaginem reddunt, & impia commutatione deturpant; & in theſauros ſuos redigunt, non lucrum Dei & honorem, ſed propriam quærentes vtilitatem.

Lucæ 19. Mat. 21. Marc. 11. Ioan. 2. Ex Amb. l. 9. in Lucam, c. 1. Pſal. 11.

Sed ſuſurrantes iam audio Zoïlos ſuperbè ſapientes, murmurantes, vnde tanta doctrina euenerit Franciſco, humili viro, idiotæ, non literarum ſtudiis ſed humilitati dedito; imò & qui de literarum ſtudiis ſæpè conſultus à ſuis, vel omnino prohibuit, vel ſaltem ita permiſit limitatè, vt ad orationis ſtudium potiùs quàm ad literariam palæſtram inuitaret & deſtinaret; nec ipſe aliquamdiu in ſcholis moratus, nec argutis plurimùm interfuit diſputationibus: vnde ergo priùs eſt factus Magiſter & Doctor, quàm diſcipulus? Magiſter enim bonus ille eſt, qui docet ea quæ priùs didicit, ex Chryſoſtomi ſententia; *& cognitio quidem eſt ex eo quod quis didicerit*. Diſcere ergo & audire Magiſtrum prius eſt, quàm poſſe docere. quod adeò certum iudicarunt, qui ab infantia Dominum Ieſum cognouerant, & ſciebant eum literis operam non dediſſe, videntes eum docere, quem hominem tantùm reputabant, vt admirarentur, dicentes: *Unde huic hæc omnia? & quæ eſt ſapientia quæ data eſt illi, & virtutes tales, quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic eſt faber filius Mariæ frater Iacobi, & Ioſeph, & Iudæ, & Simonis? nónne & ſorores eius hic nobiſcum ſunt? & ſcandalizabantur in illo.* Quare ſcandalizabantur? quia ex patre, matre, fratribus, & ſororibus

S. Bonau. in Legen. c. 11.

Chryſoſt. in Epiſt. 1. ad Cor. c. 8. Homil. 20. ad fin.

Clem. Alex. l. 6. Strom. c. 3.

Marc. 6. Mat. 13.

ribus eum hominem purum eſſe arguebant, atque ita literas diſcere communi more debuiſſe priuſquam doceret.

Non aliter hi inferent de Franciſco, quem miſellæ conditionis humanæ fines nequaquam tranſiliiſſe, nec in Dialecticorum argutiis verſatum, probè norunt. Quibus tamen facilè reſpondetur, in rerum diuinarum indagine, Philoſophorum libris, & vano ſæculi magiſterio præſtare Sacrorum librorum humilem & ſinceram lectionem, ſanctamque meditationem, modò quæ leguntur, & meditatione percipiuntur, opere compleantur. Multi etenim ex ſanctis Patribus abſque ſæculari magiſterio, profanorumque librorum vſu in Dei lege docti euaſerunt. Ita contigit Antonio, qui vniuerſam ſacram Scripturam memoriter tenuiſſe dicitur, cuiuſque Opera extant, doctiſſima ſanè, in Bibliotheca veterum Patrum. Ita Arſenio, ita Paulo, & aliis ſanctis Monachis & Abbatibus, qui in deſertis à pueritia viuentes, lectione ſola & contemplatione ad magnam ſcientiam peruenerunt. Ita didicerunt Benedictus, Baſilius, Ioannes Damaſcenus, & alij plures, qui nuſquam leguntur in ſcholis verſati, & quantò longiùs à Scholaſticorum argutiis aberant, tantò citiùs intellectus illorum illuminabatur, igne vibrante ardentis voluntatis, & quo Deum, quem ſemper memoria retinebant, citò cognoſcebant & feruenter prædicabant. Quid memorem Monachorum Abbatem Hor, qui cùm in deſerto Thebaidæ nonagenarius habitaret, Angeli præſentia admonitus, vt ad habitata loca, vt aliis proficeret, deſcenderet, cùm anteà legere omnino ignoraret, ſcientiæ donum accepit? Aut quid in medium adducam alterum Monachum Patermutium, qui è latrone conuerſus, & ad eremum ſecedens, quærens quid ſibi oporteret ſcire; reſponſum accepit à Magiſtro, vt tres tantùm diſceret priores verſus Pſalmi primi: ille verò hos ſæpiùs repetens, & diui-

Vitæ Patrum l.2. c.2.

Ibid. l.2. c.9.

diuina meditatione triturans, orationibus & ieiuniis tantum profecit, vt totam Sacram paginam memoria teneret? Quid referam de Ioanne Presbytero, qui in eremum

Vit. Pat. l. 2. c. 15. diuino Spiritu deductus, Angeli manu tacto ore eius (vt Iſaiæ calculo) plenitudinem ſcientiæ accepit? Huiuſmodi

Chryſoſt. in c. 13. Geneſ. Hom. 35. in princ. *quamplures quotidie experiremur, ſi ſimili cura, ſinceritate, & humilitate, ſacros codices euolueremus: neque enim fieri poteſt, vt is qui in diuinis Scripturis magno ſtudio & feruenti deſiderio vacat, vmquam negligatur; ſed licet deſit nobis hominis magiſterium, ipſe Dominus ſupernè corda noſtra intrans illuſtrat & mentem, rationi iubar ſuum infundit, detegit occulta, doctórque fit eorum quæ ignoramus; tantùm ſi nos, quæ à nobis ſunt, afferre velimus.* Anne quis docuit Apoſtolos, vt ſcirent Scripturas & linguas, præter illum à quo di-

Ioan. 14. ctum eſt, Et mittam vobis Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis? Aut quomodo in aduentu ipſius docti facti ſunt omnes, qui priùs erant inſipientes? de quibus dictum: *Stulta quæ ſunt mundi, elegit Deus, vt con-*

1. Cor. 1. Lucæ 24. *fundat ſapientes.* & alibi: *O ſtulti & tardi corde ad intelligendum Scripturas.* Sed cùm omnis ſapientia à Deo ſit, & Chriſtus ſit ſapientia Patris, & ab eo nobis deſignatus

Mat. 9. Magiſter, voce è cælo delapſa, *Ipſum audite*; quem ipſe docuerit, doctus euadet; ad quem ipſe Spiritum ſuum direxerit, ſapientiæ, ſcientiæ, doctrinæ, & intellectus dona percipiet, quibus illuminatus omnem mundi excedat ſapientiam. Non homines, ſed Chriſtus veram & cæleſtem infundit doctrinam; huius ſuperexcellentis Philoſophiæ verus Magiſter eſt Chriſtus. *Nolite putare*, inquit

Auguſt. Tract. 3. in 1. ep. Ioan. 2. Auguſtinus, *quemquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ; ſi non ſit intus qui doceat, inanis fit ſtrepitus noſter. Magiſteria forinſecus adiutoria quædam ſunt, & admonitiones; cathedram in cælo habet,*

habet, qui corda docet: de Domino dico; propterea ait ipſe in Euangelio: Nolite vobis magiſtrum dicere in terra, vnus eſt magiſter veſter Chriſtus. Ipſe ergo vobis intus loquatur, quando nemo hominum illic eſt; quia etſi aliquis eſt à latere tuo, nullus eſt in corde tuo; ſed Chriſtus eſt in corde tuo. Interior ergo Magiſter eſt qui docet; Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet: vbi illius inſpiratio, & illius vnctio non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba.

Leue ergo fundamentum eſt ad probandum Franciſcum omnino idiotam fuiſſe, dicere, Magiſtris multam operam non dediſſe: nam ſi Magiſtri tam parum proſunt, vt verè nihil per ſe poſſint docere abſque illo Magiſtro interiori, à quo docemur, ſecundùm Auguſtinum; reliquum eſt, humano Magiſtro caruiſſe, non eſſe aliud, quàm illo exteriori indice caruiſſe; quo licet monſtrante faciliùs res cognoſcantur, deficiente tamen, poſſibile eſt cognoſci, præſertim cùm *ad veram ſapientiam non vnâ viâ perueniтur, quippe pro ſua quiſque ſanitate ac firmitate comprehendit illud ſingulare ac veriſſimum bonum. Lux eſt quædam ineffabilis & incomprehenſibilis mentium: lux iſta vulgaris nos doceat quantum poteſt, quomodo illud ſe habeat. Nam ſunt nonnulli oculi tam ſani & vegeti, qui mox vt aperti fuerint, in ipſum ſe Solem ſine vlla trepidatione conuertant: ſunt alij, quibus ſol initio conſpectus viſum obtunderet.* Non ergo omnibus vnus diſcendi modus: quia ſicut in domo Patris manſiones multæ, ita multę viæ; & ſicut diuerſa bona (*vni enim datur prophetia, aliis ſcientia, aliis genera linguarum, aliis gratia curationum*) ſic diuerſi modi, breuiores & longiores, adipiſcendi hæc dona ſecundùm voluntatem Dei, qui omnia prudenter diſponit, ſecundùm qualitatem & naturam accipientis. Nec negamus nos Franciſcum habuiſſe Magiſtrum, & tempus, & modos addiſcendi; imò dicimus habuiſſe Magiſtrum Chriſtum, qui

Aug. l. 1. Soliloq. c. 13.

Epheſ. 9. & 1. ad Corin. 12.

per Spiritum ſanctum illum docuit, eo modo, eo tempore, eo loco, quibus ipſe voluit, *cui omnia dedit Pater in manus*. Huic nullus ordo præſcriptus, nullus locus, nullum tempus; poteſt mediante Magiſtro temporali docere, cùm ex iam dictis ſemper ſit ille, qui interiùs docet; poteſt & ſine medio per ſeipſum. Hominibus enim qui humanas artes profitentur, datum eſt operari inſtrumentis mediis; Deus autem, prout vult, ex natura ſua poteſt operari, nec indiget inſtrumento, quia Deus naturæ eſt. Sic Apoſtolos in inſtanti docuit, ſic Baptiſtam in matris vtero, ſic Prophetas, ſic Saulum, è cuius oculis ceciderunt ſquamæ ignorantię. Proinde optimum hunc Magiſtrum bonus & primarius ille diſcipulus Petrus relinquere noluit, nec recedentibus iis qui in Chriſti doctrina ſcandalizabantur, receſſit: interrogatuſque an cum aliis Apoſtolis abire vellet, reſpondit: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, id eſt doctrinam, quæ ad vitam æternam ducit, & verba, quæ ipſam continent vitam. Non eſt alius tibi ſimilis Magiſter, ad quem declinare poſſimus; non eſt qui ita perfectè doceat alius Præceptor. *Da* (inquit ad Chriſtum Petri nomine Auguſtinus) *alterum te, & ibimus ad eum*. quaſi dicat, nullatenus recedere debere diſcipulos à Chriſto, dum non ſit alius à Chriſto Magiſter, qui quod Chriſtus inſtruit, edoceat; nec quod inſpirat Chriſtus, oſtendat.

Ioan. 13. & 16. — Ioan. 6. — Auguſt. ibid.

Excellentiam autem huius doctrinæ didiciſſe Franciſcum à Chriſto, paucis tibi monſtrabo, licet poſſem multis. Breue magiſterium Chriſti eſt, toto corde Deum omni tempore, ſiue blandientem ſiue flagellantem, laudare, eiuſque extollere bonitatem, & continuò orationi inſiſtere. Hoc an rectè didicerit Franciſcus, conſule diſcipulum eius dicentem: *Ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur*

Ex Aug. enarr. in Pſal. 144 col. 3. — Bonau. in Legen. c. 10.

non

non ſolùm quidquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicaſſ. Doctrina Chriſti eſt, *Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Videamus an didicerit hæc noſter Franciſcus: in humilitate ita profecit, vt humiliora iaciens fundamenta ædificij ſui, in altiora, quæ ſuperbus Lucifer perdidit, fabricam extuliſſe meritò credatur. *In propria quidem reputatione nihil erat niſi peccator, cùm in veritate ſpeculum eſſet & ſplendor omnimodæ ſanctitatis.* Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, vt ſapiens architectus fundamentum præiaciens, quod à Chriſto didicerat. Doctrina Chriſti eſt: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & ſequere me.* &: *Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poßidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Doctrinam hanc ſibi pro vinculo hereditatis adſcripſit Franciſcus: *Nemo enim tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis; nec theſauri cuſtodiendi ſolicitior vllus, quàm iſte huius Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpectus, ſi quid videret in Fratribus, quod paupertati non per omnia conſonaret: nam & Fratribus in conclaui quærentibus, quæ virtus magis amicum redderet Chriſto; quaſi ſecretum ſui cordis aperiens reſpondebat: Paupertatem noueritis, Fratres, ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam humilitatis fundamentum, perfectioniſque radicem, cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus.* Certè quæ & quanta dixit & fecit pro paupertate obſeruanda, longum eſſet referre. De cordis pietate, manſuetudine, & charitate, quis ſermonem contexere valebit? Certè affirmare auſim, licet multa de huius viri virtutibus & vera ſapientia ſcripta ſint, omnia in comparatione eorum quæ dici poſſent, quaſi ſitulam roris matutini eſſe, maris magnitudini comparatam. Veram ſapientiam didicit, à vero præceptore Chriſto didicit, à Patre didicit: doctrina enim Chriſti, Patris doctrina eſt: à Spiritu ſancto didicit, per quem

Mat. 11.

Bonau. in Legen. c. 6. vbi multa alia.

Bonau. in Leg. c. 7.

quem Chriſtus promiſit ſe docturum omnia: optimos habuit Magiſtros, optimus ipſe diſcipulus. Didicerat ergo iuſtitiam, ſapientiam, charitatem, humilitatem à Chriſto. Quid ergo nos ſuis Operibus docebit? eructabit abſque dubio quod biberat, vt alter Ioannes, qui quod è Chriſti pectore biberat, verbum eructabat; & ideò in Operibus eius nihil inuenies, niſi doctrinam Chriſti.

Sic de eo loquitur Hieronymus.

Poterit ergo iam Franciſcus detrahenti Zoïlo verbis Ambroſij reſpondere, ſi dixerit Zoïlus illi: *Vnde habuiſti intelligere? Scriptum eſt: Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; ſeniores,* id eſt Magiſtros, *& dicent tibi.* reſpondebit: Etiam ſcriptum eſt de Deo: *Ego ſum Pater tuus, interroga me: & ex illo noui reſpondere, & ex illo ſupra illos intelligo quod non intelligebant, quia teſtimonia didici, quæ illi non nouerant. Didici: Qui ſequitur me, tollat crucem ſuam. didici: Diligite inimicos veſtros. Et ideò ſuper omnes docentes intellexi, quia teſtimonia Domini meditatio mea eſt.* Quàm autem diuinæ legis meditatio eum ſuper omnes docentes doctum reddiderit, accipies ab Illuſtriſſ. S.R.E. Cardinali Bonauentura: *Ad tantam autem mentis ſerenitatem, indefeſſum orationis ſtudium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt quamuis non habuerit Sacrarum literarum peritiam, per doctrinam; æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita; & vbi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in Libris ſacris; & quod animo ſemel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ: quia non fruſtrà mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ deuotionis ruminabat affectu.* Et poſt pauca: *Interrogatus Senis à quodam Religioſo viro, Theologiæ ſacræ Doctore, de quibuſdam quæſtionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ, diuinæ ſapientiæ patefaciebat arcana,*

Ambr. in Pſal. 118 Octon. 13 Verſu, Super omnes docentes.
Deut. 32.
Pſal. 118
Bonau. in Leg. c. 11

cana, vt vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret: Verè Theologia ſancti Patris iſtius, puritate ac contemplatione tamquam alis in altum ſubuecta, eſt aquila volans; noſtra verò ſcientia ventre graditur ſuper terram. Licet enim eſſet imperitus ſermone, ſcientia tamen plenus, enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita producebat in lucem: nec abſonum ſi vir ſanctus Scripturarum à Deo intellectum acceperat, cùm per imitationem Chriſti, perfectam veritatem ipſarum deſcriptam geſtaret in opere, & per ſancti Spiritus vnctionem plenariam Doctorem earum apud ſe haberet in corde. Hactenus de eius ſcientia Bonauentura: & ſi adhuc maius videre cupis teſtimonium Eccleſiæ ſanctæ, quæ veritatis magiſtra eſt, audi eius iudicium in Hymno de feſtiuitate eius, ab Eccleſia approbato. In primis Veſperis dicitur de eo: *Vita & doctrina ſplenduit.* & in ſecunda Antiphona Laudum: *Hic prædicando circuit, & quem non homo docuit, fit doctis in ſtuporem.* & in quarta: *Doctus doctrice gratia.* Ex Officio S. Franciſci.

Sed ſi adhuc ſuperbè ſapis, & illum iterùm atque iterùm idiotam vocas, audi caſum, ne dicam miraculum. In quadam Hiſpaniæ ciuitate (quam reticeo, vt honorem caueam viri, & Religionis, cuius dedecori hoc tribui poſſet, mihi enim veritas cordi eſt abſque aliorum iniuria) decem abhinc annis contigit, Prædicatorem quemdam concionantem, & literas literatoſque ſanctos commendantem, dixiſſe, ſe illis deuotiſſimum, non verò idiotis, qualis erat Franciſcus. quod vt ſemel atque iterùm repetiit, populares viri & mulieres adſtantes, dum Franciſci deuotione tenebantur, ſuſurro & murmure tacitè hoc ſibi de Franciſco dictum non placere indicarunt. Cœpit ſubitò Prædicator ille, qui lingua expeditiſſimus erat, balbutire, rubore ſuffundi, & conturbari; cœperunt & ea, quæ ad concionem præparauerat ſolertiſſimo ſtudio, è memoria decidere. Creuit eius turbatione popularium Caſus.

tumultus: tandem Concionator obmutuit, & quæ ſuperbè forſan didicerat, in medium proponere non potuit; quia, vt credibile eſt, humilitatem veri ſapientis deſpexerat; & ita incompleto ſermone, è ſuggeſto verecundè deſcendit. Huius rei teſtes fuerunt Epiſcopus & Capitulum, frequenſque populus illius ciuitatis, qui aderant ad feſtum ſolemniſſimum inuitati. Caſum vt noui refero, non prædico miraculum; ſed Franciſcum agnoſco ſapientem ſimul & beatum, de quo iure dici poteſt: *Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* In quo beatus? *Propter donum ſcientiæ, quod de Spiritu ſancto fuerat conſecutus.* Vnde non immeritò, meo iudicio, anteponendus Franciſcus aliis Doctoribus, quos ab eodem Magiſtro non fuiſſe edoctos planè conſtiterit. *Cedant enim ei Doctores quique neceſſe eſt, quem teſtimoniorum meditatione cæleſtium doctrina Dei docentis imbuerit.* Et quantò minus humani ſtudij & humanæ literaturæ concedatur Franciſco, tantò ampliùs eius eminet laus doctrinæ: quia ſi non acquiſita, ergo data dono Dei; ſi non acquiſita, ergo reuelata; ſi reuelata, ergo vera, excellens, ſecura, doctrina nempe Spiritus ſancti, & doctrina Chriſti.

Pſal. 93. Ambr. d. Pſal. 118. Idem eod. loco.

Sed quò tandem ab incepto itinere longiùs abij, & qui tantùm gratulari tibi, Reuerende Frater, cogitaueram, gratulatione omiſſa, ad alia diuerti, & epiſtolæ breuitatem & modum excedens, bellum cum detractoribus ſuſcepi? Anne aliquid habuit commune, congratulari tibi, & laudare ſuſceptum laborem, & aduerſus inuidos tam longo ſermone diuertiſſe? Vereor certè ne hoc malignantibus ingeniis pharmacum adhibuiſſe fuerit neceſſarium: quod dum minùs cogitaſſe videor, conuenientius fuiſſe præſumo. Nec ex hoc diminuitur, gratiarum tibi debita actio, imò ex muneris propalata dignitate augetur: quæ enim ſufficiens erit gratitudo, pro Franciſci doctrina

Euangelica? Certè nulla, ſi verum fateamur, par erit tanto beneficio, in quo honor ſimul cum lucro, voluptas cum vtilitate, & cum pharmaco infirmitatis ſolatium reperitur. Sed huius facti nulla tibi gratia reddenda eſt, ſufficit enim pro præmio egiſſe. Imò & tu immortales gratias Deo optimo maximo agere debes, qui per merita Beatiſſimi Patris noſtri Franciſci, te poſt tot ſæcula, quibus hæc tradita erat ſilentio doctrina, creauit, & ex Hibernia *Catholicæ fidei tenaciſſima*, ſed miſero & turbulento Baron. Tom. 11.
hoc ſæculo dira hæreticorum peſte & immani perſecutio- an. Chri-
ſti 1053.
ne agitata, vt alterum Loth eduxit, & ad Religionem vo- in fine.
cauit, vt tamquam fidelis ſeruus & prudens dares in tem- Lucæ 12.
pore, ab eo præſignato, fidelibus hanc tritici menſuram, Lucæ 6.
bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem, qua fidelium animæ, veterem renouatam, & experimento probatam ſentiant vocem Euangelij, quam Franciſcus ſingularis tibicen aurea canit tuba paupertatis & charitatis, non in vanum vocem emittens, velut æs ſonans, aut 1. Cor. 13
cymbalum tinniens, ſed charitate plenus, opere priùs prædicans quàm verbo. Hæc eſt aqua illa craſſa, quam ex antiquo ſeruato ſub terra igne inueniſſe dicitur Nehe- Machab. 2. c. 1.
mias, quæ ſparſa ſuper ſacrificium, oriente ſole calefacta, ignis iterùm naturam aſſumens, combuſſit ſacrificium & ligna. Seruatus quippe Euangelicus ignis doctrinæ Franciſci ſub terra humilitatis ſuæ & ſuorum, aut ignauiæ & frigiditatis humanæ, nunc à te nouo Nehemia educta, & in corda noſtra effuſa, vt aqua, oriente Solis iuſtitiæ lumine (à quo omnia calorem accipiunt & virtutem) ardebit, & igne charitatis comburet ſacrificia cordium. Aqua, qua lauantur crimina, dum inducimur ad pœni- Ex doctr.
tentiam; qua madent oculi, dum compellimur ad lacry- Ambr. l. 3 Off. c. 14.
mas; qua diuino amore infuſo comburuntur corda, vibrante igne ſancti Spiritus; qua diuinæ ſapientiæ ſitis non Eccli. 24.

extinguitur, ſed excitatur. O vtinam ſicut illa miraculoſa ex igne aqua craſſa eo tempore inuenta eſt, quo captiui-tate finita, populus Dei ad patriam reuertebatur; ita hæc tempus præſignet, quo à peccati ſeruitute liberati fideles, iam in cæleſtem patriam iter dirigant: & ſicut illa fuit principium pacis illius populi, iſta Eccleſiæ pacem præ-ſagiat, eaque in ignem conuerſa, alienum ignem, ſcilicet
Leuit.10. hæreticam aut indignam moribus doctrinam, in tem-plum Dei mittentes comburantur.

Cant.4. Hic eſt vnus ex clypeis mille pendentibus in turri Da-uid, quo tu nunc armatus prodis ad defendendam Eccle-ſiam. An non ſunt Chriſtianæ antiquæ Bibliothecæ, ex quibus hæc ſancti Patris monumenta eduxiſti, turris illa Dauidica cum propugnaculis ædificata, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium? fortium in-
Cant.3. quam illorum de quibus ſcribitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi; vniuſcuiuſque enſis ſuper fe-mur ſuum, propter timores nocturnos?* Ij nimirum ſunt ve-terani Eccleſiæ milites, ſancti illi & antiqui Patres, qui ſcriptis & monumentis ſuis vigilantiſſimè & acerrimè pugnant contra hæreticos, & poteſtates atque rectores te-nebrarum harum, qui quietem veri Salomonis intertur-bant, qui Eccleſiam eius ſponſam, in cuius ſinu conquie-ſcit, & inter cuius vbera commoratur, die noctéque di-
Cant.2. & 3. & 8. uexant, nec clamantem ſponſum audiunt: *Adiuro vos filiæ Jeruſalem* (quia ipſi filiæ ſunt Babylonis miſeræ) *ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam quoadusque ipſa ve-lit.* Contra iſtorum ſtrepitus, impetus, & inſultus verè ex ſacris Bibliothecis educuntur clypei, & omne armorum genus. Quamobrem eas pertimeſcunt & horrent hære-
1.Reg.13 tici: nam à Philiſthæis edocti, cauent, qua poſſunt dili-gentia, ne inueniatur gladius in Iſraël; vt cùm ipſi in-

ſurre-

ſurrexerint, inermes reperiantur Catholici. Quod Iulianus ille apoſtata teterrimus Chriſti & Eccleſiæ hoſtis diligenter fecit, dum lege cauit ne Chriſtiani literis Græcis erudirentur, nec ſcholas frequentarent: quod & hodierni ſectarij, & apoſtatæ, noſtro ſæculo diligentiſſimè fecerunt, & faciunt, vbicumque tyrannidem ſuam liberè exercent. Quot enim Bibliothecas ſacras diripuerunt? quot ſacra volumina exuſſerunt? quot ſanctorum virorum monumenta dilaniarunt? Nec ſanè ad ſua ſcelera imprudenter: in hoc enim laudo villicos iniquitatis, & prudentiam filiorum huius ſæculi. Videbant namque nihil ſibi infeſtius, nihil ſectis ſuis pernicioſius, quàm huiuſmodi bellica Eccleſiæ armamentaria, ex quibus tot veterum Patrum exemplaria, Græca, Hebræa, Latina, & omnium denique linguarum ſcripta, quotidie eruuntur, quibus Babylonica eorum turris euertitur, & ad fundamenta vſque exinanitur. Quemadmodum verò tempore belli diligentiùs conquiruntur arma, quibus ſe quiſque muniat: ita tempore hæreſium (quæ ſunt Eccleſiaſtica bella, occidunt enim animas, quæ mori neſciunt; cùm aliæ ſtrages in corpora, in ædes, & cetera huiuſmodi caduca, & interitui ruinæq́ue obnoxia, tantùm deſæuiant) diligentiùs Catholici Muſea & Bibliothecas euoluerunt, ſanctorum Patrum libros perquiſierunt, eoſq́ue velut leonibus fortiores, & aquilis velociores, in prima acie collocarunt, vt non immeritò militans Chriſti Eccleſia, dicatur ac ſit hæreticis *terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Cant. 6. Inter quos tu, Religioſiſſime vir, hæc Seraphici Patris monumenta eduxiſti, quibus vt gladio decidunt hæretici. Quis namque ex nunc poterit ſe obiicere poteſtati Pontificis, vel ſacri Collegij Cardinalium negare dignitatem, cùm videat Franciſcum (quem ſanctiſſimum virum fuiſſe, nec hæretici, nec alij infideles negant) pri-

mùm ſe, deinde ſuos ſubmittere S.R.E. & Summi Pontificis & Cardinalium nutui & iuriſdictioni, & ſub eo vexillo ſe ſuoſque velle militare? Quis Ordinum, Pœnitentiæ, Sacrificij ſacroſancti, aliorumque Sacramentorum, quibus Eccleſia vtitur, negabit veritatem, quam fatetur, commendat, & extollit Franciſcus? Quis opera noſtra ad gratiæ augmentum & gloriæ conſecutionem non eſſe neceſſaria, ſed omnia facta iam eſſe in virtute Chriſti, & ſolam eius ſufficere fidem atteſtabitur; quando ille, qui ipſius Chriſti ſtigmata portabat, opera pœnitentię & pietatis ſectanda proponit? Quis denique Religioſorum cœtus, emiſſioneſque votorum improbare audebit, quorum auctor apparet tantus vir? Vnde magnum te beneficium in Dei Eccleſiam contuliſſe credo, in huius Operis editione, quæ fideles ſancti Spiritus igne accendit & illuminat, infideleſque comburit.

Sed nunc ad meipſum rediens, ceteris, quæ in Epiſtola tua ſcripſiſti, reſcribam, & faciam ſatis. Mittis igitur ad me ſanctiſſimi Patris noſtri Libros & Opera, & huius muneris conſortem & coheredem facis Illuſtriſſimum Dominum, ac fratrem meum Antonium, Carthaginenſem Epiſcopum, totius Ordinis Franciſcani priùs Generalem. At quid iucundius mihi contingere potuit, quàm tantum virum huius muneris fieri conſortem, vt eius, quem natura dedit fratrem maiorem ætate, & Dominum, hæc ſit vera fraternitas, vt eadem fides, & religionis & muneris iſtius participatio verè faciat eſſe germanos? Dicaſti nobis ergo Parentis noſtri Opera; & meritò: debentur enim filiis bona parentum, & ad eos pertinet hereditas, maximè non ingratos. Gratum filium Illuſtriſſimum fratrem meum certè dicere poſſum: quantum enim Religioni inſeruierit, notiſſimum eſt. Habitum quippe quartodecimo ætatis anno ſuſcipiens, Fratres, qui demor-

demortuorum parentum loco ſucceſſerant, & omnia temporalia reliquit, exempla optimi Patris Franciſci ſecutus, eiuſque Religioni in religioſo & graui Salmantino Cœnobio ſe deuouit. Poſteà in Religione Philoſophiam & Theologiam publicè profeſſus, & ad diuerſa munera vocatus, tandem ad Generalis Miniſtri culmen aſcendit, in quo quantum Religioni inſeruierit, omnes norunt, donec ad Epiſcopalem dignitatem ante officij ſui finem euectus, ad animarum curam è Religione diuertit; non animo quidem aut moribus; ſed ſola habitatione & occupatione Paſtorali. Inter alia autem, quæ, dum Generalis fungebatur officio, egit laude digna, duo tantùm referam; quorum ego (gloriabundus dico) particeps fui. Primum, Feſti ſacrorum Stigmatum renouatio; alterum, domus, in qua natus, educatus, & à patre carceri mancipatus fuit ſanctiſſimus Pater noſter Franciſcus (quæ adhuc aliarum more ſæcularibus locabatur abſque decore & honore) in Eccleſiam & Monaſterium erectio, fauente magna pecuniarum ſumma Philippo Tertio religioſiſſimo Hiſpaniarum Rege & Domino noſtro; qui iam, vt credimus, huius aliorumque bonorum operum gloriæ premium tenet. Primum autem tibi iucundum fore credo, ſi referam, vt res euenit: rarus quippe eſt, & deuotus euentus. Eram ego in ciuitate Valliſoletana, in cuius Curia Regia Regi inſeruiebam, habitu & profeſſione ſæculari, officio Auditoris fungens; aduenitque in domum meam Illuſtriſſimus Epiſcopus, tunc in Zamorenſi Cœnobio Theologiæ Lector, vt cum ſocio ibi recreandi animi cauſa, aliquibus, paucis tamen, remaneret diebus. Poſt cœnam itaque, die decimaſexta Septembris, ille cum ſocio recitabat Matutinum Officium, ego ex altera parte eiuſdem cameræ deambulans, Pſalterium Virginis recitabam, & ſentiebam multoties repeti nomen Fran-

Franciſci. Acceſſi, quærens quod Feſtum eſſet illud, de quo Officium diceretur. Reſponderunt: De Stigmatibus ſancti Franciſci. Ego admiratus dixi: Quare hoc Feſtum in Religione non celebratur ſolemniùs, ſed ita modicè, vt omnes ſæculares ignoremus hunc diem, nec tanti miraculi faciamus commemorationem? Et cœpi obiurgare, & quaſi criminis arguere Religionem. Dicebam enim, meo iudicio Stigmatum ſancti Patriarchæ Feſtum debuiſſe plus celebrari quàm diem mortis eius. Mors enim ſancta omnium Sanctorum commune Feſtum eſt; at penetrantia Stigmata Chriſti habuiſſe, ſoli Franciſco conceſſum. Et ſicut beatæ Virginis Natiuitas & Conceptio ſancta, & Ioannis Baptiſtæ Natiuitas, ſolemniſſima celebritate coluntur, quia maius eſt miraculum ſanctè concipi & naſci, quàm mori: ita in beato Franciſco maius fuit miraculum, & ſpecialius ſanctitatis ſignum, viuum accipere ſacra Stigmata, quàm ſanctè mori. His aliiſque rationibus, propoſuimus ambo, hoc negotium, ſi Deus tempus occaſionemque præberet, ita promouere, vt Feſtum hoc ſolemniſſimè non ſolùm in Religione, ſed in vniuerſa Eccleſia celebraretur. O bonum Deum, qui votis noſtris ita fauit, vt factus Ordinis Generalis frater meus, propoſiti noſtri memor, me etiam vt potui adiuuante (ſaltem propoſiti recordatione non neceſſaria) Feſtum celebrari obtinuerit, & primæ eius ſolemni celebrationi adſtitit ipſe Generalis Ordinis, adſtiti & ego ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iam Cardinalis, qui propoſiti tempore non elapſo adhuc decennio eram ſæcularis! Vide quantum præmium pro minimo affectu deuotionis! & quanta ſim huic Diuo obligatione deuinctus, qui hoc, & omnia quæ habui, ipſius deuotioni tribuenda cenſeo: quam à parentibus hereditariam accepimus, qui ob magnum in Franciſcum affectum, ſua corpora antiquiſſi-

quiſſimo maiori Placentini Conuentus Franciſcani Sacello decoris ſepulchris, & paucis abhinc annis ab Illuſtriſſimo fratre noſtro Epiſcopo innumeris decoratis Sanctorum Reliquiis, piè commendarunt; quorum animas meritis & precibus beati Patriarchæ, ſuique Ordinis Fratrum, piè ſpero iam gloriâ potiri; & quorum conſortio, Fratrumque Minorum ſuffragiis, vt ego cum prædicto fratre meo perfruamur, in eadem Eccleſia aliud amplioris ædificij ego extruxi Sacellum, quò corpora noſtra conſtituantur, vt ibi requieſcant, vbi ſemper animus requiem inuenit.

At tu admiraris, & ſolemnibus celebrare cupis encomiis, me poſt purpuram Cardinalitiæ dignitatis, habitum tertij Ordinis induiſſe, & ſolemniter tertiam Patris noſtri Franciſci Regulam profeſſum fuiſſe. Sed quomodo, qui meipſum, & omnia quæ habeo, Franciſci eſſe profitebar, poſſem qualecumque exhibere deuotionis ſignum, niſi me ipſum ſuæ Religioni deuouerem? Anne indignus eſt Franciſci funis, quo Regia purpura cingatur? Eo præcinctus Ludouicus Rex Galliæ, Eliſabeth Vngariæ Princeps, in Sanctorum numerum relati; Imperatrices, Reges, Reginæ, & alij Principes viri; quorum numerum, tempore mortis ſuæ deuotiſſimè habitum ſuſcipiens, auxit hoc anno Philippus Tertius Rex Hiſpaniarum, & paulò antè Sereniſſima Hiſpaniæ Regina Eliſabeth, Philippi IV. Domini noſtri vxor, & nobiliſſima Princeps Maria eiuſdem Philippi IV. germana ſoror, quæ etiam huic Tertiæ Religioni nomen dederunt, quas cum potentiſſimo & piiſſimo Rege Deus diu incolumes ſeruet. An fortè non decet Regiam dignitatem cilicium? Decet certè, & tempore Eliſei Prophetæ eo vſum Regem Iſraël, narrat Hiſtoria ſacra. 4.Reg.6. Vnde ergo miraris, quòd Cardinalis cinericium habitum purpuræ imponat, & chordâ ſe præcingat? Dicis:

Humilis habitus eſt, tantæ dignitati. At ego reſpondeo, ideò ſuſcipiendum hoc tempore, *cùm tantò humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior quiſquam debeat eſſe ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione:* & nobis humilitatem hoc tempore, quo ad talem euecti ſumus dignitatem, *tantò magis arbitror eſſe neceſſariam, quantò maior noſcitur materia ſuppetere ſuperbiendi. Genus, ætas, ſcientia, cathedra, & quod maius eſt, primatus prærogatiua, cui non eſſent inſolentiæ comes, & eleuationis occaſio? quamquam eſſe poſſint & humilitatis. Meditantibus quidem honores blandiuntur, ſed onera penſantibus tædio ſunt atque formidini.* Sed ſuperbire honoribus communius eſt, *ſæpeque tranſitoria poteſtas animum per abrupta elationis rapit: plerumque enim ſe animo accepta poteſtas obiicit, eumque tumidis cogitationibus fallit. Manu ergo humillimæ conſiderationis, deprimendus eſt tumor elationis.* Hinc Paulus ad Apoſtolatus & magiſterij dignitatem euectus, nobis elucet, *ſeruiens Domino cum omni humilitate; memor humilitatis, quæ his qui præſunt maximè congruit, eò quòd facillimè in arrogantiam tolluntur.* Nónne hoc nos docent à natura inſtructę grues, quæ in altiora eleuandæ, ne à ventis huc illucque proiiciantur, lapides pedibus portant, vt pondere ſecuriùs volare poſſint, quæ leuiores ventis cedere compellerentur? Nónne nauim onerat nauta, vt ſic depreſſa & demiſſa, humilior licet, ſecurior tamen iter agat ſuum, nec ita facilè à procelloſis vndis agitata, huc illucque iactata demergatur; & quò altioribus natare cupit vndis, eò ſe maiore grauat onere? Quid ergo ego facerem eo tempore, quo indignus ad tam ſupremum Eccleſiæ euehebar gradum, niſi humilitate Franciſci me tueri, quò ſecuriùs poſſem oneris iniuncti procellas, labores & onus ſuſtinere? Sed quid multa? nónne cinericius habitus Franciſci verè purpureus eſt, quo ornari poſſit Regia & Cardinalitia dignitas? *Verè purpureus eſt, quem Chri-*

Gregor. Hom. 9. in Euangelia.

Bernard. Epiſt. 42. col. 10.

Gregor. l. 21. in Iob c. 10. & 11.

Act. 20.

Chryſoſt. Hom. 44. in Actus Apoſt.

Chriſti ſignat cruor, & paſſionis eius colorauit fides; & quem Chriſti vice proprio Sanguine è ſacris Stigmatibus effluẽte, rubrefecit Franciſcus. Anne humilitas Chriſti ſeruitus eſt? *Seruilis non eſt quam regalis nobilitat purpura; ornamentum eſt purpura Regium. Hunc ſi quis vel dedignetur vel abhorreat habitum, reſpiciat quòd non griſeus, ſed purpureus ſit; humilitas namque ſuſcepta pro Chriſto regiam præfert dignitatem.* Quid ergo feci? purpuram purpura contexi, Cardinalitiam Regia; tantum abeſt, quòd me humiliauerim, vt meritò dubitare poſſim, an ſuperbierim. Denique vt verum Franciſcanæ Religionis amatorẽ me oſtenderem, inter eius filios connumerari volui; & quem corde portabam, exteriùs præferre, quo modo poſſem, habitum Religionis, cui me deuinctiſſimum filium profiteor: & ô vtinam talis operibus apparerem! Age igitur, mi Frater, & Patris noſtri, quas collegiſti, in medium profer reliquias Operum & laborum, quorum noua luce vltima illuſtrata ſæcula reſplendeant, & tanti Patris laboribus lætentur. Cuius officij te numquam pœniteat, nec aliam deſideres vtilitatem, quàm feciſſe; muneris autem tanti in me collati, ſemper memor ero. Vale, & in ſanctæ Romanæ Eccleſiæ obſequium te Deus ſeruet incolumem, virtutibus augeat; de cuius bonitate confido meritis tuis præmia nequaquam defutura. Dat. Tibure 3. Iulij, anni M. DC. XXI.

Abbas Gillebert. Sermon. 18. in Cantica, inter Opera Bernardi. Idem eod. loco.

Veſtræ Paternitati amiciſſimus

Gabriel S. R. E. tituli S. Pancratij
Presbyter Cardinalis de Trejo.

LECTORI

FR. LVCAS VVADDINGVS

S.

MEVM *in te obſequium, amice Lector, gratum fore non diffido, dum tui iuris efficio hominis pænè diuini, tibi, vt omnibus, chari doctrinam: nam pro noſtro affectu alios auſcultamus, &* quem quis diligit, libenter audit. *Neminem puto, qui Diuum hunc non diligat, neminem etiam, qui loquentem non velit audire. Poſt plenos annos quadringentos, en tandem* loquitur quaſi ſermones Dei, *quia breues, quia ſimplices abſque fuco & vano nitore. Hinc profeſſus eſt ſermonis breuitatem ſibi placere, ſuiſque commendauit*, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. *Non tam multa, quàm benè dixit: quia pauca hærent, plura præterlabuntur. Benè ille apud Euſebium:* Non multa dicentibus, ſed vera tradentibus auſcultandum. *Protracta & diffuſa oratio plus habet ſtrepitus, minus familiaritatis. Longa verba plus Lectorem terrent, quàm alliciunt.*

Greg. in c. 8. Cant. ad fin.

1. Pet. 4. v. 11.

Franciſci Opuſcula breuia, & quare?

Franciſc. in Reg. 2. c. 3.

Papias apud Euſeb. l. 1. cap 59. Hiſt. Eccleſ.

Simplicitas etiã germana Dei ſermoni: nec enim in phaleratis, aut perſuaſibilibus humanæ ſapientię verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis *diuina concredita eſt Scriptura. Cùm modeſta ſit, non ambit ornatum; cùm ſit grauis, fucum ignorat; cùm ſit virilis, mundo muliebri non capitur. Non eſt ornamentum virile concinnitas. Solicitus & politus ſermo iuuenilis eſt leuitatis, & adoleſcentuli puſillis occupati.* Magnus remiſſiùs loquitur & ſecuriùs: quæcumque dicit, plus habent fiduciæ, quàm curæ. Noſti quamplures iuuenes, barba & coma nitidos, de capſula totos: nihil ab illis ſperaueris forte,

Quare etiam ſimplicia.

1. Cor. 2. v. 4.

Seneca Epiſt. 115

forte, nihil ſolidum. Oratio vultus animi eſt: ſi circumtonſa eſt & fucata, & manufacta, oſtendit quoque illum non eſſe ſincerum, & habere aliquid fracti. *Homo ponderoſus & ſerius ſuum peculiarem & virilem habet modum dicendi. Ipſæ ætates, ipſæ hominum conditiones rectè diſcriminant loquelas.* Quædam eſt eloquentia, quæ magis ætatem iuuenilem decet, eſt quæ ſenilem; nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonæ non congruat eloquentis: ita eſt quædam quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeque diuinos decet. Hac illi locuti ſunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa: ipſis enim congruit; alios autem, quantò videtur humilior, tantò altiùs non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit. *Solidus, non ventoſus ſanctorum hominum ſermo: & ad veritatis manifeſtationem dumtaxat collimat; ſed* quæ veritati operam dat oratio, incompoſita debet eſſe & ſimplex. *Ipſa nempe veritas ad ſui perſuaſionem ſufficit abundè.*

Aug. l. 4. de Doctr. Chriſt. c. 6. To. 3

Seneca Epiſt. 40.

Quòd verò delituerint hucuſque hæc tanti viri Opuſcula, non obinde tamquam non ſua, contemnenda; niſi & quæ aliorum ſunt indubitata, nouiter reperta, irreuerenter & temerè reijcienda velimus. An quia poſt mille centenos annos inuentus ab illuſtri & docto viro Dauide Rotho Hiberno in Bibliotheca Feſulana Canonicorum Regularium in Hetruria liber de geſtis Pelagij contra aduerſarios gratiæ, ab eodemque extractus per Illuſtriſſ. D. Petrum Lombardum Archiepiſcopum Armachanum totius Hiberniæ Primatem (quem tamquam perdoctum conciuem, & venerandum conſanguineum, ego reuerenter obſeruo) reſpuendus tamquam ſuppoſititius Auguſtini fetus, qui pro legitimo ſeorſim multis iam prodiit in locis, & in editione Pariſienſi anno 1614. ceteris eiuſdem Doctoris Operibus inſertus eſt, & quem ipſe l. 2. de Peccat. orig. c. 14. & lib. 2. Retract. c. 47. ſe ſcripſiſſe teſtatur; quem etiam Proſper & Beda in ſuis Operibus citant, Louanienſeſque Tom. 7. poſt librum de Na-

Nouiter inuenta multa Sanctorũ Patrũ Opera.

tura & gratia reponendum, dummodò extaret, admonuerunt? Septimus etiam liber eiuſdem contra Iulianum nouiter erutus è tenebris, ob eamdem rationem Auguſtini eſſe denegabitur? Commentaria illa in Epiſtolas Pauli, quæ Anſelmo Cantuarienſi tribuuntur, prodierunt in lucem fermè quadringentis quinquaginta annis ab obitu Anſelmi, vel ſi mauis ea Heruæo adſcribere, adnumera quot inter huius ætatem & annum 1533. quo primùm edita ſunt, intercedunt. Vide in nouioribus editionibus Operum Bernardi, quot accreuerunt Epiſtolæ, quas ab eo conſcriptas eſſe nullum probis viris dubium. Omnium fermè ſanctorum Patrum Opera poſterioribus his ſæculis prodiêre auctiora, & quædam duplo ſeipſis maiora. An quæ Henricus Caniſius, multarum antiquitatum vindex ſanctorum veterúmve virorum Vitas & ſcripta in ſua antiquarum lectionum volumina congeſſit, quia infirmis, poſt longas multorum ſæculorum tenebras, oculis nouam ſolis aciem ferre videbantur, nec vera nec legitima, ſed à tanto viro conficta dicemus? Simile demum ânne feremus iudicium de tot tantíſque Operibus, quæ ſucceſſiuis editionibus facta ſunt iuris communis in Bibliotheca veterum Patrum, vt nullum genuinum adſcripti Auctoris eſſe dicatur? An tandem omnes collectiones Conciliorum factas poſt primam illam noſtri ſæculi compilationem, à Petro Crab Minorita elaboratam, quò auctiorès, eò falſiores & fictiores aſſeuerabimus? Imprudens & impudens certè ſententia. Ad tam manifeſta exempla nimius certè erit ſcrupulus de his admittendis Operibus, indigna prorſus prudenti viro admiratio ad horum Operum excuſionem, præſertim cùm Franciſci ſpiritum verba ipſa redoleant; ipſum ipſum eſſe Franciſcum auctorem, ſtylus doceat, argumenta demonſtrent, & paſſim à me prolati teſtes affatim confirment.

[a] Vide Poſſeu. in Appar. verbo *Anſelm. Cantuar.*

Illinc tibi forſan ſcrupulus, quòd hominem rudiorem, & totius humanæ literaturæ ignarum putaueris. Vulgaris hic de tanto viro conceptus, quem contemptibiliter & malitioſè ad

Fran-

Franciſcanum exprobrandum Inſtitutum (ô nimiam huius temporis licentiam!) quidam malè ſanæ mentis præ roſtris & ex ſuggeſtis expreſſerunt. Verè nullus ſeipſo demiſſiùs de eo ſenſit, quippe ſe & ſuos ad extremum vitæ halitum idiotas dixit. Hoc autem ego eius profundæ tribuerim humilitati: nam reipſa inter ſocios, quos ſecum idiotas vocauit, quidam docti erant, nec mediocriter eruditi. Vel ſi adhuc idiotam velis, id tibi conceſſerim, modò de mundana & inani ſcientia ſit ſermo. Ab hac etenim penitùs alienum, eamque in ſuis abhorruiſſe, docent eius Collationes 15.16. & 17. *Paulus Apoſtolus Doctor fuit gentium & orbis, eique non parum debemus Chriſtianæ doctrinæ: attamen* iudicauit ſe nihil ſcire, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. *Id porrò verè dixit,* quòd externæ ſapientiæ penitùs eſſet expers. *Pari ratione dixit de Franciſco noſtri ſæculi vir doctus, quòd* homo erat doctrinæ, ſi humanam velis, minimæ; *at diuinam ſi ſpectes, addo ego, conſummatiſſimæ:* Diuina ſapientia (*inquit Bernardin. Senen.*) plenus fuit. Erat ſapientia eius cælica, deſurſum deſcendens, pudica, pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & fructibus bonis. Proinde à Salomone dicitur in perſona Franciſci: Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum; non didici ſapientiam, & noui ſcientiam Sanctorum. *O bonam ſcientiam, qua ſancti viri* occulta prouerbiorum exquirunt, & in abſconditis parabolarum conuerſantur; *& qua plenus hic Theodidactus* Franciſcus enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita producebat in lucem. *Nec mirum, cùm* per ſancti Spiritus vnctionem plenariam Scripturarum Doctorem apud ſe haberet in corde. *Porrò ſcientiam ſæculi calcauit, ſed cæli ſapientiam obtinuit: propterea de eo Gregorius IX. dixit, quod Gregorius Primus de Benedicto, quòd* multos præuenerit ſcientia prẹditos ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus. *Etſi idem Magnus Gregorius dicat Benedictum* doctrinæ verbo

[Marginal notes: *Quanta Franciſci doctrina.* — Franciſc. in Teſtamento. — 1. Cor. 2. v. 2. — Chryſoſt. Hom 6. in 1. Cor. Tom. 4. — Bozius l. 6. de Signis Eccl. Signo 20. cap. 3. — Senen. Tom. 2. Serm. 60. art. 1. c. 2. — Prou. 30. v. 2. — Eccli. 39. — Bonau. c. 11. Legen. in princ. — Indidem. — Greg. IX. in Bul. Canoniz. — *Mira circa nos.* — Greg. l. 2. Dialog. Præf.]

verbo non mediocriter fulſiſſe, quia ſcripſit Monachorum Regulam diſcretione præcipuam, ſermone luculentam: *an non doctus Franciſcus, qui quatuor ex ipſa medulla Euangelij concinnauit Regulas, ſub quibus adeò propagata eſt regularis pietas, vt ſub alia numquam? An non doctus, qui* intricatiores Theologiæ dubitationes expeditiſſimè ſoluebat, & prædicabat cum tanta admiratione inter Chriſtianos & infideles, vt doctiores ad eum, quaſi ad oraculum, ventitarent, ad percipienda difficiliora, quæ peruia & manifeſta menti non erant?

Iacob. Suarez Serm. 6. Octauæ Corp. Chriſti an. fin.

Aliqualem dedit operam ſtudiis.

Bonau. Epiſt. ad Magiſtr. innominatum, poſt med.

Nec abſque omni prorſus ſtudio totum hoc ſcientiæ lumen infuſum: quippe, vt teſtatur Bonauentura, cùm paucas literas ſciret, poſtmodum in literis profecit in Ordine, non ſolùm orando, ſed etiam legendo. *Et addit*: Vnde vt ſcias quantum ſibi placuerit ſtudium ſacræ Scripturę, audiui ego à Fratre qui vidit, quòd cùm nouum Teſtamentum veniſſet ad manus ſuas, & plures Fratres non poſſent ſimul habere, diuidebat per folia, & ſingulis communicabat, vt omnes ſtuderent, nec vnus alterum impediret. *Similiter in eius Vita ait, quòd* legebat quandoque in ſacris libris; & quod ſemel animo iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ. *Humaniores etiam literas iuuenculus ſtudioſè ſalutauit, earumque* aliqualem comparauit notitiam, *ita vt ſincero & ſimplici potuerit exarare ſermone, quæ orando & legendo percipiebat myſteria. Unde ergo tibi digna admiratio, quòd Franciſcus ex Scripturæ penu humilia & ſpiritualia conſcripſerit Opuſcula, qui Scripturæ Doctorem habebat in mente, qui orationi ſtudium adiunxit, nec tempus omne præteribat abſque lectione? Omnem remouebis ſcrupulum, & admirari ceſſabis, qui Franciſci ſpiritus non prorſus ignarus; ipſa Opuſcula cum ſuo contuleris Auctore. Planè, vt dixi, ipſe quem emittunt ſpiritum, Franciſcanus eſt; ipſum ſpirant Franciſcum: & ſi hunc fœtum alteri adſcripſeris Patri, adulterinus*

Idem in Legen. c. 11. in princ.

Indidem c. 1. in princip.

nùs apparebit; ſi Franciſco, verè genuinus, verè legitimus.

Noui te curioſiùs adhuc ſcire velle, vnde poſt integra ſæcula mihi hæc Opera colligendi & illuſtrandi irrepſit ſtudium, quod nec Patres noſtri, nec horum anteſignani tam vaſto temporis tractu ſunt aggreſſi? Dicam ſincerè, meum hoc conamen in Franciſci, ſi qua eſt, laudem, ab aliorum vituperandi ſtudio ſumpſiſſe exordium. Cùm enim scioli quidam, ſuo dumtaxat iudicio ceteris ſapientiores, nobis obiicerent in re literaria ignauiam & imperitiam, eamque veluti hereditario opprobrio ab Inſtitutore acquiſitam adiicerent, volui ob oculos ponere huius ſancti viri doctrinam, ex qua conſtet non tam neſcium, quàm volunt, fuiſſe, nec ſtudium literarum ſuis exemplo interdixiſſe, ſed conſuluiſſe; imò & tam clarè ex Regula præſcripſiſſe, vt aſſerat Bonauentura, ex Regula patere, quòd Minoribus ex intentione B. Franciſci incumbit ſtudere, & quòd nullis aliis Religioſis plus competit prædicare ex ratione ſtatus ſui, quàm his qui hanc Regulam profitentur. *Si autem id opere præſtiterint, & ad ſui Patris exemplum & mentem cum laude & fructu peregerint, orbis vniuerſus, quà Chriſtianus eſt, & vltra quàm Chriſtianus eſt, teſtatur. Si poſteriores ætates ſuis ſcriptis illuſtrauerint, & vniuerſæ Eccleſiæ ſuis lucubrationibus honori fuerint & adiutorio, quotidianumque adhuc præſtent ſubſidium, dicunt, qui Scriptorum Eccleſiaſticorum vniuerſales Catalogos, vel breuem quampiam Σύνοψιν ediderunt. In nulla etenim Franciſcanorum numerum alterius ſodalitij minorem videbis; & ſi non omnes excedere, ferè nulli cedere in benè impenſo labore deprehendes. Hoc meæ inquiſitionis Operum Franciſci principium. Auxit verò ſtudium ipſa inquiſitio, dum inuentorum gaudium inueniendorum excitabat deſiderium.*

Cauſa colligendi hæc Opera

Bonau in c. 9. Regulæ 2. in fine.

Firmauit autem meum propoſitum R^mus Pater Benignus Genuenſis, noſtri Sodalitij primicerius, communis noſtri boni & honoris ardens zelator, impoſito præcepto & commiſſâ prouinciâ celebriores noſtri nominis viros, quorum præſentior fama

Multi latent veteres Minorum Scriptores

quàm ſcripta, quæ in angulis ſub pluteiſque deliteſcunt, à blattis & tineis, à puluere & temporis iniuria vendicandi. Difficile licet & laborioſum hoc præceptum, mihi fateor gratum: nihil enim tam deſideraui, quàm vt nomina eorum, qui nos præceſſerunt, & quorum labores noſtros fulciunt & augent honores, ſint in memoria æterna; & quod in Eccleſiæ obſequium laborarunt, in publicam & præſentem Eccleſiæ cedat vtilitatem. Facta mihi eſt ampla copia plura tabularia & Bibliothecas in Vrbe & extra Vrbem viſendi & euoluendi; & paßim vbique occurrebant, qui ampliſſimæ cuiuis Religioni ſatis poſſent honori & ornamento. Occurrit mihi inter ceteros Petrus Galatinus vir doctißimus, cuius Opera multis iiſque magnis Tomis in Vaticana Bibliotheca aſſeruantur: quorum exemplar magna & importuna prece præfati noſtri ſupremi Rectoris, eiuſque Vicarij Generalis in familia Ciſmontana Bernardini à Moncaluo, ad me remiſit Ill[mus] *& R*[mus] *D. Laurentius Galatinus noſter Archiepiſcopus, Epiſcopus Puteolanus, quæ propediem dabimus in lucem. Paramus etiam egregij & pij viri Angeli del Pas Perpinianenſis, breui pro omnium votis Sanctis adnumerandi, ſex ingentes Tomos, præter illum inſignem, quem in Symbolum Apoſtolicum ipſe adhuc ſuperſtes in Chriſtianam dedit vtilitatem. Quædam etiam deteximus diui Bonauenturæ, quæ Sixti V. eorumque qui eius cudendis Operibus præfuerunt, notitiam ſubterfugerunt. Alia offendimus Scoti, Ioannis Capiſtrani, Iacobi Piceni, Petri de Candia (qui Alexander V.) Franciſci à Ruuere (qui Sixtus IV.) aliorumque præclariſſimorum Theologorum; ex quibus potiora, ſi vita comes, Deúſque propitius, aliquando videbunt ſolem.*

Quæ præſtita in his Opuſculis *A capite autem incipiendum duxi, & ipſum illuſtrandum Franciſcum, à quo illuſtremur & nos, & à quo ad ſuos doctrinæ ſplendor deſcendat. Laboraui in inueſtigando, laboraui & in illuſtrando quæ inueſtigaui. Quaſdam enim vel obſoletas vel barbaras voces exprimere oportuit; alias ad noſtri huius tem-*

poris

poris fundatiſſimam Theologiam componere; variorum inſuper codicum concordare, vel vt minimùm inſinuare, diuerſas lectiones, & ad Operis ſplendorem, Lectoris vtilitatem, Prædicatorumque, præcipuè verò Prælatorum, ad quos attinet ſuos verbo erudire, qualecumque commodum, aſceticos placuit adiungere Commentarios. In his aliquantulùm exſpatiamur, ſed extra chorum non ſaltamus: *nihil enim abs re noſtra tractauimus, ſed propriam Auctoris doctrinam alienâ confirmauimus. Id autem abundiùs præſtitimus in his locis, quæ ad regularem vitam vel excolendam vel reſtituendam, magis propriè inſeruiunt.*

At ſi nimis abundè, diffuſiuſque quàm debuit, me id peregiſſe quiſpiam putet, meoſque Commentariolos ipſorum Operum modum exceſſiſſe redarguat; velim aliorum non obſcuri nominis Commentatorum meminerit, qui præclarorum virorum Opera ſuis adiectis Illuſtrationibus magnas auxêre in moles. Quàm mediocris Tertullianus, quàm exiguus Cyprianus abſque Adnotationibus doctiſſimi viri Iacobi Pamelij? Quàm manualis codiculus operum Iuſtini Philoſophi & Martyris abſque confirmationibus Patrū, per Ioannem Langum, etſi parum ſincerè, nec abſque corruptæ fidei ſuſpicione, adiectis? Quàm breues magni Baſilij Canones abſque Balſamonis Antiocheni Patriarchæ Commentariis? Per noſtrum Franciſcum Feuardentium quàm ſeipſo maior euaſit Irenæus? Contracti ſatis & ſuccincti in vaſtiſſima rerum ſupernarum doctrina duo illa Theologiæ lumina Thomas & Scotus abſque fideliſſimis ſuis Interpretibus Caietano & Lycheto. Si & paucis abhinc annis vir pius Iulius Nigronus, non ſine laude, ad paucas communes, ſed ſalutares, venerandæ Societatis IESV *Regulas, quæ vno vel altero folio comprehendi poſſunt, integrum, nec paruum volumen Commentariorum adhibuit; immeritò mihi vitio quis vertet, ad quatuor integras diuerſorum Inſtitutorum Regulas, varias Epiſtolas, pluraque Opuſcula minorem addere libel-*

Largioris Adnotationum redditur ratio.

Vide Expurgator. Louaniē. & Clementis VIII. Indicem.

libellum : præſertim cùm plura præſtiterim, quæ neceſſariam excreſcerent in molem. Argumenta omnibus, vel minimis Opuſculis præfixi, plures teſtes adhibui, qui hæc Opera Franciſco adſcripſerint, vel illa tranſcripſerint, aut eorum quouis modo meminerint. In aſſignanda varietate lectionum, & in illuſtrandis obſcurioribus locis immorari oportuit; & vt Patrum confirmationes, morumque componendorum regulas paulò largiùs adiungerem, pij eruditique viri perſuaſerunt. Profectò Operibus nouiter inuentis, & nunc primùm excudendis, plura adnectenda erant, quibus illuſtrarentur, & ſolidiùs conſiſterent. Dum verò noſtra illuſtratione & labore dubium omne ſuperent, & ſuo gaudeant robore, ſi quis ea per ſe ſeorſim contractiori volumine velit excudere, & circumferre, per nos id impunè licebit.

Cur non hucuſque collecta hæc Opuſcula.

Nolim autem deſidiæ aut incuriæ noſtros quiſpiam incuſet anteriores conſodales, quòd in hunc vſque diem hanc neglexerint collectionem. Etenim, præterquam quòd quidquid hîc ego omnibus offero, in rerum noſtrarum monimentis notatum inuenerim, primæuos illos noſtros Patres plus operi indulſiſſe reſponderim quàm calamo, & in agendo plùs operæ quàm in ſcribendo poſuiſſe, cum iiſque ſenſiſſe, qui veram philoſophiam non verba, ſed res putant, *& illum ſibi ſtatuiſſe ordinem docendi, vt* [a] alij verborum, illi verò rerum Magiſtri meritò dicerentur. *Nec obinde Patris monita, ſalutariáve hæc dogmata neglexiſſe dicendi, quia ad modum Pythagoreorū diſcipulorum* [b] memoriter tenentes præcepta Doctoris, ingenio pro libris vtebantur. *Ad Sapientis conſilium ligabant ea in digitis ſuis, opere exequendo,* [c] & ſcribebant illa in tabulis cordis ſui, *firmiter memoriæ commendantes. At poſtquam optima illa tabularia, viuique hi Magiſtri è viuis abierunt, & morum diſſimilitudine ſtudioque diuerſo in contraria rapti noſtri conſodales, varios fines, vel liberioris & amplioris literaturæ, aut ſtrictioris ſolitariorisque vitæ, ſibi ſtatuerunt, in pluresque ſe familias diſſociarunt, plurimum paſſæ ſunt diſpendij (præter aliam illam*

Plutar. Orat. 1. De virt. Alexan. poſt princip.

[a] Aug. l. 2. de Ordine, c. 10. Tom. 1.

[b] Hieron. Apolog. aduerſ. Ruffin. ant. fin. Tom. 2.

[c] Prou. 7. v. 3. Lyra ibidem.

iactu-

iacturam D.Bonauenturæ ætate) tabulæ, monimenta, archiuaque Religionis; nec tam facile erat colligere, quæ non ſolùm per plures Conuentus, ſed & per diſtinctas familias erant diſperſa. Præuidi ego laborem, & horrui; ſed omnium noſtrorum quarumcumque Minorum Congregationum Prælatorum benignitate, qui liberum ad ſua præbuerunt acceſſum, Deo duce & adiutore tandem Opus abſolui; priùs abſoluturus, niſi Illuſtriſſ. Dominus Antonius à Trejo, dum Oratorem Regis Catholici ageret apud Paulum V. pro definienda controuerſia de Conceptione beatæ Virginis, me in partem laboris & ſtudiorum ſuorum, aliquando tui iuris efficiendorum, benignè vocaſſet.

Vide Petrum Rodulphum in Epiſt. nũcupat. ante Libros Hiſtor. Seraph.

Multam à ſanctis Patribus præclariſque Doctoribus mutuatus ſum doctrinam, eorumque ſuppellectilem quibuſdam in locis, vt tuam facerem, meam feci, nequaquam hinc iniurius in primos inuentores. Mihi iſta acquiſita, mihi laborata ſunt. *Si quid ex illis deprompſerim,* non furtum appellari debet, ſed paterna hereditas. *Iuuit ergo tot tantorumque noſtrorum Patrum hereditatem adire, ſed non minuere; imò in votis & cordi eſt, bonum agere patremfamilias, vt faciam ampliora quæ accepi, & maior iſta hereditas à me ad poſteros tranſeat. Si autem quæ ſuperaddidi, acceptis genuinè non cohæreant, nec mea ſanctorum Patrum, ſanctioriſque Matris Eccleſiæ, os habitumque gerant, ab iiſve vel tantillum diſſideant, ipſe me reprehendo, & iamiam acriùs carpo; illaſque profiteor & opto* ſecundas modeſtiæ partes, qui primas non potui habere ſapientiæ: & ſi non valui omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœnitebit, quæ cognouero dicenda non fuiſſe. *Vitæ meæ Dominam conſtituo, dicendorumque Magiſtram & regulã tam libenter quàm firmiter proclamo ſanctam Romanam Eccleſiam, cuius vel nutui me meaque ex corde ſubijcio. Vale mi Lector, & te iuuantem, certè volentem, ama.*

Hereditario iure aliena fecimus noſtra.

Seneca Epiſt 64.

Theodor. Epiſt. ante Cant. Cantic.

Auguſt. Epiſt. 7. ad Marcell. poſt princ. Tom. 2. & in princ. Retract. Tom. 1.

Fr. Lucas Waddingus.

Fr. LVCAS WADDINGVS *de collectis à ſe* B. FRANCISCI *Operibus.*

ÆSTVAT ignito CHRISTI FRANCISCVS amore,
Pectore nec flammas tot cohibere poteſt.
Erumpunt per quinque vias; ſic ſparſit in orbem
Flammas, cùm flammis flammea verba dedit.
Verba iuuant flammas. Miſerè pòſt friguit orbis,
Verbáque cum flammis diſperière ſimul.
Sed Franciſciades afflatus numine, ſoluit
Igne gelu, extinctas ignificátque faces.
Verba occulta diu tenebris immerſa latebant,
Quæ partim ſcripſit vulnere foſſa manus.
Hæc collecta damus, verbis demiſſa, profunda
Senſu; ſub paruo cortice magna latent.

Eiuſdem ad B.FRANCISCVM Πρόσφθεγμα.

MAGNE Pater noſtras non dedignare probare,
Ad tua quas dedimus candida ſcripta Notas.
Auſi magna ſumus: Criticorum compulit ætas,
Vt tentaremus iungere noſtra tuis.
Si quæ plura latent, fac nos tua ſcripta videre:
Vt caleant verbis frigida corda tuis.
Orbi hæc pauca damus magno pro munere: noſtra
Dum ſunt, parua damus; dum tua, magna damus.

Teſti-

Teſtimonia eorum qui D. FRANCISCVM *inter* SCRIPTORES ECCLESIASTICOS *connumerant.*

GVLIELMVS EYSENGRENIVS *De teſtibus Catholicæ veritatis, ad annum* 1226.

SANCTVS FRANCISCVS, Ordinis Minorum inſtitutor & Princeps, natione Italus, ex Aſſiſio ciuitate Italiæ oriundus, vir ſanctitate & eruditione illuſtris, morum ſingulari moderatione fuit, à faſtu & ſuperbia maximè alienus. Et ſicuti iuſtarum laudum præconiis minimè eſt ad arrogantiam ſublatus, ita etiam conuitiis iniuſtis haudquaquam ad indignationem commotus. Mitis atque humanus, vt non magis alius quiſquam, & in colloquiis gratioſus maximè, atque item acutus inuictuſque fuit. Rerum æternarum deſiderio, fortunas, quibus frui potuiſſet, reliquit, & ad infimæ plebis conditionem ſe abiiciens, laboribus & iniuriis ibi ferendis ita ſe exercuit, ita & ieiuniis & precibus & meditationibus animum ſuum in opinionem traduxit; vt putarit, nihil tam eſſe ſecundùm naturâ, quàm viuere frugaliter, demiſsè, caſtè, & ſanctè. Friderico II. Imp. Cæſ. Auguſto, Regulam Minorum docto volumine politè ſcripſit. Quorum Ordinem, in quo ſucceſſu temporis complures viri ſancti atque doctiſſimi claruerunt, qui verbo & exemplo Eccleſiam magnificè illuſtrarunt, Honorius III. Pontifex menſe Nouembri in Vigilia S. Andreæ Apoſtoli comprobauit. Moritur B. FRANCISCVS IV. Non. Octobr. anno Saluatoris Chriſti M. CC. XXVI.

IOANNES TRITHEMIVS *De Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad annum* 1220.

FRANCISCVS Ordinis Minorum inſtitutor & Princeps, natione Italus, ex Aſſiſio ciuitate Italiæ oriundus, vir ſanctiſſimæ conuerſationis, & Euangelicæ paupertatis ardentiſſimus ſectator, qui verbo & exemplo multos ab iniquitate conuertit, & in viam iuſtitiæ Catholicæ direxit, tantus amator CHRISTI extitit, vt in contemptu mundi & conſolationis tranſitoriæ parem vix habuerit. In cuius Ordine multi iam deinceps doctiſſimi viri clarue-

claruerunt. Qui ad vtilitatem fidelium innumera pænè compoſuerunt Opuſcula. Ipſe autem FRANCISCVS ſcripſit breuem

Regulam Minorum: lib. 1. *Regula & vita Minorum.*
Teſtamentum breue: lib. 1. *Dominus dedit mihi Fratri.*

Claruit ſub Frederico Imperatore Secundo anno Domini 1220.

HENRICVS WILLOT *in Athenis orthodoxorum Patrum Seraphicæ Religionis, litera F.*

In Legẽda maiori & minori. FRANCISCVS Aſſiſias Italus, ſpiritualibus animæ, & quæ ſupra naturam ſunt, dotibus cumulatè ornatus, à D. Bonauentura depingitur. Nec aliis, quæ hominem magnopere illuſtrant & augent, doctrina ſcilicet & eloquentia, caruit; quin & abundè illis ditatus videri poſſit. Cedo, de induſtria à literis ſe remouiſſe, quò ſe totum in rerum cæleſtium contemplatione abderet, vt de B.P.N. Benedicto narrat Gregorius. (Gregor. l. 1. Dialog. c. 2.) Nec abnuo liberales artes ſolùm à limine ſalutaſſe, & delibatis Grammatices initiis, cõſilio ſtudiis valedixiſſe, ſcienter neſcium, & ſapienter indoctum. Inficiabitur item nemo, ſanctum & amantiſſimum Patrem ludum literarium feruori ſpiritus poſtpoſuiſſe; filios quoque ſuos omnes ad hunc potiùs quàm ad illum cohortatum fuiſſe. Sunt illius verba: (Regul. 2. c. 10.) *Et non curent neſcientes literas, literas diſcere: ſed attendant quòd ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem; orare ſemper ad Deum puro corde, & habere humilitatem, patientiam in perſecutione & in infirmitate, & diligere eos qui nos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt: quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos.* (Mat. 5. v 44.) His licet benè expenſis, nihilominùs inter eruditos & eloquentes laudem nequaquam illi deeſſe, quamplurima argumento erunt.

Amorem ex ſimilitudine gigni, familiare eſt Philoſophis. Franciſcum autem, & inſigni honore, amoreque non vulgari, Theologos complexum fuiſſe, ea indicant, quæ de reuerentia illis exhibenda tam ſcitè tamque luculenter tradidit, & ſcripto poſuit. (In Teſtamento.) *Et omnes*, inquit, *Theologos, & qui miniſtrant nobis ſanctiſsima verba diuina, debemus honorare & venerari, ſicut qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam.* Quo coniicio, & doctum fuiſſe, qui doctos afflictim amauerit, & colendos decreuerit; & doctiſſimis connumerandum, qui paribus cum eruditiſſimis conſentiat ſtudiis. An non illa verba cæleſtis, & qui cælos emenſus eſt, Pauli,

Qui

Qui benè præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt, maximè, qui laborant in verbo; velut metaphraſim adiecta cenſeas? 1. Tim. 5.

An non literatorum fautorem & patronum habebimus, ſi ad capeſſendas literas idoneis opere ſemper & conſilio adfuiſſe nouerimus? Collegio Bononiæ exædificato non minùs ſibi charum, quàm orbi clarum Profeſſorem, literis etiam illi nuncupatis, decreuit & præfecit Antonium Paduanum. Aliàs cùm non adeſſet librorum copia (neque enim altiſſimam paupertatem profeſſis in promptu ſemper ſunt, quæ ad locupletem & benè inſtructam Bibliothecam ordinandam requiruntur) nactus vnicum noui Teſtamenti exemplar, per quaterniones ſectum viritim ad lectionem partitus eſt, aſſidua illius lectitatione filios exerceri cupiens. Atque eò magis apud ſuos literas vigere voluit, quòd illorum omnia ad ceterorum quoque hominum ſalutem direxerit. Talibus enim illos adſtrinxit, quæ ſine literis perfici nequeunt. Verbo ad meliorem vitæ frugem quis, niſi Scripturis & argumentis benè inſtructus, peccatorem adigat? Quis de rebus dubiis conſultus ſana feret conſilia, niſi longo ſtudiorum exercitio, & aſſidua lectione ſapiat? Qui ſine eruditione notitiam rerum gerendarum ſectantur, ſæpè neceſſe eſt impingant, ſæpè ceſpitent, nonnumquam etiam labantur in præceps. Confeſſiones quis vtiliter excipiet, niſi primùm lepræ indolem, & vnius ab altera diſcrimen literaria palæſtra perceperit? Tollet è medio plurimos indoctus Medicus, & Iudex Iuris præceptorum rudis quàm multos euertet fortunis, & exiſtimatione, & capite? Sunt quamplurima ſimilia, quæ Franciſcanis cum aliorum Ordinum Patribus voluit B. Pater eſſe communia, vtque in eis obeundis decenter ſeſe gererent; quia quod Apoſtolis Spiritus, nobis longa exercitatio confert. Simul voluit excuſſo torpore & otio non ſegniter ſtudiis incumbere. Et probi eiuſdem filij, quorum hîc permulti longa ſerie enumerantur, paternam mentem exploratam cùm haberent, ita eruditi floruerunt, vt verè dicere poſſimus, ab eis etiam eruditionem eſſe factam, maioremque in modum illuſtratam, vt facilior & plenior poſteris traderetur.

Conuincunt hæc, Dei virum impensè eruditorum familiaritate delectatũ, ſimulque eruditum fuiſſe. An hoc negabimus, ſi modò hunc cordium abdita animique ſenſa & cogitata clariſſimo oculo penetraſſe meminerimus? Ille prophetico colluſtratus lumine, futura prænouerat: & cùm proximi ædificatio exi-

Auguſt. tract. 119 in Ioan. Tom. 9.

geret, hæc & illa euulgabat. Non potuit equidem, qui in iugi Crucis (quam Magiſtralem cathedram vocat Auguſtinus) verſabatur meditatione, non puriſſimos ſaluberrimæ & clariſſimæ eruditionis fontes hauſiſſe.

Teſtantur & eruditionem monumenta ſcriptorum. neque enim his orbamur.

Scripſit equidem Regulam planè Euangelicã, quæ incipit: *Regula & vita*. Quæ quàm euidenter quamq́ue certò viri ſapientiam demonſtret, hinc colligere quiuis poteſt, quòd tot beatiſſimi Pontifices, Gregorius IX. Innocentius IV. Gregorius X. Clemens V. Nicolaus III. cum clariſſimis Doctoribus & Patribus, S. Bonauentura, quatuor Magiſtris, quorum primus erat Alexander de Hales, Hugo de Dina, Bartholomæus de Piſis, Ioannes Pecanus; Gilbertus Nicolai, Cordubenſis, Ioannes Philippi, Gonſaluus, & alij plerique, omnes ingenij neruos in eam explicandam torſerint. Hanc B. P. *librum vitæ, ſpem ſalutis, medullam Euangelij, viam ſaluationis, ſcalam cœli, clauem paradiſi, pactum æterni fœderis*, tritis elogiis appellare conſueuerat.

Dictauit & Teſtamenti varias tabulas, quibus virtutum & ſummæ egeſtatis, ſed Euangelicæ, nos heredes conſcripſit: *Dominus dedit mihi*.

Cantica multa modulatus eſt, quibus more Pſaltis & ſponſæ cæleſtis, nunc colludebat ſponſo, nunc confitebatur amico, nunc Iudicem deprecabatur, nunc Patrem interpellabat, nunc Creatorem ſupremo cultu & ſumma religione venerabatur.

Epiſtolis filios in Capitulis congregatos abſens erudiebat, informabat, exhortabatur, & ad inſtitutæ Regulæ piam & caſtam obſeruationem inſtigabat: *Dixit Dominus diſcipulis ſuis*.

Nonnullas alias ad fideles Chriſtianos perutiles dedicauit Epiſtolas.

Extat eiuſdem Epiſtola ad Sacerdotes Ordinis ſui: *In nomine ſanctæ Trinitatis*.

Oratio, ſeu expoſitio in Orationem Dominicam, Matth. 6. *Sanctiſſime Pater noſter*.

Laus Domini Dei altiſſimi, quam compoſuit: *Tu es Domine Deus*.

Oratio ad Omnipotentem: *Deus omnipotens*.

Binæ Orationes ad Deiparam virginem: *Sancta Dei genitrix*. Poſterioris initium: *S. Maria virgo*.

Alia

Alia eiuſdem verba, quibus ad humilitatem, deuotionem, inducit: *Beatus ſeruus.*

Hæc omnia relata ſunt à MARGARINO DE LA BIGNE ad finem Tom. 3. Biblioth. SS. PP. 1. editionis.

PETRUS RODULPHUS *Toſſinianus lib. 3. Seraphicæ Religionis de Scriptoribus Ordinis Minorum.*

SANCTUS FRANCISCUS, Seraphicæ Religionis Fundator, quamuis idiota ſimplex & elinguis fuiſſe viſus ſit, ſcripſit tamen Regulam, & breue ac ſpirituale Teſtamentum, & multa Cantica ante & poſt confirmationem Regulæ. Scripſit quaſdam Epiſtolas ad Capitulum Generale, ad omnes Chriſti fideles: tantumque ei placuit ſtudium ſacræ Scripturæ, quòd B. Bonauentura narrat ſe audiuiſſe à quodam Fratre, quòd cùm nouum Teſtamentum veniſſet ad manus ſuas, & plures Fratres non poſſent ſimul habere, diuidebat per folia, & ſingulis communicabat, vt ſigillatim cuncti legerent citra faſtidium alterius. In eius verò obitu mandauit Fratribus, vt Doctores, qui verba vitæ annuntiant, eſſent illis in magna reuerentia. Itaque nullus quidem in eo floruit eloquentiæ color, nulla adfuit pronuntiationis venuſtas, nullus ſcriptionis ornatus, nec in eius animo vlla inſedit humana eruditio, nec ſtudio acquiſita doctrina; in eius tamen concionibus, & paucis ſcriptis, iiſque rudi ſatis ſermone exaratis, viget tantâ animi efficaciâ doctrina cæleſtis, tanto ſpiritus ardore æſtuat Euangelica præceptio, tanta intellectus ſublimitate emicat diuina ſapientia, vt vndique per totum orbem terrarum ad ſuum Ordinem attraxerit, & Chriſto ipſi addixerit innumerabilem hominum multitudinem; ad hoc, vt per humilem ſui deiectionem ad ſublimia creaturarum aſpirent. Quòd ſi Oratoris officium, ſi eloquentiæ finis eſt, appoſitè dicere ad perſuadendum; B. P. Franciſcus in hac re ſummam laudem & gloriam conſecutus poteſt videri, qui ſcriptis & concionibus ſuis animos penetrauit, eos finxit, formauit, & flexit. Non ſolùm igitur inter Scriptores ac eruditos hic annumerandus fuit, ſed inter eos primas tenere meritò cenſendus.

Bonau. Epiſt. ad Magiſt. Innominat.

ANTONIUS POSSEVINUS *lib. 1. Apparatus ſacri, verbo* FRANCISCUS.

FRANCISCUS Aſſiſias, quæ ciuitas eſt in Vmbria, Italus, Ord. Min. vir ſanctiſſimus, & Franciſcani Ordinis primus Inſtitu-

tor, ſcripſit Regulam planè Euangelicam, & Apoſtolicam, quæ incipit, *Regula & vita.* Hanc ipſe Pater *librum vitæ, ſpem ſalutis, medullam Euangelij, viam ſaluationis, ſcalam cæli, clauem paradiſi, pactum æterni fœderis*, appellare conſueuerat. Dictauit & Teſtamenti varias formulas, quibus virtutum atque Euangelicæ paupertatis ſuos fecit heredes. Quin & cecinit plura Cantica ſiue Hymnos, quibus more Pſaltis & ſponſæ cæleſtis, modò colludebat tamquam ſponſo, modò confitebatur tamquam amico, modò vt Iudicem deprecabatur, modò vt Patrem interpellabat, modò tamquam Creatorem ſummo cultu adorabat.

Epiſtolis filios ſuos, qui Comitia generalia habebant, abſens erudiebat, ad inſtitutæ Regulæ caſtam obſeruationem adhortans; quarum initium eſt: *Dixit Dominus diſcipulis ſuis.* Sed & alias Chriſtianis perutiles ſcripſit: & extat eiuſdem Epiſtola ad Sacerdotes Ordinis ſui, quæ incipit: *In nomine ſanctæ Trinitatis.* Oratio item ſiue expoſitio Orationis Dominicę, quæ incipit: *Sanctiſsime Pater noſter.* Prætereà Laus Domini Dei Altiſſimi, cuius initium: *Tu es Domine Deus.* Et Oratio ad omnipotentem Deum: *Omnipotens.* & binæ Orationes ad Deiparam Virginem, cuius prioris initium eſt: *Sancta Dei genitrix.* poſterioris autem: *Sancta Maria virgo.*

Alia eiuſdem verba, quibus ad humilitatē, deuotionem, & patientiam hortatur, inchoans, *Beatus ſeruus.* Quæ omnia collecta ſunt à Margarino Bigneo, & in ſuam Biblioth. SS. Patrū inſerta.

HENRICVS SEDVLIVS *in Elogiis à ſe præfixis ad Vitam D. Franciſci n.81. poſt Trithemij verba ſuperiùs relata, adiunxit:*

PRÆTER iſta, alia quoque extant ſancti Franciſci monumenta, quæ apud nos habentur, vt ſunt:

Admonitiones eius. Liber vnus.

Orationes piæ ad diuerſos.

Epiſtolæ variorum argumentorum.

Quibus tum Fratres ſui Inſtituti, tum omnes Chriſtianos ad charitatem, virtutes, & ſummum honorem ſacroſanctæ Euchariſtiæ habendum, efficaciſſimè adhortatur. Hæc in manibus noſtrorum. Forſitan audebunt aliquando videre lucem.

MA-

MARIANVS FLORENTINVS *lib. 1. ſuorum Chronicorum MSS. cap. 27. §. 9.*

MVLTA ſcripſit, ex quibus poteſt perpendi zelus & feruor eius de animarum ſalute. Quorumdam hîc mentionem faciam. Scripſit

Primam Regulam, quam Innocentius ſine Bulla confirmauit, quæ incipit: *Hæc eſt vita.*

Secundam Regulam, quam amiſit Frater Elias.

Tertiam, quam habemus per Honorium confirmatam, quæ incipit: *Regula & vita.*

Edidit etiam Regulam Sororibus ſanctæ Claræ, Regulæ Fratrum Minorum conformem, quæ incipit: *In nomine Domini.*

Item Regulam Fratribus & Sororibus de Pœnitentia, ſeu Tertij Ordinis, quæ incipit: *Si qui voluerint.*

Item prope mortem condidit Teſtamentum, humilitatis & paupertatis Fratribus relinquens prædia. incipit: *Dominus dedit.*

Item libellum, qui intitulatur, Sacræ Admonitiones B. Patris noſtri Franciſci, qui incipit: *Dixit Dominus; Ego ſum vitis.*

Item Opuſculum, ſiue Epiſtolam commonitoriam & exhortatoriam omnibus fidelibus. incipit: *Cùm ſim ſeruus.*

Item aliam Epiſtolam miſſam Capitulo Generali.

Item aliam Epiſtolã miſſam Fratri Petro Cataneo ſuo Vicario.

Item aliam Epiſtolam admonitoriam ad omnes Clericos.

Item quoddam deuotum Officium in honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſecundùm ſolemnitates variabat.

Item quoddam ſcriptum de virtutibus, quibus decorata fuit B. Virgo Maria, & debet eſſe anima ſancta. incipit: *Regina ſapiẽtia.*

Item quoddam ſcriptum de ſpirituali lætitia, & accidia, & eius remedio, quod incipit: *Tutiſſimum remedium.*

Item quoddam aliud ſcriptum, qualiter debent Fratres viuere in eremitoriis, & incipit: *Illi qui volunt religiosè.*

Item aliquas deuotas Orationes.

Item Cantica in vulgari.

Item quaſdam Laudes in vulgari ad Sorores ſanctæ Claræ.

AVCTORES ex quibus hæc OPVSCVLA vel quæpiam eorum fragmenta, decerpſimus.

ALOYSIVS *Lippomanus in Vitis Sanctorum.*
Aluarus Pelagius de Planctu Eccleſiæ.
Antonius Florentinus 3. parte Hiſtoriali.
Antonius Coccius Sabellicus in ſuis Aenead. & Exemplorum libris.
Antonius Cordubenſis in Regulam Fratrum Minorum.
Antonius Dauroltius in ſuis Florum exemplis.
Antonius Poſſeuinus in ſua Bibliotheca ſelecta.
Antonius à ſancta Maria in Regulam Fratrum Minorum.
Antonius de Sillis de Origine & proceſſu Tertij Ordinis.
Bartholomæus Piſanus in Conformitatibus.
Bernardinus de Buſtis Tomo 2. & 3. ſui Roſarij.
Bernardinus Senenſis ſparſim per quatuor Tomos.
Bibliotheca veterum Patrum variarum editionum.
Bonauentura in variis Opuſculis.
Brigitta vidua in ſuis Reuelationibus.
Chronica Martiniana.
Compendium priuilegiorum Fratrum Minorum.
Cornelius Ianſenius Concordiâ in Euangelium.
Deuotionarium Capuccinorum.
Dionyſius Carthuſianus in 3. Regulam B. Franciſci, & tractatu de Obedientia Tertiariorum.
Enchiridion Fratrum Minorum.
Firmamentum trium Ordinum.
Franciſcus Gonzaga in ſuis Chronicis.
Gerardus Odonis in Sermonibus.
Henricus Sedulius in Commentariis ad Vitam B. Franciſci, & Apologeticis libris contra Alcoranum Franciſcanorum.
Hieronymus Platus de Bono ſtatus Religioſi.
Iacobus Oddo Peruſinus in ſuis Chronicis manuſcriptis.

Iacobus à Voragine in Vita Franciſci.
Ioannes Carrillo in 3. Regulam B. Franciſci.
Ioannes Scotus in Quartum.
Laurentius Surius in Vitis Sanctorum.
Legenda trium ſociorum B. Franciſci.
Legenda alia antiqua.
Ludouicus Miranda in Regulam Minorum, Clariſſarum, & Tertiariorum.
Ludouicus Rebolledo in ſuis Chronicis.
Manuſcriptus quidam Codex Hibernicus, Salmanticam delatus per quemdam Minoritam Hibernum Clonmelienſem, qui illic diem ſuum obiit.
Alius è ciuitate Fani in Marchia Anconitana ad me miſſus.
Duo ex Bibliotheca Minorum Conuentualium D. Franciſci Aſſiſiatis.
Alius Luſitanus ex Conuentu D. Antonij de ficu prouinciæ Portugalliæ.
Marcus Vlyſſiponenſis in ſuis Chronicis.
Marianus Florentinus in Chronicis manuſcriptis Florentiæ.
Matthæus le Heurt Pariſienſis Theologus in Manuali Minorum.
Monumenta Ordinis Minorum 1. & 2. impreſſionis.
Nicolaus Lyranus in Oratione de B. Franciſco.
Petrus Rodulphus tribus libris Hiſtoriarũ Seraphicæ Religionis.
Raphael Volaterranus in ſua Anthropologia.
Speculum Fratrum Minorum.
Speculum Vitæ B. Franciſci & ſociorum.
Speculum perfectionis paupertatis.
Supplementum Monumentorum Ordinis Minorum.
Thomas Bozius de Signis Eccleſiæ.
Thomas Celanus in Legenda B. Franciſci.
Vbertinus de Caſſali l.5. & 6. de Arbore vitæ Chriſti.
Vincentius Belluacenſis 2. parte Hiſtoriali l.30. & 31.

SERIES OPVSCVLORVM PRIMI TOMI.

EPISTOLÆ SEPTEMDECIM.
OPVSCVLA VARIA.
ORATIONES DIVERSÆ.
TESTAMENTVM.
LAVDES TESTAMENTI.

SECVNDI TOMI.

REGVLA PRIMA PRO FRATRIBVS MINORIBVS.
REGVLA SECVNDA PRO EISDEM.
LAVDES SECVNDAE REGVLÆ.
REGVLA CLARISSARVM.
REGVLA FRATRVM POENITENTVM.

TERTII TOMI.

COLLATIONES MONASTICAE XXVIII.
OFFICIVM PASSIONIS DOMINICÆ.
CANTICA SPIRITVALIA TRIA.
APOPHTHEGMATA.
FAMILIARIA COLLOQVIA.
PROPHETIÆ.
PARABOLÆ ET EXEMPLA.
BENEDICTIONES.
ORACVLA ET SENTENTIÆ.

APPENDICIS.

SERMONES BREVES, SEPTEM.
OPVSCVLA DVO.
VITA SANCTI PATRIARCHÆ.
FAMA EIVS POSTVMA.
NICOLAI LYRANI DE D. FRANCISCI GESTIS CONTEMPLATIO.

B. P.

B. P.
FRANCISCI
OPVSCVLORVM
TOMVS PRIMVS.

A SANCTI viri Epiſtolis, tamquam à primis & generalioribus eius Operibus, Opuſcula omnia duximus inchoanda. Plures exaraſſe, indubium: multæ hominum incuriâ perierunt. Quas reperire potui, ſeptemdecim non excedunt. Sed ne de his ipſis pauculis dubium, aut infirma fides menti alicuius obrepat; de earum veritate, quorumdam Auctorum, fide ſatis dignorum, tempeſtiuè teſtimonia præfigemus: & ad principium vniuſcuiuſque, à quo eam acceperimus, adnotabimus.

BARTHOLOMAEVS PISANVS de locutionibus beati FRANCISCI.

ALLOCVTVS *eſt Generalem Miniſtrum, eidem literas dirigendo, quæ incipiunt: Fratri N. Miniſtro. Dominus te benedicat, &c. Item Capitulum Generale, cui talem literam, ſic incipientem, tranſmiſit: Reuerendis, & multùm diligendis, &c. Præterea per aliam literam omnes fideles Chriſtianos, & incipit: Vniuerſis Chriſtianis, &c. Vltimò alios multos allocutus eſt iuxta dictum Apoſtoli, arguendo, increpando, obſecrando, tam publicè quàm priuatè, tam verbo quàm literis.* Conformit. 12. part. 2. ante diſtributionem Capitulorum.

HENRICVS SEDVLIVS de Operibus eiuſdem.

EPISTOLAS *etiam ſcripſit variorum argumentorum, quibus tum Fratres ſui Inſtituti, tum omnes Chriſtianos ad charitatem, virtutes, & ſummum honorem ſacroſanctæ Euchariſtiæ habendum efficaciſſimè adhortatur.* In Elogiis B. Franciſci, num. 89.

LVDOVICVS REBOLLEDO de eiuſdem Epiſtolis.

ALIAS *multas Epiſtolas ſcripſit B. Pater noſter* FRANCISCVS *ad homines particulares, ſpiritu & ſapientia cæleſti refertas, quæ temporis iniuria exciderunt. Has (ſcilicet vnam ad Capitulum Generale, aliam ad Sacerdotes, tertiam breuiuſculam ad vniuerſos Chriſtianos) quas hîc appoſuimus, tamquam generaliores & notiores, in Hiſtoriis Ordinis imprimi & conſeruari curatum eſt.* In Chronicis, 1.p.lib.2. cap.16.in fine.

EPISTOLA PRIMA
AD VNIVERSOS CHRISTI FIDELES.
ARGVMENTVM.

EPISTOLION *hoc in principio ſuæ conuerſionis ſunt qui indicent ad vniuerſos Chriſti fideles ſcriptum à viro Dei; quem vt guſtauit, & vidit quàm ſuauis ſit, ex nimia charitate, quæ otioſa non eſt, ad eius puram & ſinceram dilectionem, omnes Chriſticolas per hæc pauca & ſincera verba inuitat. Illa inſerta reperies cap.3. ſequentis Epiſtolæ, apud Monumenta Ordinis Tractat.2. & eiuſdem eſſe fragmentum, ſupponere videtur Piſan.lib.1.Conform. 12. cap.3. Nos verò ſeorſim tranſcribendam cum Rodulph. lib.2.pag.174. & Reboll.1.p.lib.1.cap.16.iudicauimus.*

1 Vniuerſis Chriſtianis, Religioſis, Clericis, Laicis, maſculis & feminis, omnibus qui habitant in vniuerſo mundo.

Beati Deum diligentes. Mat. 22. v.30.

2 O Quàm benedicti ſunt, & beati, qui Deum diligunt, & faciunt ſicut Dominus dicit in Euangelio: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & proximum ſicut te ipſum. Diligamus ergo Deum, & adoremus cum puro corde, & pura mente; quia ſuper omnia hoc quærens dixit: Veri adoratores adorabunt Deum Patrem [3] in ſpiritu & veritate: omnes qui adorant eum, in ſpiritu veritatis oportet adorare: & benè valete in Domino.

Deus quomodo adorandus. Ioan. 4. v.23.

ADNO-

ADNOTATIONES IN EPIST. I.

1. VNIVERSIS, &c.] Satagentis & ſolliciti de cunctorum ſalute magnum ſpirant hæc verba deſiderium. Sancti viri vellent omnes homines ſaluos fieri. Paulus quaſi omnium curam gereret, ad omnes ſcribit Hebræos, ad Romanos, ad Corinthios, multarumque nationum viros, quaſi omnes ad veritatis agnitionem anhelaret perducere. Familiare erat priſcis Eccleſiæ Patribus huiuſmodi vniuerſales exarare epiſtolas. In Bibliotheca noſtra Aracælitana in Pluteo 3. claſſe 12. in vetuſto quodam codice MS. mihi occurrerunt quædam Pannutij Abbatis Epiſtolæ; quarum primæ hæc eſt inſcriptio: *Pannutius, humilis ſeruus veſtræ ſanctitatis, omnibus Dei famulis atque vniuerſis fidelibus in fide Chriſti conſtitutis, ſalutem. Pax vobis & gratia Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti vobiſcum permaneat.* Columbanus quoque magnus ille Hiberniæ Archimandrita, & Bobienſis in Italia celebris Benedictinorum Cœnobij Inſtitutor & Rector, vniuerſales huiuſmodi Epiſtolas ad totius Eccleſiæ viros deſtinabat. Vna mihi ſuppetit manuſcripta, ex prædicto Monaſterio tranſmiſſa, præfixa inſcriptione, huic noſtræ perſimili. Fecerunt ſimiliter alij pij viri. *Sunt enim Sanctorum animæ vehementer mites, & hominum amantes, non ſolùm erga domeſticos, ſed & alienos.* Feruent nempe charitate; *quæ* (vt benè ait Auguſtinus) *alios parturit, cum alijs infirmatur; alios curat ædificare, alios contremiſcit offendere; ad alios ſe inclinat, cum alijs erigitur; alijs blanda, alijs ſeuera, nulli inimica, omnibus mater.* Vide Ambroſ. Conc. de Obitu Theodoſ. parum ante fin. Tom. 5. & noſtrum hunc Auctorem Tom. 2. Regula 1. pro Minoribus, c. vltimo.

Chryſoſt. Hom. 29. in c. 15. ad Rom. ante fin. Tom. 4.

Auguſt. De catechiz. rudib. cap. 15.

2. O QVAM BENEDICTI SVNT, ET BEATI.] Iam olim eoſdē beatos proclamauit Regius Vates. *Beati*, inquit, *qui in toto corde* (amore ſcilicet) *exquirunt eum.* Sed totalitas hæc dilectionis, & tanta virium recollectio in fide imbecillem terruit Caluinum; vnde & impoſſibilia Deum hominibus præcepiſſe mentitus eſt: contra cuius impudentem ignorantiam videndi Doctores expoſitiui ad illa verba Matthæi 22. citata in Epiſtola; ſpeculatiui ad 2. 2. D. Thom. quæſt. 27. art. 9. & quæſt. 44. art. 6. & ad 3. Scoti, d. 27.

Pſal. 18. v. 2.

Calu. in Harm.

3. IN SPIRITV ET VERITATE.] Vt ſpiritus interior & adoratio exterior ad inuicem conſentiant, & quod extrinſecus actus promittit, intrinſecus compleat affectus. *Vt omnia dicta & facta inter ſe congruant, & reſpondeant ſibi: nam non hic animus in recto aut veritate, cuius dicta & acta diſcordant.* Fallacia eſt, & impia fraus, pium in ore verbum, & impium in corde conamen. Falſitatem & diſſimulationem Deus deprehendit, cui voluntas loquitur, & qui inania verba contemnit. *Proinde enitendum eſt* (ait Chryſoſtomus) *vt Chriſtianus veritatis ſectator in ſpiritu & veritate Deum adoret, vt inter veros adoratores conſtitutus, Dei ſit orator effectus, vt eum clementer exaudiat Deus. Non omnis*, inquit, *qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed is qui fecerit voluntatem Patris mei.* Et iterùm: *Quid mihi dicitis, Domine*

Seneca Epiſt. 20.

Chryſoſt. Hom. de Vera adorat. T. 3.

Matth. 7. v. 21.

Lucæ 6. v. 46.

ne Domine, & non facitis quæ mando vobis? Falſos enim, & ſimulatores, veritatis auctor nec amare poterit, nec audire. In ſpiritu ergo & veritate Deum adorare, eſt animo, ſpiritu, & opere Deo inſeruire; quantumcumque diſſimulator impius Caluinus de ſola fide hæc verba intelligenda contendat, & adorationes omnes, aliaque extrinſeca ſanctitatis opera illius ſatellites è medio tollere procurent. Videndus pro hoc illorum errore acerrimus ille Caluiniſtarum hoſtis Franciſcus Feu-ardentius lib. 1. ſuæ Theomachiæ, cap. de Inuocatione & adoratione ſanctiſſimæ Trinitati debita, & ſequentibus. Pro genuina verò loci explicatione D. Bonauentura in Ioan. ad hæc verba, Tom. 2. & pro adoratione in ſpiritu Philo Iudæus libro de Victimas offerentibus, ad initium, & Cyrillus Alexandrinus libro ſpeciali de hoc argumento. Puram & ſinceram hanc adorationem etiam ſuis Fratribus Auctor inculcauit Tomo 2. Regula 1. cap. 22.

Caluin. ibidem.

EPISTOLA SECVNDA
AD VNIVERSOS CHRISTI FIDELES.
ARGVMENTVM.

PRÆMISSO *ad vniuerſos fideles præcedenti Epiſtolio, hanc quaſi breuem Chriſtianæ perfectionis ſummam cunctis per literas miſit, vtpote qui iam propter nimiam pœnitentiam totis exhauſtis corporis viribus per ſeipſum diſtantes mundi regiones adire non poterat, nec ore ſuo ſalutis verba docere, ſaltem affectum per Epiſtolam demonſtraret. Eam tenent Monumenta Ordinis vtriuſque impreſſionis, vterq; Codex MS. Aſſiſianus, & Piſan. lib. 1. Conform.* 12. *ſparſim per varia capita; quorum varias in quibuſdam lectiones ſtatim in Adnotationibus aſſignabimus.*

[1] Vniuerſis Chriſtianis, Religioſis, Clericis, Laicis, tam viris quàm feminis, omnibus qui habitant in vniuerſo mundo; Frater FRANCISCVS eorum [2] ſeruus & ſubditus, obſequium cum reuerentia, pacem veram de cælo, & ſinceram in Domino charitatem.

CAPVT

[3]CAPVT I.

De cauſa ſcribendi has litteras.

CVM ſim ſeruus omnium, omnibus & [4] ſeruire teneor & [5] adminiſtrare odorifera verba Domini mei. Vnde in mente conſiderans, quòd cùm perſonaliter propter [6] infirmitatem & debilitatem mei corporis non poſſim ſingulos viſitare, propoſui [7] litteris præſentibus nuntiis, verba Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Verbum Patris, vobis offerre, & verba [8] Spiritus ſancti, quæ ſpiritus & [9] vita ſunt.

CAPVT II.

De fide & imitatione Chriſti Domini.

ISTVD Verbum Patris tam dignum, tam ſanctum &
glorioſum nuntiauit Pater altiſſimus de cælo per ſan- Lucæ 1.
ctum Gabrielem Archangelum ſuum, [10] quod & de-
ſcendit in vterum Virginis glorioſæ Mariæ, ex cuius vte-
ro veram ſuſcepit carnem humanitatis [11] fragilitatis no-
ſtræ : qui cùm diues eſſet, ſuper omnia voluit ipſe in mun- 2.Cor. 8.
do cum beatiſſima Matre ſua eligere paupertatem. Pro- v. 9.
pe paſſionem celebrauit Paſcha cum Diſcipulis ſuis, &
accipiens panem, gratias egit, & benedixit, & fregit, di-
cens; Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. & ac- Mat. 26.
cipiens calicem, dixit: Hic ſanguis meus noui teſtamen- v. 27.
ti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem
peccatorum. Deinde orauit Patrem, dicens: Pater, ſi fie- Mat. 26.
ri poteſt, tranſeat à me calix iſte. Et factus eſt [12] ſudor v. 39. Lucæ 22.
eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis ſuper terram. Po- v. 44.
ſuit tamen voluntatem ſuam in voluntate Patris, dicens:
Pater, fiat voluntas tua, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu Mat. 26.
vis. Cuius Patris talis fuit voluntas, vt Filius eius benedi- v.42. & 39.
ctus & glorioſus, quem dedit nobis, & natus fuit pro no- Iſaiæ 9. v.6.

bis, ſeipſum per proprium Sanguinem ſuum, ſacrificium
& hoſtiam in ara crucis offerret, non pro ſe, per quem fa-
cta ſunt omnia, ſed pro peccatis noſtris, relinquens exem-
Ioan. 1. v. 2. plum nobis, vt ſequamur veſtigia eius. Et [13] vult vt om-
1. Petri 2. nes ſaluemur per eum, & recipiamus ipſum puro corde,
v. 21. 1. Tim. 2. & caſto corpore. Sed pauci ſunt, qui [14] velint recipere
v. 4. Mat. 11. eum, & ſalui eſſe per eum, licet eius iugum ſuaue ſit, &
v. 30. onus leue.

CAPVT III.

*Maledictos eſſe diuina mandata præuaricantes, benedi-
ctos verò Deum diligentes.*

Pſal. 39. QVI nolunt guſtare quàm ſuauis ſit Dominus, & di-
v. 9. Ioan. 3. ligunt tenebras magis quàm lucem, nolentes adim-
v. 19. plere mandata Dei, maledicti ſunt; de quibus dicitur per
Pſal. 118 Prophetam: Maledicti qui declinant à mandatis tuis.
v. 21. Sed è contrario quàm benedicti & beati ſunt, qui in ſpi-
Ioan. 4. ritu & veritate (vt oportet) eum adorant! Dicamus ei lau-
v. 23. Lucæ 18. des & orationes die noctuque, dicendo: Pater noſter,
v. 1. qui es in cælis, &c. quia oportet nos ſemper orare, &
numquam deficere.

CAPVT IV.

De confitendis peccatis, & Euchariſtia ſumenda.

DEBEMVS ſiquidem [15] confiteri Sacerdoti omnia pec-
cata noſtra: & recipiamus Corpus & Sanguinem
Ioan. 6. Domini noſtri Ieſu Chriſti ob hoc, quòd qui non man-
ducat carnem ſuam, & bibit ſuum ſanguinem, non po-
teſt intrare in regnum Dei. Dignè tamen vnuſquiſque
1. Cor. 11. manducet & bibat: quia qui indignè manducat, iudi-
v. 29. cium ſibi manducat & bibit, non diiudicans [16] corpus
Domini.

CAPVT

CAPVT V.

De facienda pœnitentia, & proximo amando.

FACIAMVS inſuper fructus dignos pœnitentiæ, & Lucæ 3.
diligamus proximos, ſicut noſmetipſos: & ſi quis non v. 8.
vult eos amare ſicut ſeipſum, ſaltem non [17] inferat eis mala, ſed faciat bona.

CAPVT VI.

De iuſtitia cum miſericordia adminiſtranda, & de eleëmoſyna elargienda.

QVI autem poteſtatem iudicij receperunt, iudicium cum miſericordia ſemper exerceant, ſicut ipſi vellent à Domino
miſericordiam obtinere. Iudicium enim Iacob. 2.
ſine miſericordia erit illi, qui non facit miſericordiam. v. 13.
Habeamus itaque charitatem & humilitatem,& eleëmoſynas faciamus; quia ipſæ [18] lauant animas noſtras à ſordibus peccatorum: homines enim omnia [19] perdunt,quæ in hoc mundo relinquunt, ſecum tamen [20] portant charitatis mercedẽ, & eleëmoſynas quas fecerunt, de quibus à Domino conſequentur præmium & dignã mercedem.

CAPVT VII.

De abſtinentia, & honore Eccleſiaſticis impendendo.

DEBEMVS ieiunare, & à [21] vitiis abſtinere, in omni quod inducere poteſt ad peccatum, nec non & à quacumque ſuperfluitate vſus. Et etiam [22] Catholici Eccleſiam viſitare frequenter, [23] Eccleſiaſticos venerari & reuereri ob eorum Officium, & adminiſtrationem ſanctiſſimi Corporis & Sanguinis Chriſti, quod ſacrificant, & recipiunt, & aliis miniſtrant. Et firmiter ſciamus omnes, quòd [24] nemo ſaluari poteſt niſi per ſancta verba, & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quæ Clerici dicunt,

cunt, annunciant, & adminiſtrant, & ipſi [25] ſoli miniſtrare debent.

CAPVT VIII.

De vero Religioſo, & perfecta obedientia.

SPECIALITER autem Religioſi, & qui ſæculo renuntiauerunt, tenentur plura & maiora facere, & ea dimittere quibus non eſt opus, & odio habere corpora noſtra cum vitiis & peccatis, quia Dominus dicit in
Mat. 13. v.18. Euangelio: Omnia mala à corde exeunt. Diligere inimicos noſtros, & benè facere his qui nos oderunt. Obſer-
Lucæ 16. v.27. uare præcepta, & conſilia Redemptoris noſtri, noſmetipſos abnegare, & corpora noſtra ponere ſub iugo ſeruitutis & obedientiæ. Et [26] nullus tenetur ad obedientiam in eo, vbi committitur delictum vel peccatum; quia tantùm ad id venimus, vt ſaluando animas noſtras, bonorum operum aliis exempla præbeamus.

CAPVT IX.

De benignitate Prælati erga ſubditos.

CVI autem obedientia impendenda eſt, & commiſſa, & qui pro maiore habetur, videat vt minor fiat, & aliorum Fratrum ſeruus, & in ſingulos ſubditos miſericordiam operetur, quantam ſibi vellet, cùm eſſet ſubditus. Nec ex delicto Fratris iraſcatur in Fratrem, ſed omni patientia & humilitate ipſum benignè corrigat, moneat, & ſupportet.

CAPVT X.

De humilitate, & de miſeria corporis & felicitate ſpiritus.

NON ſimus ſecundùm carnem ſapientes atque prudentes, ſed ſimplices, humiles, & puri. Et habeamus corpo-

corpora noſtra in opprobrium & deſpectum; quia om-
nes per culpam noſtram ſumus miſeri, & putridi, ſicut
Dominus dicit per Prophetam: Ego autem ſum vermis, Pſal. 21.
& non homo, &c. Numquam debemus deſiderare eſſe v. 7.
ſuper alios, ſed potiùs ſubditi & ſubiecti omni humanæ 1. Pet. 2
creaturæ, propter Deum. Et omnes illi qui fecerint, & v. 13.
perſeuerauerint vſque in finem, requieſcet ſuper eos Spi-
ritus Domini, & faciet in eis habitaculum & manſionem,
& erunt filij Patris cæleſtis, cuius opera faciunt, & ſunt
ſponſæ, [27] fratres & matres Domini noſtri Ieſu Chri-
ſti. [28] Sponſæ ſumus, quoniam Spiritui ſancto coniun-
guntur fideles animæ. Fratres ſumus Ieſu Chriſti, quan- Mat. 12.
do facimus voluntatem Patris, qui in cælis eſt. Matres, v. 50.
quando portamus eum in corde & corpore noſtro per
amorem, & ſinceram conſcientiam, & [29] parturimus eum
per ſanctam operationem, quæ lucere debet aliis in exem-
plo. O quàm glorioſum & magnum, habere in cælis Pa-
trem! O quàm ſanctum, Paraclitum, pulchrum & ama-
bilem habere ſponſum! O quàm ſanctum, & quantùm
delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce &
amabile, & ſuper omnia deſiderabile, habere talem fra-
trem, qui poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, & orauit Ioan. 10.
pro nobis Patrem, dicens: Pater, ſerua eos in nomine tuo, v. 17. Ioan. 17.
quos dediſti mihi. Pater, omnes quos dediſti mihi in v. 11. Ibidem
mundo, tui erant, & tu mihi eos dediſti; & verba quæ de- v. 6.
diſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt, & cognouerunt Ibidem v. 8.
verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me miſiſti.
Rogo pro eis, ſanctifico meipſum, vt ſint ſanctificati Ibidem
in vnum, ſicut & nos ſumus. Et volo Pater, vt vbi ego v. 9. Ibidem
ſum, ibi ſit & miniſter meus, vt videat claritatem v. 19. Ibidem
in Regno meo. v. 24.

CAPVT XI.

De Chriſto Saluatore laudando.

Ei autem, qui tanta ſuſtinuit pro nobis, tot vnà contulit, & conferet in futurum; omnis creatura, quæ eſt in cælis, terra, mari, & in abyſſis, reddat laudes Deo, gloriam, & honorem, & benedictionem: quia ipſe virtus eſt, & fortitudo noſtra eſt, qui eſt [30] ſolus bonus, ſolus altiſſimus, ſolus omnipotens, admirabilis & glorioſus, & ſolus ſanctus, laudabilis & benedictus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

CAPVT XII.

De cæcutione & deceptione peccatoris.

Omnes enim illi, qui non ſunt in pœnitentia, & non recipiunt Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed operantur vitia & peccata, & qui ambulant poſt concupiſcentiam [31] ſuam, & mala deſideria, & non obſeruant quæ promiſerunt, & ſeruiunt corporaliter mundo & [32] corporibus, deſideriis, curis, & ſollicitudinibus huius [33] ſæculi & huius vitæ, decepti ſunt à diabolo, cuius filij ſunt, & cuius opera faciunt. Cæci ſunt, quia verum lumen non vident, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Sapientiam non habent Spiritus, quia Filium Dei in ſe non habent, qui eſt vera ſapien-
Pſal. 106. v. 27. tia Patris. De quibus dicitur: Sapientia eorum deuorata eſt: vident, agnoſcunt, & ſciunt, & faciunt mala, & ſcienter perdunt animas ſuas. Videte cæci, decepti ab inimicis veſtris, ſcilicet à carne, mundo, & dæmone, quia corpori [34] delectabile peccatum, & amarum Deo ſeruire, quia cuncta mala à corpore hominum exeunt, &
Mat. 13. v. 18. procedunt, ſicut dicit Dominus in Euangelio. Putatis diu poſſidere vana huius ſæculi, ſed decepti eſtis, quia

venient

venient dies & hora, de quibus non cogitatis, & neſcitis & ignoratis.

CAPVT XIII.

De infelici morte peccatorum.

INFIRMATVR corpus, mors appropinquat, veniunt propinqui, & amici dicentes: Diſpone domui tuæ, &c. Et ecce vxor eius, & filij eius, propinqui & [35] amici ſe fingunt flere; & reſpiciens videt eos flentes, & mouetur malo motu, & cogitando intra ſe, dicit: Ecce animam meam, & corpus meum, & omnia mea pono in manibus veſtris. Verè iſte homo eſt maledictus, qui confidit, & exponit animam ſuam, & corpus, & [36] omnia ſua in talibus manibus. Vnde dicit Dominus per Prophetam: Maledictus homo, qui [37] ſpem ſuam ponit in homine. Ierem. 17. v. 5. Et ſtatim faciunt vocare Sacerdotem, qui dicit ei: Vis recipere pœnitentiam de omnibus peccatis tuis? Reſpondet: Volo. Vis ſatisfacere de commiſſis, & his quæ fraudaſti & decepiſti, de tua ſubſtantia? Reſpondet: Non. Cui Sacerdos: Quare non? Reſpondet: Quia cuncta diſpoſui in manibus propinquorum. Et tunc incipit perdere loquelam, & ſic moritur ille miſerrimus. Sed ſciant omnes, quòd vbicumque & qualitercumque homo moriatur in [38] criminali peccato, & ſine ſatisfactione, & potuit ſatisfacere, & non fecit, quòd talem dæmon recipit, & rapit animam ſuam de corpore ſuo, cum tanta anguſtia & tribulatione, quantam nemo ſcire poteſt, niſi qui patitur illam tribulationem. Et omnia talenta, poteſtas, & ſcientia, quam putabat habere, auferuntur ab eo: & propinqui & amici, quibus bona tradidit, tollent ea, & diuident, & poſteà dicent: Maledicta ſit anima eius, quia plura potuit dare nobis, & non dedit, & potuit plus acquirere quàm quæſiuit; & ſimilia. [39] Corpus comedent

vermes, animam corrodent dæmones; & ſic perdet animam & corpus propter hoc breue ſæculum.

PERORATIO.

1.Ioan. 4. v.16. EGO Frater Franciſcus minor [40] ſeruus veſter, rogo & obſecro in charitate, quæ Deus eſt, & cum voluntate oſculandi pedes veſtros, quòd hæc verba & alia Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum humilitate & charitate velitis recipere, operari & obſeruare. Et omnes illi, qui ea benignè recipiunt & intelligunt, ea mittant aliis in exemplum. Si in eis perſeuerauerint vſque in finem, benedicat eos Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, Amen.

ADNOTATIONES IN EPIST. II.

1. VNIVERSIS.] Vide Adnotat. Epiſtolæ præced. num. 1. In primo codice M S. Aſſiſ. ante hanc inſcriptioné, eſt hic titulus: *Opuſculũ venerabilis Patris noſtri Franciſci commonitorium & exhortatorium.*

2. SERVVS ET SVBDITVS.] Propter Deum ſcilicet, propter quem Petrus huiuſmodi ſubiectioné omnibus inculcat, dicens: *Subiecti eſtote omni creaturæ humanæ propter Deum: quia*, inquit Lyra, *eius imago relucet in ea*; quam in omnibus affectuoſiſſimè veneratus eſt Franciſcus. Cuius tantæ ſubiectionis in ſanctis viris ingenuam affert rationem Minoridarum ille pædagogus: *Vt homo*, inquit, *qui ſub Deo eſſe noluit peccando, & ita ſuperbiendo gratiam Dei perdidit, ſatisfaciat ei, ſubiiciendo ſe homini propter Deum.*

1. Pet. 2. v. 13. Lyra in hunc locum Petri.

Bonau. lib. 2. de Profect. relig. 1. 3.

3. CAPVT PRIMVM.] Licet apud nullum Epiſtolam hanc per Capita diſtinctam viderim, varias tamen & inconcinnas eius diuiſiones in Monum. & Firmam. Ord. inuenies. Has clariùs & commodiùs per Capita, tum ob Epiſtolæ longitudinem, tum ob tot tantaque in illa contenta, & commodiorem rerum citationem, quaſi ad modum Epiſtolarum Leonis Papæ Primi, ſimiliter per Capita diſtributarum per Canonicos Regulares Louanienſes, & poſteà per Laurent. Surium, duximus, appoſitis Capitulorum ſummis, eſſe diſpertiendas.

4. SERVIRE TENEOR.] Ex humano potiùs amici obſequio, quàm ex vili ſerui conditione: huiuſmodi enim ſeruitus, amicitia; ſeruitium, beneficium nuncupandũ erat. Nam *quamdiu ſeruus præſtat, quod à ſeruo exigi ſolet, miniſterium eſt; vbi plus quàm quod ſeruo neceſſe eſt, beneficium: vbi enim in affectum amici tranſit, deſinit vocari miniſterium.* Viri ſancti omnibus, præcipuè indigentibus, ſuum obſequium, quaſi debitum, impendunt. *Nouit enim iuſtus, debere ſe infirmis atque inopibus ſubuenire.*

Senec. 3. de Benef. cap. 21.

Ambroſ. de Obitu Theod. ante fin. Tom. 5.

5. ET

5. ET ADMINISTRARE.] Aliter *ſeruus malus & piger*, inquit Hieronymus, *dicetur, qui pro retentione talenti, quod accepit, in exteriores tenebras miſſus eſt. Qui enim ſanctæ prædicationis verba apud ſe retinet, talis maledicitur; quia non ſolùm culpa ſilentij, ſed pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur.*

Hieron. in cap. 11. Prouerb. Tom. 7. Lucæ 19.

6. INFIRMITATEM.] *Tantam, & tam multimodam*, inquit Bonauentura, *vt vix in eo membrum aliquod remaneret abſque ingenti paſſionis dolore.*

Bonau. cap. 14. parum poſt prin.

7. LITERIS HIS PRÆSENTIBVS.] Mon. habent, *literas præſentibus nuntiis*. 1. Cod. MS. Aſſiſ. *literis præſentibus & nuntiis*. Sed ſenſus obſcurus & imperfectus arridere fecit lectionem Piſani ante diſtributionem Capitulorum, vbi habet, *literis his præſentibus nuntiis*, q.d. has literas quaſi nuntios vel interlocutores pro me ad vos mitto.

Piſanus libro 1. Conf. 12. part. 2.

8. VERBA SPIRITVS SANCTI.] Cetera ſcilicet verba, quæ in ſacra Scriptura continentur. Euangelium, Chriſti verba appellat; alios verò libros, verba Spiritus ſancti, *quo inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.*

2. Pet. 1. v. 21.

9. VITA SVNT.] Alludere videtur ad illa verba Petri: *Domine, quò ibimus? verba enim vitæ habes.*

Ioan. 9. v. 68.

10. QVOD ET DESCENDIT.] Quæ tria verba appoſuimus ex 1. Codice MS. Aſſiſ. & ex negligentia Typographi prætermiſſa in Monum.

11. HVMANITATIS FRAGILITATIS.] id eſt *fragilis*. modus loquendi ſacræ Scripturæ vſitatiſſimus, vt videre eſt eſt apud D. Thom. Caiet. & alios in illa verba Pauli, *In regnum filij dilectionis ſuæ*; id eſt, filij dilecti ſui.

D. Thomas ibid. lect. 3. Ad Coloſſ. 1. v. 13.

12. SVDOR EIVS.] De cauſa huius ſudoris vide, ſi placuerit, Bernard. Senen. Tom. 4. Ser. 45. 3. parte principali eiuſdem Sermonis, & Franciſcum Suarez Tom. 2. in 3. p. diſput. 34. ſect. 2. concl. 2.

13. VVLT VT SALVEMVR.] Voluntate conditionata ſiue inefficaci, vt communiter Theologi ad 1. part. D. Thomæ, quæſt. 19. art. 8. ſiue voluntate antecedente, eo modo quo à Scoto explicatur in 1. d. 46. art. ad 1.

14. QVI VELINT RECIPERE.] Etenim *ſui eum non receperunt*. Quid ergo dicemus de non ſuis, & alienis?

Ioan. 1. v. 11.

15. DEBEMVS SACERDOTI CONFITERI PECCATA.] Hinc colligere licet, Preſbyteris peccata confiteri, non rem nouam noſtris ſæculis adinuentam eſſe, vt falſiſſimè calumniantur hæretici, ſed retroactis temporibus vſitatam. Imò nec Patrum noſtrorum ætate initium ſumpſit Sacramentalis & ſecreta confeſſio peccatorum: eius namque mentionem facit Dionyſius Areop. Epiſt. 8. ad Demophilum, Clemens Alexand. Epiſt. 1. Tertullianus lib. de Pœnit. ſed & ipſorum Apoſtolorum verbis, & ſacræ Scripturæ locis, eam doctiſſimi Theologi ſatis luculenter probant. Vide Iacobum Pamelium in Scholiis ad librum D. Cypriani de Lapſis, num. 98. & 99. & Cyprianum ipſum Epiſt. 10.

16. CORPVS DOMINI.] Piſanus ad hæc verba addit, *id eſt, non diſcernens ab aliis cibis*; quæ non Franciſci verba, ſed quaſi expoſitionem eiuſdem Piſani ad præcedentia reputamus.

17. NON INFERAT EIS MALA, SED FACIAT BONA.] Parum putat ſanctus vir ſi proximis mala non inferamus, niſi etiam & benefaciamus: nec

Chryſoſt. Hom. 16 in Epiſt. ad Epheſ. nec immeritò, cùm, vt dixerat Chryſoſtomus, *nihil boni proximo facere, hoc ipſum eſt malum facere.*

18. Ipsæ lavant.] Ita aduertit Cyprianus dixiſſe Chriſtum Phariſæis: Lucæ 11. v. 41. *Date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Monens & oſtendens*, inquit Cyprianus, Cyprian. Tom. 2. lib. de Opere, & eleëmoſ. ad initium. *vnde mundi & purgati eſſe poſſimus, addidit eleëmoſynas eſſe faciendas.* Videndus ibidem, vbi præclara ſatis eleëmoſynæ affert encomia, & D. Anton. Patau. Serm. in Dominica 2. poſt Epiphan. Sed qualiter hic locus & citata Chriſti verba intelligenda ſint, vel quomodo eleemoſynæ nos emundare dicantur, videndus Ianſenius c. 84. in Concord. Euang. Auguſtinus c. 73. ſui Enchirid. & Baſilius quæſt. 271.

19. Omnia perdvnt.] *Diues*, inquit Iobus, *cùm dormierit, nihil ſecum auferet; & cùm interierit*, ait Pſal. 48. v. 18. Lucæ 16. Pſalmiſta, *non ſumet omnia. Numquid*, addit Auguſtinus, August. Conc. 2. in Pſal. 48 *qualis erat diues epulo ad menſam, talis erat & apud inferos, cùm ſitiret, & ſtillam deſideraret? Non ibi erant illa omnia.* Plura ibi vide apud eumdem, & Leonem Serm. 6. de Ieiunio, cap. 2.

20. Portant charitatis mercedem.] Prou. 11. v. 17. *Benefacit* enim *animæ ſuæ vir miſericors. Nihil etenim*, inquit Leo, Leo Sermone 5. de Ieiun. an. med. *vniuſcuiuſque tam proprium, quam quod impendit in proximum.*

21. A vitiis abstinere.] Hæc enim eſt ieiunij perfectio; Leo Sermone 8. de Ieiun. cap. 2. *alioqui ſuperfluum eſt ſuſcipere eſuriem, & iniquam non deponere voluntatem; reciſo affligi cibo, & à concepto non deſinere peccato.* Vide eumdem Sermone 4. de Quadrag.

22. Catholici eccles.] Piſanus lib. 1. Conf. 12. cap. 2. non habet *Catholici.*

23. Ecclesiasticos vener.] Piſanus ibidem ita legit: *Reuereri Clericos, non tantùm propter eos, ſi ſunt peccatores, ſed propter officium.*

24. Nemo salvari potest, nisi per sancta verba et Sangvinem Domini.] Vel per *verba* intelligit fidei myſteria, quæ Sacerdotes populo proponunt; & per *Sanguinem*, paſſionem, aut Sanguinem in ea effuſum; vbi nulli dubium, neminem ſaluari ſine fide & Chriſti paſſione: vel per *verba* intelligit ea quæ per verba conſecrantur, nimirum Corpus Chriſti; & per *Sanguinem*, illum qui in calice ſacratur; ſine quibus, licet in re ſuſceptis, ſaluari poſſit aliquis, non tamen ſine ſuſceptis ſaltim in voto, dum re ſuſcipi non poſſunt, quæ tamen ſub vna ſpecie laicis ſufficit ſuſcepiſſe. Eodem ſenſu explicanda ſunt verba Chriſti Ioan. 6. ſuprà cap. 4. allegata.

25. Soli.] De Clericis hîc loquitur, per quos tam Sacerdotes quàm Diaconi & Subdiaconi poſſunt intelligi. De Sacerdote aut Diacono receptum eſt communiter, vtrumq; diſpenſare poſſe hoc Sacramentum. De Subdiacono quidam aiunt, quidam negant. Vide Gregorium de Valen. Tom. 4. diſput. 6. quæſt. 10. puncto 2. Si verò per Clericos denotat tantùm Sacerdotes, hos ſolos ait hoc miniſterium decere, ex maiori ſcilicet congruentia, vel illis præſentibus, aliis non licere illud miniſtrare.

26. Nvllvs tenetvr.] Idem habetur 11. quæſt. 3. c. Ita corporis, §. Qui reſiſtit, vbi Auguſtinus ait: August. Serm. 6. de Verb. Domini. *Si iubetur quod non debeas facere,*

re, hic ſanè contemne poteſtatem.

27. FRATRES.] Ita Piſanus citato cap. 33. Monum. habent *patres*, minùs rectè.

28. SPONSÆ SVMVS.] Deerant hæc verba in Monum. addidimus ea ex Piſano.

29. PARTVRIMVS.] Alludere
Iſai. 26. videtur ad locum Iſaiæ: *Concepi-*
v. 18. *mus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.*

30. SOLVS BONVS.] Scilicet ex natura ſua, & per eſſentiam; ceteri verò per participationem, & gratiam: quomodo intelligenda ve-
Lucæ 18. niunt illa Chriſti verba, *Nemo bo-*
v. 19. *nus niſi ſolus Deus.*

31. SVAM.] Ita Monum. Piſanus cap. 35. legit *malam.*

32. CORPORIBVS, DESIDERIIS.] Ita Monum. Piſanus ibidem, *carnalibus deſideriis.* Vtraque lectio ſatis clara, & appoſita.

33. SÆCVLI, ET HVIVS.] Piſanus ſatis aliter habet hunc locum: *Sollicitudinibus huius ſaculi, mente autem ſeruiunt diabolo, decepti ſunt.* Satis benè ad antecedentia, licet non cohæreant cum ſequentibus.

34. DELECTABILE PECCATVM.] Piſanus ibidem habet: *Corpori dulce eſt facere peccatum.*

35. AMICI SE FINGVNT.] Ita Piſanus, aptiùs quàm Monum. dum legunt, *& amici & fingunt.*

36. OMNIA SVA IN TALIBVS.] Quid, quæſo, maledictum clamitat, qui in talibus manibus, filiorum ſcilicet & vxoris, ſua relinquit? *Quia,*
inquit Auguſtinus, *inter tot filios* Auguſt.
ſuos, quos habet in terra, non compu- Conc. 1.
tat vnum fratrem quem habet in cæ- in Pſal-
lo, cui totum dare debeat, vel diuidat mū 48.
cum illo. Et ita huiuſmodi filiorum, qui defuncti obliuiſcuntur, manibus ſua bona tradendo, non filiis, ſed alienis relinquunt diuitias ſuas. Vnde & maledictos vocat Pſalmiſta, vt egregiè ponderat idem Au-
guſt. in illa verba, *Et relinquent alie-* Pſal. 48.
nis diuitias ſuas. Vidēdus ſeriò ibid. v. 12.

37. SPEM SVAM.] Aliter Piſanus: *Qui confidit in homine.* Satis benè vterque.

38. CRIMINALI PECCATO.] Piſanus, *in crimina, in peccato.* Chalcographi vitium.

39. CORPVS COMEDENT.] Satis diuerſimodè & confusè, ex his verbis, vſque ad vltima, legit Piſanus.

40. SERVVS VESTER.] Seruum omnium ſe facit, vt omnes lucraretur, Pauli charitate ardens, qui di-
xit: *Cùm liber eſſem ex omnibus, om-* 1. Cor. 9.
nium me ſeruum feci, vt plures lucri- v. 19.
facerem.

EPISTOLA TERTIA
AD BEATVM ANTONIVM DE PADVA.
ARGVMENTVM.

NOLVIT *D. Antonius, quantumcumque rogaretur à Fratribus, docendi munus obire, niſi obtenta D. Franciſci benedictione & licentia. Eum conſuluit de hac re; cui per hoc Epiſtolium B. Pater reſpondit, ſe velle ea lege, ne humanarum literarum ſtu-*

dium,

dium, diuinæ conuerſationis & orationis ſpiritum in Fratribus impediret. Illud nobis obtulêre Latino idiomate Rodulph. lib. 1. Hiſt. Seraph. Relig. in Vita D. Anton. Sedulius in Hiſt. itidem Seraphica, in Comment. ad eiuſdem Vitam, in caput 9. num. 1. & alij. Hiſpano verò, Marianus lib. 9. cap. 5. & Rebolledo lib. 4. cap. 38. licet omnes diuerſimodè, vt ſtatim adnotabimus.

Chariſſimo [1] meo fratri Antonio frater Franciſcus in Chriſto Salutem.

[2] PLACET mihi quòd ſanctæ Theologiæ literas Fratribus interpreteris, ita tamen vt neque in te, neque in ceteris (quod vehementer cupio) [3] extinguatur ſanctæ orationis ſpiritus, [4] iuxta Regulam quam profitemur. Vale.

ADNOTATIONES IN EPIST. III.

1. MEO.] Ita Sedulius. Marianus verò & Rebolledo, *Chariſſimo fratri meo fratri Anto.* Rodulphus, *chariſſimo fratri Antonio fr. Franciſcus ſalutem.* Ceteri addunt *in Chriſto*, ſicut nos appoſuimus.

2. PLACET.] Quæ ſequuntur, omnia transcripſimus ex Rodulph. ceteri namq; in hoc Epiſtolio multùm diſcrepant, præcipuè Reboll. qui plura annectit, & ſanctam Patris ſimplicitatem floſculis & phraſibus excultis obtegere videtur. Hoc pro illorum varietate aduertiſſe ſufficiat, ne ad vniuſcuiuſque verbi diſcrimen ſcholium præfigamus.

3. EXTINGVATVR.] Id eſt occidatur, ſeu opprimatur, vt exponit Rodulph. lib. 2. in expoſitione ad cap. 5. Regulæ. Plura hîc dicenda, ad illum differimus locum Tom. 2. num. 20.

4. IVXTA REGVLAM.] Meminit ſe aduertiſſe Fratribus laborantibus in cap. 5. 2. Regulæ, *quòd laborent fideliter & deuotè, ita quòd excluſo otio, animæ inimico, ſancta orationis & deuotionis ſpiritũ non extinguant, cui debent cetera tẽporalia deſeruire.* Franc. Tom. 2. Reg. 2. cap. 5.

EPISTOLA QVARTA
AD BEATAM VIRGINEM CLARAM ET CETERAS SORORES S. DAMIANI.
ARGVMENTVM.

HANC *ad ſe & conſocias ſuas beatum Patrem ſcripſiſſe paulò poſt ipſarum conuerſionem, teſtatur beata virgo Clara cap. 6.*

primæ

primæ Regulæ Clariſſarum, quam pro ea & ſequacibus B. Pater conſcripſit. Ex eodem capite, & Regula, quam nobis præ ceteris obtulêre Firmam. trium Ord. tract. 1. partis quintæ, Enchiridion ſiue Manuale Minorum, & Monum. Ordinis tract. 2. eam huc tranſcripſimus. Enchiridion è regione huius Epiſtolæ & ſequentis, appoſuit in margine: Litera beati Franciſci. *Hanc ſacris Virginibus ſcripſiſſe credo, ſumpta occaſione ex magna earum in Deum confidentia, quæ in eum firmiter repoſita, in ſtricta cuſtodia ſummam paupertatem in perpetuum vouerunt: ne verò poſteà aliqualis eas diffidentia circa vitæ neceſſaria à ſancto propoſito retraheret, ſe fideiuſſorem & procuratorem fore cum Fratribus ſuis in temporalibus promiſit. quod vſque ad tempus Vrbani IV. fideliter adimplerunt.*

[1] Chariſſimæ Sorori Claræ, & ceteris Sororibus ſancti [2] Damiani, Frater Franciſcus in Chriſto ſalutem.

QVIA Domini inſpiratione feciſtis vos filias & ancillas Altiſſimi, ſummi Regis, Patris cæleſtis, & Spiritui ſancto vos [3] deſponſaſtis viuere ſecundùm perfectionem ſancti Euangelij, volo, & [4] promitto per me, & Fratres meos ſemper habere de vobis, tamquam de ipſis curam diligentem, & ſollicitudinem ſpecialem. Valete in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. IV.

1. CHARISSIMÆ.] Titulum hunc conformiter ad alios eiuſdem B. Patris huic Epiſtolæ nos præfiximus.

2. DAMIANI.] Monaſterium eſt prope Aſſiſium in ipſo collis ciuitatis decliuio, in quod è Cœnobio diui Pauli Benedictinarum Sanctimonialium beatus Pater tranſtulit beatam virginem Claram, & in hac egregia plantula initium dedit Ordini Clariſſarum, vt ipſe multò anteà prædixit, dum ad mandatum Crucifixi Eccleſiam illius ædiculæ D. Damiano, Coſmæ ſocio, non Petro Damiano (vt quidam putant) ſacram, repararet. Vide Mar. 1. p. libro 8. cap. 5. & 6. & infrà Tomo 3. horum Operum, Prophetiâ 5. In hoc ſacro loco, in quo communiter viginti vel plures degunt Fratres ſtrictioris obſeruantiæ, plurima vidi tam ſancti Patris quàm ſanctæ Matris veſtigia & monumenta. In eo per multos annos cum ſuis vixit B. Clara (quarum adhuc

illæſus & integer ibidem ſeruatur Chorus) donec firmiori & commodiori pro eiſdem conſtructo Monaſterio intra ciuitatis mœnia, ſub inuocatione ſancti Georgij, ad illud tranſlatæ ſunt.

3. VOS DESPONSASTIS.] Ita Firmam. & Monum. Enchirid. verò & alij, *vos deputaſtis viuere.* vtrumque rectè.

4. PROMITTO PER ME.] Non paruam moleſtiam totius Ordinis Prælatis & Protectoribus hæc promiſſio tacitè procreauit, dum ex ea circa D. Bonauenturæ tempora, & Vrbani Quarti Pontificatum, huius Monaſterij, & aliorum per orbem diſperſorum Sorores, vt ſibi corporis neceſſaria prouiderent, & procurarent, Fratres quaſi ex debito & iure obligare contenderent, per Cardinalium Protectorum manum non inualidam, & Summi Pontificis auctoritatem, quoaduſque per Vrbani prudentiam æquè pacificè & rectè lites diremêre. Vide Miran. in Regulam B. Claræ, 1. p. c. 20. & 21. & Mar. lib. 2. cap. 15. & 16.

EPISTOLA QVINTA
AD EASDEM.
ARGVMENTVM.

HANC *itidem ex eodem cap. 6. primæ Regulæ Clariſſarum extraximus, cuius meminit Rebolledo lib. 1. part. 2. cap. 28. & Piſan. lib. 2. Conform. 6. parte 2. ſub his verbis*: Cum ad mortem infirmaretur beatus Pater, Clara virgo per quemdam ſignificauit ei deſiderium & votum ſuum & conſociarum, quo maximè peroptabant eum videre, antequam diem clauderet extremum. Quarum voto propter infirmitatis intenſionem ſatisfacere non valens, ſcripſit Claræ & Sororibus ad conſolationem earum literam, in qua dabat benedictionem ſuam, *&c.* Et vt triſtitiam deponerent, promiſit ſe poſt mortem ab illis ad votum videndam. *Vnde illarum literarum hoc fragmentum eſſe iudicamus, in quibus ad virtutum perſeuerantiam eas hortatur, & ſollicitiùs rogat, vt quam inceperunt vitam, obſeruent.*

[1] Chariſſimæ Sorori Claræ, & ceteris Sororibus ſancti Damiani in Chriſto ſalutem.

EGO frater Franciſcus [2] paruulus [3] volo ſequi vitam & paupertatem altiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Matris, & perſeuerare in ea vſque in finem. Et rogo vos omnes [4] dominas

meas,

meas, & conſilium do vobis, vt in iſta ſanctiſſima vita & paupertate ſemper viuatis. Et cuſtodite vos multùm, ne doctrinâ vel conſilio alicuius ab ipſa in perpetuum vllatenus recedatis. Valete in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. V.

1. CHARISSIMÆ.] Hunc, ſicut & præcedentem, titulum vel inſcriptionem nos appoſuimus, licet certò non conſtet, quem beatus Pater præfixerit; ad aliorum verò morem vel diuinare licuit.

2. PARVVLVS.] Nihil enim magnum aut altum in me conſidero: totum quod in me oculi meæ conſiderationis perſpiciunt, deiectum eſt, paruum, & deſpicabile. O vera & ſola perfectionis via! qua qui graditur, ſpirituale & diuinum patitur iudiciorum certamen, & egregiam oculorum contradictionem. Proprio iudicio paruus, diuino eſt magnus; hominis iudicio deſpicabilis, Dei, æſtimabilis & ſanctus. Iſidor. in Synonymis. *Eſto*, inquit Iſidorus, *paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei. Tantò eris apud Deum pretioſior, quantò fueris in oculis tuis deſpectior.* Vide Gregor. 26. Moral. cap. 19.

3. VOLO SEQVI.] Quid quæſo? hucuſque nónne laudabiliter ſecutus es vitam hanc, & paupertatem amplexus? ſaltem iam in morte quieſce. Dum per vitam & vires licuit, vt gigas cucurriſti, curſum iam perfeciſti, cede modò infirmitati, & morti. *Etiam in morte*, inquit Bonauentura, *proponebat, Chriſto duce ſe facturum ingentia; & tabeſcentibus membris, ſpiritu fortis & feruidus, nouo ſperabat certamine de hoſte triumphum. Neque enim languor vel deſidia locum habet, vbi amoris ſtimulus ſemper ad maiora perurget.* Bonau. c. 15. Leg. maioris, in princ.

4. DOMINAS.] Quas in filias creauit, in dominas aſſumpſit. Vera humilitas neminem ſibi inferiorem agnoſcit, nec ſuperbia ſuperiorem. Multò plures ad ſe & Sorores beatum Patrem ſcripſiſſe Epiſtolas, teſtatur beata Virgo in Teſtamento ſuo, quod ex antiquo Memoriali tranſcripſit Mar. 1. part. lib. 8. cap. 55. Solùm has duas, vel duarum fragmenta offendere potuimus.

EPISTOLA SEXTA

AD FRATREM ELIAM

TOTIVS ORDINIS VICARIVM GENERALEM.

ARGVMENTVM.

HANC *habet Rodulphus lib. 2. fol. mihi* 178. *in qua Vicarium Ordinis Generalem ad benignitatem hortatur erga ſubditos, patientiam in iniuriis commendat, & clementiam erga lapſos indi-*

cit, modúmque præſcribit in peccatis grauibus, ſeu ob ſuam grauitatem Prouincialibus ſeu Cuſtodibus & Generalibus reſeruatis, puniendis, & abſoluendis, omnibus ſemper miſericordiam ſemel atque iterùm inculcans. Eam ad biennium ante ſuam mortem, & iam ſacris Plagis acceptis, conſcriptam colligere licet ex eo, quòd defuncto primo, à beato Patre, Generali, beato ſcilicet Petro Cataneo, vt ad Epiſtolam octauam dicemus, biennio ante ſuum obitum Eliam in Vicarium Generalem procreauerit. Quid ergo non ſanctum & pium, illæ piæ & ſanctæ manus, hyacinthis plenæ, exararent & ſcriberent?

[1] Reuerendo in Chriſto Patri, Fratri [2] Eliæ totius Ordinis Vicario, Frater Franciſcus in Chriſto ſalutem.

[3] FRATER, det tibi Dominus ſuam ſanctam benedictionem. In omnibus ſis patiens, & [4] benè diſpoſitus. Si in aliquo à Fratribus tuis offenderis, accepta referas Deo. In hoc ſolùm cognoſcam ſi es ſeruus Dei, ſi errantem Fratrem miſericordia reducas ad Deum, & ſi grauiter errantem amare non deſieris. Et ſi aliquo timore humano id attentare non audeat, pete ab eo ſi miſericordiam cupiat. Et ſi aliquis ſuadente diabolo ceciderit in aliquod graue peccatum, recurrat ad Guardianum: ille verò tranſmittat ad Prouincialem, qui miſericorditer recipiat; & ſi viderit illum eſſe contritum, dicat illi: Vade, & noli ampliùs peccare. Vale in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. VI.

1. REVERENDO.] Quem de vita redarguit, propter Prælationis officium reueretur; & quam dedit diſcipulis doctrinam de reuerentia erga Prælatos Coll. 24. & 25. Tom. 3. ipſe exercet opere & ſalutatione, & inferiùs Epiſt. 11. Miniſtrum Generalem ſæpiùs ſuum dominum vocat. Sacra quædam res eſt Præfectura & honore digna. Si enim *magnorum fluminum capita*, teſte Seneca, *veneramur, coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacrauit*; quantò magis homines, quos dignitatis amplitudo, & Præfecturæ ſublimitas reuerà venerandos effecit, veneremur? Seneca Epiſt. 41.

2. ELIÆ

2. ELIÆ.] Quis, & cuius fuerit indolis & propenſionis Elias hic, vide Tom. 3. Prophetiâ 15. Solùm hîc eſt aduertendum, elati fuiſſe animi, ſed acris ingenij, & ad ardua pertractanda expeditiſſimi: propter primum à B. Franciſco reprehenſum, propter alia verò naturæ & ſcientiarum dona ab eodem in Vicarium Generalem totius Ordinis aſſumptum, & poſt eius deceſſum in ſecundum Generalẽ (vt vult Petrus Galeſinius Protonot. Apoſtolicus c. 9. in Vita D. Bonauenturæ, quã in ſuam Hiſtoriam Seraph. tranſcripſit Sedulius) ſeu in quartum, vt placet Rodulpho lib. 2. fol. mihi 177. omnium ſuffragiis electum: quod multis dubium, & admirationem non paruam ingeſſit, cur ab omnibus in Generalem adſcriptus, qui manifeſtè vitæ reprehenſibilis iudicaretur: imò verò cur eidem ab ipſo B. Franciſco, qui propheticè eius prædixit & vidit in Regulari diſciplina relaxationem, totius Religionis clauus traditus ſit. Cauſam audi non ineptam ex Rebolledo 2. part. lib. 1. cap. 8. in fin. *Non ſolam ſanctitatem ad Reipublicæ regimen requiri, imò multoties in multis rebus publicis gubernandis ſimplici ſanctitate ſagacem ſed ſinceram præſtare prudentiam.* Quod & egregiè & luculenter docet Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, ad med. Tom. 5. Prudentiâ certè tunc præ omnibus Religionis, imò & totius Italiæ viris polluit Elias. Hac benè vſus eſt in Vicariatu, & ſuperſtite B. Franciſco; malè in Generalatu, eodem exſtincto.

3. FRATER.] Quem propter Præfecturæ dignitatem, vt patrem reueretur, propter commune vitæ inſtitutum ex charitate fratrem appellat. Vnde autem vel quare ſe Fratres vocitent Religioſi, vide Pamelium in Adnotat. ad Apologeticum Tertullian. num. 505. & Ioannem à ſancta Maria in Chronicis Prouinciæ B. Ioſephi lib. 2. cap. vltimo.

4. BENE DISPOSITVS.] Vt non ſtatim ira in peccantem inſaneſcat, nec propter peccata quæcumque, verba ſtatim tranſeant in verbera. Prælati enim *paſtores facti ſunt* (vt benè aduertit Gregorius, & habetur diſtinct. 45. cap. Quid autem.) *non percuſſores.* Et Paulus dicit: *Argue, obſecra, increpa,* ſed *in omni patientia.*

Gregor. Epiſt. ad Ioann. Epiſcop. Conſtan.

1. Tim. 4. v. 2.

EPISTOLA SEPTIMA

AD EVMDEM.

ARGVMENTVM.

NVLLVM *huius Epiſtolæ veſtigium apud antiquos Codices inueni. ſolus eam Hiſpano idiomate & phalerato nobis tradidit Rebolledo 1. part. lib. 2. cap. 27. quæ duo dubium, imò & ſuſpicionem ſuppoſititij fetus incuſſere, licet argumentum eius ſimillimum ſit præcedenti, nec multùm diſcrepet à ſequenti. Comptus tamen, & compoſitus dicendi modus, & conceptuoſa (vt vocant) ex Scripturis compro-*

comprobatio, in qua non multus erat B. Franciſcus, vt eius non eſſe dicamus, fundamentum præbere videtur. Niſi velimus dicere, Epiſtolam illius eſſe, non tamen loquendi vel ſcribendi modum, iuxta quem apud Rebolledo reperiimus: eam nos Latinitati donauimus.

Reuerendo in Chriſto Patri, Fratri Eliæ totius Ordinis Vicario, Fr. Franciſcus in Chriſto Salutem.

IN omnibus, Frater Elia, quæ feceris, plurimùm
tibi commendo [1] charitatem, & patientiam:
multos enim te tolerare oportet, & [2] onus, quod
humeris portas, magnum eſt & graue, animas videlicet
multorum. In Lege veteri ſummus Sacerdos portabat in
Rationali iudicij, quod ex humeris ſuper pectus pende-
Exo. 28. v. 29. bat, nomina duodecim tribuum Iſraël; ſignificans in hoc,
quòd vt Prælatus ſubditos ſuos in humeris portat, neceſſe
eſt vt eos in pectore geſtet: nam [3] tolerare non poterit,
quos amare deſierit. Ieſus Chriſtus Dominus noſter,
quando voluit Petro dare Eccleſiam ſuam, priuſquam
Ioan. vlt. v. 15. oues traderet illi, eum [4] de amore examinauit. Vide ergo
ne vllus Fratrum peccet; ſed ſi peccauerit, à facie tua non
abeat ſine [5] miſericordia & correctione, & quia [6] medi-
cus es, offer infirmo medicinam; quoniam, vt dixit Do-
Mat. 9. v. 12. minus, non eſt opus benè habentibus medicus, ſed malè
habentibus. Vigila, admone, labora, paſce, ama, expecta,
time. Vale in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. VII.

1. CHARITATEM.] Benè herclè patientiam adſociat charitati: qui enim charitate feruet, impatientiam neſcit; nec charitatem adimplet, qui fratrem patienter non ſuſtinet. Vnde charitatem præ ceteris neceſſariam Prælatis iudicat verus Franciſci diſcipulus Antonius Patauinus, vt ſubditorum onera portent. *In Prælato*, inquit, *ſubditi charitatem exquirunt, de qua Apoſtolus: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, id eſt charitatem, qui onera peccatorum noſtrorum ſola charitate in corpore ſuo portauit ſuper lignum.* Chriſti ergo charitas in Prælatis neceſſaria iudicatur, qua ſubditorum peccatum

Ant. Pat. Serm. in Quinquageſ. parũ ante fin. Galat. 6. v. 2.

catum ab eiſdem patienter comportatur.

Greg. in Paſtoral. 1.p.c.1. 2. ONVS.] *Onus* certè, vt ait Gregorius, *ipſis Angelicis humeris formidandum*: nihil namq; habet Prælatio magis honoris, quàm oneris.

Idem l.4. in lib.1. Reg. c.5. longè an. fin. *Habet* (inquit idem bonus Eccleſiæ Prælatus) *ſpiritualis Prælatio exteriorem gloriam dignitatis, ſed habet interioris oneris magnitudinem: nam Prælatus, & honoratur à ſubditis, & portat eos à quibus honoratur.* Vide eumdem 17. Moral. cap. 12.

3. TOLERARE.] Egregiè, vt reor, hoc indicabat antiqua illa primitiuæ Eccleſiæ conſuetudo, cuius meminit Tertullianus, qua in ſacro calice paſtorem ouem humeris portantem depingebant, quaſi ſpontanei oneris rationem reddentes: nihil enim quibuſuis mirum videbitur, ouem humeris impoſuiſſe, quem ex calice nouerint pro ea quam ardenter amauit, Sanguinem effudiſſe; quaſi dixerint, Si vehementer non amaret, neutiquam ita patienter comportaret. Vide Auguſtinum tract. 123. in Ioan. Chryſologum Serm. 6. Tert. lib. de Pudicitia, c. 6. & 10.

August. tract. 123 in Ioan. 4. DE AMORE.] Quia *amoris*, ait Auguſtinus, *officium eſt paſcere Dominicum gregem.*

5. MISERICORDIA ET CORRECTIONE.] Vtramq; connectit; quia, ſecundùm Gregorium, in Prælato *miſcenda eſt lenitas ſeueritati, faciendumque quoddam ex vtraque temperamentum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Hoc nimirum illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul & manna erat, vt cùm ſacræ Scripturæ ſcientia in boni Rectoris pectore, ſit virga diſtrictionis, ſit manna dulcedinis.* Vide Bernardum Serm. 23. in Cant. Bernardin. Senen. Tom. 2. Serm. 16. art. 1. cap. 3. Ambroſium in Concione de Obitu Theodoſij Imp. ante med. Tom. 5. Chryſologum Serm. 145. Rupertum lib. 8. in Geneſ. c. 37. Auguſtinum 5. de Ciuitate cap. 24. Gregor. lib. 20. Moral. cap. 8.

6. MEDICVS ES.] *Prælatus* namque, aſſerente Baſilio, *in adhibendis curationibus, iis qui vitioſo animi affectu laborant, conſuetudinem imitari medicorum debet, vt videlicet ægris non iraſcatur, ſed contra morbum ipſum pugnet, in eoque impugnando, duriore victus ratione, ſi ita res poſtulat, animi vitia ſanet.* Baſilius l. Regul. fuſius diſput. in Reſponſ. interr. 52.

EPISTOLA OCTAVA

AD GENERALEM MINISTRVM FR. MINORVM.

ARGVMENTVM.

IDEM *omnino eſt huius Epiſtolæ argumentum, ac duarum præcedentium: in omnibus enim patientiam, miſericordiam, & manſuetudinem erga ſubditos, ſuperioribus Prælatis quantopere commendat. In hac addit, nec confratres aut conſocios ad fratrum ſuorum lapſum cachinnari, aut peccantes irritare, aut ad verecundiam moleſtare debere, ne ex Prælatorum ſeueritate deſperent, aut ex fra-*

Fratrum detractione & modica compaſsione peccatum negare, aut confeſſum corrigere verecundentur. Cui hæc ſcripſerit, in Adnotationibus num. 1. dicemus. Epiſtolæ ſummam habet Piſanus lib. 1. Confor. 12. ante diſtributionem Capitulorum; cetera verò, ſicut nos tranſcripſimus ibidem cap. 10. & 25. Eamdem idiomate Hiſpano & Italico reperies apud Marianum 1.parte, lib.2.cap. 14.

Reuerendo in Chriſto Patri [1] N. totius Ordinis Generali Miniſtro.

[2] DOMINVS te cuſtodiat, & in ſancta ſua charitate cõſeruet. [3] Patientiam in omnibus operibus tuis, mi Frater, tibi commendo in tantum, quòd [4] quicumque tibi impedimentum fecerit, ſiue Fratres, ſiue alij, etiam ſi te verberent, omnia debes habere pro gratia; & ita velis, & non aliud. Et dilige eos, [5] qui iſta faciunt tibi; & non velis aliud de eis, niſi quantum Dominus dederit tibi. Et in hoc dilige eos, vt [6] velis quòd ſint meliores Chriſtiani. In hoc volo cognoſcere ſi tu diligis Dominum, & me [7] ſeruum ſuum, & tuum, ſi feceris iſtud; videlicet, quòd non ſit aliquis Frater in mundo qui peccauerit, [8] quantumcumque potuerit peccare, quòd poſtquam viderit oculos tuos, numquam recedat ſine miſericordia tua. Et ſi non quæreret, tu [9] quæras ab eo, ſi vult miſericordiam. Et ſi ille millies appareret poſteà coram oculis tuis, dilige eum pluſquam me, ad hoc vt trahas eum ad bonum, & ſemper miſerearis talibus. Et iſtud [10] denunties Guardianis, quando poteris, quòd per te ſic firmus es facere. Et omnes Fratres, qui ſcirent eum peccaſſe, [11] non faciant verecundiam ei, nec detractionem, ſed magis miſericordiam habeant circa ipſum, & teneant
Mat. 9. v. 12. [12] priuatum peccatum Fratris ſui; quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Si quis Fratrum inſtigante inimico [13] mortaliter peccauerit, per obedientiam teneatur recurrere ad Guardianum ſuum: & Guardianus ſimi-

ſimiliter per obedientiam teneatur eum mittere Cuſtodi: ipſe verò Cuſtos miſericorditer prouideat ei, ſicut [14] ipſe vellet prouideri ſibi in conſimili caſu. Et iſti penitus non habeant [15] poteſtatem iniungendi aliam pœnitentiam, niſi illam: Vade, & noli ampliùs peccare. Iſta fac, & vale.

ADNOTATIONES IN EPIST. VIII.

1. NGENERALI.] Ita inſcriptionem hanc habet Piſanus Conf. 12. parum poſt princ. ſuppreſſo Generalis nomine. Marcus verò Eliæ miſſam fuiſſe Epiſtolam hanc aſſeuerat: cui ſubſcribendum non puto, cùm tempore B. Franciſci non fuerit Miniſter Generalis, ſed tantùm Vicarius Generalis, licet poſt eius mortem in Generalem adſcitus ſit. Dubium mihi aperuit Petrus Rodulph. lib. 2. fol. mihi 160. dum ait, B. Patrem Generalatus officio ceſſiſſe, & pro ſe conſtituiſſe B. Petrum Cataneum, qui per biennium eo munere functus, feliciter obiit: in cuius locum ſubſtituens Eliam, Vicarium tantùm, non Miniſtrum appellauit. Idem habet Piſanus lib. 1. Conf. 6. cap. 8. in Vita eiuſdem Catanei, & lib. 2. Conf. 4. Pelag. lib. 2. cap. 29. & Vbert. lib. 5. cap. 3. poſt med. vnde huic Epiſtolam hanc ſcriptam eſſe iudico.

2. DOMINVS, &c.] Hæc habet verba ſolus Piſanus lib. 1. Conf. 12. non parum poſt princip.

3. PATIENTIAM, &c. vſque QVICVMQVE SIBI.] Ibidem ſummatim habentur apud Piſanum.

4. QVICVMQVE, &c.] Totam hanc periodum, & ſequentem, habet ibidem cap. 10. in quibus, quantæ debeat eſſe patientiæ bonus Prælatus, ſatis oſtendit Franciſcus. Similia fermè verba habet Bernardus: *Cùm*, inquit, *internum murmur ſubditi, querulæ vocis indicio deprehendunt Prælati, etſi in ipſos vſque ad conuitia, ad contumelias prorumpentis, medicos ſe, & non dominos agnoſcentes, parant confeſtim aduerſus phreneſim animæ non vindictam, ſed medicinam.* Bernar. Serm. 25. in Cant. ad initiũ.

5. QVI ISTA FACIVNT, &c.] Ad imitationem Apoſtolorum, qui primi & perfecti fuerunt Eccleſiæ Prælati; quorum nomine ait Paulus: *Maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus*, &c. 1. Cor. 4. v. 12.

6. VT VELIS, &c.] Hic Prælatorum ſcopus, hæc eorum ſeueritatis aut lenitatis meta debet eſſe, vt profectum intendant ſubditorum, *vt quidquid agunt, quidquid loquuntur, doctrina ſit inferiorum.* Hieron. Epiſt. 43.

7. SERVVM SVVM, &c.] In hoc enim amici affectum declaramus, *ſi quod ille diligit, diligamus. Ea namque eſt firma amicitia, quam morum ſimilitudo ſociârit.* Leo Ser. 1 de Collectis, parum poſt princ.

8. QVANTVMCVMQVE, &c.] Ad ſimilitudinem Chriſti reparatoris, vt *vbi abundauit* in peccante *delictum, ſuperabundet* in condonante miſericordia & *gratia.* Rom. 5. v. 20.

9. QVÆRAS AB EO, &c.] Idem ſuperioribus literis inculcat, vt Prælati ad Dei imitationem, qui *peccatores* (vt ait Theophylactus) *vbique preuenit miſericordia*, & lenitate Theoph. in c. 19. Luc.

nitate ad pœnitentiam inducant.

Bern. l. 4. de Conſid. parũ poſt init.

10. DENVNTIES GVARDIANIS &c.] Vt omnibus tecum *vnus ſit de ſubditis quæſtus, vna pompa, vnaque voluptas, ſi quo modo eos poſſint parare Domino plebem perfectam.*

Clerus Rom. ad Cyprian. Epiſt. 31. poſt med. — Ambroſ. in cap. 3. Epiſt. 2. ad Theſſ. Tom. 3. — Iuuenal. Satyr 8. — Ouid. 2. de Pont. Eleg. 9.

11. NON FACIANT VERECVNDIAM.] Licet ex ſe ipſis *maximè illis congruit verecundia, quorum in delictis damnatur mens inuerecunda*, ruborem tamen aut verecundiam Frater non debet incutere, *ne peior ſe fiat. Incitatur enim ad contentionem, & incipiet erratum ſuum velle defendere, poſt autem erubeſcere emendare ſe, ne quod priùs excuſabat, poſteà fateri videatur.* Potiùs, vt Satyricus ait, *decet miſereri inopum ſociorum.* Nam *Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis.* Vide Bernardum, vel Auctorem libri de Modo viuendi, ad Soror. c. 14.

Seneca Epiſt. 11.

12. PRIVATVM, &c.] Verum eſt; *Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat:* quod tamen teſtem non habet, propalandum ab alio non eſt, ne rubor in faciē, peccatum obfirmet in mente. Vide Originem tract. 33. in Leuit.

13. MORTALITER, &c.] Hoc idem breuiùs præcipit Tomo 2. Reg. 1. cap. 5. & Reg. 2. cap. 7.

Galat. 6. v. 1.

14. IPSE VELLET, &c.] Egregiè Paulus: *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, inſtrue eum in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Quaſi dicat*, inquit D. Thomas lect. 1. *Ita fiat, quia & tu fragilis es, & ſic tibi prouidendum cupis.*

Bern. l. 3. de Conſid. c. 5. — Bernard. Senenſ. Tom. 1. Serm. 20. art. 2. c. 4.

15. POTESTATEM, &c.] Cum grano ſalis eſt intelligendum: *impunitas* enim *multoties incuriæ ſoboles, inſolentiæ mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix eſt.* Bernardinus Senenſis, *Cauendum*, ait, *Superiori, ne ſub clementiæ pallio inertiam induat lenitatis. Nulla enim*, inquit, *in Principatu beſtia ſæuior, quàm impunitas delinquendi.* Vide de hac re Chryſoſt. Homil. 3. in Epiſt. ad Philemonem, in Expoſit. morali.

EPISTOLA NONA

AD PROVINCIALES ORD. MINORVM.

ARGVMENTVM.

EÆDEM *quas in argumento Epiſtolæ ſeptimæ aſſignauimus, de Auctore huius nobis ſuppetunt rationes dubitandi: nec enim apud alium quempiam, quàm apud Rebolledo 1. part. lib. 2. cap. 27. eam inuenire potuimus; cui licet dignam auctoritatem, aut æquam fidem negare non velimus, ſuſpicionem tamen non paruam generat, quòd ſolùm apud tam Neotericum pateat, quòd antiquos omnes Ordinis Scriptores & Chronographos latuit, & cuius nec veſtigium apud vetuſtos Codices habetur. Niſi velimus dicere, ex Collatione 27. fundamentum huius efformandæ Epiſtolæ eum ſumpſiſſe, licet ab ea longiſſimè diſcrepet. Cuiuſcumque ea ſit, optimam Miniſtris Prouincialibus,*

cialibus, & Prælatis omnibus neceſſariam, continet doctrinam Eam nos ex Hiſpano idiomate tranſtulimus in Latinum.

Dilectis in Christo Fratribus [1] Miniſtris Prouincialibus Ordinis Minorum.

In regimine veſtro, Fratres Miniſtri, duo vos deprecor: Primum, quòd non ſitis perſonarum [2] acceptatores; Secundùm, quòd non præcipiatis [3] facilè per ſanctam obedientiam: quia hoc eſt [4] ſtatim gladium euaginare, quod non debet fieri, niſi matura conſideratione, & magna occaſione. In mandatis moderati, in peccatores miſericordes, in condonando faciles, in victu abſtinentes, in veſtitu pauperes, in verbis manſueti, Deo & [5] officiis veſtris fideles eſtote. [6] Ex operibus verba & præcepta eruite, ſi vultis quòd ſubditi ex verbis veſtris facienda depromant, & quod ore præcipitis, illi opere compleant. Valete in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. IX.

1. MINISTRIS.] Modò Miniſtros Prouinciales vocat, modò Cuſtodes, qui præſunt Prouinciis, vt videndum eſt Epiſtola præcedenti. & apud Rodulph. lib. 2. in cap. 7 Regulæ.

2. ACCEPTATORES.] Hoc etiam inculcat Miniſtris Generalibus, dicens, *eos debere priuatis affectionibus carere, ne dum in parte plus diligunt, in toto ſcandalum generent:* nec enim leuis eſt ſcandali occaſio, imò *inter omnia Sacerdotum aut Prælatorum peccata eſt maximum, quòd non cauſas, ſed perſonas conſiderant.*

Fran. Tom. 3. Colla. 26 in princ.

Ambroſ. in Malachiã c. 2.

3. FACILE PER OBEDIENT. &c.] Ne ex aſſiduitate, obedientiæ præceptum vileſcat. vnde & eoſdem Prouinciales Tomo 3. Collat. 25. rogat moderatos eſſe in præceptis.

4. STATIM GLADIVM.] Latiùs hanc ſimilitudinem vel metaphoram proſequitur Tom. 3. Orac. 29.

5. OFFICIIS.] Suum habent officium Prälati, ſuum habent & diuites: hi doctrinam miniſtrent, ſuos regant, & inſtruant; illi diuitias diſpendant, pauperes alant & cibent. In omnibus officiis fidelitatem efflagitat Dominus, & exquirit, dicens: *Quis eſt fidelis ſeruus?* Cui reſpondere videtur Chryſoſtomus: *Fidelem*, inquit, *appella, qui nihil ex rebus Domini ſibi attribuit, nec incaſſum quidquam expendit. Nec Doctoribus ſolum, aut Prelatis, ſed diuitibus etiam hæc dicit Dominus, cùm vtriſque diuitias ſuas crediderit, ma-*

Mat. 24. v. 46. Chryſoſt. Hom. 78 in c. 24. Matthæi.

ximas illis, iſtis non paruas. Vide plura apud ipſum, & apud Ambroſ. lib. 3. de Officiis, cap. 8.

6. Ex operibvs, &c.] Mentiri enim, & fictè loqui putabitur, qui quod ipſe non facit, aliis perſuadere contendit. *Ille verò veraciter loqui noſcitur, qui priùs benefacere didicit.* Vnde *pauci ad os legiſlatoris, ad manus omnes reſpiciunt*. Ille ergo *vberes ſuæ doctrinæ fructus colligit, qui ſemina bonæ operationis præmittit*. Vide Bern. Serm. 59. in Cant. parum poſt init. Senecam Epiſt. 9. & 35.

Gregor. Hom. 11. in Ezech.

Bern. l. 4. de Conſi. poſt init. Gregor. l. 6. Moral. c. 5.

EPISTOLA DECIMA

AD CAPITVLVM GENERALE II.

ARGVMENTVM.

In hac Epiſtola Fratres ſuæ vocationis admonet, in ea perſeuerare adhortatur, & Regulæ obſeruantiam, diuinum cultum & Officium omnibus commendat. Eam habent Vbertus lib. 5. cap. 7. Bibliotheca vet. Patrum, editionis Pariſienſ. Tom. 5. & Colonienſ. Tom. 13. Firmamen. 1. part. fol. 21. Monum. vtriuſque impreſſ. tract. 2. licet indiſtinctam ab Epiſtola 12. in cuius principio hanc præfigunt. Per ſe tamen reponendam duximus cum Rodulph. lib. 2. fol. mihi 237. & Rebolledo 1. part. lib. 2. cap. 16. eò quòd diſtinctum ſit vtriuſque argumentum, non eodem tempore ſcriptæ, nec ad eoſdem ſint miſſæ; hæc tribus circiter annis ante eius mortem, illa paulò ante; hæc ad Capitulum Generale, illa ad Sacerdotes Ordinis; vt ex eiſdem apud eumdem Rodulph. & eorum titulis vel inſcriptionibus colligere licet.

Reuerendis & multùm diligendis [1] Fratribus vniuerſis, [2] Fr. Franciſcus in Chriſto Salutem.

Nomen Dei reuerendum. Tobiæ 13 v. 4. *Quare Minores miſſi in mundum.*

[3] NOMEN Dei audientes, adorate eum cum timore & reuerentia proni in terra. Ideò [4] miſit vos Deus in [5] mundum vniuerſum, vt verbo & opere detis teſtimonium voci eius, & faciatis omnes ſcire quòd non eſt alius præter ipſum. In diſciplina & ſancta obedientia [6] perſeuerate; & quæ promiſiſtis ei bono propoſito, adimplete per omnia. Oro, ſicut poſſum, Generalem Miniſtrum, vt faciat Regulam ab omnibus inuiola-

uiolabiliter obſeruari. Et Clerici dicant diuinum Officium cum deuotione coram Deo, non attendentes [8] melodiam vocis, ſed conſonantiam mentis. Et benè valete in Domino.

Cum intentione Hora Canonica recitanda.

ADNOTATIONES IN EPIST. X.

1. FRATRIBVS.] In Capitulo ſecundo Generali congregatis, cui Rodulph. (dum de eo agit libro 2. tractat. de Comitiis Generalibus) hanc ſcriptam eſſe Epiſtolam aſſeuerat: cui non interfuiſſe credendum eſt, eò quòd tunc tertiò Syriam ob martyrij deſiderium petierit, vel Romæ aut alibi aliquibus detineretur negotiis. Cùm enim quotannis apud Aſſiſium celebraretur Capitulum, vt aduertit Piſanus lib. 2. Conf. 4. & ipſe Franciſcus præcepit cap. 18. Regulæ primæ Tom. 2. omnibus non potuit intereſſe: *quibus tamen corporalem præſentiam exhibere non poterat*, ait Bonauentura, *per ſolicitam curam regiminis, inſtantiam precis, & efficaciam benedictionis ſpiritu præſens erat.*

Bonau. in Leg. maior. c. 4. ad med.

2. FR. FRANCISCVS, &c.] Hæc nos adiunximus titulo, eò quòd in omnibus aliis eadem inuenimus.

3. NOMEN DEI.] Cum timore & reuerentia adorandum admonet in terra. *Nomen enim Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Vide*, inquit Bernardinus Senenſis, *quàm terribile eſt nomen Dei, vbi ardor, furor, & pondus, vtique ad comburendum, ad ſanandum, ad obruendum.* vnde Ieremias, *Magnum*, inquit, *Domine nomen tuum in fortitudine.* & Pſalmiſta: *Sanctum & terribile nomen eius. Sanctum*, inquit Senenſis, *Angelis bonis, & hominibus iuſtis, ſed terribile dæmonibus, & viris impiis.* Tremendum ergo hoc & terribile nomen prudentiſſimè iubet vt proni Fratres ſui timidè & reuerenter adorent.

Iſaiæ 30. v.27.

Bernard. Senenſ. Tom. 2. Serm. 49. art. 1. c. 1.

Ierem. 10 v. 6.

Pſal. 110. v. 10.

Ber. Sen. Tom. 2. Serm. 49.

4. IDEO MISIT.] Idem Fratribus inculcat Collatione 2. & 12. Tom. 3. quod verum eſſe confirmat illa Innocentij viſio, qua Franciſcum cum ſuis collabentem vidit ſuſtentaſſe Eccleſiam, in quam hos quaſi *operarios miſit in meſſem Dominus, corrigere quod prauum erat, non iterare quod datum; ſanare quod vulneratum, non curare quod ſanum.*

Bonau. c. 3. ante fin.

Mat. 9. v. 38.

Auguſt. lib. 2. de Baptiſ. cont. Donatiſt. c. 7. To. 7

5. MVNDVM VNIVERSVM.] Ita Rodulphus: ceteri verò, *vniuerſo mundo.* minùs rectè.

6. PERSEVERATE, &c.] Firmam. legit, *perſuadete, & quæ promiſiſtis ei bono animo, & firmo propoſito adimplete.*

7. INVIOLABILITER, &c.] Qui aliter faciunt, per Apoſtolum dicuntur, *habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid eſt*, inquit Auguſtinus, *primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt.*

1. Tim. 5. v. 12.

Auguſt. in Pſ. 75.

8. MELODIAM VOCIS.] Rodulphus habet, *moleſtiam*; ſed minùs conſonè.

EPISTOLA VNDECIMA AD CAPITVLVM GENERALE.

ARGVMENTVM.

PRÆCIPVA *præcedentium litterarum, in his iterùm, tamquam Religioſis viris neceſſaria, repetit, & quædam ſequentis Epiſtolæ non leuiter attingit. Debitum in cultu & Officio diuino obſeruari rogat honorem; eumdem diuinis nominibus & ſcriptis exhiberi. Regulam, Regularemq́; diſciplinam Fratres ſectari adhortatur, tranſgreſſoresq́; & obedientiæ contemptores, veros Fratres non eſſe declarat. Sua peccata omnibus ſuis Fratribus publicè confitetur, omnibuſq́; hæc obſeruantibus, magno pietatis affectu, benedicit. Eam Capitulo cuidam generali, ſiue ſecundo (de quo præcedenti Epiſtola mentionem fecimus, facitq́; Rodulph. lib. 2. tract. de Comitiis generalibus) ſiue alij cuicumque ſcriptam colligimus ex illa periodo:* Clerici dicant Officium cum deuotione, &c. *quam apud Piſanum inuenimus lib. 1. Conf. 12. cap. 7. ſub hoc titulo,* In Epiſtola Capitulo generali directa. *& ex titulo quem eidem præfigit vterque Codex MS. Aſſiſ. quem videre licet in Adnotat. ad hanc eamdem Epiſtolam, num. 1. Totam, ſicut huc tranſcripſimus, nobis obtulit Vbertus lib. 5. cap. 7. & vterque Codex MS. Aſſiſ. licet decimæ & duodecimæ, quas in vnam conglomerarunt, inſertam: quia tamen illas ab inuicem ſeparatas, & ab hac diſcretas vidimus, apud eos Auctores, quos eiſdem præfigimus, hanc etiam per ſe ſeparandam duximus.*

[1] Reuerendis & multùm diligendis, Miniſtro Generali, & ceteris Fratribus Ordinis Minorum, Frater Franciſcus in Chriſto Salutem.

Ioan. 8. v. 47. *Ad maiora tenentur Religioſi quàm laici.*

QVIA qui ex Deo eſt, verba Dei audit; debemus proinde nos, Fratres amantiſſimi, qui [2] ſpiritualiùs diuinis ſumus Officiis deputati, non ſolùm audire & facere quæ dicit Deus, verum etiam ad inſinuandam in nobis altitudinem Creatoris noſtri, & in ipſo ſubiectionem noſtram, vaſa & officialia cetera cuſtodire, quæ continent verba ſua ſancta. Propterea moneo omnes

Nomina, & ſcripta diuina honoranda.

omnes Fratres meos, & in Chriſto conforto, quatenus vbicumque [3] inuenerint diuina verba ſcripta, ſicut poſſunt, venerentur; & quantum ad eos ſpectat, ſi non ſunt repoſita benè, vel inhoneſtè iacerent in loco aliquo diſperſa, recolligant, & reponant, honorantes in ſermonibus Dominum, qui locutus eſt. Multa enim ſanctificantur per verba Dei, & [4] virtute verborum Chriſti Altaris conficitur Sacramentum. [5] Confiteor prætereà Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & beatæ Mariæ perpetuæ Virgini, & omnibus Sanctis in cælo, & in terra, & Generali Miniſtro huius Religionis noſtræ, ſicut venerabili domino meo, & omnibus Sacerdotibus Ordinis noſtri, & omnibus aliis Fratribus meis benedictis, omnia peccata mea. In multis offendi mea graui culpa, [6] ſpecialiter quòd Regulam, quam Domino promiſi, non ſeruaui, nec Officium, [7] ſicut Regula præcepit, dixi, ſiue negligentiâ, ſiue infirmitatis meæ occaſione, ſiue quia ignorans ſum & idiota. Ideoque per omnia oro, ſicut poſſum, [8] Generalem dominum meum Miniſtrum, vt faciat Regulam ab omnibus obſeruari: & Clerici dicant Officium cum deuotione coram Deo, vt poſſint per veritatem mentis placere Deo, & non cum [9] laſciuitate vocis aures populi demulcere; & non attendentes melodiam vocis, ſed conſonantiam mentis, vt vox concordet menti, mens verò concordet Deo. Ego enim promitto hæc firmiter cuſtodire, ſicut dederit mihi gratiam Deus: & hæc Fratribus, qui mecum ſunt, obſeruanda tradam in Officio, & ceteris aliis Conſtitutis. Quicumque autem Fratrum hæc obſeruare noluerint, non teneo eos [10] Catholicos, nec Fratres meos; nolo etiam ipſos videre, nec loqui, donec pœnitentiam egerint. Hoc dico de omnibus aliis, qui vagando vadunt, poſtpoſita Regulæ diſciplina: quoniam Dominus noſter Ieſus Chriſtus dedit vitam ſuam ne perderet

Confeſsio publica peccatorum.

Regularis obſeruantia, & diuini Officij cura habenda.

Qui Fratrũ ſunt non obſeruantes, verè Fratres non ſunt.

derct

Quæ in Epiſtola iubentur, obſeruanda. deret ſanctiſſimi Patris obedientiam. Ego Frater Franciſcus homo vilis, & indigna creatura Domini Dei, dico per Dominum Ieſum Chriſtum Generali Miniſtro totius Religionis noſtræ, & omnibus Generalibus Miniſtris, qui poſt eum erunt, & ceteris Cuſtodibus & Guardianis, qui ſunt, & erunt, vt hoc ſcriptum habeant, operentur, & ſtudioſè reponant. Et exoro ipſos, vt quæ ſcripta ſunt in eo, ſollicitè faciant cuſtodiri, ac diligentiùs obſeruari. Et ſecundùm beneplacitum omnipotentis Dei, nunc, ſemper, donec fuerit mundus iſte, benedicti vos à Domino, qui feceritis iſta; & in æternum Dominus ſit vobiſcum. Amen.

ADNOTATIONES IN EPIST. XI.

1. REVERENDIS.] Sub hoc titulo hanc habet Epiſtolam Vbertus, licet aliis inſertam; Codices verò MS. Aſſiſ. ſub iſto rem declarant: *Littera & admonitio beatiſſ. P. N. Franciſci, quam miſit Fratribus ad Capitulum, quando erat infirmus.*

2. QVI SPIRITVALIBVS, &c.] *Cùm enim augentur dona*, ait Gregorius, *rationes etiam creſcunt donorum: tantò ergo eſſe humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior, quiſque debet ex munere, quantò ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.* quod & ipſe noſter hic Auctor aduertit ſuprà Epiſt. 2. cap. 8. dicens: *Specialiter autem Religioſi, & qui ſæculo renuntiauerunt, tenentur plura & maiora facere.* (Gregor. Hom. 9. in Euang.)

3. VBICVMQVE INVENERINT, &c.] Idem etiam obnixè rogat in ſuo Teſtamento, Epiſt. 13. & alibi ſæpiùs inculcat.

4. VIRTVTE VERBORVM, &c.] Rationem reddit inculcati honoris, eò quòd virtute verborum ipſius Chriſti, eius Corpus & Sanguis ſubſtantiæ panis & vini ſub ſpeciebus vtriuſque ſuccedat. Quam verò virtutem Sacerdotis verba habent ad hanc tranſſubſtantiationem faciendam, an ex recitatione, vel ſignificatione, vel ex vtroque ſimul, videndi Thomiſtæ 3. part. quæſt. 78. art. 5. & Scotiſtæ ad 4. Scoti d. 8. q. 2. §. De tertio.

5. CONFITEOR, &c.] An publicus hic confitendi modus meritorius ſit, & tolerandus, dicemus Tomo 2. in Adnotat. ad 1. Regulam n. 45. Codex MS. Aſſiſ. chartaceus, hæc verba ſub noua inciſione ab aliis ſeparat, præfixo hoc titulo: *De diuino Officio.* Sed maluimus cum Vberto nullam adhibere diuiſionem.

6. SPECIALITER.] Speciale & graue peccatum meritò reputat in Religioſo quorumdam tranſgreſſionem, quæ ante voti emiſſionem peccatum non erat: nam *antequam ea voueres*, ait Auguſtinus, *in tua eras pote-* (Auguſt. Serm. 12. à Louan. adiect.)

poteſtate: Quicumque autem talia vouerit, & non reddiderit, non ſe putet temporalibus mortibus corripi, ſed æterno igne damnari.

7. SICVT REGVLA, &c.] Qualiter recitandum iubeat Officium, vide Tom. 2. Reg. 2. cap. 3.

8. GENERALEM DOMINVM.] Tamquam dominum humiliter veneratur, quem in Prælatum ſpontaneè ſibi aſciuit: ſed cum dominio, quod contulit, non leue onus impoſuit, vt toti gregi inuigilet, & Regularis diſciplinæ obſeruantiæ incunctanter incumbat. Vide Adnotationes in Epiſtolam 6. numero 1.

9. LASCIVITATE.] Ita Piſanus lib. 1. Conf. 12. cap. 7. Vbert. *Laxitate.* Vide, quæſo, pro hoc loco Aluar. Pelag. lib. 2. art. 5 & cap. Sancta Romana. d. 92.

10. CATHOLICOS.] Quid *Catholici* nomen ſignificet, docet Pacianus, & Bellarminus: in communi tamen vel modò recepta acceptione *Catholici*, non negatur Regularium conſtitutionum tranſgreſſores Catholicos abſolutè eſſe, ſed perfectorum Catholicorum, aut verorum Fratrum nomen mereri. Pacian. Epiſt. ad Sympro. de nomine Catholico. Bellarm. Tom. 2. de Controu. l. 4. c. 4. 5. & 7

EPISTOLA DVODECIMA
AD SACERDOTES TOTIVS ORDINIS.
ARGVMENTVM.

FRATRIBVS *ſuis, ſed præcipuè Sacerdotibus, ſummum Euchariſtiæ honorem & reuerentiam commendat, rationéſque, quibus id perſuadeat, proponit non inanes aut futiles, ſed efficaces, & Dei Spiritu plenas: non multiplicare quotidie Miſſarum ſolemnia in Conuentibus rogat, cauſam in Adnotat. num. 27. oſtendimus. Hanc Epiſtolam habent communiter omnes. Piſanus lib. 1. Conf. 12. ſparſim per plura capita. Firm. 1. part. fol. 21. Monum. vtriuſque impreſſ. tractat. 2. Rodulphus lib. 2. fol. mihi 173. Biblioth. vet. Pat. ſuperiùs citata. Vbertus lib. 5. cap. 7. Marianus 1. part. lib. 2. cap. 44. Rebolledo lib. 2. cap. 16. & vterque Codex Aſſiſ. Sunt tamen ex his, qui putant ſcriptam fuiſſe alicui Congregationi, vel Capitulo Generali: Vbertus namque & Codices Aſſiſiani ſub eodem titulo eam reponunt, ac alias duas præcedentes; & Rebolledo hunc præfigit:* Epiſtolæ B. Franciſci ad Capitulum Generale, qua admonet Sacerdotes ad reuerentiam exhibendam altiſſimo altaris Sacramento. *Ceteri verò eumdem quem nos appoſuimus, habent.*

[1] IN NOMINE SANCTÆ TRINITATIS ET SVMMÆ VNITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI, AMEN.

Reuerendis & multùm diligendis Fratribus vniuerſis, Generali Miniſtro Ordinis Minorum [2] domino ſuo, & ceteris Miniſtris Generalibus, qui poſt eum erunt, & omnibus Miniſtris, & Cuſtodibus, & Sacerdotibus Fraternitatis eiuſdem, in Chriſto humilibus, & omnibus ſimplicibus, & obedientibus, primis & nouiſſimis; Frater Franciſcus, homo vilis & caducus, veſter paruus ſeruus, ſalutem in eo qui redemit, & lauit nos in Sanguine ſuo. [3] Dominus Ieſus Chriſtus [4] altiſſimus Filius, nomen illi, qui eſt benedictus in ſæcula, Amen.

AVDITE [5] domini, filij, & fratres mei, auribus percipite verba mea. Inclinate [6] aures cordis veſtri, & obedite voci Filij Dei. Seruate in toto corde veſtro mandata eius, & conſilia eius perfectâ mente implete. Confitemini ei, quoniam bonus, & exaltate eum in operibus veſtris. Tamquam [7] filiis ſe nobis offert Dominus Deus. Deprecor itaque omnes Fratres cum [8] oſculo pedum, & cum charitate qua poſſum, vt omnem reuerentiam, & omnem honorem, quantumcumq; poteritis, exhibeatis Corpori & Sanguini Domini noſtri Ieſu Chriſti, [9] in quo, quæ in cælis & quæ in terris, ſunt pacificata & reconciliata omnipotenti Deo. Rogo etiam in Domino omnes Fratres meos, Sacerdotes qui ſunt & erunt & eſſe cupiunt Altiſſimi, quòd quandocumque voluerint Miſſam celebrare, [10] puri & purè faciant cum reue-

Tob. 13. v.6.

Summè venerandam eſſe Euchariſtiam.

Coloſſ. 1. v.20.

Miſſa purè celebranda.

reuerentia verum ſacrificium ſanctiſſimi Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſancta intentione & munda, non pro [11] vlla terrena re, neque timore vel amore alicuius hominis, quaſi placentes hominibus. Sed omnis voluntas, quantum adiuuat gratia Omnipotentis, ad eum dirigatur, & ſoli ipſi Deo ſummo tantùm placere deſideretis, quia [12] ipſe ſolus operatur ibi, ſicut ſibi placet. Quoniam ſicut ipſe Dominus dicit, Hoc facite in meam commemorationem; ſi quis aliter fecerit, [13] Iudas traditor efficitur. Recordamini Fratres Sacerdotes, quoniam [14] ſcriptum eſt in Lege Moyſi, quòd tranſgredientes in corporalibus, ſine vlla miſeratione per ſententiam Domini moriebantur. Quantò maiora & peiora [15] meretur pati ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & Sanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt? & Spiritui ſancto [16] contumeliam fecerit? Deſpicit enim homo pollutus, & conculcat Agnum Dei; quoniam, ſicut dicit Apoſtolus, non diiudicans & diſcernens ſanctum panem Chriſtum ab aliis cibariis, vel operibus indignis, indignus manducat, cùm Dominus per Prophetam dicat: Maledictus homo qui opus Dei facit negligenter vel [17] fraudulenter. Et propter Sacerdotes, qui nolunt ponere [18] ſuper id cor in veritate, condemnat nos dicens: Maledicam benedictionibus veſtris. Audite Fratres mei. Si beata Virgo Maria honoratur (vt dignum eſt) quia ipſum portauit in ſanctiſſimo vtero ſuo; ſi beatus Ioannes Baptiſta contremuit, & non audebat [19] tangere Domini verticem; ſi ſepulchrum, in quo per aliquod tempus iacuit, ſic veneratur: quantùm debet eſſe ſanctus, & iuſtus, & dignus, qui non iam moriturum, ſed in æternum victurum, & glorificatum, in quem deſiderant Angeli proſpicere, contrectat manibus, [20] corde, & ore ſumit, & aliis [21] ad ſumendum præbet? Videte digni-

Lucæ 22. v.19. — Deut. 17. v. 6. & c.19.v.15 — Hebr. 10. v.29. — 1.Cor. 11 v.29. — Ier. 48. v.10. — Malach. 2.v.2 — 1. Pet. 1. v.12.

Leuit. 11. v. 44. gnitatem veſtram, Fratres Sacerdotes, & eſtote ſancti; quia ipſe ſanctus eſt. Et ſicut [22] ſuper omnes propter hoc myſterium honorauit vos Dominus Deus, ita & vos propter hoc myſterium diligite eum, reueremini, & honorate. [23] Magna miſeria, & miſeranda infirmitas, quandò ipſum ſic præſentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo paueat, totus [24] mundus contremiſcat, & cælum exultet, quando ſuper altare in manibus Sacerdotis eſt Chriſtus Filius Dei viui. O admiranda altitudo! ô ſtupenda dignatio! ô ſublimitas humilis, quòd Dominus vniuerſitatis, Deus, & Dei Filius ſic ſe humiliat, vt pro noſtra ſalute ſub modica panis formula ſe abſcondat! Videte Fratres [25] humilitatem Dei, & effundite coram illo corda veſtra, & humiliamini, vt & vos exaltemini ab eo. Nihil ergo [26] de vobis retineatis vobis, vt totos vos recipiat, qui ſe vobis exhibet totum. Moneo prætereà & exhortor in Domino, vt in locis in quibus morantur Fratres, [27] vna tantùm celebretur Miſſa in die, ſecundùm formam ſanctæ [28] Romanæ Eccleſiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes, ſic ſit, per amorem charitatis, alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius; quia abſentes & præſentes replet, qui eo digni ſunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Qui licet in pluribus locis [29] reperiatur, tamen indiuiſibilis manet, & aliqua [30] detrimenta non nouit, ſed [31] vnus verus, ſicut ei placet operatur, cum Domino Deo Patre & Spiritu ſancto Paracleto, in ſæcula ſæculorum, Amen.

ADNOTATIONES IN EPIST. XII.

1. IN NOMINE, &c.] Benedictionem hanc cum ſequenti inſcriptione omnes præfigunt, vno excepto Rebolledo.

2. DOMINO SVO.] Dominum vocat Miniſtrum Generalem, ad cuius nutum omnia propoſuit & decreuit perpetrare. Nec enim ſuo ſe regere arbitrio, ſed alieno duci conſilio & obtemperare præcepto, tutum iudicauit: quia *bonum eſt* (inquit Hieronymus) *obedire maioribus*, Hieron. Epiſt. 8. ad Demetriadem.

bus, parère præfectis, & poſt regulas Scripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab alijs diſcere, nec præceptore vti peſſimo, ſcilicet præſumptione ſua. Vide Epiſt. præced. in Adnotat. num. 8. & Epiſt. 6. n. 1.

3. DOMINVS, &c.] Ante hæc verba, & poſt illa, *exaltate illum in operibus veſtris*, duas vel tres periodos inſerunt Monum. & Firmam. cum Biblioth. ex Epiſtola 10. vt in argumento eiuſdem admonuimus, quas, propter rationem ibi aſſignatam, per ſe reponendas duximus.

4. ALTISSIMVS.] Hanc Chriſto nomenclaturam inter ceteras tribuit Angelicus Hymnus *Gloria in excelſis*, vbi ſolus Chriſtus altiſſimus dicitur. Vide Bern. Hom. 3. ſuper *Miſſus eſt*, de hoc nomine diſſerentem.

5. DOMINI, FILII, ET FRATRES.] Dominos, fratres, & filios omnes Minores vocat, vt quos dominos præ humilitate veneratur (vide Epiſtola 2. num. 2. & Epiſt. 11. num. 8.) eoſdem charitate vrgente pro fratribus reputat. Sed & dominos, & fratres, filios vocitat, & viſceroſæ pietatis amore proſequitur; quaſi qui ſpiritualiter genuerit, cum labore parturierit, & magno aluerit affectu,
Guarr. Serm. 2. de natal. Apoſt. Petri & Pauli, poſt prin. *ne vllum de omnibus Officiis, & nominibus pietatis eum præteriat, vt qui pater eſt auctoritate diſciplinæ, ſit etiam mater affectu clementiæ, ſit & nutrix ſedulitate officij, & curæ.* ſit & frater charitatis officiis, & ſeruus humilitatis obſequiis.

6. AVRES CORDIS.] Duplices eſſe aures, quaſdam interiores, vel cordis, quæ interiorem intelligentiam vel obedientiam ſignificant; alias exteriores, & corporis ſurditatem, & inobedientiam myſticè figurantes, vide Viegam in Apoc. c. 2. Comment. 1. Sect. 2. Priores ad perfectam intelligentiam & obſeruantiam eorum, quæ in hac Epiſtola dicuntur, expoſcit Franciſcus.

7. FILIIS SE, &c.] Benè dum de Altaris Sacramento ſermonem habet, Deum ſe nobis tamquam patrem filiis offerre animaduertit: nullum enim magis proprium patris munus videtur, quàm filios nutrire, & pane refocillare. Eodem etiam loquendi more Dei in nos affectum Angelicus Doctor, de hoc Sacramento agens, declarauit. *Dulcedinem*, inquit, *in filios demonſtrauit.* D. Thomas in Officio Eucharistiæ. Sed nequaquam filij adulti, ſed paruuli eramus: non enim eodem modo panem hunc nobis appoſuit, atq; Angelis in cælis, non eodē modo illis ac nobis menſa ſternitur. Illi panem hunc in ſua ſoliditate ſuſcipiunt, in cælis, vnde & panis cæli, & panis Angelorum propriè nuncupatur. Pſal. 77. v. 25. Hoc cæleſti pane Angeli tamquam adulti plenè ſaginantur; *Nobis autem*, Auguſt. Conc. 1. in Pſal. 33. ad med. inquit Auguſtinus, *tamquam paruulis filiis, oportebat vt menſa illa lactesceret, & ſic ad paruulos perueniret. Vnde autem fit cibus lac, niſi per carnem trauciatur? Mater hoc facit; quod manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minùs idoneus eſt infans, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ, & lactis ſuccum, de ipſo pane paſcit infantem.* Hoc etiam modo Deus Pater nos infantes & paruulos ſuos, pane cæleſti, & ſapientia incarnata paſcit & nutrit, quo Angeli plenè facie ad faciem fruuntur.

8. OSCVLO PEDVM.] Pedes oſculari, amoris indicium iudicat Stella in cap. 7. Lucæ; humilitatis Viegas in c. 1. Apocal. Comment. 1.

Sect. 13. n. 1. Maldonatus in prædictum Lucæ cap. v. 38. vtrumque eſſe affirmat; & ex vtroque ego iudico, B. Patrem in pleriſque Opuſculis hoc vti loquendi genere.

9. IN QVO, &c.] *Deus namque erat in Christo* (2. Cor. 5.) *mundum reconcilians ſibi, & ipſe eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum.* Videndus D. Thomas Lect. 5. in cap. 1. ad Coloſſ. Epheſ. 2. v. 14.

10. PVRI ET PVRE.] Piſanus legit, *puriſſimi, faciant puriſſimè.* Biblioth. ſolùm habet, *Puri faciant.* De puritate ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum, vide Auguſtinum lib. de Doct. Chriſt. cap. 8.

11. VLLA TERRENA RE.] De ſacrificantibus pro quæſtu & motiuis humanis, vide Aluar. lib. 2. de Planc. Eccleſ. cap. 5. & Extrau. De priuil. cap. 1.

12. IPSE SOLVS OPERATVR IBI.] Vbertus non habet *ſolus*, nec Bibliotheca *ibi*: Firmam. legit *ipſe ſolus operatur ibi*: quod potiùs typographi vitium, quàm varietatem lectionis eſſe reor. Vtcumque verò legatur locus iſte, non parum fauere iudico ſententiæ de morali efficientia Sacramentorum.

13. IVDAS TRADITOR.] Quia *etſi non tradat*, ait Remigius, *ſicut ille, Iudæis ad crucifigendum, tradit tamen ipſum membris inimici ad ſumendum.* Remig. in c. 26. Math.

14. SCRIPTVM EST IN LEGE MOYSI.] Marian. in Chronic. Hiſpanis, è Luſitano idiomate in Hiſpanum tranſcriptis, habet, *que eſtà eſcrito por el Apoſtol.* & in margine citat Apoſtolum Hebr. 1. cuius rei in eo capite nullam agit mentionem; ſed cap. 10. v. 29. & è regione citantur quadam Deuteronomij loca, in quibus hæc capitis vel mortis promulgatur ſententia.

15. MERETVR.] Vbertus legit *merentur*, & cetera verba quæ ſequuntur, in plurali.

16. CONTVMELIAM FECERIT.] Hanc contumeliam optimè explicat Theophylactus, dicens: *Qui accepta beneficia non rectè diſpenſat, benefactorem proculdubiò afficit contumelia. Dei te filium ille fecit, tu vero es (proh dolor!) vitiorum ſeruituti obnoxius. Venerat ille apud te manſurus, tu verò pro eo diabolum admiſiſti. Eſt ergo Spiritui gratiæ iniuriam inferre.* Theoph. in c. 10. Epiſt. ad Hebræos.

16. FRAVDVLENTER.] Fraus certè eſt, publicè te Dei amicum profiteri, Corpus eius ſeu ipſum in te ſuſcipiendo, & occultè inimicum eſſe, eius aduerſarios & hoſtes (vitia ſcilicet & diabolum) ſub eodem tecto colligendo.: vnde non ſolùm maledictum proclamauit Ieremias, *qui opus Dei faciebat fraudulenter*, ſed ſtatim addit, *& qui prohibet gladium ſuum à ſanguine. Maledictus*, inquit Origenes, *eſt qui aufert macharam ſuam* (vel *gladium*, vt Vulgata lectio habet) *à ſanguine inimicorum ſuorum, interficiendo in ſe contrarias virtutes, Dei inimicos.* Fraus ergo eſt & maledictio, vtriſque velle ſeruire, & vtroſque ſub eodem tecto colligere. Ier 48. v. 10. Origen. Hom. 15. in Ioſue.

18. SVPER ID COR.] Piſanus & Marianus, *ſuper hoc.* Biblioth. *qui nolunt ponere ſuper cor.*

19. TANGERE DOMINI VERTICEM.] Timorem hunc reuerentialem habuiſſe credo Ioannem in baptiſmate Chriſti, quando eum à ſe baptizari prohibebat; licet non ſit, qui exactè ipſum baptiſmatis modum vel ordinem explicarit. Imò Caietanus videtur innuere, non tetigiſſe

tigiſſe Ioannem Chriſti verticem,
nec de eo non tangendo cum Chri-
ſto inſtare potuiſſe, dum ex illis
Matth.3. Euangeliſtæ verbis, *Aſcendit Ieſus*
v.16. *de aqua*, ita inferat: *Non ergo per*
Caiet.in *aſperſionem, aut deſuper effuſionem,*
c.3. Mat. *ſed per immerſionem, ſeu ſubmiſſio-*
nem corporis in aquam, baptizatus eſt.
Bernardus verò, de hoc baptiſmo
agens, rem explicat aliquantulum,
Bernard. & ſancti Patris verba confirmat,
Serm.1. dum interrogat: *Si tremit ille, quid*
de Epiph. *mirum? Quid*, inquam, *mirum ſi tre-*
poſt med. *mit homo, nec audet attingere ſan-*
ctum Dei verticem, caput adorandum
Angelis, reuerendum Poteſtatibus,
tremendum Principatibus? Vide Lu-
dolphum de Saxonia 1. part. Vitæ
Chriſti cap. 21. ante med. & Ioan.
Capiſtr. in Epiſt. præfatoria ſui O-
peris de Papæ auctorit. ad princ.

20. CORDE.] Non enim ſufficit
hoc ſacroſanctum Corpus manibus
contrectare, & ore ſuſcipere; ſed &
neceſſe eſt in corde recondere, quò
iam peruenerunt vitia contraria, &
Nyſſen. peccata. *Vt ad veneni ſimilitudinem*
Orat. ca- *medicamentum in viſcera ingredia-*
tech.c.37 *tur, vt per illa totum in corpus auxi-*
lium diffundatur. Venenum quo no-
ſtra natura diſſoluitur, peccatum eſt;
medicamentum quo curatur & re-
focillatur, Chriſti Corpus eſt &
Sanguis.

21. AD SVMENDVM.] Vbertus
habet, *aliis aſſumendum præbet.*

22. SVPER OMNES, &c.] *Illis*
Chryſoſt. *enim commiſſum eſt*, inquit Chryſo-
lib.3. de ſtomus, *vt ea quæ in cælis ſunt, diſ-*
Sacerdot. *penſent; iis datum, vt poteſtatem ha-*
beant, quam Deus optimus neque An-
gelis neque Archangelis datam eſſe
Idem *voluit.*
Hom.14. 23. MAGNA MISERIA, &c.]
in 2. ad *Oportet namque eum, qui ad hoc Cor-*
Corinth. *pus accedit, eſſe ſublimem, & cum*
terra nihil habere commune.

24. MVNDVS CONTREMI-
SCAT, &c.] Firmam. habet, *con-*
tremiſcat, & cælum, & exultet.

25. HVMILITATEM DEI.] *Vide-*
te, inquit Auguſtinus, *humilitatem* Auguſt.
eius, quia panem Angelorum mandu- in Pſal.33
cauit homo, id eſt Verbum illud ſempi- Tom.8.
ternum, quo paſcuntur Angeli, quod Pſal.77.
eſt æquale Patri, manducauit homo, v.25.
cùm formam ſerui Deus accepit, &
ſemetipſum exinaniuit, in ſimilitudi-
nem hominum factus.

26. DE VOBIS RETINEATIS, &c.]
Iam olim etiam ante Chriſti aduen-
tum hanc gratitudinis viciſſitudi-
nem nobis commendauit Sapiens.
Si ſederis, inquit, *cœnare ad menſam* Prou.23.
potentis, ſapienter intellige quæ appo- v.1.
nuntur tibi, & mitte manum tuam
ſciens, quia talia te oportet præparare.
Menſa potentis, ait Auguſtinus, *quæ* Auguſt.
ſit, noſtis, vbi eſt Corpus & Sanguis tract.47.
Chriſti. Qui accedit ad talem men- in Ioan.
ſam, præparet talia. Et quid eſt, præ- Tom 9.
parare talia? Quomodo ipſe pro no-
bis animam ſuam poſuit, & ſeipſum
dedit nobis, ita & nos animas noſtras
pro illo ponamus, & omnia ei liberri-
mè, quæ noſtra ſunt, offeramus. Vide
Vbertum lib. 4. cap. 5. aliquantum
à princ.

27. VNA TANTVM MISSA CELE-
BRETVR.] Hunc locum putauit Phi-
lippus Melanchthon hæretico ſuo
dogmati de abiurandis Miſſis pri-
uatis fauiſſe; vnde & pro eodem il-
lum citauit in execrabili illa Apolo-
gia Confeſſionis Auguſtanæ, art. de
Miſſa. Quod ſanè mouit pium ac
eruditum virum Ioannem Eckium
in ſuo Enchiridio, vt negaret hanc
Epiſtolam fuiſſe à D. Franciſco con-
ſcriptam. De quo etiam non leuiter
dubi-

dubitarunt Illuſtriſſ. Card. Bellarm. lib. 2. de Miſſa c. 10. ad obiect. 12. Tom. 3. & Ant. Poſſeuin. Tom. 1. ſui Appar. ſacri, ſub nomine *Franciſcus Aſſiſi.us*. Sed & addidit Eckius, nec filios eius, Fratres Minores agnoſcere Epiſtolam hanc inter cetera Opuſcula D. Franciſci. In quo ſanè deceptus eſt: in omnibus etenim Monumentis & Chronicis, tam antiquis quàm nouioribus, Ordinis Minorum, nullum tam ſuum eſſe obſeruatur, quàm Epiſtola hæc; nec illius eſſe, aliquando ante hos dubitatum eſt: qui ne admitterent tanti nominis virum tam peruerſæ doctrinæ vel minimùm fauiſſe, de illius Auctore dubitarunt: adhibitis inſuper quibuſdam ſolutionibus de ſenſu Auctoris, quiſquis, vt aiunt, ille fuerit: nempe id intelligendum eſſe de Feria 5. Maioris hebdomadæ, vel de Miſſa maiori aut Conuentuali, de qua nos immediatè numero ſequenti. Quòd ſi aliter & abſolutè de omnibus diebus illi ſermo eſſet, apertiſſimè falſum & erroneum continere iudicant Epiſtolam; & non modicum applaudere peſtilenti errori Melanchthonis, & aliorum hæreticorum, qui priuatas Miſſas omnino abominantur; vnamque ſolùm cœnam Dominicam fieri vellent, quæ eodem ritu, ſolemnitate, ac circumſtantiis, quibus Chriſtus Dominus ſuam peregit, celebraretur, & in qua omnes adſtantes communicarent. Quæ planè hæreticorum deliria ſunt, & ſectariorum figmenta.

Hinc non leuiter moti, nec inani ducti fundamento fidei ſpeculatores, hæreticæ prauitatis Inquiſitores in Hiſpania, in Catalogo illo librorum cauendorum vel expurgandorum, qui ſub Illuſtriſſ. Card. Bernardo de Sandoual & Roxas Archiepiſcopo Toletano, ſupremo in Hiſpaniarum ditionibus in cauſis fidei Inquiſitore, prodiit in lucem anno Domini 1612. fol. mihi 98. colum. 1. ad hunc locum apponuntur hæc verba: *Cautè lege*. Quam cautionem poſteà vidi ad finem Epiſtolæ, appoſito ſigno è regione horum verborum Tom. 5. & 13. Biblioth. vet. Pat. nouiorum editionum, vbi hæc Epiſtola inter alia D. Franciſci Opuſcula habetur. Cautio certè ſana, & maturo conſilio adhibita, ne Franciſcus vir Catholicus, & totus Apoſtolicus, videretur tanto errori ſubſcripſiſſe, aut ex magna illius auctoritate, aliqua hæreticorum accederet doctrinæ.

Ego verò, ſi quid in hac re ſapio, ſentio (ſi inter tantos viros ſentire liceat) non eſſe dubitandum de Auctore huius Epiſtolæ, niſi nos omnis fallat antiquitas, & nulla ſit fides adhibenda vetuſtiſſimis Codicibus, & traditioni, à D. Franciſci Sociis & coæuis ad noſtros deductæ, qua ſemper ſtabilitum eſt, ab ipſo hanc fuiſſe exaratam Epiſtolam. Et certè D. Bernardinus Senenſ. dictorum & ſcriptorum D. Franciſci diligentiſſimus obſeruator, Tom. 1. ſuorum Operum Serm. 20. art. 2. cap. 7. in fine ad probandam magnam Sacerdotum excellentiam, & neceſſariam in eiſdem puritatem, vtitur argumento Franciſci in hac Epiſtola: *Si B. Virgo Maria*, &c. & quatuor vel quinque periodos citat eiuſdem ſub Franciſci nomine.

Inſuper indico eum hoc loco Fratres rogaſſe ſacroſancta non multiplicare Sacrificia, & vt à quotidiana abſtinerent celebratione, veritum ne

ne propter quotidianam ſacrificandi conſuetudinem, tanti myſterij debita reuerentia, quam in hac ipſa Epiſtola anxius inculcat, & tantopere commendat, paulatim declinaret; & in ipſis ſacrificantibus feruor, tanto Altari dignus, aliquantiſper teperet (quod & ipſum retraxit, & omnino repulit à ſacris Preſbyteratus Ordinibus ſuſcipiendis, & D. Bonauenturam Franciſci ſpiritus heredem, & deuotionis participem, per multos dies à celebrando continuit; quoadvſque, mirandum, per Angelum ad os eius Synaxis ſacra perlata eſt à manu Sacerdotis celebrantis) vel apud Clerum aut populum ſacroſanctū Domini Corpus aſſiduitate vileſceret. C. Extr. De priuil. cap. 1. Nam quod rarum eſt, plus appetitur, & æſtimatur. d. 93. Legimus. §. Nam &. Auth. de Conſecr. §. Itaque. col. 4. Et rarum eſt omne quod magnum eſt. 2. q. 7. In ſancta Nicæna. Atque ita hunc locum intellexit Epiſcopus Siluenſis Aluarus Hiſpan. lib. 2. de Pl. Eccleſ. art. 5. Eiuſque hunc eſſe ſenſum, colligitur non obſcurè ex ipſa Epiſtola, in qua nihil aliud quàm reuerentiam erga hoc Sacramentum ſuadere conatur; & ſacrificandi quando placuerit, ſupponit penes Fratres liberam eſſe facultatem, dicens: *Quandocumq; voluerint Miſſam celebrare, puri & purè faciant cum reuerentia.* Vnde non tollit libertatem, nec præceptiuè prohibet tamquam malum & illicitum, ſicut hæretici, conſuetudinem celebrandi, ſed inducit ad rariorem & puriorem tanti Sacramenti cultum. Nec primus aut ſolus docuit Franciſcus, abſtinendum eſſe multoties ab immolatione Agni immaculati, vt poſteà maiori ſpiritus feruore perciperetur; ſed multos pios & timoratos Sacerdotes de facto quoſdam & plures dies prætermiſiſſe, quin Sacrum facerent; alioſque conſuluiſſe ita fieri, ob maiorem rei ſacræ reuerentiam, dicunt Franciſcus Pitigianis noſter 1. part. ſuæ Summæ in 4. Scoti, diſt. 13. quæſt. 2. art. 2. concluſ. 4. & Franciſcus Suarez Tom. 3. in 3. part. diſp. 80. ſect. 2. concl. 3. imò & De conſecr. d. 2. cap. Quotidie, referuntur hæc verba ex D. Auguſtino lib. de Eccleſ. dogmatib. cap. 53. (licet eius non ſit ille liber, ſed Gennadij Maſſilien. vnde ſeorſim appoſitus eſt in Appendice Tomi 3. Operum D. Auguſtini) *Quotidie*, inquit, *Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero.* Auguſt. Epiſt. 118 ad Ianua. c. 3. To 2. Et ibidem §. Si dixerit, alia habet, quæ Auguſtini ſunt Iannuario Epiſcopo ſic reſpondentis: *Dixerit aliquis, non quotidie accipiendam Euchariſtiam. Quæſieris, Quare? Quoniam*, inquit, *eligendi ſunt dies, quibus puriùs homo continentiuſq; viuat, quo ad tantum Sacramentum digniùs accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.* 1. Cor. 11. v. 29. *Alius contrà affirmat, quotidie eſſe ſumendum*, &c. *Faciat vnuſquiſque, quod ſecundùm fidem ſuam piè credit faciendum; neuter enim horum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, ſi ſaluberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigauerunt inter ſe, aut quiſpiam eorum ſe alteri præpoſuit, Zacchæus & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domo ſua ſuſcipit Dominum, alter dixit; O Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo; ambo pec-* Lucæ 19. v. 6. Mat. 8. v. 8.

F catis

catis miſeri, ambo miſericordiam conſecuti. Ad hoc valet quod manna ſecundùm propriam voluntatem in ore cuiuſque ſapiebat; ſic in ore cuiuſcumque Chriſtiani Sacramentum illud quomodo ſumatur, æſtimandum. Nam & ille honorãdo non audet quotidie ſumere; & ille honorando, non audet vllo die prætermittere. Quæ verba ad eamdem rem confirmandam refert D. Antonius Patauinus, & Bernardinus Senenſis, qui ſpeciali de hac difficultate, inſtituta quæſtione, docet quando conſultius reputat abſtinere à celebrando, vel communicando per aliquantũ temporis; rationemque aſſignat, quare Anachoritæ raro ad Altare accedebant: apud quos receptiſſimus & obſeruatiſſimus erat mos hic quem Franciſcus ſuis inculcat, vnam videlicet Miſſam celebrandi in Cœnobiis, vt videre eſt apud Caſſian. l. 3. de Inſtit. Monaſt. cap. 11. & Epiſt. 5. Epiphanij quæ eſt 60. inter Hieronymianas, Tom. 2. & colligitur ex cap. Hinc eſt. 16. quæſt. 1. Videat vnuſquiſque, qua fide accedit, vel quo fine ſecedit ab Altari, vt doctè & eleganter ſuadet Chryſoſt. Hom. 17. in cap 10. ad Hebr. Tom. 4. Si ex ſpiritus feruore, & humili confidentia de profectu ſpirituali aſſequendo, quotidie offert, laudandus; ſi ex reuerentia tanti Sacramenti, & timore propriæ indignitatis frequenter deſiſtat à celebrando, non eſt vituperandus. Vnde (ſi iudicium in hac re interponere licet) iudicarem huius dubij deciſionem relinquendam eſſe piæ credulitati accedentis. Dicam tamen, apud Theologos & Doctores, tam nouiores quàm vetuſtiores, magis commune & receptum eſſe quotidie ſacrificare, potiuſque hoc Sacerdotibus conſulendum; niſi aliter iuxta varias perſonarum conditiones, ſtatus, conſcientias, diuerſaſque Spiritus ſancti gratias, aliud videatur prudentibus viris conuenire. Franciſco & aliis ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris viſum eſt, raram huius Sacramenti ſuſceptionem maiorem in illud cauſare reuerentiam. Aliis econtrà non inferioris notæ Patribus & Doctoribus commune eſt, illius frequentiam magnam conciliare deuotionem, & non paruum eſſe incentiuum feruoris, & æſtimationis ſacræ Synaxis. Variæ ſunt Sanctorum conditiones, diuerſæque Spiritus ſancti gratiæ. Pro his videri poterunt Hippolyt. Mart. Orat. de Conſum. mun. Auguſtin. citatus, Gregor. Hom. 37. in Euang. Chryſoſt. Homil. 3. in Epiſt. ad Epheſ. & Hom. 61. ad pop. Antioch. de Sacrorum participatione myſteriorum, ad medium; Vbertinus de Caſali lib. 4. Arboris vitæ Crucifixi, c. 5. & Nicolaus Lyranus in cap. 11. 1. ad Corinth. ex moderníoribus Theologis, Pitigianis & Suar. citati, Ioan. Steph. Durant. lib. 2. de Rit. Eccleſ. cap. 3. Vazq. in 3. part. quæſt. 83. diſp. 232. cap. 22. in fine, & alij in eamdem quæſt. Ex Summiſtis, Victor. n. 95. Rodericus Tom. 1. Summ. verbo Communio, c. 103. num. 10.

Vide Auguſtin. 1. Retractat. c. 20

D. Antonius de Padua, Sermon. Domin. 3 poſt Epiphan ante finem. & Bern. Senenſ. Tom. 2. Serm 57. art. 2. c. 3. q 2.

28. ROMANÆ ECCLESIÆ.] Vbertinus non habet *Romanæ*, nec Mar. *ſecundùm formam Romanæ Eccleſiæ.* ceteri verò habent quæ appoſuimus. Vbi obſeruandum eſt, verum Eccleſiæ filium, qui in omnibus pro norma & regula ſanctam Eccleſiam Romanam, & eius conſuetudinem ſibi proponebat, præcepiſſe vnam ſaltem celebrari Miſ-

ſam, ſecundùm eiuſdem Eccleſiæ conſuetudinem, quam nos Conuentualem vocamus. Quod poſteà per præcipuos Ordinis Patres ſtatutum eſt in Capitulo Barcinonenſi Generali c. 2. ordinauitque multò anteà in Eccleſiis Collegiatis Honorius III. cap. Cùm creatura, de Celebr. Miſſ. Videndus Soto in 4. diſtinct. 13. q. 2. a. 1.

29. REPERIATVR.] Vbertinus & Firm. *videatur eſſe*. Mar. *in pluribus locis videatur*. ſecunda lectio ceteris minùs placet.

30. DETRIMENTA NON NOVIT.] Firm. ex errore Typographi mendosè legit, *aliqua determinata*.

31. VNVS VERVS.] Vbertinus, *vnus vbique*, non incongruè.

EPISTOLA XIII.

AD VNIVERSOS CLERICOS.

ARGVMENTVM.

MAGNAM *fuiſſe Franciſci erga ſanctam Euchariſtiam deuotionem, facilè conſtat ex præcedenti Epiſtola, ex eius Teſtamento, aliiſq; Opuſculis, & ex illo Bonauenturæ teſtimonio cap. 9. Legendæ.* Flagrabat, *inquit*, erga Sacramentum Dominici Corporis feruore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam chariſſimam dignationem, & dignantiſſimam charitatem, &c. *Dolebat proinde vehementer, indignè miniſtrari, & viliter tractari rem omnium pretioſiſſimam; ſanctiſſimaq; Dei nomina, aut quidquam ex Sacra pagina irreuerenter proiici, vel inhoneſtè reponi. Dolorem expreſſit his literis, & Clericis ſacratiſſimarum rerum reuerentiam & puriorem cultum indixit. Eas habet Marianus lib. 1. cap. 27. §. 8. vterque Codex MS. Aſiſian. abſque vlla verborum differentia. Sola eſt in titulo & inſcriptione diuerſitas.*

1 Reuerendis in Chriſto dominis meis, vniuerſis Clericis, qui ſunt in toto orbe, & viuunt ſecundùm ſtatuta Catholicæ fidei, Fr. Franciſcus paruulus & minimus ſeruus, Salutem cum omni reuerentia, & oſculo pedum.

QVONIAM debitor factus ſum omnibus, ideò, non valens ampliùs præſentialiter verbis meis propter meas infirmitates vobis ſatisfacere, hanc meam recordationem & admonitionem paucis verbis

ſcriptam, cum omni amore & dilectione ſuſcipite. [2] Attendamus omnes Clerici magnum peccatum & [3] ignorantiam, quam quidam habent ſuper ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſacratiſſima nomina & verba eius [4] ſcripta, quæ [5] ſanctificant Corpus. Scimus, quia non poteſt eſſe Corpus, niſi priùs ſanctificetur à verbo. [6] Nihil enim habemus & [7] videmus corporaliter in hoc ſæculo de ipſo Altiſſimo, niſi Corpus & Sanguinem, & realiter nomina & verba, [8] per quæ facti ſumus, & redempti de morte ad vitam. Omnes autem illi qui miniſtrant tam ſanctiſſima Myſteria, conſiderent intra ſe, maximè hi qui indiſcretè miniſtrant, [9] quàm viles ſint calices, corporalia, & linteamina, vbi ſacrificantur Corpus & Sanguis Domini noſtri, & à multis in locis vilibus relinquitur, miſerabiliter portatur, & [10] indignè ſumitur, & indiſcretè aliis miniſtratur. Nomina etiam & verba eius ſcripta, [11] aliquando pedibus conculcantur; quia animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. [12] Non mouemur de his omnibus pietate, cùm ipſe pius Dominus in manibus noſtris ſe præbeat, & eum tractemus, & ſumamus quotidie per os noſtrum? An ignoramus, quia [13] debemus venire in manus eius? Igitur de his omnibus, & aliis, citò & firmiter emendemus; & vbicumque fuerit ſanctiſſimum Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti illicitè collocatum, & relictum, remoueatur de loco illo, & [14] in loco pretioſo ponatur, & conſignetur. Similiter nomina & verba Domini ſcripta, vbicumque inueniantur in locis immundis, [15] colligantur, & in loco honeſto debeant collocari. Et ſcimus, quia hæc omnia tenemur ſuper omnia obſeruare [16] ſecundùm præcepta Domini, & [17] Conſtitutiones ſanctæ matris Eccleſiæ. Et qui hoc non fecerit, ſciat ſe coram Domino noſtro Ieſu Chriſto in die Iudicij reddere rationem. Hoc ſcriptum vt me-

Corpus Chriſti realiter ſub ſpeciebus.

Reuerentia exhibenda Chriſti Corpori:

Et verbis diuinis.

1. Cor. 2. v. 14.

liùs

liùs debeat obſeruari, ſciant ſe benedictos à Domino Deo, [18] qui ipſum fecerint exemplari. Dominus noſter Ieſus Chriſtus omnes meos dominos ſua ſancta gratia repleat, & confortet.

ADNOTATIONES IN EPIST. XIII.

1. REVERENDIS, &c.] Inſcriptionem hanc habet Marianus; ſed inſcriptionis loco eſt in Codice membraneo Aſſiſ. hic titulus: *De reuerentia Corporis Domini, & de munditia Altaris, ad omnes Clericos.* Deerat tamen atque ipſa inſcriptio in ſecundo Codice chartaceo. Huiuſmodi autem communes Epiſtolas ſcribere familiare fuiſſe ſanctis Patribus, adnotaui numero primo in primam Epiſtolam. Similem huic noſtræ, præter illam quam ſuperiùs citaui, exarauit beatus ille Columba multorum Monachorũ pater: quam manuſcriptam ego accepi à Domino Conſtantino Caietano, Congregationis Caſſinen. Abbate, Paulo V. & Gregorio XV. à ſacris Monumentis, viro planè docto. Hæc ei inſcriptio: *Dominis ſanctis, & in Chriſto Patribus, vel Fratribus Epiſcopis, Presbyteris, ceteriſque ſanctæ Eccleſiæ Ordinibus Columba peccator ſalutem pacis in Chriſto præmitto.* Plures etiam Pontifices hanc ipſam reuerentiam erga Dominicum Corpus, & viuificum Calicem, ſuis literis vniuerſis fidelibus inculcarunt, vt ad num. 17. adnotabo.

Literas vniuerſales antiqui mittebant Patres.

2. ATTENDAMVS OMNES CLERICI.] Diuinis miniſteriis deputati, Clerici dicti ſunt, à verbo Græco κλῆρος, quòd Latinè *ſors* vel *hereditas* ſonat, quaſi omnes Clerici dicantur de ſorte Domini, vel quaſi Dominus ſit eorum ſors, iuxta illud Prophetæ: *Dominus pars hereditatis meæ.* Ab Apoſtolorum tempore, ait Gabriel lect. 3. in Canon. hac voce ſignificari eos, qui quibuſcumq; Ordinibus, vel minoribus vel maioribus inſigniuntur. Se proinde his adnumerat Franciſcus propter Diaconatum: & quia nec domum, nec locum, nec aliquam rem voluit ſuam haberi, ſed hereditati renuntians paternæ, imo & deſiderio quidquam terrenum poſſidendi, totus à Dei prouiſione generosè pendebat; terrena faſtidiens, & tamquam vilia contemnens, Deum ſui victus & vitæ conſtituit œconomum. *Ad veras ſe conuertit diuitias; iſtas contempſit, quia puſillæ ſunt; oſtenduntur, non poſſidetur; & dum placent, tranſeunt.* Contemptibiles contempſit Franciſcus, in æternum voluit duraturas. Vide Auctorem Tractatus de Contemptu ſæculi apud Auguſtinum Tom. 9. in Append. De nomine Clericus videri poteſt Lexicon Theologicum Altenſtaig. & Hieronym. Epiſt. 2. & Auguſt. in Pſal. 67.

Vnde nomen Clerici. *Pſalm 15 v. 5.* *Seneca Epiſt. 110*

3. IGNORANTIAM.] Ignorantiæ attribuit, hæc ſacroſancta Myſteria ita indignè tractari, ſicut & Paulus Corinthiorum irreuerentiam in hoc Sacramentum, & indignam eiuſdem ſumptionem in eorumdem reiicit inſciriam, dum ſalutiferum hunc cibum à communi neſciebant diſcernere; quaſi impoſſibile reputaret, tanti Myſterij conſiderari celſitudinem

Ex ignorantia prouenit irreuerentia in Chriſti Corpus.

nem ab eo, qui contemptibiliter & abſque reuerentia illud contrectat. *Qui enim*, inquit Apoſtolus, *manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini. Hoc eſt*, inquit Chryſoſtomus, *non examinans, non cogitans, vt oportet, magnitudinem eorum quæ ſunt propoſita; non reputat quanti momenti & ponderis ſit donum. Nam ſi exactè didiceris, quiſnam ſit qui eſt propoſitus, & quiſnam ſit qui dat ſeipſum, & cui dat, nulla alia egebis oratione, ſed hoc tibi ſufficiet ad omnem reuerentiam, niſi animo valdè concideris.* Conſiderare neſcit, quis eſt qui ſub ſpeciebus latet, qui eum indecenti loco reponit. Quis ſit Chriſtus, ignorare videtur qui Chriſti Corpus contemnit reuereri: quod & ipſe Franciſcus inferiùs probat illis Apoſtoli verbis: *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei.* Vide Epiſt. præced. ad medium.

1. Cor. 11 v. 27.

Chryſoſt. Hom. 28. in hunc locum.

4. SCRIPTA.] Addidit hoc verbum *ſcripta* ſæpiùs hîc, & in ſuo Teſtamento, cùm de reuerentia verbis diuinis exhibenda tractat; vel, quia ſola illa quæ ſcripta ſunt, indecentiæ huiuſmodi poſſunt ſubeſſe, & inhoneſtè reponi; vel, vt innuat alia fuiſſe verba tradita, & conſeruata continua annorum ſerie in Eccleſia, & ab Apoſtolis per variam Pontificum ſucceſſionem ad nos traditione deducta. De hac autem diſtinctione verborum ſcriptorum & non ſcriptorum, vel de traditionibus, videri poſſunt, Hieronymus Epiſt. ad Lucinum, Auguſtinus Epiſtola 129. ad Ianuarium, Irenæus libro 3. c. 1. 2. 3. & 4. eiuſque Commentator noſter Feuardentius ibidem, Tertullianus lib. de Cor. mil. cap. 3. 4. & 5. & Pamelius in Adnot. ad eumdem, à n. 27. vſque ad 42.

Verba Dei ſcripta & non ſcripta.

5. SANCTIFICANT CORPVS.] Modus hic loquendi, quo panis & vini tranſſubſtantiationem in Corpus & Sanguinem Dominicum ſignificat, nunc eſt inaſſuetus, ſed quibuſdam Patribus olim familiaris: Theophylacto in c. 26. Matth. & in 14. Marci, Gregorio Nyſſeno in Orat. Catech. cap. 37. Chryſoſt. Homil. 83. in Matth. & Hom. de Proditione Iudæ, longè à fine, Auguſtino lib. 3. de Trinit. cap. 4. Baſilio in ſua Liturgia, & aliis: & adhuc in Canone Miſſæ retinetur, vbi poſt conſecrationem, & mortuorum commemorationem, dicitur: *Per quem hæc omnia Domine bona ſemper creas, ſanctificas, benedicis*, &c. Ineffabilem etiam hanc conuerſionem, vt explicent ſancti Patres, dicunt Corpus benedici & conſecrari: Iuſtinus Apolog. 2. ad Antoninum, in fine, Orig. Hom. 13. in Exod. & Epiſt. Synodica ad Neſtorium, quæ eſt Concilij Alexandrini, & recepta in Concilio Epheſino cap. 14. eſtque apud Cyrillum 10. in ordine; Aug. libro Sententiarum Proſperi, ex Auguſtino apud Gratian. Can. Nos autem, de Conſecrat. diſtin. 2. & lib. 20. contra Fauſtum, cap. 13. Et adhuc recentiores Theologi communiter dicunt conſecrari Corpus & Sanguinem. Paulus etiam Apoſtolus, *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus*, id eſt, vt explicat D. Thomas, *quem nos conſecramus*. Idque his verbis ſignificare velle Franciſcum, patet ex ſequentibus. *Scimus*, inquit, *quia non poteſt eſſe Corpus, niſi priùs ſanctificetur à verbo*, per formam ſcilicet huius Sacramenti. Vide Opuſculum de

Varij modi ſignificandi conuerſionem in Euchariſtia.

1. Cor. 10 v. 16.

Thom. Lect. 4.

de Monitionibus ad c. 1. & Epiſt. 11. ad Capitulum Generale.

An aliquid ſit Chriſti Corporis viſibile in terra.

6. Nihil habemvs, &c.] Similiter dixit in Teſtamento: *Nihil video corporaliter in hoc ſæculo de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum Corpus & Sanguinem ſuum*, &c. Cui conſonat illud Athanaſij in exhortatione ad Monachos in fine libelli de Crucifixione imaginis Saluatoris in Syria in vrbe Beritho, integrè relati in 2. Syn. Nicæna Act. 4. *Nulli exiſtimandum eſt, quaſi ex Carne & Sanguine Chriſti aliquid poſſit in mundo inueniri, niſi illud, quod in ara Altaris per manus Sacerdotum quotidie ſpiritualiter efficitur.* Videtur hic locus fauere illorum ſententiæ, qui negant quidquam veri Sanguinis Chriſti, in paſſione profuſi, remanſiſſe in terra; licet Pius Secundus datis de hac re literis docuerit, nullum eſſe inconueniens contrarium aſſerere. Varia huius Pontificis originalia Diplomata circa hanc controuerſiam, quæ olim magna fuit, apud me extant, & de hac quæſtione videri poteſt Franciſcus Suarez Tom. 2. in 3. part. diſput. 47. Sect. 3.

Quomodo dicatur Corpus Christi videri in Eucharistia.

7. Videmvs corporaliter.] Non ita negat ſe quidquam aliud Chriſti Corporis videre, præter ipſum Corpus & Sanguinem in Sacramento, vt ſupponat, vel velit hæc ipſa à nobis propriè videri: nullus enim oculus corporeus naturaliter hæc videre poteſt, prout modo illo indiuiſibili ſubſunt ſpeciebus; an autem ſupernaturaliter, controuerſia eſt inter Theologos. Vide Gabrielem Vazquez Tom. 3. in 3. part. diſp. 191. cap. 1. & 2. Multa tamen huiuſmodi prædicata extrinſeca, quæ neque motum ſecundum locum in ipſo Corpore Chriſti, neque aliquid illi intrinſecum denotant, qualia ſunt, contrectari, frangi, manducari, dentibus atteri, videri, &c. à Patribus ratione ſpecierum per figuram vel tropum Chriſti Corpori verè tribuuntur.

Quare dicimur per Dei verba creari & redimi.

8. Per qvæ facti svmvs et redempti.] Inſtrumentaliter ſcilicet: nam verè & propriè per Deum creati ſumus, & per Chriſti paſſionem redempti, vt ipſe Auctor inculcat cap. 23. primæ Reg. Tom. 2. Attamen in Sacris literis, diuinis verbis, & creatio, & regeneratio tribuitur. Geneſis 1. ordo creationis per verbum *fiat* refertur, & modus noſtræ plaſmationis deſcribitur. Ad quod alluſit Dauid illis verbis: *Ipſe dixit, & facta ſunt.* & Pſal. 148. v. 5.
Sapiens, dum dixit: *Qui feciſti omnia verbo tuo.* Sapien. 9. v. 1.
Et Chriſti doctrina, verbum vitæ ſæpiſſimè dicitur Ioannis 6. Actor. 7. ad Epheſ. 5. ad Philip. 2. & ſaluari, ſanari, ac conſeruari dicuntur homines Sap. 16. per ſermones Dei: *Etenim neque herba neque malagma ſanauit eos, ſed Domini ſermo, qui ſanat omnia.* Sap. 16. v. 12.
Verbo veritatis ait Iacobus Chriſtum nos genuiſſe; Iacob 1. v. 18.
& Corinthios dixit Paulus ſe genuiſſe per Euangelium. 1. Cor. 4. v. 15.
Quia generatio, inquit D. Thomas, *eſt proceſſus ad vitam, homo autem viuit in Chriſto per fidem*, Thomas Lect. 3.
vt ait Apoſtolus. *Quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei; fides autem eſt ex auditu, auditus autem per verbum, vnde verbum Dei eſt ſemen, quo Apoſtolus eos genuit in Chriſto.* Galat. 2. v. 20. Rom. 1. v. 17.
Alibi etiam Apoſtolum non incongruè dixiſſe ſe Galatas Chriſticolas, veluti filios parturiiſſe, probat Auguſtinus lib. cont. Adimantum c. 5. & Fulgentius in Reſponſ. Galat. 4. v. 19.

ad

ad 3. obiectionem Arianorum, per Chriſti verba & doctrinam nos non impropriè ſanctificari & renouari contendit. Licet enim per Chriſti paſſionem & fidem redempti ſimus & regenerati, tamen per eius
Lucæ 8. v. 11. Doctrinam, quam vel ipſe *ſemen* dixit, ad vitam ſpiritualem deuenimus, auramque hanc fidei haurimus, & per ſacræ Scripturæ verba docemur, quales Dominicæ paſſionis fructus participamus, & quid nobis agendum, vt eius meritis fruamur. Hanc Franciſci doctrinā confirmauit Gregorius, dum ad hunc ſenſum explicuit verba illa Iſaiæ:
Iſaiæ 35. v. 7. *In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Quid enim*, interrogat Grego-
Gregor. lib. 29. Mor. c. 14 rius, *per calamum, niſi Prædicatores; quid per iuncum, qui iuxta aquæ humorem ſemper naſcitur, niſi puſilli ac teneri auditores ſacri eloquij deſignantur? Jn draconum ergo cubilibus viror calami & iunci oritur, quia in eis populis, quos antiqui hoſtis malitia poſſidebat, & doctorum ſcientia & auditorum obedientia coaceruatur. Hæc tamen quæ generaliter de gentilitate dicta ſunt, ſi ſolerter inſpicimus, intra ſinum ſanctæ Eccleſiæ agi in ſingulis videmus.* Vide Chryſoſt. Hom. 9. in Pſal. & l. 3. de Sacerd. longè à prin. & Balthaſarum Paez in c. 1. Epiſt. D. Iacobi v. 18. in expoſit. literali.

De vilitate calicum. 9. QVAM VILES SINT CALICES, CORPORALIA, &c.] Verum eſt, in primitiua Eccleſia calices fuiſſe alios vitreos, alios ligneos, alios ſtanneos. De vitreis conſtat ex Vita Zephyrini Papæ, ex Gregor. lib. 1. Dialog. cap. 7. ex Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſtic. ex Cypriano Gallo in Vita Cæſarij, Epiſcopi Arelatenſis, ex Epiph. hær. 34. De ligneis clarum eſt in Iure Canonico teſtimonium c. Vaſa. De conſecr. diſt. 1. quod deſumptum eſt ex Conc. Triburienſi cap. 18. vbi prohibentur Sacerdotes, *Ne in ligneis vaſculis vllo modo conficere præſumant.* Stannei calicis vſus conceſſus eſt pauperibus Eccleſiis in Concilio Rhemenſi circa tempora Caroli Magni, & adhuc in quibuſdam perſeuerat. Fuerunt etiam tunc multi calices aurei, & argentei, vt infrà num. 13. dicemus. Sed tolerabilior erat illis temporibus in calice vilitas, quando rarior erat in Miniſtris iniquitas. Si deerat pretium in Calice, fulgebat ſanctitas in Sacerdote. Vnde cùm Bonifacius Pontifex & Martyr interrogaretur, ſi liceret in vaſculis ligneis Sacramenta conficere, reſpondit: *Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc econtrà lignei Sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Proh dolor, vaſorum humilitas nunc tranſiuit in Sacerdotes, & Miniſtrorum pretium iam abiit in Calices. Supplebat tunc Sacerdotis puritas Calicis contumeliam; nunc fit auro diues vaſculum, vt compenſet virtutum in Miniſtro penuriam. Eò autem maior Sacerdotis eſt culpa, ſi viles etiam habeat & calices; nec, quæ ſibi deeſt, in miniſterialibus Sacramentorum curat munditiam. Communis eſt cum Franciſco Concil. Saliſburgenſis ſub Vrbano VI. & Friſingenſis ſub Eugenio IV. querela de Sacerdotum nimia circa hæc incuria. *In pleriſque enim Eccleſiis*, ait eiſdem verbis vtrumque Concilium, *mappæ, pallæ, corporalia, & alia veſtimenta, ac vaſa diuino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, vt interdum quibuſdam ſint horrori.* Certè

Concil. Tribur. citatū, & habetur c. Vaſa, De conſecrat. d. 1.

Concil. Saliſbur. Concil. Friſing.

Certè vel ex hoc mira commendatur erga nos Dei dignatio, & ſublimis humilitas, vt diuinum & impretiabile ſuum Corpus in tam vilibus & immundis locis reponi permittat impunè; & manifeſtè nobis oſtendit, quantæ & quàm inuincibilis ſit patientiæ, qui ſui Corporis & tremendi myſterij vilificatores terrifico non coërceat ſupplicio. *At ille etiamnum bonus* (magni Chryſoſtomi ſunt verba) *benignitatem vbique præfert. Tibi gloria, tibi inquam gloria Domine. Quantæ apud te clementiæ abyſſus, quantæ eſt patientiæ copia! Hem! qui nominis tui prætextu ex ignobilibus & obſcuris clari atque illuſtres effecti ſunt, honore abutuntur contra eum qui honorem eſt largitus, audentque non audenda, in ſacroſancta illa tua myſteria iniury.*

Chryſo. lib. 3. de Sacerd. ad med.

Dignè ſumendũ Chriſti Corpus.

10. INDIGNE SVMITVR, &c.] Quàm ſerij & diligentes ſunt ſancti Patres in inculcanda reuerentia erga hoc Sacramentum? quàm ſocordes & negligentes nos eorumdem filij (ſi non hoc nomen temerè vſurpamus) ad dignam eius venerationem? Chryſoſtomus nec ipſo conſpectu, nec auditu huius myſterij dignos iudicat peccatores. *Indigni ſunt*, inquit, *oculi peccatorũ hiſce ſpectaculis, indignæ ſunt & aures.* Proinde Cyrillus Ieroſolymitanus oculos ad hoc conuiuium accedentis ſanctificandos admonuit. *Sanctificatis*, inquit, *diligenter oculis, ad ſanctum Corpus accede.* quos tali intuitu ſacratos, Dei ſpecie veluti radiantes, indignum putat Cyprianus viſione rei cuiuſpiam terrenæ vilificari. *Deiicit ſe*, inquit, *de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari poſt Deum aliquid poteſt.* Vnde obiter laudem ſanctam Minoridarum in multis Prouinciis conſuetudinem, poſt conſpectum Dei Corporis, in ſolemnioribus Miſſis, facies ſuas obtegentium, quaſi iam dedignentur quidquam, quod Deus non eſt, cominùs aſpicere. Quòd ſi vel ad Deum contuendum tantus honor & reuerentia, & ſi vel ad Arcæ conſpectũ exanimabantur antiqui; quid ad realem & veram Dominici Corporis ſumptionem, & admirabilem nobiſcum compactionem, ineffabilemque concorporationem, qua *caro noſtra Corpore & Sanguine Chriſti veſcitur, & anima Deo ſaginatur*, requiri putamus? Antequam corpus mortuum & exanime vel ipſa inſenſibilis terra reciperet, commota eſt & contremuit; quia, vt ait Hilarius, *capax huius mortui eſſe non poterat.* Et nos Chriſti iam glorioſi, in æternum viuentis, ad dextram Patris ſedentis, & indiuidua vnitate totam in ſe Trinitatis potentiam continentis, ita temerè, ita impolluto ore & ſordida mente viuam & viuificantem carnem deglutimus? Heu, *quo non oportet eſſe puriorẽ tali fruentem Sacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manũ carnem hanc diuidentem? os quod igne ſpirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubeſcit? Cogita quali ſis inſignitus honore, quali menſa fruaris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque liberè audent intueri, propter emicantem inde ſplendorem; hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro.* Admonuit itaque & præcepit Apoſtolus, vt ante ſumptionem *probet ſe ipſum homo:* id eſt (vt antiquus ille Hibernus Preſbyter expoſuit) *mundet ſeipſum; nam ſi in linteum vel in vas ſordidum nemo illud*

Chryſo. Hom. 61. ad pop. Antioch. Tom. 5.

Cyprian. lib. de Spectac. ad fin. Tom. 2.

Tertull. lib. de Reſurr. carnis c. 8.

Mat. 27 v. 51.

Hilar. Can. 33. in Matth.

Chryſo. Hom. 60. ad pop. Antioch. poſt prin.

1. Cor. 11 v. 28.

Sedul. in Collect. ad Epiſt. 1. Cor.

illud mittere audet, quantò magis in cor pollutum?

Verba diuina veneranda. 11. ALIQVANDO PEDIBVS CONCVLCANTVR.] Omnem exhibent honorem Dei verbis viri ſancti: quem enim quis veneratur, eius ſermonem non contemnit. *Maria conſeruabat in corde omnia verba*, quæ de Chriſto dicebantur. (Lucæ 2. v. 51.) Regius Pſaltes non in chartis aut tabulis verba Dei portabat, ſed tamquam melle dulciora in ore ruminabat. *Quam dulcia*, inquit, *faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo.* (Pſal. 118. v. 103.) Nec mirum, quia *fauus diſtillans labia* Dei, *mel & lac ſub lingua eius.* (Cant. 4. v. 11.) Quare nihil tam timuit Propheta, quàm vt ab eo auferrentur, & dulciſſimo hoc oris condimento priuaretur; proinde & enixè deprecatus eſt: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque.* Nec ſolùm ea in ore gerebat, verùm & in corde, in ipſo vitæ fonte abſcondebat. *In corde meo*, ait, *abſcondi eloquia tua.* Hinc omnis meditatio, conſilium, & cogitationes terminabantur in Dei ſermones; in quibus adeò vtiliter meditatus eſt, & tam ſana ex eis eruebat conſilia, vt faſſus ſit: *Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.* Sed quàm pauci ſunt, qui nunc Dei verba hoc in pretio habeant? *Non quicumque hoc dicit*, inquit Ambroſius, *imo rarus hoc dicit.* (Ambroſ. in Pſalmú 118.) *Sed nec Chriſtus hunc reperit, niſi de iis quos ipſe docere dignatus eſt. Petrus hoc dixit, & probauit effectu, quia pluris legem quam aurum habuit; ideoque ait: Aurum & argentum non habeo.* (Actor. 3. v. 6.) *Non auarus hoc dicit, qui defoſſo auro incubat. Non dicit pecunioſus, qui quotidiana emolumenta ſollicito rimatur affectu, qui quotidie opes aggerat, qui hereditatis tendit aucupia, qui circa ægrotantis lectulum indefeſſas exercet excubias.* Inuenies nunc qui durius illud terræ coagulum in corde recondat, & qui diuinum verbum pede conculcet. Hominum pedibus Deus terram ſubiecit, verbum Dei dixit ſemen in corde ſerendum: at ipſa viſcera terræ, pallentem & pudoroſiùs ſe abſcondentem terræ duritiem, homines in pretioſo cordis theſauro reponunt. Dei templum his idolis polluunt; & cedit non Dagon Arcæ, ſed Arca Dagoni. Proſtratam videbis in terra Dei legem, & viliter contempta diuina mandata: at ſeriò cuſtodita, & anxiè obſeruata, quæ nec videri voluit natura, ſed alta ſub terra defodit. Quanta autem fuerit Franciſci obſeruãtia erga verba diuina, vel ex eo liquet, quòd communem fecerit Sermonem de reuerentia exhibenda Dei Corpori, & verbo, & inſimul arguat pollutos Euchariſtiæ miniſtros, & qui Dei verba habebant contemptui. Non diſſimiliter Origenes, ex huius Sacramenti veneratione, eamdem Dei verbo tribuendam probauit: nec minoris eſſe ait criminis illud, quàm hoc contempſiſſe. *Volo*, inquit, *vos admonere Religionis veſtræ exemplis.* (Origenes Hom. 13 in Exod.) *Noſtis qui diuinis myſteriis intereſſe conſueuiſtis, quomodo cum ſuſcipitis Corpus Domini, cum omni cautela & veneratione ſeruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne cõſecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos eſſe creditis, & rectè creditis, ſi quid inde per negligentiam decidat. Quod ſi circa Corpus eius conſeruandum tanta vtimini cautela, & meritò vtimini; quomodo putatis minoris eſſe piaculi, verbum Dei neglexiſſe, quàm Corpus eius?*

12. NON MOVEMVR DE HIS OMNIBVS

Ingrati homines erga immenſum benefactorem.

NIBVS PIETATE.] Quàm pius ad releuandas noſtras miſerias Deus, quàm inhumani nos in tam egregium benefactorem! Terram, & quidquid in terra eſt, hominis ſubiecit imperio; hominibuſque, pro hominibus cælo inſerendis, cæli dedit poteſtatem: quidquid ſub Deo eſt, in hominis dedit obſequium, & veluti hominis amore extra ſe factus, totum ſemetipſum in hominem profudit. O Deum (ſi fas eſt dicere) prodigum ſui! ô homines, vel ſui affectus auaros! Tam ingentia beneficia non mouent ad gratitudinem? Saltem vltimi & omnium maximi vel ipſæ circumſtantiæ excitent ad pietatem. Tranſiturus de mundo infami & ingrato, qui eum non agnouit, ad Patrem, in vigilia horrendæ Paſſionis ab hominibus inferendæ, in nocte qua à diſcipulo tradebatur, qua à ſuis derelinquebatur, qua tot opprobria erat paſſurus; vicit amor noſtras iniquitates, ſuperauit benignitas malitiam: & veluti pugnante cum noſtra ingratitudine eius beneficentia, ac prædominante noſtris peccatis Chriſti charitate, quando eum curabamus tollere de terra viuentium, tunc adinuenit modum, quo ſe in terra relinqueret, vt nos viueremus. Conſiderauit hæc breuiter Paulus in illis verbis, quæ huius Sacramenti inſti-

1. Cor. 11 v. 23. tutioni præfixit. *Dominus Ieſus*, inquit, *in qua nocte tradebatur, accepit panem*, &c. *Cur nobis*, interrogat

Chryſo. Hom. 27 in 1. Cor. Tom. 4. Chryſoſtomus, *reuocat in memoriam, & veſperam illam, & proditionem? Non abs re*, reſpondet, *neque ſine ratione aliqua, ſed vt ſupra modum compungeret etiam a tempore. Nam etſi quis ſit planè lapis, ſi illius noctis illi venerit in mentem, quomodo erat triſtis cum ſuis Diſcipulis, quomodo fuit traditus, quomodo vinctus, quomodo abductus, quomodo iudicatus, quomodo cetera omnia, quæ ſequuntur, paſſus, ſit cerâ mollior, & à terra recedit.* Qui ad tanta beneficia non vincimur, ſaltem his reſpectibus pietate moueamur.

Aeterno ſupplicio puniendi indignè manducantes.

13. DEBEMVS VENIRE IN MANVS EIVS.] Modò ſe tradit ille in manus noſtras, alias nos oportet venire in manus ſuas. Ex nobis diſcet quomodo nos tractet: noſtræ humanitatis vel crudelitatis in ſuo Corpore facit periculum, vt in noſtrum poſteà impertiat miſericordiam, vel exerceat iuſtitiam. Si leuem vis Dei ſentire manum in iudicio, mundam habeto tuam in Altari. Dignum iudicabis æternum Iudæ ſupplicium, qui Dominum tradiderit: iniuſtum putabis iudicium, ſi tu indignè eumdem manducans gehennæ tradaris?

Chryſo. Hom. 60 ad pop. Ant. poſt princ. *Conſidera quantum aduerſum proditorem indignaris, contra eos qui crucifixerunt. Itaque conſidera, ne tu quoque ſis reus Corporis & Sanguinis Chriſti. Illi ſanctiſſimum Corpus iugularunt, tu vero polluta ſuſcipis anima poſt tot beneficia.* Illi iam luerunt pœnas; tuæ differuntur, ſed non auferentur. Creſcit ignis in camino, dum tu ſordeſcis in Altari.

Orig. in Pſal. 37. *Communicare non times Corpus Chriſti, quaſi mundus & purus; & putas, quod effugies iudicium Dei?* Certè non euades, debes venire in manus eius.

An Minoribus pretioſis vtendum ſit calicibus.

14. IN LOCO PRETIOSO REPONAT.] Sunt qui iudicẽt, Franciſcum in tantum paupertati addictum, vt nec miniſterialia vaſa Corporis & Sanguinis Domini voluerit pretioſa. Contrarium mihi indicat hic locus, & alius fermè idem in ſuo Teſtamento. Primos itidem Eccleſiæ

 Patres

Patres lego paupertatis ſectatores, ſed fuiſſe etiam in pretioſis vaſis ſolicitos Dominici Corporis veneratores. In multis Germaniæ Monaſteriis vetuſtioribus extant adhuc antiquæ fiſtulæ aureæ, vel argenteæ, quibus olim tutiùs hauriebatur ex calice Sanguis. Baſilius Magnus Monachorum Orientalium Pater, & paupertatis, ſi quis alius, commendator, in columba aurea ſuper Altare conſeruabat Chriſti Corpus, vt ex Amphilochio refertur in margine Concil. Conſtantinop. in Dijtico celebrati ſub Menna, in interregno Pontificio, extincto Agapeto, an. 536. Act. 5. Sub Chryſoſtomo, magno paupertatis præcone, calices fuerunt aurei, & gemmati, & aurea parabantur pallia in menſa ſternenda, vt ipſe docet Homil. 60. ad pop. Antioch. ante med. In paſſione Polycarpi Martyris, Apoſtolorum diſcipuli, & Apoſtolicæ paupertatis ſectatoris, meminit Greg. Turonenſis turris argenteæ, ad circumgeſtationem Euchariſtiæ paratæ. Tres accepit à Conſtantino Silueſter calices aureos, & tam inſignia vaſa ac ornamenta, vt occulta propter Vrbis obſidionem, & inuenta à Gothis, capta iam Vrbe ab Alarico, præ magnitudine, pulchritudine, pondere, & diuerſitate ipſos raptores Gothos attonitos reddiderint; & ab iiſdem, diuino Numine ita diſponente, cum honore reſtituta ſint, vt ex Oroſio lib. 7. cap. 39. refert Baronius ad an. 324. n. 64. Suo etiam tempore aureos fuiſſe calices, apertè ſignificat Ambroſius libro 2. Officiorum, cap. 28. Ante mille annos relictus eſt in Eccleſia Rhemenſi calix aureus, hoc circùm exarato verſu:

Hauriat hinc populus vitam de Sanguine ſacro.

Et Prudentius lib. περὶ στεφάνων, perſecutorum interpellationes ad Laurentium de calicibus & vaſis aureis reuelandis & habendis, his Carminibus deſcribit:

Hunc eſſe veſtris Orgiis
Moremque & artem, proditum eſt,
Hanc diſciplinam fœderis,
Libent vt auro Antiſtites:
Argenteis ſcyphis ferunt
Fumare ſacrum Sanguinem,
Auroque nocturnis ſacris
Aſtare fixos cereos.

Gregorius Turon. in Commentariolo de Gloria Martyrum dicit, multa ſacra miniſterialia vaſa ex argento confecta, inuenta eſſe, dum crypta illa, in qua fideles Sacra agentes, occulti fuerant, refoderetur. Sancti viri communiter in ſe pauperes, in Altario, quà poſſunt, ſunt locupletes; in ſe parci, in Deum numquam ad votum liberales: nihil tam pretioſum, quo non pretioſiori dignum iudicent Dominicum Corpus & Sanguinem.

15. COLLIGANTVR, ET IN LOCO, &c.] Idem moriens in Teſtamento ſuis Fratribus commendatum enixè voluit. Vide Adnotat. in Teſtamentum n. 11.

16. SECVNDVM PRÆCEPTA DOMINI.] Præcepta ait extare diuina de non polluendis Dei nominibus, aut contemnendis diuinis verbis, & de digna veneratione, ſeu pura ſumptione Corporis Dominici. Et quidem de Dei nominibus non contaminandis lex ſtatuta eſt Leuit. 18. v. 21. cap. 19. v. 12. & cap. 22. v. 32. & quàm ſæpiſſimè de Dei nomine exaltando præceptum tibi occurret in ſacra Scriptura. De Dei verbis ob-

obſeruandis, & in pretio habendis, multa etiam habes præcepta in Sacro textu, præcipuè Exod. 18. & Deuteron. 6. De pura autem ſumptione & digna manducatione Corporis Chriſti in gratia, & abſque peccato, licet nullum Domini, præter illud Pauli Apoſtoli, præceptum ſcriptum extet; ex diuino tamen naturali, quod ab ipſo Chriſto Apoſtolis traditum ſit, ad hoc teneri homines, docẽt Theologi ad 3. p. D. Thomæ, quæſt. 80. art. 5. Cùm enim cibus ſit ſpiritualis hoc Sacramentum, & cibum non percĩpiant niſi viui; ex natura ipſius Sacramenti requirit, docuitque Chriſtus, non niſi à viuis, vel vita ſpirituali gratiæ fruentibus, manducandũ eſſe. Non verò ſufficere ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem ſtatum gratiæ, vel contritionem præmittere, ſed etiam Sacramentalem confeſſionem prærequiri in eo qui conſcius eſt alicuius peccati mortalis à ſe commiſſi, definiuit Concil. Trident. Seſſ. 13. cap. 7. & Can. 21. illudque colligi docuit ex verbis Pauli 1. Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo.* quantumuis contrarium aſſeruerit Caietanus. An verò præextiterit ante Concilij definitionem aliquod præceptum, vel quale illud fuerit, de præmittenda hac Confeſſione, diſputant Doctores. Ego iis aſſentior, qui non ſolùm Eccleſiaſticum, verùm & diuinum, ſed poſitiuum, de hac re fuiſſe volunt præceptũ (quibus etiam adnumerari poteſt noſter hic Auctor) eiuſque traditionem rectè probari ex Eccleſiæ conſuetudine & Pauli verbis citatis, ſanctorumque Patrum ſententiis. De quo vide Gabrielem Vazq. in 3. part. diſput. 207. cap. 3. & 4. & Auctorem noſtrum Tom. 2. Regula 1. cap 20. Alij vlteriùs ad debitã huius Sacramenti ſumptionem, effectuſque eius conſequendos, præter ſtatum iuſtificationis requirunt maiores diſpoſitiones, & affectum deuotionis ex pia aliqua conſideratione profectum. Pro his vide Caiet. 1. 2. q. 113. art. 3. & 3. part. quæſt. 80. art. 1. Contra hos lege Cordubam lib. 1. q. 8. & Vazq. diſput. 206.

Præceptũ de præmittenda confeſſione Euchariſtiæ ſumptioni, quale ſit.

17. CONSTITVTIONES SANCTÆ MATRIS ECCLESIÆ.] Multa de his ſtatuit Clemens Papa Epiſt. ad Iacobum Domini fratrem (modò illius ſit) & circa hæc plures ſunt Conſtitutiones in Iure Canonic. De conſecrat. d. 1. cap. Altaris. cap. Nemo. cap. In ſancta. c. Veſtimenta. c. Vaſa. cap. Vt calix, aliiſque pluribus in locis. Ipſo D. Franciſci tempore multa decreuit (forſan huius ſuaſu) Honorius III. cap. Sanè. De celebr. Miſſarum. Vel ex hac ſola Epiſt. & num. præcedenti facilè colligi poteſt, an tam omnis litteraturæ ignarus fuerit Franciſcus, vt quidam volunt, quem nec profundiora diuina præcepta latebant, nec Pontificiarum Conſtitutionum ſubterfugiebat notitia.

18. QVI IPSVM FECERIT EXEMPLARI.] Dei benedictionem deprecatus eſt, & impetraſſe facilè creditur iis, qui debita hæc obſequia exhibentes diuinis myſteriis, Epiſtolam ipſam tranſcriberent, & ad alios tranſmitterent. Mos autem erat in Eccleſia, vt ſuperiùs dixi n. 1. in Epiſt. 1. & 3. has encyclicas literas ſcribendi, quæ per manus ſingulis traditæ, vniuerſum orbem circumirent.

Literæ encyclicæ familiares antiquis Patribus.

EPISTOLA XIV.

AD VNIVERSOS CVSTODES FRAT. MINORVM.

ARGVMENTVM.

HVIVS & ſequentis Epiſtolæ meminit Vincentius Blaſcus Tomo vltimo Hiſtor. Eccleſ. Regni Aragonenſis, cap. 5. & clariùs alio Tomo adhuc non emiſſo in lucem, ſub Rege Iaimio. Eas Hiſpano idiomate tranſcriptas ad me detulit ex ciuitate Cæſarauguſtana, in qua à B. Ioannis Parentis tempore aſſeruantur, R. P. Antonius Daza, mihi perquàm ſpectabilis amicus, dum in huius Curiæ Commiſſarium venit in vrbem. Præmiſſâ diuini & humani iudicij differentiâ, Fratrum Cuſtodibus commendat ſanctus vir, vt ſuas literas Eccleſiaſticis & ſæcularibus Poteſtatibus porrigant. Ego humili ſermone Latinas feci.

Vniuerſis [1] Cuſtodibus Fratrum Minorum, ad quos iſtæ literæ peruenerint, Fr. Franciſcus minimus ſeruorum Dei, ſalutem, & ſanctam pacem in Domino.

SCITOTE [2] quòd in conſpectu Dei ſunt quædam res nimis altæ & ſublimes, quæ aliquando reputantur inter homines pro vilibus & abiectis; & aliæ ſunt charæ & ſpectabiles inter homines, quæ coram Deo tenentur pro viliſſimis & abiectis. Rogo vos coram Domino Deo noſtro quantum poſſum, quòd [3] literas illas, quæ tractant de ſanctiſſimo Corpore & Sanguine Domini noſtri, detis Epiſcopis, & aliis Clericis, & memoria retineatis [4] quæ ſuper his vobis commendauimus. [5] Aliarum literarum, quas vobis mitto, vt eas detis Gubernatoribus, Conſulibus & Rectoribus, & in quibus continetur, vt publicentur per populos & plateas Dei laudes, facite ſtatim multa exemplaria & copias, & cum magna diligentia eas porrigite illis quibus debeant dari. Valete in Domino.

ADNOTATIONES IN EPIST. XIV.

1. CVSTODIBVS FRATRVM MINORVM.] Prouinciarum Rectores aliquando vocaſſe ſanctum Patrem Cuſtodes, aliquando Miniſtros, notaui in Epiſtola 9. n. 1. Frequentiùs autem hoc nomine ij ſignificantur, qui ſub Miniſtris Prouincialibus plurium curam gerunt Monaſteriorum, non verò totidem vt integram conſtituant Prouinciam. Strictioris etiam Obſeruantiæ in Italia Superiores, qui Guardianis immediatiùs præſunt, ita nuncupantur.

2. IN CONSPECTV DEI SVNT QVÆDAM, &c.] Non diſſimiliter diſcrimen hoc inter Dei & hominum iudicia expreſſit Auguſtinus, dicens: *Multa facta, quæ hominibus improbanda videntur, teſtimonio Dei approbata ſunt; & multa laudata ab hominibus, Deo teſte damnantur.* Vterque magiſtro vſus eſt Paulo, dicente: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus.* Nónne Deus fatuam hominum oſtendit æſtimationem? *Nonne ſtultam fecit ſapientiam huius mundi?* Nónne illorum, qui ſibi ſapientes videbantur, doctrinam irritam fecit? & ſuam, quæ Iudæis videbatur ſcandalum, Gentibus verò ſtultitia, ſublimem & ſalutarem triumphali gloria ſuper omnia Philoſophorum dogmata & vana ſophiſmata exaltauit? *Quantum laborauit Plato (& eius aſſeclæ) de linea, & angulo, & puncto, & numeris paribus & imparibus, & inter ſe æqualibus & inæqualibus, & de iis quæ ſunt huiuſmodi, differens? quæ ſunt nobis aranearum tela: ea enim non magis quàm illæ telæ, vitæ proſunt; & cùm deinde nec paruam nec magnam attuliſſet vtilitatem, vitam finiuit. Quantum laborauit conans oſtendere, quod anima ſit immortalis? & cùm euidens nihil dixiſſet, & nulli auditori perſuaſiſſet, ſic exceſſit. Crux autem perſuaſit per homines imperitos, & perſuaſit toti orbi terrarum, nec de rebus quibuſlibet, ſed de Deo differens, & vera pietate ac Religione, & de Euangelicâ vitæ inſtitutione, & futuro Iudicio, & ruſticos & indoctos fecit omnes Philoſophos. Vides quemadmodum quod Dei ſtultum eſt, eſt ſapientius hominibus; & quod eſt imbecillum, fortius?* Humile hominis iudicium Dei cogitationes non aſſequitur; incomprehenſibilia ſunt tenui hominis ingeniolo ſublimia & profunda Dei myſteria. Eius opera dum tantumdem noſtrum præteruolant captum, dum tam longè diſtant à noſtri intellectus acumine, tamquam obiecta à longè poſita, parua nobis apparent, & quantum in ſe ſint egregia, non apprehendimus: imò quò in ſe maiora ſunt, eò nobis minora videntur, dum ea minùs percipimus. *Proinde ſi res Dei velimus externa oſtendere ſapientia, multus ſequetur riſus, non propter rerum imbecillitatem, ſed propter hominum amentiam; res enim magnas ratio nulla poteſt oſtendere.* E conuerſo, quantumcumque res noſtræ maximæ ſint, Deo nullatenus magnæ poſſunt videri. Ad infinitum enim Dei intellectum nimis inadæquata & minutula erunt obiecta; & ad immenſam illam & vaſtiſſimam Dei viſionem, tamquam atomi in radio Solis comparabuntur. Quæ ſua ſunt in nobis gratiæ

Augu. 5. Conf. c. 4 Tom. 1.

1. Cor. 1. v. 25.

Ibidem.

Chryſo. Hom. 4. in 1. Cor. cap. 1. Tom. 4.

Ibidem.

gratiæ opera, & quæ à Deo procedunt vt ad Deum à nobis dirigantur, tamquam immenſæ magnitudinis participatio apparebunt; nec tunc deerit ad dignum & fauorabilem rerum noſtrarum aſpectum, inter res ipſas, quantumuis humiles, & diuinæ maieſtatis oculos, glorioſa & pulchra proportio. Hanc autem diuini iudicij à noſtro diſcordiam præfixit in hac Epiſtola ſanctiſſimus Pater, vt humiles quas mittebat literas porrigendas Principibus, & populi Rectoribus, non contemptibiliter iudicarent Cuſtodes ex ſtyli tenuitate & argumentorum breuiuſcula ſinceritate; ſed intelligerent, quòd per pauca & humilia illa verba, quæ mundani facilè deſpicerent, faciliùs Deus hominum corda poſſet cõuertere in melius, & emollire, vt ſuis ſectatoribus domunculas & habitacula vellent conſtruere; quod reipſa euidenter poſteà conſtiterat. Etenim vbique lectis ſancti viri Epiſtolis, non tam annuebant fieri apud ſe Minorum Cœnobia, quàm rogabant, & curabant vt conſtruerentur. Ita teſtatur Illuſt^mus D. Gonzaga à me ſtatim citandus: ait enim, quòd Magiſtratuum Cæſaraugustanorum, his literis perlectis, tantus ad Patrem Franciſcum affectus inceſſit animos, vt ſtatim de conferenda miſſis ab eo Fratribus habitatione, inter ſe egerint, & opere conſilium deuotè compleuerint.

3. LITERAS ILLAS, QVÆ TRACTANT DE SANCTISSIMO CORPORE.] Præcedentem intellexiſſe puto Epiſtolam ad vniuerſos Clericos deſtinatam, in qua de digna Chriſti Corpori reuerentia exhibenda agit; nec enim aliam præter hanc licuit inuenire.

4. QVÆ SVPER HIS VOBIS COMMENDAVIMVS.] Non omiſit, quam aliis inculcauit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reuerentiam, filiis etiam intimare tam præſens in Generalibus Conuentibus, quàm abſens per Epiſtolas. Vnam, quam ſolam reperi, ceteris adnumeraui, numero duodecimam.

5. ALIARVM LITERARVM.] Sequentes indicat, ad Rectores populorum tranſmiſſas.

EPISTOLA XV.

AD POPVLORVM RECTORES.

ARGVMENTVM.

HORTATVR *Iudices, & qui præſunt in populis, vt ſepoſita rerum terrenarum ſollicitudine, de ſuis pœniteant reatibus, & populos ſibi commiſſos ad Dei laudem inuitent. Vnum accepi huius Epiſtolæ exemplar Hiſpanum à prædicto Religioſo viro. Aliud mihi occurrit Latinum apud Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Franciſcum Gonzagam in ſuo de Origine Franciſcanæ Religionis libro, in Prouincia Aragoniæ, in principio. Hoc, quod à primo in nihilo fermè diſcrepat, ſubiicio.*

Vni-

Vniuerſis Poteſtatibus & Conſulibus, Iudicibus, atque Rectoribus vbique terrarum, atque omnibus aliis ad quos iſtæ literæ peruenerint, Fr. Franciſcus veſter in Domino ſeruus, paruulus ac deſpectus, ſalutem & pacem omnibus vobis optans.

CONSIDERATE & videte, [1] quoniam dies mortis appropinquat. Rogo ergo vos cum reuerentia, ſicut poſſum, ne propter curas & ſollicitudines huius ſæculi, quas habetis, Dominum obliuioni tradatis, & à mandatis eius declinetis; quia omnes illi qui eum obliuioni tradunt, & [2] à mandatis eius declinant, maledicti ſunt, & ab eo obliuioni tradentur; & cùm venerit dies mortis, [3] omnia, quæ putabant habere, auferentur ab eis; &, [4] quantò ſapientiores & potentiores fuerint in hoc ſæculo, tantò maiora tormenta ſuſtinebunt in inferno. Vnde firmiter conſulo vobis dominis meis, [5] vt omni cura & ſollicitudine poſthabitis, [6] ſanctiſſimum Corpus & ſanctiſſimum Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in eius ſancta commemoratione benignè recipiatis. Et tantum honorem in populo vobis commiſſo, Domino conferatis, [7] vt quolibet ſero annuntietur per nuntium vel per aliud ſignum, quò omnipotenti Domino Deo ab vniuerſo populo laudes & gratiæ referantur. Et ſi hoc non feceritis, ſciatis vos coram Domino Deo veſtro Ieſu Chriſto [8] in die Iudicij reddere rationem. Hoc ſcriptum qui apud ſe retinuerint & obſeruauerint illud, à Domino Deo ſe nouerint benedictos.

ADNOTATIONES IN EPIST. XV.

1. QVONIAM DIES MORTIS APPROPINQVAT.] Volens eos retrahere à nimia ſæculi ſollicitudine, quæ bona ſpiritualia omnino ſuffocat, nullum magis efficax excogitauit medium, quàm mortis

memoriam, & inculcare quod dies vltimus præ foribus eſt. Ita etiam ſacroſancta Mater Eccleſia, vt filios ſuos ſancto Ieiuniorum tempore à peccatis reuocet, & à mundi tumultibus ad interiora & cæleſtium meditationem reducat, in frontibus cinerem, in quem reſoluendi ſunt, affigit, & verba illa addit: *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ab ipſo Deo antidotum hoc peccatorum pia Mater accepit: dum enim in feliciſſimo illo rerum humanarum exordio, quã ſtatuit legẽ, obſeruatu facilem, inuiolabilem cupiuit, nullo altero terriculamento potiori noſtros parentes à peccato
Geneſ. 2. v. 17. auertendos cogitauit, quàm vt morituros minaretur, ſi præceptum præterirent. Ideò homines ſuperbiunt, ideò inter mundi pompas & proſperitates inſaniunt, ideò ſe totos mundi cupiditatibus dedunt, quia
Pſal. 72. v. 4. ſui finis non recordantur, *quia non eſt reſpectus morti eorum*, &c. *ideò tenuit eos ſuperbia.* vbi Hieronymus ex Hebræo legit: *Quia non cogitant de morte, ideò tenuit eos ſuperbia.* & Paraphraſis Chaldaica: *Non terrentur, nec conturbantur propter diem mortis, ideò tenuit eos ſuperbia.* Non eos teneret quaſi captiuos ſuperbia (nec enim dicit, *tenent ſuperbiam*, ſed, *tenuit eos ſuperbia*) non tumeſcerent mundi diuitiis, nec eas anxiò ſpiritu perquirerent, ſi citò ſe peri-
Geneſ. 25 v. 33. turos cogitarent. *En morior*, inquit Eſau, *& quid mihi proderunt primogenita mea?* Citò morituro quid proderũt quæ tanta ſolicitudine collegit? An mortem tolerabiliorem reddent? An vitæ exitum ſuauiorem efficient? Neutiquam, ſed ama-
Eccli. 41. v. 1. riorem. *O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſub tentoriis ſuis!* An ea hinc tranſiturus ſecùm aſſumet? *Cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata* Pſal. 48.
fuerit gloria domus eius, cùm interierit, non ſumet omnia. Vbi notat Chryſoſtomus, non dici, *cùm multiplicata fuerit gloria eius*; ſed *gloria domus eius.* Chryſoſt.
Nam, inquit ſanctus Doctor, *omnia quæ habebat, porticus, ambulatoria, aurum, argentum, diuitiæ, equi, ſtragulæ, veſtes, & indumenta, ſunt gloria domus, non verò hominis, qui habitat domum. hominis enim gloria eſt virtus, quæ hinc recedit vnà cum ipſo poſſeſſore.* Curanda proinde magis anima, quæ tua eſt, & te comitatur ad præmium & ad ſupplicium, quàm domus tua, quæ poſt te remanebit, forſan non tam tuis, quàm extraneis. *Nónne aliis relinques dolores, & labores tuos in diuiſione ſortis? Da, & accipe, & iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi.* Eccli. 14. v. 15.
Quandocumque ergo tuum ſubierit animum rerum harum caducarum concupiſcentia, quæ à meditatione cęleſtium impediat, conſidera, te tamquam arboris viridis folium, in hieme citò ſuperuentura caſurum. Auerte cogitationes inanes, & te conuerte ad diuinas: anxietates ſæculi tolle; & vt res animæ cures, *memor eſto quoniam mors non tardat.* Eccli. 14. v. 12.
Bonum boni rememoratiuum mors, & egregium concupiſcentiarum exſtinctiuum. *Si quando ergo concupiſcentiam aliquam inhiaueris, cogita quomodo hinc ſis diſceſſurus; ſi cogitaueris quòd diſſoluendus ſis in terram, ceſſabit inſana concupiſcentia.* Baſil. in Hexaëm. Conc. 11.

2. A MANDATIS EIVS DECLI-

CLINANT, MALEDICTI SVNT.] Verba hæc tranſpoſuit ex Pſalm. 118. quibus etiam ad ſimile argumentum vſus eſt Epiſtola 2. encyclica ad vniuerſos Chriſti fideles, cap. 3.

3. OMNIA QVÆ PVTABANT HABERE, AVFERENTVR AB EIS.] Vt quid, ô noſter, non dicis aſſertiuè, *quæ habebant, auferentur ab eis*; ſed in incertum, *quæ putabant habere*? An non habent plura bona, etiam in die mortis, huiuſmodi mundani? An falsò fortaſſe dicunt ſe habere, quæ obfirmatis clauſerunt in ærariis? An vana eſt falſa eius opinio, cuius ager dum vberes fructus attulit, cogitauit intra ſe, dicens: *Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare?* Falſam vtique & vanam optimus hic noſter Magiſter hanc indicat opinionem, dum quæ non habent homines, ſe putant habere. Non eſt vera poſſeſſio, ſed opinio falſa. Nónne hoc expertus eſt ipſe ille gloriabundus & inanis animæ adulator, qui in plurimos annos multa bona congeſta iactauit; an non verè audiuit cũ ſui nominis opprobrio, ſed proprietate: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem paraſti, cuius erunt?* Non certè illius, qui ſe putabat diuturnum poſſeſſorem. *Quæ paraſti* inquit, nõ *quæ poſſediſti*: nam impij & ſtulti diuitiarum congregatores quantumcunque laborent, & ſe aſſidua & laborioſa collectione affligant, vt loculos ſibi reponant, non proinde plura poſſident nihilo ditiores. *Eſt homo laborans & feſtinans & dolens, & tantò magis non abundabit.* Non abundabit magis, quia dum multa ſe habere putat, nihil habet: falſa tantùm ſuſtentatur opinione: ſolum hoc habet ſolatij, quòd vana habendi meditatione ſe paſcit. *Eſt qui locupletatur parcè agendo.* Et quid demum? An verè diues? An ſolidam & ſecuram habet ſubſtantiam? An dulces ex repoſitis theſauris carpet fructus? *Hæc eſt pars mercedis illius, in eo quòd dicit: Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis ſolus: & neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet, & relinquet omnia alijs.* Inaniter ergo gloriantur de diuitiis ſuis, qui quas non tam habent, quàm quæ per illos tranſuolant ad alios; ad delicias & luxus quos affectant, ſemetipſos fallentes, ſibi promittunt reconditas. Illa ſola illorum pars, quòd vana ſpe, & falſa opinione, veluti vento paſcuntur. Optimè id agnouerunt, qui dixerunt: *Diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam; cuius cùm præterierit non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ eius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ tranſuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantùm ſonitus alarum verberans leuem ventum; & ſcindens per vim itineris, aerem commotis alis tranſuolauit, & poſt hoc nullum ſignum inuenitur itineris illius: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aer continuò in ſe reclusus eſt, vt ignoretur tranſitus illius.* Egregiæ certè & veræ fallacium diuitiarum ſimilitudines, quæ ſtultos & cæcos decipiunt, & fatuis blandiuntur, eouſq; felicitatem promittentes, donec ſincero cognoſcantur iudicio. Afficiuntur quodã lethargo mundani, & veluti dormientes omnino

Lucæ 12. v. 18.

Eccli. 11. v. 11.

Ibidem.

Sap. 5. v. 8.

requieſcunt, & iacent inter præſentia & apparentia bona, tunc ſe diuites & glorioſos inaniter putantes. At ſi è pernicioſo hoc ſomno euigilent, facilè videbunt quàm verè ſomniauerint, & quàm vanè poſſederint. (Pſal. 75. v.6.) *Dormierunt*, inquit Pſaltes, *ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.* Dum tentare voluerunt, dum experiri an quas ſomniauerunt ſe manibus habere diuitias, ſecurè poſſederint; inuenerunt vacuas manus ſuas, velut vmbra præterierant, quæ putabant habere. Sic illis facta ſunt iſta præſentia delicioſa, (Auguſt. in Pſalmum 75. Tom. 8.) *quomodo qui videt per ſomnium inueniſſe ſe theſauros, tamdiu diues, quamdiu non euigilet. Somnium illum diuitem fecit, euigilatio pauperem fecit. Tenuit illum ſomnus fortaſſe in terra dormientem, & in duro iacentem, pauperem, & fortè mendicum: in ſomnis vidit ſe iacere in lecto eburneo vel aureo, & in plumis aureis altiùs extructis. Quamdiu dormit, benè dormit; euigilans inuenit ſe iacere in duro in quo illum ſomnus tenuerat. Tales ſunt & iſti: venerunt in hanc vitam, & per cupiditates temporales quaſi obdormierũt hîc, & exceperunt illos diuitiæ & vanæ pompæ volaticæ, & tranſierunt.* Mendaces has & vanas ſæculi diuitias ſecum aliàs perpendens Pſalmographus, anxietatem & ſollicitudinem hominum in iis aggregandis clamans taxauit: (Pſalm. 4. v.3.) *Filij hominum vſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* vbi Titelmannus: (Titelmannus hîc.) *Propter quid, quæſo, cor apponitis vanitatibus, & ex affectu ſectamini mendacium? hoc eſt ea quæ carnis ſunt & mundi, quæ reuerà nihil aliud quã vanitas ſunt & mendacium, in quibus nihil eſt veræ ac ſolidæ bonitatis, & quæ ſuos ſectatores miſerè decipiunt.* Similiter Chryſoſtomus: (Chryſo. Conc. 4. de Lazaro.) *Quemadmodum conſpicientes*, inquit, *in pariete pictum diuitem ac pauperem, nec illi inuidemus, nec pauperem deſpicimus, eò quòd quæ videmus, rerum vmbra eſt, non veritas: ſic & diuitiarum & paupertatis gloria & ignominiæ, aliarumque rerum omnium, ſi eorum naturam pernouerimus, liberabimur à perturbatione, quæ ex eis in nobis gigni ſolet: hæc enim quauis vmbrâ ſunt fallaciora.* Appoſito exemplo rem expreſſit Cordubenſis Philoſophus: (Senec. Epiſt. 110 ad fin.) *In quodam apparatu* (Circenſi ſcilicet) *vidi*, ait, *totas opes vrbis, cælatas ex auro & argento, & his quæ pretium auri & argenti vicerunt, exquiſitos colores & veſtes, vltra non tantùm noſtrum ſed vltra finem hoſtium aduectas, & alia quæ res ſuas recognoſcens ſummi imperij fortuna protulerat. Quid hoc eſt, inquam, quàm irritare cupiditates hominum, per ſe incitatas? Quid ſibi vult hæc pecuniæ pompa? ad diſcendam auaritiam conuenimus. At me hercules minus cupiditatis illinc effero quàm attuleram. Contempſi diuitias, non quia ſuperuacuæ, ſed quia puſillæ ſunt. Vidiſtine quàm intra paucas horas ille ordo, quamuis lenius diſpoſituſque, tranſierit? Hoc totam vitam noſtram occupabit, quod totum diem occupare non potuit? Acceſſit illud quoque: tam ſuperuacuæ mihi viſæ ſunt habentibus, quàm fuerant ſpectantibus. Hoc itaque mihi ipſi dico, quoties tale aliquid perſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita colonibus: Quid miraris? quid ſtupes? pompa eſt. Oſtenduntur iſtæ res, non poſſidentur; & dum placent, tranſeunt.*

4. QVAN-

4. QVANTO SAPIENTIORES ET POTENTIORES, TANTO MAIORA, &c.] Ita clarè docuit Spiritus ſanctus, iis fermè verbis: *Potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior inſtat cruciatio.* Cuius aliqualem reddit rationem Abulenſis, dum interrogat, Quare Iura humana minùs puniunt nobiles quàm ignobiles, Deus autem in inferno è conuerſo? Et reſpondet, *quòd aliquando nobiles & ignobiles non habent eamdem legem, ſed plura conceſſerunt Iura nobilibus quàm ignobilibus, & alio modo pro eodem delicto puniuntur iſti quàm illi; in inferno autem non obſeruabuntur iſta priuilegia, ſed potentes potenter tormenta patientur, & Iudicium duriſſimum fiet his qui præſunt. Ratio*, inquit, *diuerſitatis eſt, quia Deus qui ad voluntatem ſuam poteſt cuncta agere, cùm ſit ei idem velle quod poſſe & facere; conſiderat demerita cuiuſlibet in ſe, & ſecundùm illa puniuntur.* Sufficiens ſanè hæc ratio, vt dicatur Deus non acceptare perſonas, ſed ſecundùm delicti menſuram eſſe & plagarum modum. Commodiùs tam ad ipſam quæſtionem, quàm ad noſtri Auctoris mentẽ locum hunc verſat Iſidorus Hiſpalenſis. *Quantò*, inquit, *quiſque eſt ſplendoris honore excellentior, tantò ſi delinquat peccator eſt maior. Proinde potentes potenter tormenta patientur: quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, & cum vſura pœnarum.* Ideò verò peccatum potentum & Principum eſt maius, *quia vitam ſubditorum facilè exemplis ſuis vel ædificant vel ſubuertunt.* & quò ſapientiores ſunt qui peccant, eò minùs excuſantur, dum non ignoranter, ſed malitiosè peccant; & grauiùs puniuntur, dum ſuo prauo exemplo alios ad peccandum alliciunt, qui putant id facilè licere, quod facilè vident à ſapientiore patrari.

Sap. 6. v. 7. — Abulenſ. quæſt. 8. in cap. 1. Deuter. — Iſid. l. 3. Senteut. c. 11.

5. VT OMNI CVRA ET SOLLICITVDINE POSTHABITIS, SANCTISSIMVM CORPVS, &c.] Aliter habet exemplar Hiſpanum: *Que deſechado todo otro cuydado y ſolicitud, hagais penitençia verdadera, y reçibais el ſantiſſimo Cuerpo, &c.* Ita vt etiam ad veram pœnitentiam peccatorum, demum ad ſanctam Communionem eos adhortetur.

6. SANCTISSIMVM CORPVS ET SANCTISSIMVM SANGVINEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI IN EIVS SANCTA COMMVNIONE BENIGNE RECIPIATIS.] Hiſpanus interpres pro Aduerbio *benigne*, tranſtulit, *con grande humildad.* Ceterùm cùm Franciſcus hîc omnibus Rectoribus vtriuſque ſpecici communionem commendet, videtur Epiſtola ſcripta indifferenter tam ad Eccleſiaſticos quàm ſæculares Dynaſtas. Quod clariùs confirmat Zurita in ſuis Annal. Tom. 1. lib. 2. cap. 73. & Illuſtriſ. Gonzagæ ſuprà citati narratio, qui ante ipſius Epiſtolæ exemplar, eam ad Magiſtratus & Epiſcopos datam affirmat; & paulò ſuperiùs dicit, beatum Ioannem Parentem, harum literarum in Aragoniam latorem, ſe præſentaſſe Cæſarauguſtano Archiepiſcopo, ac vtrique Senatui, ſæculari ſcilicet atque Eccleſiaſtico, & coram illis eas expandiſſe; vnde accommoda diſtributione, vt vocant Theologi, ſeu per Synecdochen, dicendus eſt loqui hîc ſanctus Patriarcha ad ſolos Eccleſiaſticos, vt

vt Corpus manducent, & Sanguinem bibant. Vel aliàs, ſi ad ſolas Poteſtates ſæculares Epiſtolã ſcriptam contendatur, probeturque tum ex ipſa inſcriptione, tum quòd inſimul aliàs miſerit ſanctus Vir ad ſtatus Eccleſiaſtici viros, planè locus hic oſtendit non plenè fuiſſe Franciſci tempore ſublatam illam primitiuæ Eccleſiæ conſuetudinem, de communione laicorum ſub vtraque ſpecie; idque apertè confirmant, ipſius Franciſci Teſtamentum illis verbis: *Niſi ſacratiſſimum Corpus & ſanctiſſimum Sanguinem ſuum, quem ipſi conficiunt, & aliis adminiſtrãt.* Alexander

Alenſ.

Alenſis 4. part. quæſt. 11. a. 4. & in Commentar. in cap. 6. Ioan.

D.Tho.

& D. Thom. q. 80. art. 12. in corpore. & in Poſtilla in Ioan. cap. 6. lect. 7. dum dicunt, in aliquibus Eccleſiis adhuc ſua ætate miniſtratum, in communione laicali, & Corpus & Sanguinem. Iam autem paulatim declinabat hæc conſuetudo; nam

Petrus de Tarant.

Petrus de Tarantaſia, poſteà Innocentius V. Angelici Doctoris ſynchronos, licet ei aliquibus annis ſuperuixerit, in 4. diſt. 11. ait, ſolos miniſtros Altaris cõtinuè poſt Miſſæ ſacrificium tunc communicaſſe Carni & Sanguini; idque vel his ipſis permiſſum, quia maiorem cautelam & reuerentiam in non effundendo Sanguine ſeruabant. Poſteà redactum hunc communicandi morem ad ſolas illas Eccleſias, vel Monaſteria, in quibus cautiùs & abſque periculo effuſionis offerebatur communicantibus Sanguinis Dominici Calix, indicat eadem diſt. quæſt. 1.

Petrus de Palud. Scotus.

Petrus de Palud. qui ad an. 1330. floruit. At Scotus, qui anno 1308. obiit, ead. diſtinct. quæſt. 3. videtur ſupponere iam omnino abolitam Calicis communionem. Namque ante reſponſionem argumentorum principalium, reſpondens ad argumentum de integritate Sacramenti, ait: *Illa integritas requiritur in conſecratione, ita quòd nullus conſecret Corpus, niſi conſecret etiam Sanguinem; non autem requiritur in quacumque perceptione; quia laicus percipit benè Corpus, & non Sanguinem.*

Lyra

Et certè Lyra in cap. 6. Ioan. ad illa verba, *niſi manducaueritis*, &c. ait quod iam prouidè ordinatum erat in Eccleſia, vt fideles non communicarent ſub ſpecie vini propter periculum effuſionis. At cùm Paludanus, Lyrano aliquantulùm poſterior, vt quidam volunt Chronologi,

Bell. de Scriptor. Eccleſ. Sixt. Senenſ. in Biblioth.

dicat adhuc ſuo tempore in Monaſteriis conſuetum, tribui fidelibus Sanguinem, nec vllum proinde incurri reatum, illa ordinatio Eccleſiaſtica, quam refert Lyra, non debuit eſſe vniuerſalis, nec ſub præcepto, ſed ſuauis admonitio, vel ſalutatis exhortatio. Verba Paludani ſunt: *In quibuſdam Eccleſiis eſt conſuetudo, quòd communicent ſub vtraque ſpecie; nec eſt peccatum: quia quando mos erat, crimen non erat; & ita cautè in illis Eccleſiis ſiue Monaſteriis faciunt quòd nihil effundunt; ſed ſi vulgo indifferenter daretur, eſſet maius periculum.* Vel forſan Paludanus priùs ſuum opus perfecit, quàm Lyra in Ioannem ſcripſerit, aut illa ordinatio facta fuerit. Vel illa intelligenda eſt de promiſcuo populo, & communi plebe; verba autem Paludani de ſolis Miniſtris Altaris, & de iis quos *populi maiores* vocauit Tarantaſia. Credibile namque eſt, quòd viris nobilibus, & excellentioribus in populo, qui maiori cautela & digniori reuerentia Sanguini com-

communicabant, offerebatur viuificus Calix. quod clariùs innuunt D. Thomas primo loco citatus, qui ſolùm propter indiſcretionem in ſumēdo, & exiguam cautelam in hauriendo Sanguine, negandum putabat ſenibus, iuuenibus, & pueris; & Richardus in 4. diſt. 11. art. 4. q. 6. communi populo negandum iudicabat, maioribus autem miniſtrandum. Hos autem dumtaxat Franciſcus in hac Epiſtola (ſi ad ſolos ſæculares deſtinatam inſtiteris) ad vtriuſq; ſpeciei communionem adhortatur.

Primum autem vniuerſale præceptum de non danda vtraque ſpecie laicis, iuſtiſſimè & prudenter latum eſt in Concilio Conſtanſienſi ſeſſ. 13. anno 1415. contra hæreſes Huſſitarum & Wicleſiſtarum, vbi conſuetudo hæc ab Eccleſia & ſanctis Patribus rationabiliter introducta, & antè diutiſſimè obſeruata dicitur, habendaque pro lege iubetur, quam non liceat reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Quam definitionem poſteà in eodem Concilio Martinus V. ſuis literis ſtabiliuit. Eſſe autem huiuſmodi auctoritatem in Eccleſia, vt circa Sacramentorum diſpenſationem, ſaluâ illorum ſubſtantiâ, illa ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, locorum, & temporum varietate magis expedire iudicaret, definiuit Concilium Tridentinū ſeſſ. 21. cap. 2. Rationes autem vtriuſque conſuetudinis communicandi olim ſub vtraq; ſpecie, & modò ſub vna, refert Franciſ. Suar. Tom. 3. in 3. p. diſput. 71. ſect. 3. concl. 2. Id verò hoc loco notandum, quanto affectu hac & aliis Epiſtolis, ceteriſque ſuis Operibus, ſumptionem ſacroſanctæ Euchariſtiæ Franciſcus omnibus commendet, quoties ad eius frequentem communionem populos inuitet. Certè eius ſuorumque ſectatorum ſuaſu & prædicationibus frequentiùs ad Sacram hanc menſam accedebant populi, crebriorque & celebrior facta eſt huius ſanctiſſimi cibi participatio, quæ anteà ad ingentem animarum iacturam valdè negligebatur.

Concil. Conſtan.

Concil. Trident.

7. VT QVOLIBET SERO ANNVNTIETVR PER NVNTIVM, VEL ALIVD SIGNVM.] Vides, amabo, ſancti animi deſiderium? vides inflammatam mentem? Agnoſcis erga dilectum verum affectum, qui vltra diurnas & nocturnas ſuas ſuorumque Pſalmodias, vrget, inuitat, contendit, vt omnes vbique toto orbe terrarum ſtatutis horis Deum laudent, ſolemniter congregati? *Hoc eſt animi valdè incenſi, hoc ardentis amoris, omnes excitare ad laudandum eum qui deſideratur; hoc animi, qui magnam aſſiduè capit voluptatem in cogitatione de Deo, qui ſtupet, & miratur eius gloriam.* Admiratur vir ſanctus ingentia Dei beneficia in genus humanum, ſtupet ad inenarrabilia dona creationis & redemptionis, recolit quotidianas gratias hominibus conceſſas, nec patitur tantum in reddendis gratiis torporem, & in non laudando Deo ingratitudinem. Dolebat, populum illum (de quo ipſe Dominus prædicauit: *In gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.* atque iterùm: *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.*) à laudibus eius negligenter ſiluiſſe, & integros elapſos dies abſque gratiarum actione & laudis diuinæ com-

Chryſo. in Pſalmū 148. parum à princip. Tom. 1.

Iſai. 43. v. 7.

Ibidem v. 21.

commemoratione. Rogauit ergo populi Primates, vt torpentem excitarent publico ſigno, & negligentem inuitarent ad communẽ orationem, quę à laudibus Numinis æterni, concinno ordine incipienda eſt, iuxta grauem illam Ambroſij doctrinam: *In oratione incipiendum eſt ante omnia à laudibus Dei. Vnde Oratores ſapientes hanc habent diſciplinam, vt iudicem fautorem ſibi præſtent, incipiunt à laudibus eius, vt beneuolum ſibi faciant cognitorem.* Serò autem vel veſperi conuocandos admonet, quia commodior illa hora, vt omnes conueniant ad perſoluẽdas Deo grates, propter accepta per integram diem beneficia. *In honorem ac memoriam tantorum beneficiorum* (inquit Rabanus, loquens de Completorij hora) *hoc tempore adeſſe nos decet Dei conſpectibus, & perſonare in eius laudem cultibus orationum noſtrarum, illi ſacrificium offerentes, atque in eius laudibus pariter exultantes.* Antiquam autem eſſe conſuetudinem, vt fideles conueniant ad Dei laudes celebrandas, probat Guliel. Durant. vel ex ipſa priſca & peruetuſta Orationum Eccleſiaſticarum nuncupatione, dum communiter *Collecta* vocantur. quas collectionem & conuentum hominum ad cultum Dei congregatorum ſignificare, ex ſacra Scriptura & priſcorum Patrum probat loquelis. Conuocare autem populum ſub veſperũ ad has Collectas vel Dei laudes celebrandas ſigno aliquo campanæ, vel præconis voce, vt Franciſcus hortatur, moris adhuc eſt ab illo, vt credo, tempore introducti in pluribus Regionibus Europæ, præcipuè in Italia. Et certè in Lombardia in ſtatu Mediolanenſi veterem

Ambroſ. lib. 6. de Sacramen. c. 5.

Rabban. lib. 2. de Inſtit. Cle. c. 7.

Guiliel. Durant. lib. 2. de Ritib. Eccleſ. c. 16. n. 1.

hanc eſſe conſuetudinem & adhuc retentam, oſtendit Concil. Mediolanenſ. III. c. *De iis quæ ad Matrimonij Sacramentum pertinent*, in fin. Et clariùs largiuſq; huius celebrandæ laudis conformiter ad noſtri Auctoris doctrinam Concil. Mediolan. IV. c. *De oratione* morẽ præſcribit. vbi ſtatim in initio præcipitur: *Orationis veſpertinæ olim in hac Prouincia inſtitutæ, ſignum diſtinctis campanæ ictibus, vt Epiſcopus præſcripſerit, detur: vbi verò in vicis & pagis, ob campanæ exiguitatem, ſonus ita difficiliùs exauditur; non intermiſſo, ſed continenti ſono, per horæ quadrantem, illius ſignificationem fieri, ſi ita cenſuerit, iubeat Epiſcopus* &c. & locum huius orationis faciendæ in locis vbi domicilia ſunt inter ſe vicina, aſſignat Eccleſiam. Tantopere tandem hoc inſtitutum commendat, vt omnes excuſationis aditus præcludat, ita vt nec propter diſtantiam loci vel Eccleſiæ, nec propter cæli intemperiem, nec ob alia vlla negotia, ſanctam hanc conſuetudinem velit omittendam. In illis enim oppidulis, vel pagis, in quibus non eſt, vel nimiùm diſtat Eccleſia vel Oratorium in quo conuenire poſſint fideles, hortatur vt ad Crucem, ſacrámve aliquam Imaginem, in triuio erectam, etiam ſub dio congregentur: & Presbyteris Clericiſque iniungit, vt quàm maximam in hoc promouendo inſtituto operam ponant. At vbi aliquando non poſſint fideles conuenire ad deſtinatum locum, ad hanc Orationis communis exercitationem, domi ſaltem ab vnoquoque cum familia ſua, inquit, certo loco fiat. Porrò & pro huiuſmodi conuentibus veſpertinis celebrandis & frequentandis plures eſſẽ con-

Concil. Mediolan. III.

conceſſas Indulgentias Pontificias vtrumq; admonuit Concilium. Omitto, Clementem Rom. l. 6. Conſt. cap. 25. monuiſſe omnes fideles, vt ter in die dicerent Orationem Dominicam, & in multis Regionibus omnes Chriſtianos campanarũ pulſibus inuitari ſummo manè, ad meridiem, & ſub noctis crepuſculo ad ſalutandam B. Virginem. Quam conſuetudinem ſub hora veſpertina primus introduxit Bonauentura, ad hoc ſui Inſtitutoris exemplum; ille ad Diuinas, hic ad Marianas hortatus eſt laudes. An autem ſtatum ſit aliquod tempus determinatum in Eccleſia, in quo teneantur ſub aliquo reatu fideles orare, vide Palud. in 4. diſt. 15. quæſt. 1. Nauarr. in Enchirid. de Orat. cap. 3. vſque ad num. 5. Suar. Tom. 1. de Relig. l. 3. de Orat. vocal. cap. 6.

Vide Pet. Galeſin. in eius Vita, c. 9.

8. In die Ivdicii reddere rationem.] Quia torpentem, etiam admoniti, populum ſibi commiſſum, vel facillima hac adinuentione non excitarunt ad reddendas, quas debebant, optimo Creatori, Conſeruatori, & Benefactori laudes. Tenentur Iudices, & populorum Rectores, ad profectum ſpiritualem ſibi ſubiectorum deſiderandum & promouendum; & quæ æqua, rationabilia, faciliaque eis ſuggeruntur & proponuntur à viris ſanctis media, debent probare & exſequi, vt vitia euellantur à plebe, & virtutes introducantur in populum. Quæ ſi neglexerint, eorumq; negligentia & torpore torpeſcant in bono populi ſibi ſubiecti, ſtrictam reddent in die Iudicij rationem. *Quæſo, mi frater*, (inquit Auctor libri de Salutaribus documentis apud Auguſtinum) *quæſo, omnibus tibi ſubiectis à maiore vſque ad minimum, amorem & dulcedinem regni cæleſtis, amaritudinem & timorem gehennæ annunties, & de eorum ſalute ſollicitus ac peruigil exiſtas, quia pro omnibus tibi ſubiectis, & qui in domo tua ſunt, rationem Domino reddes. Annuntia, præcipe, impera, vt caueant ſe à ſuperbia, à detractione*, &c. Committitur Rectori populus, vt eum regat, & dirigat; quòd ſi errantem non reduxerit, & ad deuia declinantem non reuocauerit, rationem abſque dubio coram ſupremo Iudice reddet.

Pſeudo-Auguſt. lib. de Salut. docum. cap. 29.

EPISTOLA XVI.

AD FRATREM LEONEM.

ARGVMENTVM.

QVANTVM *ex hac breuiuſcula & ſimplici Epiſtola potui colligere, Leo, beati viri Socius intimior, aliqualem paſſus eſt ſpiritus moleſtiam. Quem vt ſuauiter veluti materna teneritudine vir ſanctus inſtruxit, & in religioſo aliquo Cænobiolo ad animæ quietem reliquit; timens ſatanæ aſtutias, & abſentis filij periculum, his eum verbis compellauit. Ipſius Franciſci manu exarata ſeruantur inter Reliquias in Sacrario Minorũ Conuentualium Spoleti.*

Frater Leo, Fr. Franciſcus tuus ſalutem & pacem.

1 ITA dico tibi fili mi [2] ſicut mater; quia omnia verba, quæ diximus in via, breuiter [3] in hoc verbo diſpono & conſilio. Et ſi poſteà oportet propter conſilium venire ad me, ita conſilio tibi. [4] In quocumque modo videtur tibi placere Domino Deo, & ſequi veſtigia & paupertatem ſuam, ſaciatis cum benedictione Domini Dei, & mea obedientia. Et ſi tibi eſt neceſſarium propter animam tuam, aut aliam conſolationem tuam, & [5] vis Leo mi venire ad me, veni. Vale in Chriſto.

ADNOTATIONES IN EPIST. XVI.

1. ITA DICO.] Referuntur hæc verba ad ſalutem & pacem, quam in inſcriptione ei precatus eſt.

2. SICVT MATER.] Vera ars infirmos curandi, vnicuſque hic modus pereuntibus ſubditis ſubueniendi, vt priùs eis perſuadeat Prælatus, quas morbis adhibet medelas, ex dulci prouenire affectu, *ipſique intelligant, ſibi compaſſionem exhiberi ex corde. Nempe ſi omne circa ipſos perſoluere ſtudueris dilectionis obſequiũ, ſi vniuerſa eiſdem impenſius miniſtraueris neceſſaria, parum illis feciſti, ſi non etiam querelis eorum, lamentationibus, eorumque doloribus te erga illos compaſſione cognouerint affectum.* Prudenter autem Franciſcus in ſuo explicando affectu erga afflictũ filium dulci matris vſus eſt nomine: *Nam*, vt ait Nazianzenus, *nihil eſt materno affectu mollius*, nec quod magis afflicti filij excitet confidentiam.

Laurent. Iuſtinia. de Inſtit. & regim. Præl. c. 9.

Nazian. Orat. 31. num 8.

3. IN HOC VERBO DISPONO.] In matris verbo, quod antè præmiſit, dicit ſe omnia diſponere. Verbum ſuaue, verbum ſine dolo, verbum confidentiæ plenum, illud eſt matris. Benè illius ſe poteſt credere diſpoſitioni afflictus ſubditus, qui verè matrem ſe eſſe promittit. Non eſt cur de ipſa ordinatione timeat, vel circa diſponẽda reddatur ſollicitus, qui de diſponentis amore redditur ſecurus. Plenè confidat ſubditus, ſi ſuperiorem matrẽ agnoſcat. Mater etenim *eò affectuoſius compatitur mærori filij, quo pluris multò eius habet incommodum, & longè ægriùs fert, quàm proprium damnum.* Nullum eſt filij malum, quod æquè matrem non cruciet: licet filius ictum excipiat, tamen matrem affligit; nec tam geniti carnem, quàm genitricis animam pertranſit. *Sentit chara mater quamdam cordis ipſius præ amore filij quaſi conuulſionem; & ſi complurium liberorum mater eſt, eius animus in totidem curas diſtrahitur, quot illi numero ſunt; tamquam quæ illis accidant, ipſius viſceribus infixa planè hæreant.*

Bernar. Epiſt. 260

Nyſſen. lib. de Virgin. cap. 3.

4. IN

4. In qvocvmqve modo videtvr tibi, &c.] Ex hac periodo iudico, Leonis tentationem, vel animæ tædium fuiſſe circa modum obſeruãdæ ſuæ Profeſſionis, & de perfectione aut gradu ſectandæ paupertatis. Cui, veluti infirmo, ne nimiæ ſuffocarent anguſtiæ ſpiritum, laxauit ſanctus Pater habenas; & de benè educati timoratique filij fidens conſcientia, eius arbitrio commiſit de modo viuendi ſub hoc inſtituto liberam optionem.

5. Vis Leo mi venire ad me, veni.] Vult conſolari præſentem, quem caſurum timet abſentem. Sollicitus erat de abſente filio bonus Pater, & vellet in dies ſingulos ſcire quemadmodum valeret; & quamquam eſſet de filij deuotione ſecurus, trepidabat tamen, quia hoc ipſum quod in illo nouerat, non videbat. *Hic enim affectus paternæ pietatis eſt, vt de abſentibus liberis non tam certa ſpe gaudeat, quàm ſollicita cogitatione deſperet, & ſimul ac eos videre deſierit, amare plus nouerit: ac per hoc intelligimus, quòd amor inter præſentes gratus ſit, inter abſentes moleſtus.* Ambroſ. Serm. 63 Tom. 5. Erat ergo Franciſcus anxius, mœſtus, & trepidus, ne Leo in abſentia per negligentiam caderet, aut diaboli inſidiis laberetur. Nouit enim, luporum rabiem abſentibus plus præualere Paſtoribus.

EPISTOLA XVII.

AD DOMINAM IACOBAM DE SEPTEMSOLIIS.

ARGVMENTVM.

Pavcis *diebus antequam extremum clauderet B. Pater, mortemq; iam præ foribus inſtitiſſe ex Dei reuelatione certò ſciens, nobiliſſimam hanc matronam præmonendam iudicauit, & ſi quæ exequiis erant neceſſaria, ab eadem poſtulare; vt cuius in vita deuotionem & liberalitatem expertus fuerat, grata eiuſdem præſentia morientem ſolaretur, & caſtum eiuſdem amorem in ſepulturæ obſequio, & orationum ſuffragiis, etiam mortuus ſentiret: nec enim vera amicitia ſolius vitæ aut proſperitatis comes eſt, quin & mortuis & afflictis debeat impendi. Imperfectam eſſe Epiſtolam, & cauſam dicemus in Adnotationibus. Eam nobis tradiderunt, licet diuerſimodè, Marc. 1. part. lib. 2. cap. 67. & Rebolledo ibidem cap. 28. Eius facit mentionem Piſanus lib. 3. Conform. 4. part. 2. eam Latinam habet Speculum Vitæ Franciſci fol. mihi 138. ex quo eam tranſcripſi. Italam habet eodem modo Floretum fol. 105.*

[1] Dominæ [2] Iacobæ, ſeruæ Altiſſimi, Fr. Franciſcus pauperculus Ieſu Chriſti, ſalutem & ſocietatem Spiritus ſancti in Domino Ieſu Chriſto.

SCIAS chariſſima, quòd mihi Chriſtus benedictus per ſuam gratiam vitæ meæ terminum futurum in proximo [3] reuelauit. Quapropter ſi vis inuenire me viuum, viſis his literis [4] ad ſanctam Mariam de Angelis venire feſtina. Nam ſi poſt diem Sabbati veneris, [5] me viuum inuenire non poteris. & porta tecum [6] pannum vel cilicium, in quo corpus meum inuoluas, & ceram pro ſepultura. Rogo etiam, quòd portes de illis comeſtionibus, quas mihi conſueuiſti dare quando infirmabar Romæ. [7]

ADNOTATIONES IN EPIST. XVII.

1. DOMINÆ, &c.] Inſcriptionem hanc habet Speculum, aliam Marcus, nullam Rebolledo.

2. IACOBÆ.] Matrona erat Romana, ex antiqua & illuſtri Septemſoliorū familia, tam generis ſplendore decorata, quàm variis magniſque Reipub. tam ciuilis quàm Eccleſiaſticæ muniis & honoribus aucta, licet tabidæ luis colluuione, quæ per totam Italiam non longè à beati Patris deceſſu ſæuiſſimè graſſata eſt, tantæ progeniei modò apud Romanos vel tenues vel nullæ extent reliquiæ. Hæc incredibili beati Patris ſanctitate, & admirabili pœnitentia ducta, ex ſumma erga eum deuotione non ſolùm ipſum, ſed & omnes Fratres eius Romam aduentantes, familiariter vel apud ſe, vel apud alterum ex duobus filiis Romanis Senatoribus, recipiebat hoſpitio; ſanis victum & veſtitum, infirmis pharmaca & quæcumque medicinalia, velut materno amore miniſtrabat; & vt vno verbo dicam, nihil pauperibus Fratribus aliquando deerat, quod generoſæ & deuotæ matronæ aliqualiter ſuppeteret. Hanc in morte aduocabat quàm ardentiſſimè, ſed caſtiſſimè in vita dilexit.

3. REVELAVIT.] *Omnibus latet vltimus dies*, ait Auguſtinus, *vt obſeruentur omnes dies*. Qui ergo omnes à ſua conuerſione vigilantiſſimè & ſollicitè obſeruauit, vltimi certior efficitur, vt de aduentante hilareſcat, qui de præteritis non habet quòd timeat. August. in Pſalmū 144.

4. AD SANCTAM MARIAM DE ANGELIS.] Hæc eſt prima Minoridarum ſedes, hîc cum primis Sociis pedem fixit beatus Pater, in ea non parum Ordo profecit. Sita eſt in planitie prope Aſſiſium ad radices

Montis

Montis Subaſij: eam à Fratribus diui Benedicti pauperum Patriarcha accepit; ea, vt fertur, lege, vt ſi Ordo, quem inſtituit, altiores radices ageret, & extra ædem illam in alias diſpergeretur, omnium hæc eſſet prima & caput. Quod ita factum eſt; eam namque omnes per vniuerſum diſperſi Minores, tum ob antiquitatem, tum ob eximiam magnorum Fratrum, qui in ea vixerunt, ſanctimoniam, primæuam fatentur, & ſummo honore dignam venerantur. Eam ſummopere coluit beatus Pater, in ea poſt conuerſionem quaſcumque moras protraxit, & diem clauſit extremum. Moriens nihil aliud ſollicitiùs Fratribus commendauit, vt videre eſt Collatione vltima, Tom. 3. Varias ſortita eſt nomenclaturas. Aliquando ſancta Maria Aſſiſij appellatur, à frequenti viſione & fauore beatæ Mariæ in ea factis, Aſſiſij verò è loco. Aliquando ſancta Maria Angelorum, ob nimiam cum beato Patriarcha & Sociis eius familiaritatem, & eorũdem protectionem. Aliquando Portiuncula, tum ob alias rationes, quas aliquando latiùs examinabo, tũ quòd vir Dei nihil aliud ſe appetiuiſſe aut deſideraſſe multoties dixerit, præter illam terræ portiunculam. Vide D. Bonauent. c. 2. Legendæ, in fine.

5. VIVVM INVENIRE NON POTERIS.] Ita factum comprobauit: tranſiit enim ex huius mundi ergaſtulo ſequenti Sabbato, veſperi, ſepultus eſt in die Dominico. Bonauentura cap. 15.

6. PANNVM VEL CILICIVM, &c.] Mortem vitæ, funeris pompam vitæ tenuitati voluit adæquari. Qui in vita de ſacci paupertate gaudebat, (vide Bonauent. cap. 7.) de eadem in morte gloriabatur: (vide eumdem cap. 14.) Nec immeritò: *grandis etenim exultatio eſt animæ, cùm paruo contentus fueris, mundum habere ſub pedibus, & omnem eius potentiam; epulas, libidines, propter quæ diuitiæ comparantur, vilibus mutare cibis, & craſſiore tunica compenſare.* Hieron. lib. 2. aduerſus Iouin. cap. 8.

7. Hîc ſcribam calamo parcere iuſſit: *quia* (vt refert Piſanus) *diuinitus fuit illi reuelatum, quomodo D. Iacoba veniebat, & omnia ſecum deferebat, prout ipſe deſiderabat. Quod rei probauit euentus: nam poſt modicum cum duobus filiis Senatoribus aduenit, narrauitq; qualiter Angelus Domini oranti apparuit, & omnia quæ B. Pater ſcribere voluit ei indicauit. Nullam præter hanc (quam vir Dei, non D. Iacobam, ſed fratrem Iacobum propter vitæ probitatem & ſanctimoniam vocabat) intra monaſterij ſepta admiſit; illam ex eius licentia ad lectum, in quo iacebat, Fratres perduxerunt. Quæ ſtatim ad pedes ſacris Stigmatibus conſignatos ſedens, vt altera Magdalena rigando lacrymis præ deuotione, magnam conſolationem accepit; & ei, donec huic miſeræ vitæ valedixit, humiliter ibidem inſeruiuit.* Piſan. l. 3 Conf. 4. part. 2. Poſt mortem voluit in eadem cum beato Patre Eccleſia ſepeliri. Clara eſt adhuc eius ſepulchri memoria in Eccleſia Minorum Conuent. Aſſiſij, in ipſo Eccleſiæ muro, prope ſuggeſtum.

[1]VERBA SACRÆ [2]ADMONITIONIS B. PATRIS FRANCISCI AD OMNES FRATRES SVOS.

ARGVMENTVM.

In hoc Opuſculo Fratres ſuos, tamquam ſollicitus Pater, & diligens Paſtor, de præcipuis virtutibus & grauioribus vitiis admonet, ne illa præterlabantur, aut iſtis incautè ſe tradant. Opuſculum eſt ſatis exiguum, ſed ſententiarum grauitate magnum, rationum & conſiliorum pondere refertum. Tractatulus eſt Auctori non pœnitendus. In eo omnes habent quod addiſcant, & plurima ſatis vtilia ad vitam Chriſtianè & religioſè componendam. Similem edidit Bonauentura Libellum, breuiuſculis Capitulis diſtinctum, de Remediis defectuum Religioſi, ad Fratrem Robertum. Hunc habent Firm. p. 1. fol. 19. Mon. tract. 2. à fol. 276. Biblioth. vet. Pat. Pariſiis excuſa an. Dom. 1450. Tom. 5. in fin. recénſque magna Colonienſ. Tom. 13. & vetuſtus quidam Codex. M. S. ante ann. 1450. quem in Refectorio Minorum in Conuentu diui Antonij de Ficu, prouinciæ Portugalliæ, incurioſè neglectum offendi; & Piſanus lib. 1. Conf. 12. ſparſim per varia Capita. Cetera in Adnotationibus admonebo.

[3]CAPVT I.

[4]De fide erga Deum, de reuerentia erga Sacramentum Altaris, & de digna eius ſuſceptione.

Ioan. 14. v. 6. [5]DIXIT Dominus diſcipulis ſuis: Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Si cognouiſſetis me, & Patrem meum vtique cognouiſſetis: & amodò cognoſcetis eum, & vidiſtis eum. Dixit ei Philippus: Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis. Dixit ei Ieſus: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Pater lucem habitat inacceſſibilem: Spiritus ſanctus eſt Deus, & Deum [6]nemo vidit vmquam: ideò non niſi in ſpiritu videri poteſt, quia Spiritus

Deus in hac vita inuiſibilis.

ritus eſt, qui viuificat, caro autem non prodeſt quid- 1.Tim.6.
quam. Sed nec Filius, in eo quòd æqualis eſt Patri, vide- v.16. Ioan.1.
tur ab aliquo aliter quàm Pater, aliter quàm Spiritus ſan- v.18. Ioan.6.
ctus. Vnde omnes qui viderunt Dominum Ieſum Chri- v.63.
ſtum ſecundùm humanitatem, & non viderunt neque
crediderunt ſecundùm Spiritum [7] & Deitatem, ipſum eſ-
ſe verum Filium Deï, damnati ſunt. Ita & modò, quia
omnes qui vident Sacramentum, quod [8] ſanctificatur per
verba Domini ſuper Altare per manus Sacerdotis in for-
ma panis & vini, & non vident, & non credunt ſecundùm
[9] Spiritum & Diuinitatem, quòd ſit veraciter ſanctiſſi-
mum Corpus & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti,
damnati ſunt; ipſo Altiſſimo atteſtante, qui ait: Hoc eſt Lucæ 22.
Corpus meum, & Sanguis noui Teſtamenti; & qui man- v.15. Ioan.6.
ducat carnem meam, & bibit Sanguinem meum, habet v.54.
vitam æternam. [10] Qui habet Spiritum Domini, qui ha-
bitat in fidelibus ſuis, ille eſt qui recipit ſanctiſſimum
Corpus & Sanguinem Domini: omnes alij, qui non ha-
bent de Spiritu eodem, & præſumunt recipere eum, iudi-
cium ſibi manducant & bibunt. Vnde filij hominum, Pſalm.4.
vſquequò graui corde, [11] vt quid diligitis vanitatem, & v.3.
quæritis mendacium? vt quid non cognoſcitis veritatem,
& creditis in Filium Domini? Ecce quotidie humiliat ſe,
ſicut quando à regalibus ſedibus venit in vterum Virgi-
nis: quotidie venit ad nos ipſe humilis apparens: [12] quo-
tidie deſcendit de ſinu ſummi Patris ſuper Altare in ma-
nibus Sacerdotis: & ſicut ſanctis Apoſtolis apparuit in
vera carne, ita & modò ſe nobis oſtendit in ſacro pane: &
ſicut ipſi intuitu carnis ſuæ tantùm eius carnem vide-
bant, [13] ſed ipſum Dominum Deum eſſe credebant ocu-
lis ſpiritualibus contemplantes; ſic & nos panem & vi-
num oculis corporeis videamus, & credamus firmiter
ſanctiſſimum eius Corpus & Sanguinem viuum eſſe, &
verum.

Vtraque natura in Christo credenda.

Verè & realiter Chriſtus in Euchariſtia.

Dignè ſumenda Euchariſtia.

Deus ſemper nobiſcum Mat. 26. v.vlt. verum. Et tali modo [14] ſemper eſt Dominus cum fidelibus ſuis, ſicut ipſe dixit: Ecce ego vobiſcum ſum, vſque ad conſummationem ſæculi.

CAPVT II.

De malo propriæ voluntatis.

Geneſ.2. v.17. DIXIT Dominus ad Adam: De omni ligno Paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. De omni ligno Paradiſi comedere poterat Adam: quia dum non venit contra obedientiam, non peccauit. *Lignum ſcientiæ quid myſticè repræſentet.* Ille enim comedit de ligno ſcientiæ boni & mali, qui ſibi ſuam voluntatem appropriat, & ſe exaltat de bonis quæ Dominus [15] dedit, & operatur in ipſo: & ſic per ſuggeſtionem diaboli, & tranſgreſſionem mandati, [16] factum eſt ei pomum ſcientiæ mali. Vnde oportet quòd ſuſtineat pœnam.

CAPVT III.

De perfecta obedientia.

Lucæ 14. v.33. Mat.16. v.25. DIXIT Dominus in Euangelio: Qui non renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Ille homo renuntiat omnibus quæ poſſidet, & perdit corpus ſuum, qui ſe ipſum totum præbet ad *Quis ſit verus obediens.* obedientiam in manibus ſui Prælati; & quidquid facit aut dicit, quod ipſe ſciat quòd non ſit contra voluntatem eius (dum bonum ſit quod facit) vera obedientia eſt. Et quando ſubditus viderit meliora, & vtiliora animæ ſuæ, quàm ea quæ ſuus Prælatus præcipiat, ſuam voluntatem ſacrificat Domino; quæ autem ſunt Prælati opera, ſtudeat adimplere. Nam hæc eſt charitatiua obedientia, quia Deo & proximo ſacrificium [17] ſe ipſum facit. Si verò Prælatus præcipiat aliquid ſubdito contra animam ſuam, licet

cet

cet ei non obediat, tamen ipſum non dimittat. Et ſi ab aliquibus perſecutionem inde ſuſtinuerit, magis eos diligat propter Dominum. Nam [18] qui potiùs velit perſecutionem ſuſtinere, quàm à ſuis Fratribus ſeparari, verè permanet in perfecta obedientia, quia ponit animam ſuam pro Fratribus ſuis. Sunt enim multi Religioſi, qui ſub ſpecie videndi meliora quàm quæ ſui Prælati præcipiunt, aſpiciunt retrò, & ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi [19] homicidæ ſunt, & propter mala ſua multas animas perdere faciunt.

Non obediendum Prælato in illicitis.

Inobedientes Religioſi homicidæ.

CAPVT IV.

Quòd nullus ſibi appropriet prælationem.

NON veni miniſtrari, ſed miniſtrare, dicit Dominus. Illi qui ſunt ſuper alios conſtituti, tantum de illa prælatione glorientur, quantum ſi eſſent [20] deputati officio abluendi pedes Fratrum: & quantò magis turbarentur de ablata ſibi prælatione quàm [21] de ablato eis officio abluendi pedes, tantò [22] magis ſibi loculos ad periculum animæ componunt.

Mat. 20. v. 28.

Non gloriandum de præfectura.

CAPVT V.

Quòd nemo ſuperbiat, ſed glorietur in Cruce Domini.

ATTENDE, ô homo, in quanta excellentia te poſuit Deus, quia creauit & formauit te ad imaginem dilectiſſimi Filij ſui ſecundùm corpus, & ad ſimilitudinem ſuam ſecundùm ſpiritum. Et omnes creaturæ, quæ ſub cælo ſunt, [23] ſecundùm ſe ſeruiunt, cognoſcunt, & obediunt Creatori ſuo meliùs quàm tu; & dæmones non crucifixerunt eum, ſed tu cum ipſis crucifixiſti eum, & [24] adhuc crucifigis [25] delectando te in vitiis & peccatis. [26] Vnde ergo potes gloriari? Nam ſi ita eſſes ſubtilis & ſapiens, quòd omnem ſcientiam haberes, & ſcires interpretari

Geneſ. 1. v. 27.

Homo ceteris animalibus minùs gratus.

omnia genera linguarum, [27] & ſubtiliter de rebus cæleſtibus perſcrutari, in omnibus his non potes gloriari, quia
Dæmonis ſcientia quanta. [28] vnus dæmon ſciuit [29] de cæleſtibus magis, & modò ſcit de terrenis pluſquam omnes homines, licet aliquis fuerit, qui ſummæ ſapientiæ cognitionem à Domino receperit [30] ſpecialem. Similiter ſi eſſes pulchrior & ditior omnibus, & etiam ſi faceres mirabilia, vt dæmones effugares; omnia iſta [31] tibi ſunt contraria, & nihil ad te pertinent.
In quo verè gloriandum ſit. In his nihil potes gloriari, ſed in hoc [32] poſſumus gloriari, in infirmitatibus noſtris, [33] & baiulando quotidie ſanctam Crucem Domini noſtri Ieſu Chriſti.

CAPVT VI.

De imitatione Domini noſtri Ieſu Chriſti.

ATTENDAMVS, Fratres, omnes bonum Paſtorem, qui pro [34] ouibus ſuis ſaluandis crucis ſuſtinuit paſ-
Qualiter ad cælum pergatur. ſionem. [35] Oues Domini ſecutæ fuerunt eum cum tribulatione & perſecutione, verecundia & fame, infirmitate & tentatione, & ceteris aliis, & de his receperunt à Domino vitam ſempiternam. Vnde magna verecundia eſt ſeruis Dei, quòd Sancti faciant opera, & nos recitando & [36] prædicando ea, volumus [37] inde recipere gloriam & honorem.

CAPVT VII.

[38] *Vt bona opera ſequantur ſcientiam.*

2. Cor. 3. v. 6. DICIT autem Apoſtolus: Littera occidit, Spiritus autem viuificat. Illi ſunt [39] mortui ad litteram, qui tantùm verba ſola cupiunt ſcire, vt ſapientiores teneantur inter alios, vt poſſint acquirere magnas diuitias, dantes
Duplex ſcientia, mortis & vitæ. conſanguineis & amicis. Et illi Religioſi mortui ſunt ad litteram, qui ſpiritum nolunt diuinæ litteræ ſequi, ſed ſola verba magis cupiunt ſcire, & aliis interpretari: & illi ſunt

ſunt viuificati à ſpiritu diuinæ litteræ, qui omnem ſcientiam & litteram, quam ſciunt & cupiunt ſcire ([40] non autem viuunt corpore, ſed verbo & exemplo) reddunt eam altiſſimo Domino, cuius eſt omne bonum.

CAPVT VIII.

De peccato inuidiæ vitando.

VT ait Apoſtolus, nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto. & : Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Quicumque ergo inuidet fratri ſuo de bono, quod Deus dicit & facit in ipſo, pertinet ad peccatum [41] blaſphemiæ, quia ipſi Altiſſimo inuidet, qui dicit & facit omne bonum.

1. Cor. 12 v. 3. Pſal. 52. v. 4.

Inuidia quomodo blaſphemia dicatur.

CAPVT IX.

De dilectione inimici.

DICIT Dominus in Euangelio : Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, &c. Ille veraciter diligit inimicum ſuum, qui non dolet de iniuria, quam ſibi fecit, ſed de peccato animæ ſuæ [43] vritur propter amorem Dei, & oſtendit ei ex operibus dilectionem.

Mat. 5. v. 44.

Quis dicatur verè inimicum diligere.

CAPVT X.

De caſtigatione corporis.

MVLTI ſunt, qui dum peccant, vel iniurias recipiunt, ſæpè inculpant inimicum, vel proximum. Sed non eſt ita, [44] quia vnuſquiſque habet in poteſtate ſua inimicum ſuum, videlicet corpus, per quod peccat. Vnde beatus ille ſeruus, qui talem inimicum traditum in ſua poteſtate, ſemper captum tenuerit, & ſapienter ſe ab eo cuſtodierit: quia dum hoc fecerit, nullus alius inimicus [45] viſibilis ei nocere poteſt.

Quis ſit verè noſter inimicus.

CAPVT XI.

Quòd nemo corrumpatur à zelo malo alterius.

SERVO Dei nulla res debet diſplicere, præter peccatum. Et quocumque modo aliqua perſona peccaret, & propter hoc ſeruus Dei, [46] niſi in charitate, turbaretur, aut iraſceretur, theſaurizat ſibi [47] iram, & culpam. Ille eſt ſeruus Dei, qui non iraſcitur, neque turbatur [48] pro aliquo; rectè viuit, & ſine proprio. Et beatus eſt cui non remanet aliquid, reddens quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

Quomodo iraſcendum.

Mat. 22. v. 12.

CAPVT XII.

De cognoſcendo Spiritum Dei.

SIC poteſt cognoſci ſeruus Dei, ſi habet Spiritum Domini; cùm Dominus operatur per ipſum aliquid boni, ſi nec caro eius, neque mens exinde ſe exaltat, quia ſemper [49] contraria eſt omni bono; ſed ſi magis ante oculos ſuos ſe habere vellet viliorem, & in omnibus, aliis hominibus ſe minorem exiſtimaret.

Non ſuperbiendum de bono opere.

CAPVT XIII.

De patientia in aduerſis.

[50] NON poteſt cognoſci ſeruus Dei, quantam habeat patientiam, & humilitatem, dum ſatisfactum eſt ei ſecundùm voluntatem vel neceſſitatem ſuam. Cùm autem venerit tempus, [51] in quo illi qui deberent ſatisfacere ei, faciunt ſibi contrarium; quantam habet patientiam ibi & humilitatem, tanta eſt, & non plus.

Quomodo probanda patientia.

CAPVT XIV.

De paupertate ſpiritus.

Matth. 5. v. 3.

BEATI pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Multi ſunt qui orationibus & officiis

ciis inſiſtentes, multas abſtinentias & afflictiones in ſuis corporibus faciunt; ſed de ſolo vno verbo, quòd viderint iniuriam eſſe ſuorum corporum, vel de aliqua re, quæ ſibi aufertur, [52] ſcandalizantur ſtatim, & conturbantur. Hi non ſunt [53] verè pauperes ſpiritu. Quia qui verè pauper eſt ſpiritu, ſe ipſum odit, & alios diligit, qui ipſum percutiunt in maxillam. *Qui ſint veri pauperes.*

CAPVT XV.

De pace.

BEATI pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Illi ſunt verè pacifici, qui in omnibus, quæ in hoc ſæculo patiuntur propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in animo [54] & corpore pacem ſeruant. *Matth. 5. v. 10.* *Qui ſint veri pacifici.*

CAPVT XVI.

[55] *De munditia cordis.*

BEATI mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Verè mundo corde ſunt, qui terrena deſpiciunt, & cæleſtia quærunt; & ſemper adorare & videre Dominum Deum viuum, & verum, mundo corde & animo non deſiſtunt. *Matth. 5. v. 8.* *Qui ſint mundi cordis.*

CAPVT XVII.

[56] *De humilitate ſeruanda in donis Domini.*

BEATVS ille ſeruus, qui non magis ſe exaltat de bono quod Dominus dicit & operatur per ipſum, [57] quàm de eo quod dicit & operatur per alium. Peccat enim homo, qui magis vult recipere [58] à proximo ſuo, quàm vult dare de ſe Domino Deo. *Aequaliter laudandum de bonis propriis, ac de alienis.*

CAPVT XVIII.

De compaßione proximi.

BEATVS homo, qui ſuſtinet proximum ſuum ſecundùm ſuam fragilitatem, in eo quod vellet [59] ſuſtineri *Suſtinendus proximus.*

ab ipſo [60] ſi in conſimili caſu eſſet. Beatus ſeruus, qui omnia bona reddit, & attribuit Domino Deo. Quia qui ſibi aliquid retinuerit, abſcondit pecuniam Domini Dei ſui; & quod putat habere, auferetur ab eo.

Bona quæque Deo tribuenda.

Capvt XIX.

De humili ſeruo Dei.

Non tumeſcendum de præfectura.

Beatvs ille ſeruus, qui non tenet ſe meliorem, quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, ſicut quādo tenetur vilis, ſimplex & deſpectus. Quia [61] quantus eſt homo coram Deo, tantus eſt, & non plus. Væ illi Religioſo, qui ab aliis poſitus eſt in alto, & per ſuam voluntatem non vult deſcendere. Et beatus ille ſeruus, qui non per ſuam voluntatem ponitur in alto, & ſemper deſiderat eſſe ſub pedibus aliorum.

Capvt XX.

De bono, & vano Religioſo.

Beatvs ille Religioſus, qui non habet iucunditatem & lætitiam, niſi in ſanctiſſimis eloquiis & operibus Dei, & cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio & lætitia, [62] & exultatione. Et væ illi Religioſo, qui [63] delectatur in verbis [64] otioſis & vanis, & cum his perducit homines ad riſum.

Vaniloquia fugienda.

Capvt XXI.

De inani & loquaci Religioſo.

Non temerè loquendū.

Beatvs ille ſeruus, qui non loquitur ſub ſpe mercedis, & omnia ſua non manifeſtat, & non eſt velox ad loquendum, [65] ſed ſapienter prouidet, quæ debet loqui, & reſpondere. Væ illi Religioſo, qui bona [66] quæ ſibi Dominus oſtendit, [67] non retinet in corde ſuo, & aliis non oſtendit per operationem; ſed ſub ſpe mercedis magis homini-

Nec ſub ſpe humana retributionis.

minibus verbis cupit oſtendere, quàm Domino; ipſe enim recipit mercedem ſuam, & audientes paruum fructum reportant.

CAPVT XXII.

[68] *De correctione patienter ſuſcipienda.*

[69] BEATVS ſeruus, qui diſciplinam, accuſationem, & reprehenſionem ab aliquo ita patienter ſuſtinet, ſicut à ſemetipſo. Beatus ſeruus, qui [70] benignè reprehenſus acquieſcit, verecundè obtemperat, humiliter confitetur, & libenter ſatisfacit. Beatus ſeruus, qui non eſt velox ad ſe excuſandum, & humiliter ſuſtinet verecundiam & reprehenſionem de peccato, vbi non cõmiſit culpam.

Diſciplina qualiter tolleranda.

CAPVT XXIII.

De humilitate.

BEATVS ſeruus, qui ita inuentus eſt humilis inter [71] ſubditos Fratres ſuos, ſicut quando eſſet inter Prælatos & dominos ſuos. [72] Beatus ſeruus, qui ſemper manet ſub virga correctionis. Fidelis ſeruus & prudens eſt, qui in omnibus ſuis offenſis, non tardat [73] interiùs puniri per contritionem, & exteriùs per confeſſionem, & operis ſatisfactionem.

Quis ſit verè humilis.

Delicta ſtatim corrigenda.

CAPVT XXIV.

De vera dilectione.

BEATVS ſeruus, qui tantum diligit fratrem ſuum, quando eſt infirmus, [74] quòd non poteſt ei ſatisfacere, quantum quando eſt ſanus, quòd poteſt ei ſatisfacere. [75] Et beatus ille, qui tantum diligit fratrem ſuum, cùm eſt longè ab ipſo, ſicut quando eſt cum eo: & non diceret aliquid poſt ipſum, quod cum charitate non poſſet dicere coram eo.

Frater eodẽ modo ſemper amãdus.

CAPVT

Capvt xxv.

Quòd ſerui Dei honorent Clericos.

Clerici honorandi.

Beatvs ſeruus, qui portat fidem in Clericis,[76] qui viuunt rectè ſecundùm formã ſanctæ Romanæ Eccleſiæ; & væ illis qui ipſos deſpiciunt: licet enim ſint peccatores, tamen nullus debet eos iudicare, quia ipſe ſolus Dominus [77] reſeruat ſibi eos ad iudicandum. Nam quantò maior eſt omnibus adminiſtratio eorum, quam habent de ſanctiſſimo Corpore & ſanctiſſimo Sanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ipſi recipiunt, & [78] ipſi ſoli aliis miniſtrant, tantò maius peccatum habent, qui peccant in [79] ipſos, quàm in alios omnes homines iſtius mundi.

Capvt xxvi.

De virtute effugante vitium.

Virtutũ cum vitiis contrarietas.

Vbi charitas, & [80] ſapientia; ibi nec timor, nec ignorantia. [81] Vbi eſt patientia, & humilitas; ibi nec ira, nec perturbatio. Vbi eſt paupertas cum lætitia; ibi nec cupiditas, nec auaritia. Vbi eſt quies, & meditatio; ibi nec ſollicitudo, nec vagatio. Vbi eſt timor Domini [82] ad atrium ſuum cuſtodiendum, ibi inimicus non poteſt habere locum ad ingrediendum. Vbi eſt miſericordia, & diſcretio; ibi nec ſuperfluitas, [83] nec induratio.

Capvt xxvii.

De abſcondendo bonum, ne perdatur.

Secreta Dei nequaquã propalanda.

Beatvs ſeruus, qui theſaurizat in cælo bona, quæ ſibi Dominus oſtendit, & ſub ſpe mercedis non cupit ea [84] manifeſtare hominibus. Quia ipſe Altiſſimus manifeſtabit opera eius quibuſcumque placuerit. Beatus ſeruus, qui ſecreta Domini obſeruat in corde ſuo. Hæc igitur ſunt verba vitæ & ſalutis; quæ ſi quis elegerit, & fecerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutẽ à Domino. Amen.

ADNO-

ADNOT. IN VERBA SACRÆ ADMONITIONIS.

1. Verba sacræ, &c.] Titulum hunc omnes huic Tractatulo præfigunt.

2. Admonitionis.] Biblioth. habet *exhortationis*.

3. Capvt 1.] Licet exhortationes ſiue admonitiones iſtas ſuis ſpatiis diſtinctas & notulis præfixis diuiſas apud præfatos Auctores viderim, ad faciliorem tamen intelligentiam, & clariorem ordinem, melioremque horum, quæ hîc dicuntur, citationem, omnes per capita diſtribuendas duxi: ad modum Opuſculi Bonauenturæ de Remediis defectuum Religioſi, ſub diſtinctis Capitulis multa paucis verbis continentis.

4. De fide, &c.] Hunc huius capitis titulum ſolum apud Piſanum cap. 1. & Mar. inueni. Primus Codex MS. Aſſiſ. alium præfixit: *De corpore Domini*. ceteri abſolutè incipiunt ab illis verbis, *Dixit Dominus*, &c.

5. Dixit Dominvs, &c.] Tota hæc præfatio, vel primum capitulum deeſt Cod. MS. Fic. incipit enim à capite ſecundo, quod eſt *De malo propria voluntatis*.

6. Nemo vidit vmqvam.] Quantum agitetur hæc quæſtio inter Theologos, An ſcilicet Paulus, aut Moyſes, aliuſve quiſpiam viderit, aut videre poſſit in hac vita diuinam eſſentiam, præ omnibus videndus Ægid. Luſit. Tom. 2. de Beatitud. animæ & corporis, lib. 12. q. 8. art. 1. 2. & 3. Negantibus adnumerari poteſt beatus Pater hoc loco, licet ſequentia verba tantùm de viſione per fidem intelligenda videantur.

7. Et Deitatem, &c.] Bibliotheca non habet, *ſpiritum*: quem defectum Typographo vertendum iudico; ita enim appoſuit, *ſecundum & deitatem*, vbi ſine altero nomine deficit ſenſus copulæ *&*.

8. Sanctificatvr, &c.] Piſanus proximè citato loco, habet minùs rectè, *ſacrificatur*. vide Adnot. in Epiſt. 13. num. 5. & Cardin. Bellarm. Tom. 6. qui eſt de Sermonibus ab eo editis Louanij, quos dedit in lucem Antonius Rickius Minorita, Concione de Gloria miraculorum, vbi hanc ex Franciſco citat periodum ad Dominici Corporis ſub ſpeciebus veritatẽ comprobandam.

9. Spiritvm, et divinitatem.] Fir. *dignitatẽ* Chalcographi vitium.

10. Qvi habet spiritvm, &c.] Ita hanc periodum habet Piſanus citatus. ſed Firm. Biblioth. & Mon. legunt, *Vnde ſpiritu Domini, qui habitat in fidelibus*, &c. minùs rectè, & obſcuriùs.

11. Vt qvid diligitis, &c.] Piſanus non habet hoc hemiſtichion, ſed primam tantùm verſiculi partem.

12. Qvotidie descendit, &c.] Non incongruit hic locus opinioni Scoti in 4. diſt. 10. q. 6. & diſt. 11. quæſt. 3. Tranſubſtantiationem in Euchariſtia fieri aſſeuerantis per actionem adductiuam, & non per actionem productiuam; adducitur enim è cælo ad locum ſpecierum, vbi præextitit ſubſtantia panis, quæ in Chriſti Corpus conuertitur.

13. Sed ipsvm Dominvm.] Biblioth. *ſecundùm ipſum*; quod locum obſcurum & difficilem reddit.

14. Semper est Dominvs, &c.] Varij variè locum illum Matthæi,

L Ego

Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, interpretantur. Videndus Maldonatus in cap. 28. Matth. v. 20. & Barradius Tom. 4. ſuæ Concordiæ, lib. 9. c. 6. & 7. Ad rem noſtram, & ſatis ad mentem B. Patris cum explicant, Ludolph. de Saxo. p. 2. Vitæ Chriſti, c. 80. ad finem, & Anton. Broickroy Minorita in Enarrationibus ad Euangelia, part. 2. art. 37. ad finem: vterque Chriſti præſentiam in Eccleſia, de corporali in Euchariſtia intelligi poſſe, aſſerit. Quorum ſententiam breuiſſimè refert, & ſuppreſſo Expoſitorum nomine approbat venerabilis Dei ſeruus Frater Angelus del Paz. Perpinianus lib. 28. cap. 20. in Matthæum, cuius corpus in hoc ſacro Conuentu honorificè colitur, & cuius multa & erudita ſanè Opera hinc inde collecta, hucuſque neglecta, Deo dante quàm citò dabimus in lucem, ſeptem magnis Tomis diſtincta.

15. DEDIT ET OPERATVR.] Piſanus cap. 12. legit, *dicit & operatur*; vtrumque benè.

16. FACTVM EST, &c.] Conſulendus Auguſt. lib. 13. de Ciuitat. c. 15. Tom. 5. vbi præclarè de hac re.

17. SEIPSVM FACIT.] Mon. *ſatisfacit*, inconcinnè.

18. QVI POTIVS.] MS. Fic. *priùs*. Piſanus vtrumque verbum omittit.

Auguſt. lib. de Salutar. docum. Tom. 4. Baſil. Homil. Quòd Deus nō ſit auctor malorū. Tom. 1.

19. HOMICIDÆ SVNT.] Rationem ſtatim adnectit, *quia multas animas perdere faciunt. Nam ſæpè per vnam ouem morbidam*, ait Auguſtinus, *polluitur totus grex, & modica pars fellis magnum dulcorem vertit in amaritudinem. Quemadmodum enim in peſtilentibus locis*, inquit Baſilius, *ſenſim attractus aer, latentem corporibus morbum inijcit: ſic itidem ex praua conſuetudine, & malo exemplo prauorum, maxima bonis mala hauriuntur, etiamſi ſtatim incommodum non ſentiatur.*

20. DEPVTATI OFFICIO, &c.] Ita Piſanus cap. 17. & Mar. Hiſpanicè 1. part. lib. 1. c. 48. Ceteri habent: *Quantum ſi eſſent in abluendis pedibus Fratrum officio deputati*, minùs rectè.

21. DE ABLATO EIS OFFICIO, &c.] Ita Piſanus & Mar. Ceteri: *Quam de pedum officio*, &c. obſcuriùs.

22. MAGIS SIBI LOCVLOS, &c.] Ita iidem: ceteri, *loculos & periculum*, &c.

23. SECVNDVM SE, &c.] Piſanus cap. 19. non habet, *ſecundùm ſe*, quod tamen neceſſariò apponendum erat: quia licet homo ſecundùm ſe, vel ex ſuis viribus, & iuxta malam naturæ propenſionem, deteriùs Deo ſeruiat, & cetera animalia antecellat ingratitudine; meliùs tamen & excellentiùs præ ceteris ex ſuperni auxilij fauore, & gratiæ iuuamine, eidem inſeruit.

24. ADHVC CRVCIFIGIS.] Similiter de peccatoribus loquitur Paulus, dicens: *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis Filium Dei, & oſtentui habentes. Vides ergo*, inquit Origenes, *quia in peccantibus non ſolum mori dicitur Ieſus, verùm & crucifigi ab eis aſſeritur Ieſus, & illudi.* Hebr. 6. v. 6. Origen. Hom. 2. in lib. Iudic. Tom. 1.

25. DELECTANDO TE IN VITIIS.] Ita MS. Fic. ceteri carent *te*.

26. VNDE ERGO POTERIS.] Ita Piſanus & MS. Fic. alij non habent *ergo*.

27. SVBTILITER DE REBVS.] Piſanus non appoſuit *ſubtiliter*.

28. QVIA VNVS DÆMON.] Piſanus omiſit *quia vnus*.

29. DE

29. De cælestibvs magis, &c.] Quod intelligendum videtur de illis morulis, quas Theologi ad 1. part. D. Thom. quæſt. 62. art. 2. & 3. & 2. Scoti d. 5. ante Luciferi & aſſeclarum caſum conſiderant, & de cognitione naturali Angelorum; eo ſenſu quo Scotus affirmat eos cognouiſſe Deum per ſpeciem, ſimul cum natura inditam. An verè dicenda ſit merè naturalis hæc cognitio, & quãcumque viatorum excedat, videndi Scotiſtæ loco proximè citato.

Scot. in 2. diſt. 3. quæſt. 9.

30. Specialem.] Biblioth. minùs congruè habet *ſpiritualem*.

31. Tibi svnt contraria.] Quia communiter contra nos inſurgit tumor, & inanis gloria, vt videre eſt Lucæ 10. vbi ex communiori Patrum ſententia aſſeritur in ſuo regreſſu, Apoſtolos ex reportata à dæmonibus victoria gauiſos, vanam aliqualem concepiſſe gloriam; & ob hoc à Chriſto reprehenſos illis verbis: *In hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiciuntur vobis, ſed, &c. Quia*, inquit Broickroy, *iſta etiam per reprobos fieri poſſunt, vt Dominus, Matth. 7. oſtendit. Ac ſi dicat*, inquit Caietanus, *hæc ad veſtram non ſpectant ſalutem, neque ſunt initium aut pars duraturi in ſempiternum gaudij*. Vel *contraria nobis* hæc dici poſſunt, quia noſtram imbecillitatem & naturales vires excedunt, & ad nos, ſecundùm noſtra naturalia ſpectatos, non pertinent, ſed Dei tantùm ſunt dona, vt latiùs proſequitur Auctor noſter inferiùs hoc Tomo, Opuſculo de Perfecta lætitia, vbi deuotiſſima ſimplicitate ſolùm in tribulationibus & Seruatoris Cruce gloriandum docet.

Broickroy in Euang. art. 52. Caietan. in c. 10. Lucæ.

32. Possvmvs gloriari.] Ampliorem huius gloriationis rationem vide infrà, de Perfecta lætitia: ſolum hoc ex diuo Thomà modò adnotabo: *In illo ſiquidem tantum gloriandum eſſe, & maximè, quod valet & adiuuat ad coniungendum cum Chriſto*. Quod per eiuſdem Crucis, & patientem infirmitatum tolerantiam optimè præſtatur.

Thom. lib. 4. in cap. 6. ad Galat.

33. Et baivlando.] Bibliotheca & Firm. minùs rectè habent, *& baiulare*.

34. Pro ovibvs.] Biblioth. *omnibus*.

35. Oves Domini, &c.] MS. Fic. legit obſcurè, *Gentes diu ſecutæ fuerunt*, &c.

36. Prædicando, &c.] Ita Piſanus cap. 4. Ceteri legunt: *Nos recitando ea volumus*, &c.

37. Volvmvs inde recipere.] MS. Fic. *volumus etiam recipere*. Ceteri omittunt vtramque coniunctionem.

38. Vt bona opera, &c.] Ita hunc aſſigunt titulum Biblioth. & Firm. ſed Mon. & MS. Fic. minùs rectè, nec ſatis ad ſenſum: *vt bona opera ſequatur ſcientia*.

39. Svnt mortvi ad litt.] Conſule Tom. 3. Collationem 15. 16. & 17.

40. Non avtem vivvnt, &c.] MS. Fic. ſine parentheſi habet, *Non attribuunt corpori, ſed*, &c.

41. Blasphemiæ.] Satis acutè herclè, nec parum Theologicè dictum. Blaſphemiam quippe eſſe non obſcurè ait Auguſtinus, *inuidiæ facibus fraternitatem impugnare, & peccatum eſſe in Spiritum ſanctum*. Ad idem peccati genus etiam reducitur à Magiſtro in 2. d. 43. vbi Sententiarij, & à D. Thoma dicente: *Contra auxilium interioris gratiæ ponitur inuidentia fraternæ gratiæ, dum*

Auguſt. lib. 1. de Sermon. Dom. in monte, cap. 44. D. Tho. 2. 2. q. 14. a. 2. in corp.

 ſcili-

ſcilicet aliquis non ſolum inuidet perſonæ fratris, ſed etiam inuidet gratiæ Dei creſcenti in mundo. Ibidemque ex ſententia Magiſtri inter blaſphemiæ ſpecies eam enumerat. Exactiùs hæc à RR. ad præfata loca Magiſtri & Thomæ agitantur. Vide Aluar. Pelag. lib. 2. de Planct. Eccleſ. art. 79.

42. De dilectione inimici.] Ita MS. Fic. Ceteri tantùm habent, *De dilectione*, commodiùs, & magis ad ſenſum capituli additur *inimici*.

43. De peccato animæ svæ vritvr, &c.] MS. Fic. minùs rectè, *iraſcitur*. Piſanus c. 19. in prima impreſſione anni 1389. malè diſtinguit, & aliquantulum variat, dum legit ita: *Animæ ſuæ: nec turbatur propter amorem Dei*, &c. In ſecunda editione Bononiæ anno Domini 1590. cura & ſolertia Fr. Ieremiæ Bucchij ſuo nitori & veritati reſtituṫus eſt hic locus. Egregius eſt Codex MS. perbello charactere harum Conformitatum in Bibliotheca noſtra Aracælitana, nouiter aucta & ornata per Reuerendiſs. P. Benignum à Genua, in quo etiam ita hunc locum reſtituendum deprehendi.

44. Sed non est ita, qvia, &c.] MS. Fic. legit non incongruè, *Non eſt ita faciendum*, &c. omittendum tamen duxi, *faciendum*, propter cetera exemplaria, & quia ſine eo ſenſus cohæret.

45. Inimicvs visibilis ei.] Piſanus cap. 10. & MS. Fic. addunt, *viſibilis vel inuiſibilis ei*.

46. Nisi in charitate tvrbaretvr, avt irasceretvr.] Piſanus cap. 16. ita habet: *Seruus Dei turbaretur, theſaurizat*, &c.

47. Sibi iram, et cvlpam.] Piſanus ibidem non habet, *iram*.

48. Tvrbatvr pro aliqvo, recte vivit, et sine proprio. Et beatvs est cvi, &c.] Satis aliter Biblioth. cum ceteris, præter Piſanum: hunc habet locum, *Pro aliquo. Recte viuit, & ſine proprio, & beatus eſt, quia non remanet*, &c. Magis prima nobis arridet lectio.

49. Semper contraria est.] De carne potiùs quàm de mente, licet de vtraque præceſſerit ſermo, intelligenda eſt hæc contrarietas.

50. Non potest, &c.] Secuti ſumus in hac periodo Piſanum c. 16. neque enim Biblioth. & ceterorum nobis arriſit lectio, ſcilicet, *Sanctus Dei non poteſt cognoſcere quantam habet patientiam & humilitatem in ſe, dum ſatisfactum eſt ſibi.* Sed Mon. pro *Sanctus Dei*, habet *Seruus Dei*.

51. Cvm avtem venerit tempvs, in qvo illi, &c.] Piſanus obſcuriùs: *Cùm autem venerit tempus, quo illi debent ſatisfacere ei, faciunt ſibi contrarium*, &c.

52. Scandalizantvr, et statim contvrbantvr.] Biblioth. & ceteri: *Scandalizati continuò perturbantur.* Vtraque lectio ſatis appoſita: eligat Lector, quam voluerit.

53. Hi svnt vere pavperes.] Piſanus cap. 10. omiſit aduerbium *verè*.

54. In animo et corpore.] Apud Piſanum cap. 16. deeſt, *& corpore*.

55. De mvnditia cordis.] Capitulum hoc poſt 17. & 18. habet MS. Fic. cum ceteris anteponendum duxi.

56. De hvmilitate servanda, &c.] Hic nobis placuit titulus

cum

cum Piſano cap. 19. tamquam clarior, & ii s quæ in capitulo ponuntur, commodior. Ceteri alium appoſuerunt: *De humili ſeruo Dei.* Sed denuò reponitur, & præfigitur Capiti 19.

57. QVAM DE EO QVOD DICIT, &c.] Mendoſus eſt hic locus apud Biblioth. & ceteros, præter Piſanum. habent enim: *Quam quid, vel quod dicit*, &c.

58. A PROXIMO SVO, &c.] Diligentiori lectione opus habet hic locus; aliquantulùm obſcurus eſt, ſed curioſus.

59. SVSTINERI AB IPSO.] Hucvſque legit ex hoc capite Piſanus cap. 10. cetera tacens; nec abs re: non enim ad hunc locum ſpectare videntur, nec ſub hoc titulo ponenda, imò potiùs ſub præcedenti.

60. SI IN CONSIMILI CASV, &c.] Mancum ſatis & obſcurum hunc locum habet MS. Fic.

61. QVANTVS EST HOMO CORAM DEO, TANTVS EST, ET NON PLVS.] Auream hanc ſententiam tranſcripſit in aureum ſuum libellum de Imitatione Chriſti lib. 3. cap. 50. alias 55. quiſquis eius Auctor fuerit, ſiue Ioan. Gerſon, vt quibuſdam ex errore placuit, ſiue Thomas de Kempis, vt cum Henrico Sommalio multis contendit Heribertus Roſvveydus; ſiue denique, quod verius iudico, Abbas Ioannes Gerſen. Vide D. Conſtantinum Caetanum, multarum antiquitatum vindicem, in Tractatu præfixo ad hunc libellum, an. 1616. vbi etiam & de his Franciſci verbis agit. Vide ſequens Opuſculum, num. 3.

62. LÆTITIA, ET EXVLTATIONE.] Piſanus cap. 31. tacuit, *& exultatione*.

63. DELECTATVR IN VERBIS, &c. Biblioth. & ceteri actiuè legunt, *delectat ſe*.

64. OTIOSIS, ET VANIS.] MS. Fic. & Piſanus, pro *vanis*, habent *inanibus*.

65. SED SAPIENTER PROVIDET.] Solus Codex MS. Fic. & Mon. locum hūc ſuo nitori reddidêre; apud ceteros namque ſatis obſcurus & mutilus eſt; promiſcua multa inter ſe congerūt, quæ ſenſu non cohærēt.

66. QVÆ SIBI DOMINVS, &c.] Deinceps locus hic mutilus eſt & defectuoſus in MS. Fic.

67. NON RETINET IN CORDE SVO, ET ALIIS, &c.] Væ huiuſmodi Religioſo proclamat, quia oleum & operam perdit. Apud homines nullum adipiſcitur præmium, vel ſi quod offerunt, euaneſcit; & apud Deum iuxta materiæ qualitatē non modicum meretur ſupplicium. Domino Deo, fatue, ſi quid eſt quod in te excellit, relinque laudandum, & vltra condignum remunerandum.

68. DE CORRECTIONE PATIENTER SVSCIPIENDA.] Varius eſt apud noſtros Auctores huius Capitis titulus, apud Mon. Firm. Biblioth. & MS. Fic. *De correctione*. apud Piſanum cap. 16. aliter, *De ſuſceptione reprehenſionis*. apud MS. Aſſiſ. eſt, quem appoſuimus, ceteris accommodatior.

69. BEATVS SERVVS, &c.] Piſanus aliter: *Beatus ſeruus, qui cùm reprehenditur & accuſatur, illam reprehenſionem & accuſationem ita ſuſtinet ab aliis, ſicut*, &c.

70. BENIGNE REPREHENSVS.] Nec Piſanus nec Mon. habent *benigne*, nec incongruè omittunt. Vide quæ aduertimus Opuſculo ſequenti, num. 8.

71. SVBDITOS FRATRES SVOS, SICVT, &c.] Piſanus omittit, *Fratres*. ceteri, Piſano excepto, omiſerunt, *Prælatos*; quod tamen neceſſariò apponendum duxi, propter correlationem ad ſubditos Fratres.

72. BEATVS SERVVS, QVI SEMPER MANET SVB VIRGA CORRECTIONIS.] Hæc verba ſolùm apud Piſanum inuenies. Quia tamen fide dignus & antiquus eſt Auctor, & verba ipſa accommodata Capitulo, omittenda non duxi. Ea citat, non tamen aſſignato Opuſculo, Aluar. Pelag. lib. 2. de Planctu, art. 69. ante finem.

73. INTERIVS PVNIRI.] Ita Piſanus. Ceteri *punire*; quod tamen ſine prænomine reciproco *ſe* inconcinniùs legitur. Neutrum habet MS. Fic. Sed locum hiulcum, & ſenſum mutilatum, & obſcurum, & pro *contritionem*, habet *correctionem*; incongruè.

74. QVOD NON POTEST EI SATISFACERE.] Hæc omiſit Piſanus; & infrà, *Quod poteſt ei ſatiſfacere*.

75. BEATVS SERVVS, &c.] Periodo præcedenti ſequentes annectere ſub eodem titulo, & in eodem Capite cum Piſano duximus, licet ceteri eas diuidant, ſub iſtis verbis, *Item de eodem*, ne ad quamlibet periodum Capita videamur multiplicare, præſertim cùm idem ſit omnium ſcopus, de eodemque omnia hæc tractent verba.

76. QVI VIVVNT RECTE.] Piſanus cap. 2. caret *rectè*.

77. DOMINVS RESERVAT SIBI EOS AD IVDIC.] Ita Piſanus & MS. Fic. ſed Biblioth. & ceteri obſcuriùs anteponunt præpoſitionem *ad*; ita, *reſeruat ſibi ad eos iudic*.

78. IPSI SOLI ALIIS, &c.] Ita Piſanus: ceteri non habent *ipſi ſoli*. Similia, vel fermè ipſa verba habet Auctor in ſuo Teſtamento.

79. PECCANT IN IPSOS QVAM IN ALIOS.] Ita MS. Fic. ceteri, *in ipſis quam in aliis*, minùs Latinè.

80. VBI CHARITAS, ET SAPIENTIA.] Piſanus cap. 38. adiungit *vera*.

81. VBI EST PATIENTIA, &c.] Piſanus huius periodi non meminit.

82. AD ATRIVM SVVM CVSTODIENDVM.] Eheu quàm fidus ianitor, quàm fidelis cuſtos, *qui nihil negligit, qui nullum indiſcuſſum intrare permittit, ſæpiùs interrogans etiam Angelum lucis, Noſter es, an aduerſariorum? Undiq; enim ſibi circumſpicit, tanquam omni hora cogitans circumſpectionem Dei, quem ſine intermiſſione intueri ac iudicare corda filiorum hominum attendit*. Viden' vbi hic vigilantiſſimus ianitor præ foribus ſtat, non poſſe inimicum fraudulenter domum inuadere? Guarric. Serm. 2. de D. Benedicto, ante fin.

83. NE INDVRATIO.] Piſanus, *Nec deceptio*.

84. CVPIT EA MANIFESTARE.] Ita Piſanus cap. 19. ceteris deficit *ea*.

[1]VERBA B. PATRIS N. FRANCISCI AD HVMILITATEM, OBEDIENTIAM, DEVOTIONEM ET PATIENTIAM INDVCENTIA.

ARGVMENTVM.

PLVRA *ex iis, quæ præcedenti Opuſculo Fratribus commendauit, quaſi magis neceſſaria, & vtiliora, his verbis iterùm inculcat, eáque ſæpiſſimè ſuis repetebat. Ea nobis obtulêre Firmam. 1. part. fol. 21. col. 4. & Biblioth. vet. Pat. Tom. 5. in fin. Sed Biblioth. magna à Colonienſ. edita Tom. 13. Quæ licet fermè omnia in Verbis admonitionis per varia Capitula diſperſa ſint, quia tamen iterùm ſeorſim in vnum congeſta, in vtroque hoc libro reperiimus, per ſe etiam huc transferenda duximus.*

[2]BEATVS ſeruus, qui non tenet ſe meliorem, quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, ſicuti quando tenetur vilis, ſimplex, & abiectus, & deſpectus; quia [3]quantum eſt homo coram Deo, tantum eſt, & non plus. [4] Væ illi Religioſo, qui ab aliis poſitus eſt in alto, & per ſuam voluntatem non vult deſcendere: & beatus ille ſeruus, qui non per ſuam voluntatem ponitur in alto, & ſemper deſiderat ſubeſſe pedibus aliorum. Beatus ille Religioſus, qui non habet iucunditatem & lætitiam niſi in ſanctiſſimis eloquiis, & in operibus Domini, & cum his perducit homines ad amorem Dei in gaudio & lætitia. [6] Væ illi Religioſo, qui delectatur in verbis otioſis & vanis, & in his perducit homines ad riſum. [7] Beatus ſeruus, qui diſciplinam, accuſationem, & reprehenſionem ita patienter ab aliquo ſuſtinet, ſicut à ſemetipſo. [8] Beatus ſeruus, qui reprehenſus benignè acquieſcit, verecundè obtemperat, humiliter confitetur, libenter ſatisfacit. Beatus ſeruus, qui non eſt velox ad ſe excuſandum, & humiliter ſuſtinet verecundiam, & reprehenſionem de peccato, vbi non commiſit culpam.

ADNO-

ADNOTATIONES IN VERBA B. PATRIS AD HVMILITATEM, &c. INDVCENTIA.

1. Verba, &c.] Titulus, nihilo interpoſito aut ablato, idem eſt apud Firmam. & Bibliothecam.

2. Beatvs servvs, &c.] Quæ ſequuntur vſque ad num. 5. decerpta ſunt ex cap. 19. præcedentis Opuſculi. Vide Tom. 3. Colloq. 21.

3. Qvia qvantvm, &c.] Rationem hanc affert ſuprà cap. 19. præcedentis Opuſculi, & repetit Tom. 3. Orac. 5.

4. Væ illi Religioso, &c.] Rationem huius execrationis vide Tom. 3. Colloq. 21. Vbi ait: *Nam in prælatione caſus, in laude precipitium, in humilitate animæ lucrum eſt.*

5. Beatvs ille, &c.] Hæ duæ periodi vſque ad num. 8. ex cap. 20. præced. Opuſc. deſumptæ ſunt.

6. Gavdio et lætitia, &c.] Omitti hîc, *& exultatione*, quod prædicto c. 20. appoſitum eſt hoc loco, confirmat Piſani lectionem, quam num. 62. adnotauimus.

7. Beatvs servvs, &c.] Totum quod ſequitur ab hoc numero, Caput eſt 22. præced. Opuſculi.

8. Beatvs servvs, qvi reprehensvs benigne acqviescit.] Superiori Opuſculo aduerbium *benignè* præponitur participio *reprehenſus*, diuerſumque efficit ſenſum, quaſi dicat; Beatum illum, qui acquieſcit quando benignè reprehenditur. quod non videtur tanta laude dignum, quanta qui benignè acquieſcit cuicumque ſiue aſperæ ſuæ benignæ reprehenſioni: qui huius lectionis ſenſus eſt; quod & verba quæ ibi ſequuntur, confirmant.

[1] DE VIRTVTIBVS [2] QVIBVS DECORATA FVIT S. VIRGO, ET DEBET ESSE SANCTA ANIMA.

ARGVMENTVM.

Opvscvlvm *hoc inueni in vtroque Codice MS. Aſiſien. & Specul. Vitæ Franc. fol. 116. Idem habent, omiſſis quatuor prioribus periodis, ab illis verbis* nullus homo, *&c. Piſan. lib. 1. Conf. 38. & Marcus 1. part. lib. 2. cap. 51. ſed inſertum cap. 26. Opuſc. de verbis Sacræ admonitionis. Ego cum Codicibus manuſcriptis, & ſua vetuſtate commendatis, malui ſeorſim apponere. Argumentum ſatis clarum eſt.*

[3] Regina ſapientia, Dominus te ſaluet, [4] cum tua ſorore ſancta pura ſimplicitate. Domina ſancta paupertas, Dominus te ſaluet, [5] cum tua ſorore ſancta humilitate. Domina ſancta charitas, Dominus te ſaluet,

ſaluet, [6] cum tua ſorore ſancta obedientia. Sanctiſſimæ virtutes omnes, vos ſaluet Dominus, [7] à quo venitis, & proceditis. [8] Nullus homo eſt penitus in toto mundo, qui vnam ex vobis poſſit habere niſi priùs moriatur. [9] Qui vnam habet, & alias non offendit, omnes habet; & qui vnam offendit, nullam habet, & omnes offendit; & [10] vnaquæque confundit vitia & peccata. Sancta ſapientia confundit ſatan, & omnes malitias eius. [11] Pura ſancta ſimplicitas cõfundit omnem ſapientiam huius mundi, & ſapientiam corporis. Sancta paupertas confundit cupiditatem, & auaritiam, & curas huius ſæculi. Sancta humilitas confundit ſuperbiam, & omnes homines qui ſunt in mundo, ſimiliter & omnia quæ in mundo ſunt. Sancta charitas confundit omnes diabolicas & carnales tentationes, & omnes carnales timores. [12] Sancta obedientia confundit omnes corporales & carnales voluntates, & habet mortificatum corpus ſuum ad obedientiam ſpiritus, & ad obedientiam Fratris ſui, & eſt ſubditus & ſuppoſitus omnibus hominibus, qui ſunt in mundo; & non tantùm ſolis hominibus, ſed etiam omnibus beſtiis & feris, vt poſſint facere de eo quidquid voluerint, quantum fuerit eis datum deſuper à Domino. [13] Deo gratias. Amen.

Virtutũ connexio.

Virtutũ cum vitiis contrarietas.

Magnæ ſunt obedientiæ vires.

ADNOTAT. IN OPVSC. DE VIRTVT.

1. DE VIRTVTIBVS, &c.] Primus Codex MS. Aſſiſien. membraneus hunc habet titulum, ſecundus chartaceus nullum. Speculum, *Salutatio virtutum*.

2. QVIBVS DECORATA FVIT SANCTA VIRGO.] Nullius B. Virginis mentionem facit in Opuſculo: illud compoſuiſſe crediderim, dum ſecum excellentias & incomparabiles virtutes eiuſdem beatæ Virginis contemplaretur. Paucas ex innumeris, quibus decorata fuit, officioſo & ſimplici more in principio Opuſculi ſalutat. Omnes breui ſermone complecti non potuit. Eas largiùs dabit, & magnificentiùs extollit, Bonauentura in Speculo B. Virginis, & lib. 1. Pharet. cap. 5.

3. REGINA SAPIENTIA.] Secundus Codex Aſſiſ. habet, *Domina ſapientia*. Reginam autem vel Dominam vocat Franciſcus ſapientiam, ad eum modum, quo & paupertatem

tem Reginam vocaſſe ſolere ait Bonauentura, *quia in Regina matre tam præſtanter effulſit.*

Bonau. cap. 7. Legend. in princ.

4. CVM TVA SORORE SANCTA SIMPLICITATE.] Vocat ſimplicitatem ſanctam veræ ſapientiæ ſororem, quia eas Dominus in Euangelio coniunxit, cùm dixit: *Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Vnde ſæpiùs, teſte Bonauentura, dicebat ſe velle *Fratres ſuos ita in notitia veritatis proficere, quòd in ſimplicitatis puritate concreſcant, vt ſimplicitatem columbinam à prudentia ſerpentina non ſeparent, quas Magiſter eximius ore ſuo benedicto coniunxit.* Vide Gregor. Epiſt. 75. ad Mauritium Auguſtum in princ. & noſtrum Auctorem Tomo 3. Colloq. 15.

Bonau. cap. 11. Legendæ.

5. CVM TVA SORORE SANCTA HVMILITATE.] Soror paupertatis eſt humilitas: nam, vt habet Gregorius, *ſolus ille pauper eſt, qui apud ſemetipſum elatus non eſt.* Tanta eſt inter has virtutes connexio, vt ad veram paupertatem plus conferat humilitas, quàm ipſa rerum egeſtas. *Minùs inops eſt* (inquit idem Gregorius) *qui veſtem non habet, quàm qui humilitatem.* Et lib. 16. cap. 21. tam inſeparabiles haſce ait virtutes, vt ſæpè paupertatis nomine humilitas deſignari ſoleat.

Gregor. lib. 6. Moral. cap. 14.

Idem lib. 21. cap. 14.

6. CVM TVA SORORE SANCTA OBEDIENTIA.] Inde obedientia facilis, & grata, quia charitas carnales edomuit appetitus: voluntatis victima in charitatis adoletur camino. Ideò proprio ſenſu morimur mundo, quia charitate viuimus Deo. *Mortem propriæ voluntatis*, inquit Bernardus, *infert charitas, de qua loquitur ſponſa: Vulnerata charitate ego ſum. Fortis quippe eſt vt mors dilectio, & mortem in nobis non vitam occidit. vnde & audaciter minatur: O mors, ero mors tua.* Verùm, ſi præualet morti charitas, ita vt illam in congreſſu perimere poſſit, cur dicitur *fortis vt mors, & non potiùs morte fortior? An fortè, quia & ipſa eſt mors, & ſe ipſa fortior eſſe non poteſt? Bona mors non vitæ, ſed mortis. Bona mors, & nequaquam abhorrenda, quæ vitam, etſi adimit, non perimit.* Vitam adimit carnis, non perimit mentis. Voluntatem non tollit, ſed mutat; vt noxios deponat appetitus, impellit; vt benè velit, inuitat. Qui charitate feruet, nihil ſuum velle nouit, ſuo iam non regitur arbitrio, ſed in Prælati nutu Dei imperium lætus adimplet. Charitate æſtuantis illa ſunt verba: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Paratum*, addit Bernardus, *ad aduerſa, paratum ad proſpera; paratum ad humilia, paratum ad vniuerſa quæcumque præceperis.* Ideóque paratum, quia inflammatum. Dura eſt obedientia ſine perfecta charitate. Si Deum amaſti, facilè propter Deum Prælato obediiſti: difficultas mortificandæ voluntatis ſuperatur ardore charitatis; adiuuatur obedientia à ſorore charitate.

Bernar. Epiſt. 42. an. med. Cant. 4. v. 9. Cant. 8. v. 6. Oſee 13. v. 14. Pſal. 56. v. 1. Bernar. Serm. 2. de Ieiunio.

7. A QVO VENITIS ET PROCEDITIS.] Similiter dixit Ambroſius: *Omnis virtus à Deo eſt.* additque, Deum in myſtico ſenſu animæ dixiſſe: *Ecce ego Ieruſalem pinxi muros tuos.* quia, vt idem explicat, *illa anima à Deo pingitur, quæ habet in ſe virtutum gratiam renitentem.* Has verò aliaſque ſimiles locutiones afferunt quidam Theologi, ad probandũ quòd præter acquiſitas dantur aliæ virtutes morales per ſe infuſæ. Quòd certè inefficaciter ex his

Iſai. 49. v. 16. Ambroſ. libro 6. Hexaëm cap. 7. Tom. 1.

his Patrum loquelis probatur. Vide Vazq. in 1. 2. diſput. 86. cap. 3. & Petrum Lorea diſput. 17. Clarior eſt Franciſci ſermo inferiùs in Salut. ad Virginem Mariam.

8. Nvllvs homo, &c.] In Argumento huius Opuſculi adnotaui, ab his verbis vſque ad finem haberi in cap. 26. Opuſculi de Verbis ſacræ admonitionis, apud Piſanum & Marcum. Quòd autem hîc aſſerat B. Franciſcus, non niſi mortuum virtutibus imbui, non de morte hac corporali, (quaſi cum quibuſdam Caluiniſtis velit neminem virtutem vllam habere perfectam, aut opus bonum ex virtutibus ſupernaturalibus & perfectis in hac vita elicere) intelligendus eſt; ſed de ſpirituali, eo ſenſu, quo nonnulli Doctores antiqui, & recentiores, illud Pauli, *ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt*, interpretantur. (2. Cor. 10 v. 14.) Morali enim, & quaſi condecentiæ ſequelâ volunt Paulum intuliſſe: Si Chriſtus mortuus eſt corporaliter ad delenda peccata, ergo omnes debent mori veteri vitæ, ſcilicet peccato, & viuere vita iuſtitiæ. Eodemque modo argumentatus eſt idem Apoſtolus Rom. 6. dicens: *Quia enim mortuus eſt peccato, &c. ita & vos æſtimate vos mortuos eſſe*, &c. (Rom. 6. v. 10. D. Tho. in c. 10. 2. ad Cor. lect. 3.) Videndus eſt in 2. locum Pauli D. Thomas ex antiquioribus, ex recentioribus Iuſtin. Tom. 1. expoſit. 2. Eodemque ferè modo, quo Franciſcus negat quempiam niſi mortuum virtutem habere poſſe, Gregorius explicat illum locum Ioan. 1. *Deum nemo vidit vmquam*; affirmatque, non niſi mortuum in hac vita Deum videre poſſe. Vnde lib. 18. Mor. cap. 38. primæ & antiquæ impreſſionis, ſeu cap. 18. excuſionis Pariſienſis anno 1571. addit: Quòd ſi fortè aliquis in hac vita vidit diuinam eſſentiam, id non repugnat dictis Scripturæ, quia vidit poſtquam erat mortuus mundo & concupiſcentiis. Hanc ergo ſubeundam eſſe mortem intellexit Franciſcus, priuſquam virtutes, non quaſcumque, ſed omnino perfectas, vt ſtatim explicabimus, quis adipiſcatur.

9. Qvi vnam habet, omnes habet.] Qui Theologicè non ſapit, difficilis ſingulariſque ei videbitur hæc propoſitio. Sed eam expreſſè habet Auguſtinus Epiſt. 29. poſt princ. vbi largiſſimè eam explicat. At antequam Franciſci mentem ego aperiam, audiat Lector ſimilem Ambroſij locutionem. *Connexæ*, inquit, *ſunt, concatenatæque virtutes, vt qui vnam habet, plures habere videatur*. (Ambroſ. lib. 5. in Luc. c. de Serm. Ieſu.) Imò & Philoſophorum eſſe ſententiam, affirmat Hieronymus in illud Iſaiæ 16. *Super hoc venter*, &c. Non tamen talem, tam arctamq; connexionem cenſuit Franciſcus inter virtutes, vt nulla omnino virtus habitúſve virtuoſus rationem veræ virtutis inducat, niſi eam ceteræ omnes concomitentur, vt ſenſiſſe videtur diuus Thomas 1. 2. quæſt. 65. art. 1. vbi plerique Thomiſtæ; licet vt virtutes perfectæ ſint, ſuam habeant dependentiam, & mutuam connectionem à prudentia perfecta, ſiue vera diſcretione, quam Franciſcus *aurigam virtutum* nominauit, & quæ omnem complectatur materiam virtutis, vt optimè Scotus in 3. d. 36. q. vn. §. Quantum ergo ad dictum. (*Quomodo connectantur inter ſe virtutes.* Bonau. cap. 5. Legend.) Vel etiam omnes connectuntur in ratione perfectarum in vna charitate, vt egregiè & ſatis expreſsè ad mentem noſtri Auctoris D. Bonauentura de Per-

M 2 fect.

fect. vitæ ad ſor. cap. 3. Tom.7. part. 4. Videndus Scotus.citatus. ex moderníoribus Vazq. in 1. 2. diſput.88. per totam,& Sebaſtianus Medicis in Summa virtutum, q. 6. Mens ergo Frãciſci eſt, vt qui vnam habet virtutem perfectam, ceteras habere dicendus ſit, vt communiter cum Scoto, imò & D. Thoma, ſi benè perpendatur, locis citatis docent nouiores Theologi: conſequenterque dicit, quòd qui vnam offendit per peccatum, ſcilicet mortale, tali virtuti contrarium, nullam habet, in ratione ſcilicet perfectæ, quia ſtatim charitatem amittit, quæ omnes perficiebat, & quæ radix erat illarum virtutum, quæ, ex multorum ſententia, cum ipſa infunduntur, & cum ipſa tolluntur. Has ergo propter commiſſum peccatum mortale non habet, & ceteras offendit, quia iam non ſunt perfectæ, licet veræ ſeu eſſentialiter virtutes. Fuſiùs hæc tractantur ad locum citatum D. Thomæ, & ibidem q. 71. art.4. Vide Sermonem integrum de Connexione virtutum apud D. Antonium Patauinum in Feria 3. poſt Dom. primam Quadrageſimæ, qui eſt ſecundus illius diei in ſecundo Quadrageſimali ab eodem concinnato, & D. Bonauenturam l.4. Pharetræ, cap. 45.

10. VNAQVÆQVE CONFVNDIT, &c.] Vitia & peccata ſcilicet contraria (vt ipſe videtur innuere, quaſdam in ſpeciali receſendo) non tamen omnes habitus vitioſi, ſtatim per quemcumq; actum cuiuſcumque virtutis auferuntur, licet per gratiam aut charitatem, aut actum contritionis, ab iiſdem vel ab auxilio ſupernaturali procedentem, peccata confundantur, & corrumpantur; per illas formaliter, per hunc vel diſpoſitiuè, vt quibuſdam placet, vel etiam formaliter, vt alij ſentiunt. An verò per gratiam, charitatémve, ſiue contritionis actum, tollantur meritoriè an phyſicè, modò non libet diſputare. videantur Theologi in 1. 2. quæſt. 71. art. 4. & in 3. Scoti d. 23. cuius mihi probabilior, meritoriè ſcilicet deſtrui, ſemper viſa eſt ſententia.

11. PVRA SANCTA SIMPLICITAS CONFVNDIT SAPIENTIAM.] Non quæcumque ſimplicitas ſapientiam mundi confundit, ſed quæ ſancta eſt & pura: nam quæ ex deſidioſa prodit inſcitia, plus confunditur quàm confundit, plus pudore afficit quàm honore. *Ignorantia*, inquit Leo Papa, *graues nonnumquam incidit in lapſus, & plerumque in diaboli ruit foueas incauta ſimplicitas.* Leo Epiſt. 13. ad Pulcher. Benè proinde Franciſcus victricis adiecit ſigna ſimplicitatis. Quæ pura eſt, puro prodit à corde, tumidam & inanem vincit doctrinam; & quæ ſancta eſt, falſam & mundanam diſſipat Philoſophiam. *Quæ ſtulta ſunt mundi*, inquit Apoſtolus, *elegit Deus*, 1. Cor. 1. v. 17. *vt confundat ſapientes*, id eſt, vt exponit D. Thomas, *eos, qui de ſapientia mundi confidunt, dum ipſi non cognouerunt, quæ ſunt ſimplicibus reuelata.* D. Tho. Lect. 4. *Matth.* 11. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Iſai.* 19. *Ubi ſunt nunc ſapientes tui? annuntient tibi.* Confunduntur hi ſcioli, dum quæ illorum præteruolant captum, vident à viris humilibus enuntiari, & garrulam ſuam ſapientiam à ſancta ſimplicitate ſuperari. *Non enim tanto pudore afficiuntur homines, quando victi fuerint per ſapientes, ſed præ pudore tunc vultum operiunt, quando vide-* Chryſo. Hom. 5. In 1. Cor. Tom. 4.

viderint ſordidos & deſpicabiles viros pluſquam ipſos philoſophari. Confuſio eſt magna, totum vitæ curriculum in vanis ſophiſmatibus & inani garrulitate conſumere, atque de Chriſtiana philoſophia, de vera ſapientia, de moribus & vita componendis nihil ſcientem à ſimplicibus erudiri.

11. SANCTA OBEDIENTIA CONFVNDIT OMNES CORPORALES ET CARNALES VOLVNTATES.] Eas namque omnino mactat, Deo ſacrificando. Quod non obſcurè innuit Gregorius, dicens: *Obedientia ſola virtus eſt, quæ menti ceteras virtutes inſerit, inſertaſque cuſtodit. Melior eſt obedientia, quàm victimæ. Obedientia victimis præponitur; quia per victimas aliena caro; per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Quòd verò addit, perfectam obedientiam omnibus creaturis hominem ſubiicere, confirmat egregius locus Bernardi. *Nónne*, inquit cum Dauide, *Deo ſubiecta erit anima mea? Et parum eſt, eſſe ſubiectum Deo, niſi ſis & omni creaturæ humanæ propter Deum, ſiue Abbati tamquam præcellenti, ſiue Prioribus tamquam ab eo conſtitutis. Ego plus dico, ſubdere paribus, ſubdere & minoribus. Sic enim decet nos omnem implere iuſtitiã.* Vlteriorẽ huius obedientiæ & iuſtitiæ rationẽ vide in Adn. ad Epiſt. 2. n. 2.

Gregor. lib. 35. Mor. c. 1. — 1. Reg. 15 v. 22. — Pſal. 61. v. 1. — Bernar. Serm. 42. in Cant. — Mat. 13. v. 15.

13. DEO GRATIAS. AMEN.] Hæc verba adiunximus ex ſecundo Codice Aſſiſienſi.

I. OPVSCVLVM
DE VERA ET PERFECTA LÆTITIA FRATRVM MINORVM.

ARGVMENTVM.

OPVSCVLVM *hoc, in quo Franciſcus veram lætitiæ, & perfectam religioſi gaudij rationem ſimpliciter & incompoſitis verbis rudiq; ſtylo deſcribit, extraximus ex Florato, cap. 7. Speculo Vitæ Franciſci, fol. 89. Piſan. lib. 1. Conform. 5. & 12. & ex Firm. 1. part. fol. 21. col. 3. Varietatem lectionum, & ſi quid aliud notatu dignum occurrerit, in Adnotationibus aduertemus.*

[2] QVAMVIS Fratres Minores in omni terra dent [3] bonum exemplum magnæ ſanctitatis &[4] ædificationis, ibi tamen non eſt perfecta lætitia. Et quamuis Frater Minor illuminet cæcos, contractos extendat, dæmones pellat, ſurdis aditum, claudis greſſum, mutis verbum reſtituat, &, quod maius eſt, quatriduanum reſuſcitet mortuum; ibi non eſt perfecta lætitia.

Et ſi Frater Minor ſciret omnium [6] gentium linguas, & omnes ſcientias, & Scripturas, ita vt ſciret prophetare, & reuelare non ſolùm futura, ſed etiam conſcientias aliorum; ibi non eſt perfecta lætitia. Si Frater Minor loquatur lingua Angelica, & ſciat ſtellarum curſus, & virtutes herbarum, & ſint ei reuelati omnes theſauri terrarum; & ſi cognoſceret [7] virtutes & proprietates [8] auium, piſcium, animalium, hominum, radicum, lapidum, arborum, & aquarum; ibi non eſt perfecta lætitia. Et ſi Frater Minor ſciret tam ſolemniter prædicare, quòd conuerteret omnes infideles ad fidem; ibi non eſt perfecta lætitia. Sed quando venimus ad locum ſanctæ Mariæ de Angelis ſic [9] balneati pluuia, & frigore congelati, luto etiam deturpati, & fame afflicti, & [10] ad portam loci pulſabimus, & veniet portarius iratus, dicens, Qui eſtis vos? Et nos dicemus: Sumus duo de Frattibus veſtris. Et ille è contrario diceret, Imò eſtis duo ribaldi, [11] qui itis circumquaque per mundum, pauperum eleëmoſynas rapiendo; & [12] non aperiret nobis, ſed faceret nos ſtare ad niuem & aquā in frigore & fame vſque ad mortem: tunc ſi nos [13] tot repulſas & iniurias ſine turbatione & murmuratione tolerauerimus patienter, & cogitauerimus humiliter & charitatiuè, quòd ille portarius veraciter nos cognoſcit, & quòd Deus [14] excitat linguā eius contra nos; ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia. Et ſi nos in pulſando perſeuerauerimus, & ille portarius tamquā contra importunos exeat contra nos, & duriſſimè [15] nos afficiat alapis, dicens, Recedite hinc [16] pultrones viliſſimi, & ite ad hoſpitale. qui enim eſtis vos? hîc penitus non manducabitis. & ſi nos patienter hæc portabimus, & iniuriati cum amore pepercerimus toto corde; ſcribe, quia ibi eſt perfecta lætitia. [17] Et ſi nos vndique afflicti, fame vrgente, frigore affligente, nocte inſuper appropinquante pulſabimus,

mus, clamabimus, & fletu inſtabimus vt aperiat nobis, & ille inde ſtimulatus dixerit, Iſti ſunt homines procaciſſimi, & proterui; ego pacabo eos. & exiens cum vno fuſte nodoſo, & capiens nos per cappucium, ad terram ſuper lutum & niues proiiciet, & taliter nos verberabit cum fuſte prædicto, quòd vndique nos plagis implebit: [18] ſi tot mala, ſi tot iniurias & verbera cum gaudio toleramus, conſiderantes quòd pœnas Chriſti benedicti tolerare & portare debemus; ſcribe, & nota diligenter, quòd ibi eſt perfecta lætitia. & audi concluſionem: Inter omnia chariſmata [19] ſancti Spiritus, quæ Chriſtus ſeruis ſuis conceſſit, & concedet, præcipuum eſt vincere ſeipſum, & libenter propter Deum & charitatem Dei opprobria ſuſtinere. Nam in omnibus mirabilibus ſupradictis nos gloriari non poſſumus, quia non ſunt noſtra, ſed Dei. [20] Quid enim habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Sed in cruce tribulationis & afflictionis poſſumus gloriari, quia [21] illud eſt noſtrum. Et ideò dixit Apoſtolus: Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri.

1. Cor. 4. v. 7.

Galat. 6. v. 14.

ADNOTATIONES IN OPVSCVLVM DE PERFECTA LÆTITIA.

1. OPVSCVLVM, &c.] Ex materia ſeu argumento ipſius Opuſculi nos eius titulum confinximus.

2. QVAMVIS, &c.] In principio huius periodi, & ceterarum, apponit Piſanus: *O frater Leo ſcribe, &c.* Quaſi ad Leonem hæc verba habuerit. Nobis tamen placuit cum Firm. ea omittere, tum propter iniucundam repetitionem, tum propter varia aliquorum placita circa perſonam, ad quam B. Pater ſermonem in hoc Opuſculo direxerit, dum apud nullum quid certum in hac re conſtiterit.

3. BONVM EXEMPLVM.] Diminutè legit Firm. ſine adiecto *bonum*.

4. ÆDIFICATIONIS.] Adnectit ſtatim poſt verbum *ædificationis* Piſanus: *Hæc tamen diligenter ſcribe, & nota quòd ibi non eſt.* quæ propter rationes ſuprà allatas ſiluimus.

5. MORTVVM.] Hîc etiam Piſanus, & ad finem cuiuſcumq; periodi, apponit, *ſcribe quòd ibi*, &c. ſatis iniucundè.

6. GENTIVM LINGVAS, &c.] Ita Piſa-

Piſanus. Firm. verò ita tranſcripſit: *Scire omnium gentium linguas, ſcientias, & ſcripturas.*

7. Virtvtes et proprietates, &c.] Firm. omiſit, *virtutes.*

8. Avivm, piscivm, &c.] Omnia hæc ſubſtantiua connectit Piſanus per copulam &, quam iucundiùs in vltimum differt Auctor Firmamenti.

9. Balneati plvvia, &c.] Ita concinnè Firm. Piſanus verò aliter diſtinguit, & mendoſiùs ita: *Sic balneati: pluuiáque & frigore congelati*, &c.

10. Ad portam loci pvlsabimvs, &c.] Ita Firm. Sed Piſanus, *ad portam ſonabimus.*

11. Qvi itis circvmqvaqve, &c.] Piſanus aliter: *Qui vaditis per mundum eleemoſynas pauperum rapiendo*, &c.

12. Non aperiret, &c.] Ex Piſano Firm. ita: *Aperiet nobis, ſed faciet*, &c. minùs rectè.

13. Tot repvlsas.] Piſanus. malè Firm. *impulſus.*

14. Excitat lingvam.] Piſanus. Nec minùs rectè Firm. *exercet linguam.*

15. Nos afficiat alapis.] Piſanus omiſit *alapis.*

16. Pvltrones.] Vocabulum eſt Italico-Latinum, Italis frequens, quo ignauiam & ſocordiam obiiciunt.

17. Et si nos vndiqve afflicti, &c.] Omnia quæ ſequuntur vſque ad numerum 19. ſatis diminutè legit Firm. Solùm enim quæ ſequuntur habet: *Et ſi exiens cum vno fuſte verberat nos, & trahit per caputium, & plagis nos implebit, & ſi hæc cum gaudio toleramus, cogitantes quòd pœnas Chriſti benedicti tolerare & portare debemus: ſcribe, Fr. Leo, quod ibi eſt perfecta lætitia. Inter Chariſmata*, &c.

18. Si tot mala, si tot inivrias, &c.] In malis & iniuriis perferendis propter Chriſtum, veram conſiſtere docet lætitiam & felicitatem. Nec immeritò: *Nihil enim melius*, ait Chryſoſtomus, *quàm malè propter Chriſtum affici. Non ita beatum duco Paulum, quòd in Paradiſum raptus, atque quòd in carcerem eſt coniectus. Non ita beatum æſtimo, quòd verba audiuit ineffabilia, atque quòd vincula ſuſtinuit.* Infrà: *Potius mihi habetur malè affici à Chriſto, quàm honorari à Chriſto.* Infrà: *In Scripturis non me tantum delectat miracula patrans, quantum malè affectus, flagellatus, ac miſerabiliter tractatus.* Vide plura, egregia ſatis, ibidem apud eumdem, apud Baſil. Homil. 12. in Pſalm. 45. Auguſtinum Fragmento 27. & vltimo, Tom. 10. & apud Gregorium lib. 26. Mor. cap. 12. & lib. 31. c. 16. qui omnes ſatis ſuperque argumentum Franciſci mentemque non obſcurè confirmant.

Chryſ. Hom. 8. in cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. Tom. 4

19. Sancti Spiritvs, &c.] Aliter hunc locum, & quæ ſequuntur, legit Firm. ſic: *Spiritus ſancti, quæ cunctis amicis ſuis conceſſit Chriſtus præcipuum*, &c. Sed quidquid ſit de lectionis veritate, de ſententiæ certitudine, per aliam Chryſoſtomi non parum dilucidè nobis conſtabit. *Nihil ita ſplendidum*, inquit, *vt vinctum eſſe propter Chriſtum. Hoc illuſtrius eſt, quàm ſiue Apoſtolum, ſiue Doctorem, ſiue Euangeliſtam eſſe.*

Chryſo. cit.

20. Qvid enim habes, &c.] Cetera ex hoc loco huius Opuſculi omiſit Firm.

21. Illvd est nostrvm.] Non

vult

vult dicere, non eſſe Dei donum pati propter illum, contra illud A-
Philip. 1. v. 29. poſtoli: *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, ſed vt etiam pro illo patiamini.* Vbi
D. Tho. Lect. 3. in cap. 1. ad Philip. ait, interprete D. Thoma, *pro magno munere donatum eſſe à Deo vt patienter tribulationes quis perferat.*
Actuū 5. v. 41. quod & reputabant Apoſtoli quando *ibant gaudentes à conſpectu Concilij, quia digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Sed innuere voluit, magis nos cooperari meritoriè, mala ſuſtinendo. Vnde accommodatè Chryſoſt. ad rem noſtram: *Quando mala patimur, Deum habemus debitorem; quando verò bona percipimus, nos debitores exiſtimus.* Iudidē. Vide Auguſtinum proximè citatum.

[1] EXPOSITIO BEATI PATRIS SVPER ORATIONEM DOMINICAM.

ARGVMENTVM.

BEATVS *Franciſcus tanta deuotione Orationem Dominicam recitabat, vt nullum prateriret verbum, quod interioris contemplationis affectu non ruminaret, & attentiùs conſideraret. vnde & Gloſam hanc ſuperaddidit, non minus deuotam quàm eruditam. Eam habent quaſi omnes, qui vel aliqua eius Opuſcula collegêre, vel de eius Vita egêre. In pluribus tamen diſcrepant, tum ex errore typographorum, tum ex varietate lectionum. Nihil notatu dignum in Adnotationibus præteribimus.*

[2] PATER NOSTER beatiſſime & ſanctiſſime. [3] Creator noſter, Redemptor noſter, & Conſolator noſter. QVI ES IN CAELIS, [4] in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem: [5] Quia tu Domine lux es, inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine ſummum bonum es, & æternum bonum, à quo omnia bona, & ſine quo nullū bonum. SANCTIFICETVR NOMEN TVVM. [6] Clarificetur in nobis notitia tua, vt cognoſcamus, quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, longitudo promiſſorum, ſublimitas maieſtatis, & profundum iudiciorum. ADVENIAT REGNVM TVVM. [7] Vt regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, vbi

eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna. FIAT VOLVNTAS TVA, SICVT IN CAELO, ET IN TERRA. Vt amemus te toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima te ſemper deſiderando, ex tota mente omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo, & ex omnibus viribus noſtris, omnes vires & ſenſus animæ & corporis in obſequium tui amoris, [8] & non in aliud expendendo. [9] Et proximos noſtros amemus ſicut noſmetipſos, omnes ad amorem tuum pro viribus trahendo, de bonis aliorum ſicut de noſtris gaudendo, in malis compatiendo, & nemini vllam offenſam faciendo. PANEM NOSTRVM QVOTIDIANVM; ſcilicet [10] dilectum Filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, DA NOBIS HODIE, in memoriam, & intelligentiam, & reuerentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum quæ pro nobis [11] dixit, & fecit, & ſuſtulit. ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA; per tuam miſericordiam ineffabilem, & [12] paſſionis dilecti Filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem; & per beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum [13] merita & interceſſionem. SICVT ET NOS DIMITTIMVS DEBITORIBVS NOSTRIS. & quod non plenè dimittimus, tu Domine fac nos plenè dimittere, vt inimicos noſtros propter te [14] veraciter diligamus, & pro eis apud te deuotè intercedamus, [15] nulli malum pro malo [16] reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. ET NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM; occultam, vel manifeſtam; ſubitam, vel importunam. SED LIBERA NOS A MALO. præterito, præſenti, & futuro. [17] AMEN. [18] ſpontaneè, & gratis.

ADNOT. IN GLOSAM ORAT. DOMIN.

1. EXPOSITIO, &c.] Ita habet Cod. MS. Hib. Apud ceteros ſatis varius eſt titulus. In Mon. hic præfigitur: *Incipit Oratio, ſiue Expoſitio B. Franciſci, ſuper Pater noſter.* Apud Piſan. lib. 1. Conf. 12. cap.

cap.6.hic: *Pater noſter, quod dicebat beatus Franciſcus*. Reboll. 1. part. lib. 1. cap. 31. *Gloſa, quam fecit Pater noſter Franciſcus ſuper Pater noſter*. Deuotion. Capuccin. fol. 130. *Contemplatio ſuper Pater noſter, quam beatiſſimus P. N. Franciſcus ad omnes Horas dicere ſolebat*. Manuale Minorum: *Oratio, ſiue Meditatio B. Franciſci ſuper Pater noſter*. Alium habet Firmam. & Biblioth. Omnibus commodiorem & aptiorem iudicauimus, quem appoſuimus.

2. PATER NOSTER, &c.] Deuot. Capuc. & Sedul. §. 3. in Comment. ad c. 4. Vitæ B. Franciſci, vtrumque ſuperlatiuum, *beatiſſime* & *ſanctiſſime*, omittunt, Biblioth. Mon. & Firmam. primum tantùm *beatiſſime* neglexerunt. Alij ſuperlatiua anteponunt, ad *Pater noſter*, alij poſtponunt.

3. CREATOR NOSTER, &c.] Deuotionario Capucc. innixi, adiecimus omnibus his nominibus pronomen *noſter*. Piſan. verò, & Sedul. affixerunt vltimo tantùm, ita: *Creator, Redemptor, Saluator, & Conſolator noſter*. Nec ineptè B. Pater Dei paternitatem reſpectu noſtri explicat per creationem & redemptionem, iuxta illud: *Numquid non ipſe eſt Pater tuus, qui poſſedit, & fecit, & creauit te?* *Fecit*, explicat Bonauentura, *in corpore, creauit in anima, & poſſedit in vtroque: vnde & benè generaliter omnium per creationem, ſpecialiter tamen per adoptionem iuſtorum Pater dicitur*.

Deut. 32. v. 6. Bonau. in Orat. Domin. Tom. 2. in princ.

4. IN ANGELIS, IN SANCTIS.] Ita etiam per hos *in cælis* intelligit, & explicat Bonauent. citatus. Vide Alex. Alenſ. 4. p. q. 10. tract. de Officio Miſſæ, p. 2. in expoſ. Orat. Dom.

5. QVIA TV DOMINE LVX ES, INFLAMMANS, &c.] Ita Piſan. Rebol. & Deuot. Cap. Sed Biblioth. & ceteri corruptè & confusè hunc locum diſtinguunt, & obſcurum reddunt.

6. CLARIFICETVR IN NOBIS NOTITIA, &c.] Eamdem fermè expoſitionem adhibet Bonauētura. *Quaſi diceret*, inquit, *da nobis ſpiritum ſapientiæ, id eſt iucunditatem internam, vt guſtemus quàm ſuauis es*. Nec ab ea recedit Auguſtinus. *Petitur*, inquit, *vt Dei nomen ſanctum habeatur ab hominibus, id eſt, vt illis ita innoteſcat Deus, vt non exiſtiment aliquid ſanctum, quod magis offendere timeant*. Acutè tamen Tertullianus aduertit nō ſignificari à quibus ſanctificandum ſit vel celebrandum, (idem eſt apud Hebræos vtrumque verbum, & ſignificatur verbo קדש *Kadaſch*.) *Suſpenſa*, ait, *enuntiatione, non dicentes, ſanctificetur in nobis, in omnibus dicimus*.

Indid. Expoſ. 4. — Auguſt. lib. 2. de Serm. Dom. — Tertul. lib. de Oratione. cap. 3. Tom. 2.

7. VT REGNES IN NOBIS, &c.] Rectè ad mentem Chriſti Domini dicentis: *Regnum Dei intra vos eſt*. Et de hoc ſpirituali Chriſti in nobis regno per gratiam hunc locum interpretantur Ambroſ. lib. 5. de Sacr. cap. 4. Euthym. in cap. 6. Matth. Hieronym. ibidem, & lib. 3. contra Pelag. Nyſſen. lib. de Orat. Dom. Cyprian. lib. de eadem. Auctor imperfecti, Hom. 14. & plerique alij. Vide Alenſ. citatum Petitione 2.

Lucæ 17. v. 21.

8. ET NON IN ALIVD EXPENDENDO.] Ita Piſan. & Reboll. ceteri, *exponendo*.

9. ET PROXIMOS NOSTROS.] Benè certè Dei voluntatem ad proximorum vtilitatem extendit, non aliter quàm Cyprianus, *Voluntas Dei*, inquit,

Cyprian. lib. de Orat. Dom. ad med.

inquit, *hæc eſt: Humilitas in conuerſatione, ſtabilitas in fide, verecundia in verbis, in factis iuſtitia, in operibus miſericordia, in moribus diſciplina, iniuriam facere non noſſe, & factam poſſe tolerare, cum fratribus pacem tenere, Deum toto corde diligere, amare in illo quòd Pater eſt, timere quòd Deus eſt.*

10. Dilectvm Filivm, &c.] Hæc expoſitio pluribus antiquioribus placet, Cypriano & Nyſſeno citatis, Ambroſ. lib. 5. de Sacr. c. 1. Athanaſio lib. 3. adu. Arrium, & lib. de Incarn. & aliis. Vide Alenſ. cit. Petit. 4.

11. Dixit, et fecit, et svstvlit.] Ita Piſan. & Reboll. ceteri, *fecit, dixit, & ſuſtinuit.*

12. Passionis dilecti Filii.] Aptè per paſſionem Chriſti rogat, qui per eamdem, & meritum eius, nouit, omnia bona ſupernaturalia, & ſuperexcellentia naturalia Deum largiturum.

13. Merita, et intercessionem.] Non nouitiam eſſe, nec à nobis excogitatam Sanctorum inuocationem, meritorum eorumdem interpellationem, & interceſſionis deprecationem, ex hoc loco contra hæreticos colligere licet, & ex multa vetuſtiſſimorum Patrum doctrina, quam refert & citat Bellarm. Tom. 1. lib. 1. de Sanctorum beatitud. cap. 19.

14. Veraciter diligamvs.] Alij, præter Piſanum & Reboll. ſubticuerunt *veraciter.*

15. Nvlli malvm pro malo.] Nec enim Chriſtianis in malis par pari referre licet, ſed in bono malum vincere.

16. Reddamvs.] Piſan. & Reboll. tranſcripſerunt *reddentes.*

17. Amen.] Vox eſt Hebræa, deducta à radice אמן *educare*, vel *enutrire*, ſignificatque, punctuatum cum Kamets & Tſere, in fine Orationum אָמֵן *verè, fideliter*; q. d. Verè fideliterque hæc facias nobis. vel, Vera fideliſque eſt hæc noſtra oratio: ſeu, Verè & fideliter hæc à te petimus, fatemurque nullum alium præter te, hæc nobis elargiri vel præſtare poſſe. Vide Hieron. Epiſtola 138. Tom. 3. & Bonau. in fin. Orat. Dom. Tom. 2. Alias & plures ſignificationes dabit Alenſ. cit. in concluſione Orationis Dominicæ.

18. Spontanee, et gratis.] Piſa. Sedul. & Reboll. hæc omisêre.

[1] LAVS DOMINI DEI ALTISSIMI.

ARGVMENTVM.

Tantvs *erat Franciſci ardor amoris in Deum, vt ſub imo pectore nequaquam latere poſſet, quin exteriùs in dilecti laudes vehementer erumperet: nec enim tepidè amantis videtur elogium hoc, in quo ſimpliciter & breuiter præcipuas Dei laudes decantat. Illud deſumpſimus ex Firm. 1. p. fol. 19. Piſan. lib. 2. fruct. 11. qui eſt in ordine 23. licet Orationem habeat lib. 1. Conf. 12. cap. 5. ex Bibl. vet.*

vet. Pat. tam Laudem quàm Orationem; ex Reboll. 1. p. lib. 1. c. 31. Orationem tantùm. Huius Laudis meminit Rodul. lib. 1. fol. mihi 119. Franciſci charactere ſcripta aſſeruatur in Conuentu diui Franciſci Aßiſienſi. Eam ipſe vidi anno 1619. diligentiúſque obſeruaui.

2 TV es ſanctus Dominus Deus, tu es Deus deorum, 3 qui ſolus facis mirabilia. Tu es fortis. Tu es magnus. Tu es altiſſimus. 4 Tu es omnipotens. Tu es Pater ſanctus, Rex cæli & terræ. 5 Tu es trinus & vnus Deus. 6 Tu es bonus, omne bonum, ſummum bonum, Domine Deus, viuus & verus. Tu es amor, & charitas. Tu ſapientia. 7 Tu humilitas. Tu es patientia. Tu es pulchritudo. Tu es ſecuritas. Tu es quies, Tu es gaudium. Tu es ſpes noſtra, & lætitia. Tu es iuſtitia, & temperantia. Tu es fortitudo, & prudentia. Tu es omnes diuitiæ ad ſufficiendum. Tu es manſuetudo. Tu es protector. Tu es cuſtos & defenſor. Tu es refugium noſtrum & virtus. Tu es fides, ſpes, & charitas noſtra. Tu es magna dulcedo noſtra. Tu es bonitas infinita, magnus, & admirabilis, Dominus Deus meus omnipotens, 8 pius, miſericors, & Saluator.

ORATIO.

OMNIPOTENS, æterne, iuſte, & miſericors Deus, da nobis miſeris propter temetipſum facere, quod ſcimus te velle; & ſemper velle, quod tibi placet: 9 vt interiùs mundati, & illuminati, & igne ſancti Spiritus accenſi, poſſimus ſequi veſtigia tui dilectiſſimi Filij Domini noſtri Ieſu Chriſti, & 10 ad te Altiſsimum ſola tua gratiâ peruenire. Qui in Trinitate perfecta, & Vnitate ſimplici viuis, & regnas, & gloriaris Deus omnipotens in ſæcula ſæculorum. Amen.

ADNOT. IN LAVDES DOMINI DEI.

1. LAVS DOMINI, &c.] Hic titulus idem eſt apud omnes. Ita tranſcripſit Piſanus: ceteri omiſerunt *ſanctus*.

2. TV ES SANCTVS DOMINVS.] 3. QVI SOLVS FACIS MIRABILIA.]

ZIA.] Encomium hoc iam olim tribuit Regius Pſaltes Deo Pſal. 71. 85. & 135. Nec tamē inconuenit, quòd alij etiam faciant mirabilia, aut miracula: *Quoniam*, inquit Auguſtinus, *quæcumque faciunt, ipſe in eis operatur, qui facit mirabilia ſolus.* Vnde qualiter concurrerit humanitas Chriſti Domini, Sancti quicumque, aut Sacramenta, Reliquiæve Sanctorum ad miracula patranda, ſi principaliter, ſi inſtrumentaliter, moraliter, an phyſicè, videndi Theologi RR. ad 3. Sentent. diſtinct. 13. & ad diſt. 1. Thomiſtæ ad 3. part. quæſt. 13. & 72. vbi &, quid interſit inter mirabilia & miracula, explanari ſolet.

Auguſt. in Pſal. 71.

4. TV ES OMNIPOTENS.] Laudem hanc ſolus Piſanus interſerit.

5. TV ES TRINVS ET VNVS DEVS.] Ita Biblioth. & Firmam. Piſanus verò ſic: *Tu es trinus & vnus, & Deus deorum.* ſuperfluè tamen; iam enim in principio laus hæc *Dei deorum* appoſita eſt.

6. TV ES BONVS.] Non qualitercumque bonum eſſe intelligit, imò eo ſenſu, quo Chriſtus Dominus aſſeruit, neminem niſi ſolum Deum bonum eſſe; ſolum infinita & eſſentiali bonitate refertum Deum proclamat, ceteros verò finitam & participatam habere ſentit. Ita inſinuat in Orat. præpon. Hor. Canon.

Lucæ 18. v. 19.

7. TV HVMILITAS.] Quomodo, quæſo, Deus humilitas? potiùs maieſtas & ſublimitas dicendus. Sentiendum ergo, voluiſſe beatum virum hanc & alias quas inferiùs enumerat virtutes, in abſtracto, quæ ex ſe deiectionem vel imperfectionem important, his ablatis, in Deo ponere. Vel aliter, per adiectionem pronominis *noſtra*, quod inferiùs in fine ſubnectit, voluiſſe dicere, Deū eſſe humilitatem, temperantiam, fidem, &c. noſtram cauſatiuè, vel principiatiuè; quia ab eo tamquam à principio & cauſa hæ proueniunt virtutes. Ita ſimiles propoſitiones explicat Scotus in 1. diſt. 17. quæſt. 2. art. ad arg. princ. §. de 2. arg.

8. PIVS, MISERICORS ET SALVATOR.] Ita Piſanus. ceteri, *Pius, & miſericors Saluator.*

9. VT INTERIVS MVNDATI, &c.] Sic Piſan. & Reboll. ceteri legunt, *Et interiùs mundari, interiùs illuminari, vt igne Spiritus ſancti ſuccenſi*, &c.

10. AD TE ALTISSIMVM.] Piſanus habet *Altiſſime.*

ORATIO B. FRANCISCI IN SVÆ CONVERSIONIS INITIO.

MAGNE & glorioſe Deus, & Domine mi Ieſu Chriſte, illumina, oro te, tenebras mentis meæ. Da mihi fidem rectam, ſpem certam, & charitatem perfectam. Fac vt cognoſcam te Domine, ita vt ego in omnibus omnia ſecundùm tuam ſanctam & veram voluntatem perficiam. Amen.

ADNOT.

ADNOT. IN PRÆCEDENTEM ORAT.

HANC apud Marcum 1. part. lib. 1. cap. 3. & Floretum c. De conuerſ. beati Franciſci inuenimus. Eam habuit beatus vir, vt vterque refert, in Eccleſia ſancti Damiani, quam poſteà reparauit, coram Chriſto crucifixo; quem, quia, vt ait Bonauentura, doctorem non habebat aliquem in huiuſmodi niſi ipſum Chriſtum, rogauit obnixè, vt quid ſibi faciendum eſſet, oſtenderet, motus iam vehementer gratiæ excitantis efficaci auxilio, ſuperna adiuuante clementia. Bonauentura licet Orationem non habeat, eius meminit loco citato, dum ait: *Cùm Eccleſiam ſancti Damiani, inſtigante ſe Spiritu, cauſa orationis intraſſet; proſtratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus.* Eiuſdem ſimiliter meminit Vincentius Belluacenſis 2. part. Hiſtor. libro 30. capite 97.

Bonau. cap. 2. in princ.

ORATIO
PRÆPONENDA HORIS CANONICIS.
ARGVMENTVM.

QVA *deuotione & mentis attentione Franciſcus Horas perſoluebat Canonicas, agnoſcet, qui cap.* 10. *eius Vitæ, & Tom.* 3. *Apophthegma* 29. *legere voluerit. Vt ergo intentè, attentè, & deuotè, ſeu maiori cum feruore eas recitaret, hanc ſibi compoſuit Orationem, vt per eam ſe excitaret ad Dei laudes dignè perſonandas. Eam habent Piſanus lib.* 2. *Conf.* 11. *ſeu in ordine* 23. *Firmam.* 1. *part. fol.* 18. *col.* 4. *Specul. Vitæ Franc. fol.* 126. *Manuale Minorum, Cod. MS. Fanenſ. & Hib. Cetera inferiùs aduertemus.*

Apoc. 4. v. 8.

SANCTVS, ſanctus, ſanctus Dominus [2] Deus noſter omnipotens, [3] qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Dignus es Domine Deus noſter accipere laudẽ, gloriam, & honorem, & benedictionem. [4] Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & diuinitatem, & ſapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. Benedicamus Patrẽ, & Filium cum ſancto Spiritu. ℟. Laudemus, & ſuperexaltemus eum in ſæcula. ℣. [5] Laudem dicite Deo

Ibidem n. 11.

Deo omnes ſerui eius, & qui timetis Deum, puſilli & magni. ℟. Laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula. ℣.[6] Laudent eum glorioſum cæli & terra. ℟. Et ſuperexaltent & laudent eum in ſæcula. ℣.[7] Et omnis creatura quæ in cælo eſt, & ſuper terram, & ſubtus terram, terra, & mare, & quæ in eis ſunt. ℟. Laudent & ſuperexaltent eum in ſæcula. ℣.[8] Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus eũ in ſæcula. ℣. Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper, &c. ℟. Laudemus & ſuperexaltemus, &c.

ORATIO.

OMNIPOTENS, [9] ſanctiſsime, [10] & altiſsime Deus, omne bonum, & ſummum bonum, [11] totum bonum, qui ſolus es bonus; tibi reddamus omnem laudem, omnem gratiam, omnem gloriam, omnem honorem, omnem benedictionem, & omnia bona tibi referamus ſemper. Amen.

ADNOTATIONES IN ORATIONEM PRO HORIS CANONICIS.

1. ORATIO PRÆPONENDA, &c.] Circa inſcriptionem huius Orationis non concordant tranſcriptores. Eam ſic inſcribit Piſanus: *Laudes, quas ordinauit B. Franciſcus, & dicebat ad omnes Horas.* MS. Hib. ita: *Oratio quam ſanctus P. N. Franciſcus dicere ſolebat poſt Officium.* Firmam. eam ſine titulo apponit. Huic verò, qui præ ceteris nobis placuit, præfixit MS. Fanen.

2. DEVS NOSTER OMNIPOTENS, &c.] Solus Piſan. omiſit *noſter*, ſatis conformiter ad textum, ſeu ad caput 4. Apoc. ex quo hæc periodus deſumpta eſt; quòd & nos omitteremus, eadem ducti ratione, niſi à ceteris omnibus diſcrepare vereremur.

3. QVI EST, &c.] Per verba iſta, *qui eſt & qui erat*, æternitatem Dei ſignificabant quatuor illa Apocalypſeos animalia. quod verò addebant, *Et qui venturus eſt*, ad Chriſti humanitatem ſpectat, qui in fine mundi venturus eſt ad iudicandum. Qui verò plura de primo verbo, *qui eſt*, ſcire voluerit, adeat Philonem Hebræum lib. Quòd deterior potiori inſidiari ſoleat, paulò ante finem.

4. LAVDEMVS ET SVPEREXALTEMVS, &c.] Hunc verſiculum repetit toties Piſan. & MS. Salm. ceteri verò ab illo verſu, *Benedicamus Patrem*, &c.

5. LAVDEM DICITE, &c.] Ita pueri illi Babylonici Sacerdotes, ſer- Daniel 3.

uos

Pſal. 148. nos Dominum, ſpiritus, animas iuſtorum, ſanctos & humiles Deum laudare admonebant. Ita & Daniel Angelos & omnes Dei Virtutes cùm glorificare exorabat. *Sanctorum hic mos eſt* (vt grauiter docet Chryſoſtomus Homil. in Pſalm. 148.) *vt Deum laudaturi, laudis ſibi ſocios adſciſcant.*

6. LAVDENT EVM GLORIOSVM, &c.] Hunc verſiculum non habet MS. Hibern.

7. ET OMNIS CREATVRA, &c.] Non ſolùm rationales, quas anteà ad Dei laudem inuitauit, verùm & irrationales omnes hîc conuocat, non aliter quàm Dauid & tres pueri ardentis camini. Enimuerò Epiphan. in Ancor. ipſe & ceteri Sancti, *vbi expendiſſent ſe ipſos ad inenarrabilem Dei glorificationem minùs ſufficere, dignantur ſecum aſſumere creaturas irrationales ad glorificationem.*

8. GLORIA PATRI, &c.] *Ad hunc verſiculum*, ait Piſanus, *ſumma deuotione ferebatur Franciſcus. Multoties dicendo Veſperas cum Fratre Leone cùm diceret Canticum Magnificat, ſemper ad quemlibet verſum illius repetebat Gloria Patri, &c. & dicendo illum, tanta conſolatione replebatur, quod vix dicendo poterat ſatiari.*

9. SANCTISSIME.] Piſano deeſt *Sanctiſſime*. prima cum ceteris lectio placuit.

10. ET ALTISSIME DEVS.] Piſan. *Altiſſime & ſumme Deus.* omiſimus cum ceteris *ſumme Deus.*

11. TOTVM BONVM.] Ita Piſanus. ceteri non habent hoc elogium.

[1] SALVTATIO AD VIRGINEM MARIAM.

ARGVMENTVM.

E*x magno illo affectu (quem Bonauentura indicibilem vocat) erga Virginem Deiparam ortum habuère tot obſequia, tot orationes, tótque deuotiones, quas in tantæ Matris honorem profundebat. Vt quibus ſalutaret dilectam digna haberet verba, hanc ſibi effinxit ſalutationem, quam videre poteris apud Piſanum libro* 1. *Conform.* 12. *cap.* 5. *& Reboll.* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 31. *MS. Hiber. ad med.* Bon. c. 9. Legen. ad princip.

AVE Domina ſancta, Regina ſanctiſsima, Dei genitrix MARIA, quæ es [2] perpetua virgo electa, à ſanctiſſimo Patre de cælo, quam conſecrauit cum ſanctiſſimo Filio & dilecto, ac Spiritu ſancto Paraclito: in qua eſt, & fuit [3] omnis plenitudo gratiæ, & omne bonum. [4] Aue eius palatium. Aue tabernaculum

O eius.

eius. Aue mater eius. Et [5] vos omnes ſanctæ Virtutes, quæ per gratiam, & illuminationem Spiritus ſancti, infundimini in corda fidelium, vt de infidelibus fideles faciatis. Mater ſanctiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſponſa Spiritus ſancti, ora pro nobis cum ſancto [6] Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis, tuum dilectiſſimum Filium Dominum noſtrum & Magiſtrum. Amen.

ADNOT. IN SALVTAT. VIRG. MARIÆ.

1. SALVTATIO, &c.] Circa titulum variant Piſan. & Reboll. ille ita habet: *Franciſcus in Oratione ad Virginem Mariam.* vbi ſupponere videtur, verba hæc deſumpta eſſe ex alia maiori Oratione ad beatam Virginem: quam tamen, nec aliam præter has quas appoſuimus, detegere potuimus. Reboll. verò ſic inſcribit: *Gloſa B. P. N. Franciſci ſuper Aue Maria.* cui minùs aſſentior; nihil enim Salutationis Angelicæ gloſat vel exponit. M S. Hib. eumdem quem nos appoſuit titulum; imò & ipſe Piſanus lib. 2. Conf. 11. & in ordine 23. deuota opera, & orationes quas B. Pater compoſuit, recenſens, ait: *Item dicebat, vel ſcripſit ſalutationē B. Mariæ Virginis; ſcilicet Aue Domina,* &c. de qua ſuprà lib. 1. Conf. 12. vnde eam nos huc tranſtulimus. Hunc ergo quaſi magis conſonum præpoſuimus.

2. PERPETVA VIRGO.] Vt mente & corpore, ſpiritu & carne ſemper virgo fuerit, nihilque in alterutro, vllo vmquam momento, vel minimo, exceperit, quod Deum non redoleret. Quem rectè affirmat Fulgentius, *in Virgine mentem integram ſeruaſſe, & carnem.* Benè ergo à tanto viro *perpetua virgo* dicitur, quæ nihil non caſtum, non ſanctum perpetuò habuerit, tantique fecerit virginitatem corporis, vt auſus ſit affirmare Bernardinus Senenſis, *non accepturam nec conſenſuram eſſe Dei Matrem, niſi de virginitate ſecura redderetur.* Sed & Anton. Pat. ex Auguſt. affirmat *eamdem carnis virginitatem Dei Filio tribuiſſe*, & Finus Adrian. *virginea carne eumdem coronaſſe.* Vnde non ineptè à Cyril. Alex. *corona virginitatis* appellatur, vtpote cuius ſanctiſſimam animam nulla vmquam peccati labes violarit, nec ſacratiſſimum corpus, impurum aut incaſtum aliquid vllatenus macularit. *Munita*, inquit citatus Patauinus, *fuit liliis vtriuſque virginitatis, interioris & exterioris.*

Fulgent. de Dupl. Chriſti natiuit.

Bernar. Senenſ. Serm. 48. art. 2. c. 8. Tom. 2.

Anton. Padua. Serm. in Domin. 3 Quadrageſ.

Finus Adrian. l. 5. Flagelli, c. 5.

Cyrill. Hom. 6. contra Neſtor.

3. OMNIS PLENITVDO, &c.] Non ergo defuit gratia & iuſtitia originalis in ipſo conceptu. Quæ omnem habuit, & in quā *omnis quæ in Chriſto eſt plenitudo gratiæ venit, licèt aliter*, quia participatiuè, & ex gratia; quanam, quæſo, an originali, quæ felicitatis ac ſanctitatis non inefficax principium cenſetur, caruiſſe dice-

Auctor Serm. de aſſumpt. apud Hieron. Tom. 7.

dicetur? Nequaquam. *Alioquin* (vt interrogat Bernardus Homil. 2. de Laud. Virg.) *quomodo eam Angelus gratia plenam pronuntiat, ſi quidpiam, vel parum boni quod ex gratia non eſſet, habebat?*

4. AVE EIVS PALATIVM &c.] Dei palatium, tabernaculum, domumq; ab ipſo Deo conſecratam fabricatamque appellat. Quid ergo? tetris dæmonibus in ipſa extructione, vel ab ipſis fundamentis inhabitandam conculcandamque tradidit? iis ſtatim domum locauit, qui ingredientem prohiberent? *Quis vmquam*, egregiè Cyrillus, *de architecto audiuit, quòd ſuum ipſius templum conſtruxerit, & in eo habitare prohibitus ſit?* Certè mundiſſimam, ornatiſſimam, pulcherrimam hanc conſtruxit domum, ita vt in ipſa extructione nihil eſſet, quod puriſſimos eius oculos poſſet offendere, nihil erat quod ſummè non delectaret. *Profectò factor hominum* (vt citatus ait Bernardus) *vt homo fieret, naſciturus de homine, talem ſibi ex omnibus debuit deligere, imò & condere matrem, qualem & ſe decere ſciebat, & ſibi nouerat placituram.* Decuit ſtructorem ædificium, in ipſa conſtructione complacuit. *Domum Dei decet ſanctitudo omni tempore:* præſertim cùm ipſe *ædificauerit tabernaculum ſuum Altiſſimus;* & *ſicut vnicornis ſanctificiũ ſuum in terra.* Quare ſicut vnicornis? quia, vt aiunt Titel. & Lyra hîc, *zelans pro domo ſua ad modum vnicornis, nullum animal immundum intrare permiſit in illam.* Domus ergo omnino ſancta, palatium ſemper ſpecioſum, tabernaculum vndique pulchrum fuit ſacra Virgo Maria.

Cyrill. Alex. citat.

5. VOS OMNES SANCTÆ VIRTVTES.] Statim vt de Virgine egit, Virtutes omnes alloquitur, quæ in Virgine veluti proprium extruxêre habitaculum. Vide Adnot. in Opuſc. de Virtutib. n. 7.

6. MICHAELE, &c.] Quis fuerit B. Patris erga Angelos, & præcipuè Michaëlem, affectus, vide Bonau. cap. 9. ante med.

ORATIO AD VIRG. MARIAM.

SANCTA Dei genitrix, dulcis & decora, Regem morti traditum, Filium tuum dulciſſimum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis exora, vt ipſe per ſuam piiſſimam clementiam, & virtutem ſanctiſſimæ incarnationis, & mortis ipſius acerbiſſimæ, nobis indulgeat peccata noſtra. Amen.

ADNOT. IN ORAT. AD B. VIRGINEM.

BREVIS, efficax, & deuota eſt hæc Oratio, in qua præcipuas proponit Virgini Mariæ cauſas, vt Filius eius noſtri miſertus, noſtra nobis condonet peccata; eamdemq; orat, vt propter illas pro nobis intercedat. Eam nobis obtulit Biblioth. ſæpiùs citata. Firmam. trium Ordinum 1. part. fol. 19. col. 1. Manuale Minorum, Petrus Caniſius lib. 5.

 de

de Deipara Virg. c. 27. ad medium, Antonius Dauroultius Ieſuita c. 2. Flor. exempl. tit. 37. De cultu Deipar. Virg. & Mon. tract. 2. ſub hoc eodem titulo, eodemque modo quo nos eam tranſcripſimus, nihil vllibi addito aut variato: nihilque eſt vlterius quod circa eam adnotetur.

[1] ALIA ORATIO AD EAMDEM B. VIRG. MARIAM.

SANCTA Maria virgo, [2] non eſt tibi ſimilis nata in mundo in mulieribus, filia, & [3] ancilla altiſſimi Regis Patris cæleſtis, [4] mater ſanctiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſponſa Spiritus ſancti. Ora pro nobis cum ſancto Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis tuum [5] ſanctiſſimum Filium, dilectiſsimum Dominum noſtrum & Magiſtrum. [6] Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Sicut erat, &c. Amen.

ADNOT. IN SECVNDAM ORATIONEM AD VIRGINEM.

1. ALIA ORATIO.] Huius etiam Orationis auctorẽ eſſe beatum Franciſcum, teſtantur Firm. Biblioth. Manuale Minorum, Caniſ. & Dauroult. citat. & Piſan. l. 2. Conf. 11. inter quos nulla eſt in aliqua aut tituli aut Orationis particula differentia.

2. NON EST TIBI SIMILIS, &c.] Quippe *quæ cæli terræque* (vt loquitur Epiphanius) *myſterium, & ſtupendum eſt miraculum*; imò (vt vlterà progreditur Damaſcenus) *miraculum miraculorum omnium maximè nouum, & miraculorum abyſſus* eſſe iudicatur. Conformiter ad hæc verba cecinit Sedulius: *Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.* Quæ diſſimilitudo à ceteris, & ſuperexcellentia inter omnes, non eſt attendenda ſolùm penes maternitatem Dei, verùm & penes ſingulares dotes, & totius vitæ rariſſima priuilegia; vnde & doctus vir Ioan. Pineda Ieſuita Aduerſ. 4. n. 3. in priuil. Ioan. Reg. Arag. referens hæc noſtri Auctoris verba, ea ita explicat: *Virgo ſanctiſſima ſimilem non habes, nec in conceptione, nec in natiuitate, nec in vita, nec in morte.* In qua diſſimilitudine fundari aſſerit priuilegium immunitatis ab originali peccato; aliaque ſubiungit verba Imperatoris Ioan. Cantacuzeni Apolog. 3. his noſtris ſimillima: *Credimus*, inquit deuotus Imperator, *& confitemur, quòd Maria ſimilis homo nec natus ſit, nec poſthac ex viro & muliere naſciturus ſit.*

Epiphan. Serm. de Laudib. Mariæ. Damaſc. Orat. 1. de Natiu. Mar. Sedul. l. 1. Oper. Paſchal.

3. ANCILLA ALTISSIMI, &c.] Non aliunde quàm à triplici hac relatione ancillæ, & filiæ ad Patrem,

trem, matris ad Filium, & ſponſæ ad Spiritum ſanctum, Virginis originalem iuſtitiam & ſanctitatem deducebat Anſel. l. de Concept. Virginis cap. 18. videndus ibidem, & cap. 20. vbi qui attentè legerit, facilè & clarè eius mentem aſſequetur. Non tædet pigétve toties ex mente B. Patris hanc originalẽ Virginis confirmare innocentiam hoc noſtro miſero æuo, quo tantopere exagitatur & contradicitur. De qua ſi noſtri Auctoris tempore ageretur, omni procul dubio expreſſam & firmam pro ea diceret ſententiam: Ipſe quippe, ſi credamus Bonauenturæ cap. 9. Legen. *Virginem indicibili complectebatur amore.* & inſuper, teſte Bernardo de Buſto Serm. 9. de concept. 1. part. *ſuos monuit Fratres, vt omnia benedictæ Matri Dei priuilegia attribuerent, quæ illius poſſunt excellentia conuenire, atque eam omnibus laudibus à pura humana creatura decenter perceptibilibus exaltarent.* Ex Patris deuotione, verborum ipſius elicio ſenſum, & ex eius documentis debitum inculco priuilegium.

4. MATER SANCTISSIMA, &c.] Ab hoc loco cetera, quæ ſequuntur, deſumpta ſunt ex Salutatione B. Virginis ſuperiùs poſita, & hîc iterùm repetuntur.

5. SANCTISSIMVM FILIVM DILECTISSIMVM, &c.] Aliter Piſanus: *Sanctiſsimum & dilectum Filium, noſtrum Dominum & Magiſtrum.*

6. GLORIA PATRI, &c.) Iam ſuperiùs in Adnotat. ad Orationem præponendam Horis Canonicis n. 8. diximus, quàm libenter repetebat hunc verſiculum B. Pater.

[1] ORATIO B. PATRIS PRO OBTINENDA PAVPERTATE.

ARGVMENTVM.

QVI, *Bonauenturam cap. 7. maioris Legendæ adierit, facilè aſſentietur, firminſq; credet, B. Patrem huius Orationis auctorem eſſe, vtpote quem paupertatis zelus, & eximium eius adipiſcendæ deſiderium ad ardua quæque ſectanda deduxit. Nec incredibile erit votis & precibus eam à Domino flagitaſſe, & prece hac aliiſque ſimilibus Orationibus oraſſe & exoraſſe. Verùm fatear hanc apud ſolum Vbertinum lib. 5. Arboris Vitæ Chriſti cap. 3. huc vſque latitaſſe. Hic tamen pro multis habendus eſt, quippe qui librum illum, cælitus adiutus (vt ipſe in primo & ſecundo Prologo humiliter confitetur) in ſacro & myſterioſo monte Aluernæ conſcripſit; nec parua fide dignus eſt, quippe ex ſui ſæculi viris nec doctior nec ſanctior credebatur alius.*

O Domine Ieſu, oſtende mihi ſemitas tuæ dile-
ctiſſimæ paupertatis. [2] Scio enim, quòd Teſta-
Deut. 11. v 14. & Ioſue 1. v 3. mentum vetus [3] noui fuit figura. Illis promiſi-
ſti, Quia omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter
Paupertas verè Regina. erit. calcare eſt contemnere; paupertas omnia calcat, ergo
omnium eſt [4] Regina. Sed Domine mi pie Ieſu Chriſte
miſerere mei, & [5] dominæ paupertatis; nam & ego eius
amore anxior, nec ſine ipſa requieſcere poſſum. Domine
mi tu noſti, qui me de iſta inamoraſti. Sed & ipſa ſedet in
Thren. 1. v. 1. triſtitia, ab omnibus repulſa; facta eſt quaſi mulier [6] vi-
dua, domina gentium; vilis, & contemptibilis, dum om-
In contemptu habita à pleriſque. nium Regina virtutum: & conqueritur ſedens in ſterqui-
linio, quòd omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt
eius inimici, [7] & ipſos probant iamdiu eſſe [8] adulteros, &
non ſponſos. Vide Domine Ieſu, quia paupertas pro tan-
to eſt Regina virtutum, pro quanto relictis Angelorum
ſedibus deſcendiſti ad terras, vt ipſam poſſes charitate
Eam ſibi Chriſtus deſponſauit. [9] perpetua deſponſare, & [10] omnes perfectionis filios in
ipſa, & ex ipſa, & per ipſam producere: quæ & tibi cum
tanta fidelitate adhæſit, quòd & in matris vtero inchoa-
uit ſuum obſequium, dum corpus animatum habuiſti
[11] omnium minimum. Sed & [12] orientem ex vtero in præ-
ſepio ſancto recepit, & ſtabulo; & conuerſantem in mun-
do ſic omnibus te priuauit, vt [13] capitis reclinatorio face-
Chriſto fideliter adhæſit. ret te carere. Sed & fideliſſima [14] conſortia, dum ad bel-
lum noſtræ redemptionis accederes, te eſt comitata fide-
liter, & in ipſo paſſionis conflictu indiuiduus armiger
aſtitit; & diſcipulis recedentibus, & [15] negantibus nomen
tuum, ipſa non diſceſſit, ſed te tunc cum toto comitatu
ſuorum principum, [16] fideliter ſociauit. Imò ipſa matre
propter [17] altitudinem crucis (quæ tamen te [18] ſola tunc fi-
deliter coluit; & affectu anxio tuis paſſionibus iuncta
fuit) ipſa (inquam) tali matre, te non valente contingere,
domi-

domina paupertas, cum omnibus ſuis penuriis tamquam tibi gratiſſimus [19] domicellus, te pluſquam vmquam fuit [20] ſtrictiùs amplexata, & tuo cruciatu præcordialiùs iuncta. Propter quod nec ſibi vacauit crucem polire, nec [21] ruſticano more componere, & ipſos clauos (vt creditur) non [22] in ſufficienti numero vulneribus fabricauit, nec ipſos [23] exacuit, nec poliuit; ſed [24] tres rudes, & aſperos, & obtuſos ad adiuuandum tuum ſupplicium præparauit. Et dum [25] ſitis moreris ardore, ipſa fidelis ſponſa ſollicitè aſſuit, vt nec modicum aquæ poſſes habere: ſed & per ſatellites impios tantæ amaritudinis confecit poculum, quod [26] guſtare potiùs potuiſti, quàm bibere. In huius igitur ſponſæ ſtrictis amplexibus animam amiſiſti. Sed nec ipſa fidelis ſponſa tuis defuit exequiis ſepulturæ; nec tibi aliquid in ſepulchro, in vnguentis, in linteis habere permiſit, niſi ab aliis mutuatum. Nec hæc ſanctiſsima ſponſa tuæ reſurrectioni defuit, quia in eius amplexus glorioſè reſurgens, in ſepulchro omne mutuatum & aduentitium [27] reliquiſti. Hanc [28] tecum aſportaſti ad cælos, mundanis relinquens omnia, quæ ſunt mundi. Et tunc Dominæ paupertati ſignaculum regni cælorũ, [29] ad ſignandum electos volentes incedere per perfectionis ſemitam, reliquiſti. O quis non diligat Dominam paupertatem hanc præ omnibus? A te peto hoc priuilegio conſignari, exopto [30] hoc theſauro ditari; poſtulo, vt [31] mihi & meis in æternum ſit proprium, pauperrime Ieſu, propter nomen tuum nihil poſſe ſub cælo proprium poſsidere, & alienis rebus ſemper [32] cum vſus penuria, dum viuit caro miſera ſuſtentari. Amen.

Quales fuerint Christi claui.

Perfectorum ſignũ paupertas.

ADNOTATIONES IN ORATIONEM PRO OBTINENDA PAVPERTATE.

1. ORATIO, &c.] Titulum, Orationis verbis conſonum, nos appoſuimus.

2. SCIO.] Vbert. habet *ſitio*, quod chalcographi vitio vertendũ puto; nec nõ & alia quæ correximus, ipſius Ora-

Orationis ſenſu adiuti: vnde in aliquibus, quia varietas lectionum deſuit, diuinare potiùs licuit quàm tranſcribere.

3. NOVI FVIT FIGVRA.] Ita Paulus 1. Cor. 10. v. 6. ſupplicia & præmia Iudæorum *in figura facta eſſe noſtri* affirmat. & v. 11. *Omnia*, inquit, *in figura contingebant illis. Non quod omnia in veritate*, aduertit Caietanus, *non fuerint res geſtæ, ſed etiam fuerint præſignantia futurorum* in lege gratiæ.

1. Cor. 10 v. 11.

Caietan. ibidem.

4. REGINA.] Reginam vocaſſe B. Patrem, refert etiam Bonauentura, licet ex alio capite, *quia ſcilicet in Rege Regum, & Regina matre ipſius tam præſtanter effulſit*: quod & ipſe Franciſcus inferiùs clariùs explicuit. Vide Collat. 5. Alia tamen ratione hîc Reginam vocat, quia dum per eam omnia deſpiciuntur & calcantur, per eam omnia conquiruntur & poſſidentur. *Prorſus totum mundum*, inquit Auguſtinus, *dimiſit Petrus, quia non ſolùm quod habebat, ſed quod habere poterat, reliquit, & totum mundum accepit Petrus. Quaſi nihil habentes*, ſcilicet quod dimittant, & tamen *omnia* quaſi Reges per paupertatem *poſſidentes. Vis*, ait Chryſoſtomus, *paupertatis opes quantæ ſint diſcere? Non imperat hæc viris, ſed imperat dæmonibus: non aſſiſtit Regi, ſed aſſiſtit Deo; non hominis ſed Angelorum commilito eſt. Non habet duos vel tres vel viginti loculos rerum plenos, ſed ſic abundat, vt vniuerſum mundum paruipendat & contemnat.* Parum infrà: *Regnum, aurum, & omnia huius generis, quaſi pueriles ludos, trochos dico & pilas, aſpernatur atque contemnit.* Vide eumdem lib. 2. contra Vituperatores vitæ Monaſt. & Homil. 28. ad popul. Alia noſtri Auctoris encomia paupertatis, vide Tom. 3. Orac. 4. Non pigeat videre Val. Max. lib. 4. cap. 4. nec Bernar. Senenſ. Tom. 4. Serm. 16. extraord. parum poſt princ. aut D. Antonium Patauinum Serm. in Domin. infra Octauam Natiuit. Chriſti, parum à principio.

Bon. c. 7. in princ.

Auguſt. Conc. 3. in Pſalmũ 103. Tom. 8.

2. Cor. 6. v. 10.

Chryſo. Hom. 48. in Mat. Tom. 2.

5. DOMINÆ PAVPERTATIS.] Benè Dominam vocat, quæ ad generoſæ Dominæ more terrena cuncta quaſi ſeruilia & vilia contemnit. *Expedita eſt, ſecura eſt. Cùm claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti: cùm aliqua conclamatio eſt, quomodo exeat, non quid efferat, quærit. Magna poſſeſſio eſt*, ait Chryſoſtomus, *ipſam ſapienter ferentibus, theſaurus qui nequeat auferri, baculus firmiſſimus, inculpabilis poſſeſſio, diuerſorium ab inſidiis tutum.* Addam: *In vniuerſum efficax eſt virtutis gymnaſium.* Vide Ambroſ. in Apolog. poſter. pro Dauid, cap. 11. ad med. Tom. 1.

Seneca Epiſt. 17.

Chryſo. Homil. 2. ad Antioch.

Stobæus Serm. 95.

6. VIDVA.] Quia ſcilicet Chriſto deſponſata, & tamquam fideliſſima conſors Apoſtolis præcipuiſque Eccleſiæ viris adhæſit; ſed poſteà vt plurimùm contempta & derelicta.

7. ET IPSOS.] Vbert. corruptè habet *eſt ipſos*.

8. ADVLTEROS.] Irrita namque fide prima, & vera ſponſa derelicta, multi etiam ex Monachis indignè abierunt poſt alienigenas mulieres, diuitias ſcilicet, & ſæculi vanitates.

9. PERPETVA.] Quia, vt ſtatim infrà dicitur, *nec in terra degens, nec in cælum aſcendens eam repudiauit.*

10. OMNES PERFECTIONIS FILIOS.] Perfectionem namque ſectantibus aiebat: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, &* Mat. 19. v. 21.

da

Hieron. Epiſt. 1. ad Heliod. c. 6. *da pauperibus*. Benè ergo infert Hieronymus: *Perfectus ſeruus Chriſti nihil præter Chriſtum habet, aut, ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt; & ſi perfectus non eſt, cùm ſe perfectum fore Deo pollicitus ſit, ante Deum mentitus eſt.* Vide Hieron. Epiſt. 8. ad Demet. poſt med. & Epiſt. 150. ad Hedib. quæſt. 1. & Philonem lib. Quòd omnis probus liber, ad med. & lib. de Vita contemplatiua.

Auctor Compen. Theolog. verit. l. 4. cap. 10. apud Bonau. in Append. Tom. 7. Auguſtinum citat Magiſt. in 3. diſt. 3. 11. OMNIVM MINIMVM.] *Quamuis enim membra corporis Chriſti fuerint in conceptione completa & perfecta vſque ad animæ ſuſceptionem, ipſorum tamẽ membrorum diſtinctio, ſecundùm Auguſtinum, tam parua & tenuis fuit, quòd humano viſui vix poſſet ſubiici; quia in tanto fuit minus corpus illud, quàm alius conceptus cùm formatur, quantum augeri poſſet in vtero infra 46. dies: vnde miraculoſum fuit, quod in tam paruo corpore recepta fuit anima. Simul,* inquit Damaſcenus, *caro, ſimul Dei Verbi caro, ſimul caro animata anima rationali & intellectuali.* Damaſc. l. 3. c. 2.

12. ORIENTEM EX VTERO.] Appoſita phraſis Chriſti natiuitati: ad ſolis enim ſimilitudinem ab Oriente exurgentis, ex virginea illæſaque materna carne Chriſtus Dominus quaſi Oriens progreſſus eſt. Vide Conſal. Durant. Adnot. in lib. 1. Reuel. S. Brigit. cap. 1. num. 1. & Auguſt. Tom. 10. Serm. 17. de Natiuitat. Domini. *E ſacris*, inquit, *viſceribus radius æternæ claritatis effulſit.*

13. CAPITIS RECLINATORIO.] Ex ipſo veritatem hanc accepimus. Mat. 8. v. 20. *Filius*, queribundus dixit, *hominis non habet, vbi caput reclinet.* Erubeſce Chriſtiane, qui in ſpatioſis palatiis inter ſerica aulæa luxu diſſolueris.

14. CONSORTIA.] Femininum à *conſors*, idem quod *conſocia*. Parum Latina vox, apud nullũ vſitata.

15. NEGANTIBVS.] Omnes negaſſe indicare videtur, vel quia fugerunt omnes, ſeu fugiendo negauerunt; vel per συνεκδοχὴν omnes negare dicũtur, quia vnus vel alter.

16. FIDELITER.] Socordiâ typographi irrepſit *fidelibus*.

17. ALTITVDINEM CRVCIS.] Altitudinem hanc patibuli inſinuare videtur Eccleſia in illo ſuo paſſionis & compaſſionis Hymno, his verbis: *Flecte ramos arbor alta*, &c. Et B. Brigitta, dum per plures gradus aſcendiſſe ait nebulones crucifixores, vt Chriſtum in cruce priùs erecta (vt aliqui etiam ſentiunt) configerent. Brig. l. 7. cap. 15. Vide Paleottum & Mallonium de Chriſti ſtigmat. cap. 4. Sed ceteris clariùs, & noſtri Auctoris menti conformiùs Bernardus, vel Auctor illius Tractatus de Lament. *Surſum Maria manus niſu quo poterat, extendebat, vnicum ſuum amplecti deſiderans, nec valebat.* Bernar. tract. de Lament. Virg. ad med. Parum infrà: *Leuabatur à terra ſurſum, vt dilectum ſuum contingeret, ipſumq́; tangere nequiens*, &c. Videndus Iuſtus Lipſ. lib. 2. de Cruce, cap. 7.

18. SOLA TVNC FIDELITER CONVIT.] Ita ſenſit Auguſt. tractat. 79. in Ioan. licet aliter ſentire viſus ſit ipſe, vel qui Auctor eſt qq. Vet. & Noui Teſtamenti, quæſt. 73. vbi ait: *Etiam Maria, per quam geſtum eſt myſterium incarnationis, in morte Domini dubitauit.* Piè tamen à diuo Thoma Comment. in c. 2. Lucæ, & ab aliis nouioribus Theologis explicatur. Noſtri Auctoris ſententia ceteris communis eſt.

19. DOMICELLVS.] Idem quod aſſecla, ſeu ſeruunculus, qui ea quæ domini ſunt curat, ad omnia expeditus. Nomen Latinis parum receptum, antiquis Gallis & Italis mage vſitatum, frequens apud D. Bernardinum Senenſ. præcipuè Tom. 2. Serm.48.art. 2.

20. STRICTIVS AMPLEXATA.] Quia eò vſque ſi quid ſuum, vel veſtimentum retinebat; in cruce tamen expanſus, totus nudus, ſummæ paupertatis brachiis ſe commiſit. Nec enim audiendus videtur Abul. qui propria femoralia in cruce retinuiſſe, & cum eiſdem ſepultum aſſeuerat; vidédus Mallon.c.6. n.10.Bern.Senenſ. Tom.1.Ser.55. 1.part.art. 4. cap.3. lit. E. & Suar. Tom.2.in 3.p.diſp. 36. ſect.4.

Abul.Paradox.5. cap.4.

21. RVSTICANO MORE.] Rudiori ſcilicet more; ciuicorum eſt enim politior mos in componendis quibuſcumque. Quaſi velit quòd crux Chriſti nec curiosè nec rudè, vt ſancta eius membra reciperet, à prædonibus compoſita ſit, aut à fabro lignario ſecuri aut aſcia fabrefacta, vel terſa, aut ad artem conſtructa; ſed ſolùm rudibus tranſuerſis ſtipitibus, & incompoſitis lignis ex eis ferales prædones crucem extruxerint. Ita colligi poteſt ex B. Brigit. lib.1.Reuel.cap.10.

22. IN SVFFICIENTI NVMERO.] Manuum & pedum, præter laterale, vulnera erant quatuor, claui verò tres, vt ſtatim n. 24. dicemus.

23. EXACVIT.] Craſſos, groſſos, & obtuſos fuiſſe clauos, quibus Chriſtus cruci ſuffixus eſt, docet Ludolph. 2.p. c.63. paululum poſt init.& Mallon. cit.cap.16.n. 3.& 4.

24. TRES.] Totidem, & non plures paucioréſve fuiſſe, probabilior & verior eſt ſententia. Vide quæſtionem fuſiùs exagitatam apud Mallon. cit.c.19.poſt numerum 9. Barrad. Tomo 4. lib. 7. cap. 13. & Angel. del Paz, lib. 6. in Symb. cap. 21.

25. SITIS MORERIS ARDORE.] Verè & corporaliter ſitiiſſe Chriſtum, communiter docent Doctores, pœnarum acerbitate humidi radicalis in tormentis abſumptione, & ſanguinis tanta effuſione. Quid verò ſpiritualiter ſitierit, vide Ludolph. proximè citatum ad med. cap.& Bern.Senenſ.Tom.1.Ser.55. art.1.cap.5. part.2.

26. GVSTARE POTIVS.] Nullo modo accepiſſe ſcribit Marc. c. 16. licet Matth. cap. 27. guſtaſſe referat: ſed ab Auguſtino reconciliantur. *Nihil diſtat*, inquit, *ſimpliciter guſtare, & non bibere; ſed vnum & idem ſignificant*. Vnde nec primum poculum myrrhatum, & ante erectionem in crucem oblatum, nec ſecundum poſtulatum, ſed aceti propinatum, admiſit. Rationes quaſdam tam literales quàm myſticas vide apud Ludolph.& Senenſ. citatos.

Auguſt. lib. 3. de Conſen. Euangeliſt. c.11.

27. RELIQVISTI.] *Sepulchralia*, inquit Iuſtinus Martyr, *in monumento veſtimenta reliquit*, quæ poſteà (vt referunt Luc. cap. 24. & Ioan.20.) viderunt Petrus, & ille alius qui citiùs præcucurrit ad monumentum. Quæ verò qualiáve fuerint hæc lineamina à Chriſto in ſepulchro derelicta, non eſt noſtri inſtituti diſputare. Videndus Iuſtinus citatus, Nyſſenus Orat. 1. de Reſurrect. & Beda libello de Locis ſanctis.

Iuſtin. q.117.

28. TECVM ASPORTASTI.] Nihil enim præter humanitatem & nuditatem noſtram, ſed in melius mutatam,

tam,

Pſal. 67. v. 19. tam, ſecum in cælos euexit. *Aſcendens in altum, hæc dona accepit in hominibus*, humanitatem & paupertatem. Quid enim aliud diuina potentia cunctorum largitrix acciperet, aut humana penuria cunctorum indiga tribueret? Vide Bernardum Homil. 4. ſuper Miſſus eſt, ante finem, & inferiùs Tom. 3. Oraculū 4.

29. AD SIGNANDVM ELECTOS.] Non dixit electos abſolutè, ſed electos maiorem perfectionem ſectantes, quod ſuprà n. 10. oſtendimus. Modò ex Chryſoſtomo addimus, quatenus aut qualiter in perfecto paupertas ſit ſignaculum, aut per illam dignoſcatur. *In animo veri pauperis*, inquit, *ſeu inopis vltrò ac ſponte ſua, fulget vt aurum, ſplendet ſicut gemma, floret quaſi roſa.* Heu quàm benè paupertate ſignantur!

Chryſo. Hom. 48 ad pop. Antioch.

30. HOC THESAVRO DITARI.] Theſaurū non immeritò vocat voluntariam paupertatem: hanc etenim qui profitetur, ſæculi diuitibus, etiam opulentioribus, opulentior erit, vt egregiè perſuadet Chryſoſtomus diuiti cuidam mœrenti, triſtitiaque affecto, filio, eo renitente, Monacho facto, deiectionē & paupertatem ſuperuenturam timenti. *Idcircò*, inquit, *illud ſolum addiſcere cupis, quonam modo ille diues ſit, ac te ipſo, qui tam multa poſſides, longè opulentior? Hoc ego modò te docebo, oſtendamque te, ſi illi compateris, id pati quod illum pati arbitraris, atque in extrema paupertate degere. Nempe enim tu eorum tantùm, quæ poſſides, dominus es; ille verò omnium, quæ ſunt in toto orbe terrarum.* Argumentumque hoc latè ibidem proſequitur Chryſoſtomus. vide n. 4. 5. & 29. harum Adnotat. & Tom. 3. Apophth. 3. & Parab. 1.

Chryſo. l. 2. Contra vituperatores vitæ Monaſt.

31. MIHI, ET MEIS IN ÆTERNVM SIT PROPRIVM, &c.] Hoc obtinuit egregiè: namque viriliter quibuſcumque ſæculi bonis valedixit, tam in proprio quàm in communi. Vnde illius Religioniſque ſuæ proprium eſt, nihil in terra poſſidere; ceteri verò Ordines ſaltem in communi ſuas admittunt poſſeſſiones, annuoſq; redditus. Vide Concil. Trid. Seſ. 24. cap. 3. *Religio verò Fratrum Minorum nihil habet proprium*, inquit Bonauentura, *nec aliqua ipſius Ordinis perſona; ſed vt ſerui Chriſti, & ſeruiles pro Chriſto effecti, qui pro nobis formam ſerui accepit, in domibus viuunt alienis, illum imitantes, qui nullum habuit titulum domicilij, vbi caput ſuum ſanctiſſimum reclinaret.* Plura ibidem vide apud eum, & in expoſit. illorum verborum cap. 2. *Et caueant Fratres, & eorum Miniſtri, ne ſolliciti ſint*, &c. & in quæſtionibus circa Reg. quæſt. 4. forſan non pœnitebit. Plura huius argumenti differimus in Adnot. in 2. Reg. Tom. 2.

Bon. in Expoſ. in c. 1. Reg. Minor.

32. CVM VSVS PENVRIA.] Hæc an ſit de neceſſitate, vel eſſentia paupertatis Franciſcanæ; quæ, quanta, qualiſve eſſe debeat; ſuperfluis vtentes an peccent, vide Cordubam in Expoſit. Reg. Minor. cap. 6. 9. 14. puncto 1. 2. & 3. & quæſt. 6. cap. 15. Cap. Exiit. de Verb. ſignif. art. 2. §. Porrò. C. Exiui. de Verb. ſignif. art. 8. §. Ex præmiſſis autem, & Ludouicum de Miranda in Reg. Minorum, cap. 89.

[1]ORATIO,
quam dicere ſolebat, quando ſanctiſsimum CHRISTI *Corpus eleuabat Sacerdos.*

DOMINE Deus, cæleſtis Pater, reſpice in hanc glorioſam Chriſti tui faciem, & miſerere mei, & cęterorum peccatorum, pro quibus benedictus Filius tuus & Dominus noſter dignatus eſt mori, & pro quorum ſalute & [2] conſolatione in ſancto Sacramento Altaris nobiſcum voluit remanere: cum quo tu es, Pater, & Spiritus ſanctus; qui vnus es Deus, & viuis cum Filio, & Spiritu ſancto, in ſæcula ſæculorum. Amen.

ADNOTATIO IN ORATIONEM PRO ELEVATIONE CORPORIS CHRISTI.

QVI eximiam beati Patris deuotionẽ erga Euchariſtiæ Sacramentum ſcire voluerit, conſulat diuum Bonauenturam c. 9. Legen. poſt principium, legatque Epiſt. 12. 13. 14. & Teſtamentum. Ad immaculatæ Hoſtiæ in Altari eleuationem hac vtebatur Oratiuncula, mole, non pondere, parua. Tota eſt in MS. Hib. Prima tantùm verba, ſcilicet *Domine Deus, cæleſtis Pater, reſpice in hanc glorioſam Chriſti tui faciem, & miſerere mei*, habet Ianſen. c. 135. Comment. in Concordiam Euang. ad illa verba, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, &c.

1. ORATIO, &c.] Noſter hic titulus eſt, Orationi accommodatus.

2. CONSOLATIONE.] Nec enim ardenter amantibus modica eſt conſolatio præſentia. vnde diuus Thomas: *Tranſiturus de hoc mundo ad Patrem Chriſtus, hoc Sacramentum inſtituit, tamquam de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare.* D. Tho. Opuſculo 57.

ORATIO
ad impetrandum diuinum amorem.

FRANCISCVM *Auctorem huius Orationis eſſe, nobis teſtatur D. Bernardinus Tom. 2. Serm. 60. art. 2. cap. 2. ad finem, & Vbert. lib. 5. Arb. vitæ Chriſti, cap. 4. paululum poſt initium, quam ſine titulo tranſcripſit, ſolúmque (loquens de magna amoris Franciſci efficacia in recipiendis Stigmatibus, in quorum ſuſceptione eam recita-*

recitauit) præponit Orationi: Completum eſt in illo, quod anteà ipſe petebat, dicens. *Ex quibus verbis, & ex ipſa Oratione, titulum eiuſdem eruimus.*

ABSORBEAT, quæſo Domine, mentem meam ab omnibus quæ ſub cælo ſunt, ignita & melliflua vis amoris tui; vt amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori: per temetipſum Dei Filium, qui cum Patre, &c. Amen.

Alia in infirmitate.

GRATIAS tibi ago Domine Deus, de omnibus his doloribus meis, teque mi Domine rogo, vt centuplum, ſi tibi placuerit, addas; quia hoc erit mihi acceptiſſimum vt affligens me dolore, non parcas, cùm tuæ ſanctæ voluntatis adimpletio, ſit mihi conſolatio ſuperplena.

ADNOTATIO IN ORATIONEM IN INFIRMITATE.

ORATIONEM hanc effudiſſe Franciſcum, memorat Bonau. cap. 14. Legendæ maioris, parum poſt princip. & Piſan. lib. 1. Confor. 12. cap. 16. paululum ante mortem, cùm aliquantulùm ſolito grauiùs dolorum aculeis vrgeretur, dumque Frater quidam ſimplex diceret ad eum: Frater, ora Dominum vt mitiùs tecum agat; manum enim ſuam plus debito ſuper te grauare videtur. Quo audito vir ſanctus, cum eiulatu exclamans, ait: Niſi noſcerem in te ſimplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerem conſortium, qui auſus fueris circa me diuina iudicia, reprehenſibilia iudicare. Et licet totus eſſet attritus, grauis prolixitate languoris, proiiciens ſe in terram, oſſa debilia duro caſu colliſit; deoſculans humum, præcedentem dixit Orationem: in qua & Iobi patientiam, & Tobiæ voluntatis conformitatem cum diuina breuiter & ad viuum repræſentat. Nulli inutile erit eam in ſua infirmitate, me fideiuſſore, recitare.

[1] ORATIO
PRO COMMENDANDA SVA FAMILIA.

ARGVMENTVM.

ORATIONEM *hanc refert Piſanus lib. 2. Conf.* 11. *quæ eſt* 23.*in ordine,& Floretum folio mihi* 102.*poſt medium; edidiſſeque ait B. Patrem iunctis manibus, & oculis erectis in cælum, quando Generalatus officium dimiſit; familiam, quam in illud vſque tempus ſumma prudentia & ſanctitate gubernauit, Dei tutelæ commendans.*

[2] DOMINE, commendo tibi familiam tuam, quam mihi hactenus commiſiſti; & nunc propter infirmitates, quas tu noſti Domine, curam ipſius habere non valens, recommendo eam Miniſtris [3] qui teneantur in die Iudicij coram te Domine reddere rationem, ſi quis Fratrum propter eorum negligentiam, vel malum exemplum, ſeu [4] aſperam correctionem, perierit.

ADNOTATIO IN ORATIONEM PRO COMMENDANDA FAMILIA.

1. ORATIO,&c.] Titulum præfiximus nos Orationi conſonũ.

2. DOMINE, COMMENDO, &c.] Ita totam hanc Orationem, nihilo mutato, habet Piſanus citatus, eiúſque meminit Rodul. lib. 2. fol. mihi 160. pag. 2. licet breuiùs aliterq́; eam referat, ita: *Domine Deus, hanc quam mihi hactenus conceſſiſti familiam, atque eius rationem in me ipſo collocaſti, commendatam habeas rogo; nihil enim maiori ſtudio, cura, atque ſollicitudine commendare poſſum & valeo.*

3. QVI TENEANTVR, &c.] Non rogat vt modò teneantur rationem ſubditorum reddere Prælati, quaſi anteà ad illud non nouerit teneri, iuxta illud Pauli: *Ipſi peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Hebr. 13 v.17. ſed vt ſe eximat & liberet ab ea reddenda, ipſiſque maiorem incutiat timorem & vigilantiam circa gregem commiſſum, propter imminens periculum, *quod maximum eſt*, inquit Thomas, *de factis alterius rationem reddere, qui pro ſuis non ſufficit.* Thom. Lect.3.in c.13.ad Hebr. 3. *Reg.* 20. *Cuſtodi virum iſtum: qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* 3 Reg 20 v.39. *Reddent enim Prelati in die Iudicij rationem de ſibi commiſſis, quando fiet eis illa quæſtio. Ier.* 13. *Vbi eſt grex, qui datus eſt tibi, pecus inclytum tuum,* &c. Ierem.13 v.20. Vide primam Regulam, cap. 4. Tom.2.

4. ASPE-

4. ASPERAM CORRECTIONEM.] Nihil enim magis blanda correctione, & miſericordia erga ſubditos, Prælatis vbique inculcat, vt videre eſt Epiſt. 6. 7. 8. & 9. & Tom. 3. Collat. 24. rationemque eamdem, quam hîc, ibi aſſignat, ne ſcilicet *pereant ſubditi, & deſperationis morbus prævaleat in infirmis*. vnde optimè Bernardus: *Blanda pietate ſunt portandi delinquentes ſubditi, qui pro ſua infirmitate non poſſunt increpari.* Bern. in l. de Benè viuendo ad ſororem Serm. 18. Latiùs ibidem hoc proſequitur argumentum, & optimè. Non pigeat videre & Epiſt. 137. ad Eugen. III. Pont. Chryſoſt. Hom. 73. in c. 23. Matth. in illa verba: *Ligant onera grauia & importabilia*, &c. Tomo 2. D. Antonium à Padua Sermon. in Dom. 7. poſt Trinit. ad finem.

[1] ORATIO QVOTIDIANA B. PATRIS FRANCISCI.

ARGVMENTVM.

HANC *ex variis fragmentis & locis collegimus apud Piſanum lib. 1. Conf. 8. Tract. De prouincia ſancti Franciſci, in Vita Bernar. de Quintau. & lib. 2. Conf. 11. ſparſim, & ex Sedul. in Hiſtor. Seraph. Comment. in c. 13. Vita B. Franciſci, §. 2. quam poſteà integram offendimus in Cod. MS. Hib. Argumentum ſatis clarum eſt.*

DEVS meus, & omnia. [2] Quis es tu dulciſſime Domine Deus meus, & [3] quis ſum ego vermiculus ſeruus tuus? Sanctiſſime Domine, vellem te diligere. Dulciſſime Domine, vellem te diligere. Domine Deus, ego vobis totum cor meum & corpus meum dedi, & vehementer deſidero, ſi tamen ſcire poſſem, pro veſtro amore [4] plura facere.

ADNOT. IN ORAT. QVOTIDIANAM.

1. ORATIO, &c. Ex Cod. MS. Hib. titulum appoſuimus.

2. QVIS ES TV, &c.] Ad hæc verba ait Sedulius, retuliſſe Franciſcum ſocio Leoni in monte Aluernæ, dum ante impreſſionẽ Stigmatum hanc recitaret Orationem, ſe fuiſſe in quodam lumine contemplationis, in quo videbat abyſſum infinitæ bonitatis diuinæ, & profundum lacrymoſum vilitatis ſuæ, proptereaq; dixiſſe: *Quis es tu Domine? Summè ſapiens, ſummum bonum, ſummè clemẽs, & viſitas me, qui ſummè vilis, & vermiculus vnus modicus, abominabilis, & deſpectus ſum?*

3. QVIS SVM EGO?] Audi, quæſo Lector, Hebræum Philoſophum: Phil. lib. de Somniis, paululũ poſt princip. *O benè, propinqua conſidera, imò te ipſum abſque adulatione ſcrutare.* infrà: *Deſine ſpeculari cæleſtia*, id eſt aſtrologica. *diuulſus ab illa ſcrutatione, noſce te ipſum; & hoc vt poſſis, da operam, vtque curis humanis vaces.*

infrà:

infrà: *Qui ſeipſum valdè cognoſcit, valdè contemnit, reputans quàm nihili ſit, quidquid creatum eſt: qui autem ſeipſum ſpernit, eum, qui eſt,* Deum ſcilicet, *cognoſcit.* Quàm egregiè ad Franciſci mentem? qui dum Dei magnitudinem conſiderat, ſe deſpicabilem & vermiculum deprehendit. Plurima huius argumenti, è præcipuis Doctoribus congeſta, vide apud Sedulium citatum.

4. PLVRA FACERE, &c.] *Charitas*, inquit Apoſtolus, *numquam excidit.* 1. Cor. 13 v. 8. *Verus amor*, ait Bernardus, *veraque virtus finem neſcit, tempore non clauditur.* Bernar. Epiſt. ad Guarinũ Abbat. Alpenſ. 253. infrà: *Semper de bono in melius totis viribus proficere conatur.* infrà: *Sempiterna eſt iuſti eſuries.* Vide Adnot. Epiſt. 5. n. 3. & in Teſtamentum eiuſdem n. 24.

TESTAMENTVM B. PATRIS FRANCISCI.

ARGVMENTVM.

TESTAMENTVM *hoc, vltimámque ſuam hanc voluntatem, quam non modicè extollit Card. Bellarminus Tom. 6. ſuorum Operum, Serm. de Gloria miraculorum, Fratribus circa mortem, vitæq́ finem, exaraſſe aſſerit Vbertinus lib. 5. cap. 3. poſt med. clariùs Piſanus lib. 3. Conf. 2. vbi ſummatim & per ſententias illud refert; & lib. 1. Conf. 12. Aluarúſque Pelag. lib. 2. de Planctu Eccleſiæ, per varia capita ſparſim plures particulas eius recenſent. Totum verò, eo ordine quo nos poſuimus, Firm. 1. part. fol. 16. col. 4. Monum. Ord. vtriuſque impreſ. tractat. 2. Biblioth. vet. Pat. Tom. 5. in fine Biblioth. nouæ excuſionis, Tom. 13. Enchirid. ſeu Manuale Frat. Min. fol. 4. pag. 2. Reboll. 1. part. lib. 2. cap. 28. & Laërt. Cherub. Tom. 1. ſui Bullarij ſub Honor. III. Conſtit. 5. ſed in paragraphos 20. diſtinctum. Argumentum, in quo Fratres ad obedientiam Romanæ Eccleſiæ, reuerentiam diuini cultus, & Regulæ obſeruantiam adhortatur, ſatis clarum eſt.*

Conuerſionis Franciſci initium.

[1] DOMINVS ita dedit mihi Fratri Franciſco incipere facere pœnitentiam: quia cùm eſſem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leproſos; ſed ipſe [2] Dominus adduxit me inter illos, & feci miſericordiam [3] cum illis. Et recedènte me ab ipſis, id quod videbatur mihi amarum, conuerſum [4] fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et [5] poſteà parum ſteti, & exiui de ſæculo. Et Dominus dedit mihi

hi talem fidem in Eccleſiis ſuis, vt ita ſimpliciter ado- *Modus*
rarem, & dicerem: Adoramus te ſanctiſſime Domine *adorandi in Eccle-*
Ieſu Chriſte hîc, & ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt *ſiis.*
in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per ſanctam
Crucem tuam redemiſti mundum. [6] Poſteà dedit mi-
hi Dominus, & dat tantam fidem in Sacerdotibus, qui *Reuerentia erga*
viuunt ſecundùm formam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ pro- *Clericos:*
pter Ordinem ipſorum, quòd ſi facerent mihi perſecutio-
nem, volo recurrere ad ipſos. Et ſi haberem tantam ſa-
pientiam, quantam Salomon habuit, & inuenirem pau-
perculos Sacerdotes huius ſæculi, [7] in Eccleſiis, in quibus
morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum.
Et ipſos, & omnes alios volo timere, amare, & honorare,
ſicut meos dominos. Et nolo in ipſis conſiderare pecca-
tum, quia Filium Dei [8] cerno in ipſis, & domini mei ſunt.
[9] Hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in
hoc ſæculo de ipſo altiſſimo Filio Dei, niſi ſanctiſſimum
Corpus & Sanguinem ſuum, quod ipſi recipiunt, &
[10] ipſi ſoli aliis adminiſtrant. Et hæc ſanctiſſima myſteria *Et erga*
volo ſuper omnia [11] honorari, & venerari, & in locis pre- *myſteria diuina.*
tioſis collocari. Sanctiſſima nomina, & verba eius ſcripta
vbicumque inuenero in locis illicitis, volo colligere, &
rogo quòd colligantur, & in loco honeſto collocentur. Et
omnes Theologos, & qui [12] miniſtrant nobis ſanctiſſima
verba diuina, [13] debemus honorare, & venerari, ſicut eos
qui miniſtrant nobis ſpiritum & vitam. [14] Et poſtquam
Dominus dedit mihi curam de Fratribus, [15] nemo oſten- *Franci-*
debat mihi quid deberem facere; ſed ipſe Altiſſimus re- *ſcus à Chriſto*
uelauit mihi, [16] quòd deberem viuere ſecundùm formam *edoctus*
ſancti Euangelij. Et ego [17] paucis verbis & ſimplicibus *in ſua Religio-*
feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui *nis fun- datione.*
veniebant ad recipiendum vitam iſtam, omnia quæ ha-
bere poterant, [18] pauperibus erogabant. Et erant contenti

Vita primorum Fratrum Minorũ.

tunica vna, intus & foris repetiata (qui volebant) cum cingulo & [19] braccis, & [20] nolebamus plus habere. Officium [21] dicebamus nos Clerici ſecundùm alios Clericos: Laici dicebant Pater noſter. Et ſatis libenter manebamus in [22] Eccleſiis pauperculis & derelictis, & eramus idiotæ; & [23] ſubditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam,

Hortatur Fratres ſuos ad laborandum:

& [24] volo laborare, & omnes alij Fratres firmiter [25] volo quòd laborent de laboritio quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem recipiendi pretium laboris, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendum otioſitatem. Et quando non daretur nobis pretium laboris, [26] recurramus ad menſam Domini, petendo eleemoſynam oſtiatim. Salutationem hanc [27] reuelauit mihi Dominus, vt diceremus: Dominus det tibi pacem. Caueant ſibi Fratres, vt [28] Eccleſias,

Ad paupertatis zelum:

& habitacula, & omnia alia quæ pro ipſis conſtruuntur, [29] penitus non recipiant, niſi eſſent ſicut decet ſanctam paupertatem, quam in Regula promiſimus, ſemper ibi hoſpitantes [30] ſicut aduenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam Fratribus vniuerſis, quòd vbicumque

Ad vitãda priuilegia:

ſunt, [31] non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana per ſe, nec per interpoſitam perſonam, nec pro Eccleſia, nec pro alio loco, neque ſub ſpecie prædicationis, neque pro perſecutione ſuorum corporum: ſed vbicumque non fuerint recepti, [32] fugiant ad aliam terram, ad faciendum pœnitentiam, cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire Generali Miniſtro huius Fraternitatis, & illi Guardiano [33] quem ſibi placuerit mihi dare. Et ita volo eſſe captus in manibus ſuis, vt non poſſim ire, vel facere [34] contra voluntatem ſuam, quia [35] dominus meus eſt. Et quamuis ſim ſimplex & infirmus, tamen

Ad obedientiam & Officium recitandũ:

ſemper volo habere Clericum, qui mihi faciat Officium, ſicut in Regula continetur. Et omnes alij [36] Fratres ita tenean-

neantur firmiter obedire Guardianis ſuis, & facere [37] Officium ſecundùm Regulam. Et ſi aliqui inuenti eſſent, qui non facerent Officium ſecundùm Regulam, & vellent alio modo variare, aut non eſſent Catholici; omnes Fratres [38] vbicumque ſunt, per obedientiam teneantur, quòd vbicumque inuenerint aliquem ipſorum, [39] proximiori Cuſtodi illius loci, vbi ipſum inuenerint, debeant præſentare. Et Cuſtos teneatur per obedientiam ipſum firmiter cuſtodire, ſicut hominem in vinculis die noctuque, ita quòd non poſſit eripi de manibus ſuis, donec propria ſua perſona ipſum repræſentet in [40] manibus ſui Miniſtri. Et Miniſter teneatur firmiter per obedientiam [41] mittere ipſum per tales Fratres, qui die noctuque cuſtodiant ipſum, ſicut hominem in vinculis, donec repræſentent ipſum coram Domino Oſtienſi, qui eſt [42] Dominus Protector & Corrector iſtius Fraternitatis.

Et non dicant Fratres, Hæc eſt alia Regula; quia hæc eſt recordatio, admonitio, & exhortatio, & meum Teſtamentum, quod ego Frater Franciſcus paruulus veſter facio vobis Fratribus meis benedictis, propter hoc, vt Regulam, quam Domino promiſimus, meliùs Catholicè obſeruemus. Et Generalis Miniſter, & omnes alij Miniſtri, & Cuſtodes per obedientiam teneantur in iſtis verbis non addere, vel minuere. Et ſemper hoc ſcriptum habeant ſecum iuxta Regulam; & in omnibus Capitulis, quæ facient, [43] quando legunt Regulam, legant & iſta verba. Et omnibus Fratribus meis Clericis, & Laicis, præcipio firmiter per obedientiam, vt [44] non mittant gloſas in Regula, nec in iſtis verbis, dicendo: Ita volunt intelligi. Sed ſicut dedit mihi Dominus purè & ſimpliciter dicere, & ſcribere Regulam, & iſta verba; ita [45] ſimpliciter & purè ſine gloſa intelligatis, & cum ſancta operatione vſque in finem obſeruetis. Et quicumque hæc obſeruauerit, in cælo

Ad obſeruandum hoc Teſtamentum:

Et Regulam ſine gloſa.

 lo

lo repleatur benedictione altiſſimi Patris cæleſtis, & in terra repleatur benedictione [46] dilecti Filij ſui, cum ſanctiſſimo Spiritu paracleto, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis. Et ego Frater Franciſcus paruulus, & [47] veſter ſeruus in Domino, quantumcumque poſſum. [48] confirmo vobis intus & foris iſtam ſanctiſſimam benedictionem. Amen.

ADNOT. IN TESTAMENTVM B. P. FRANCISCI.

1. DOMINVS ITA DEDIT, &c.] Ita Mon. & Reboll. ſed Firm. & Biblioth. ſic: *Dominus dedit mihi Fratri Franciſco ita incipere.* ceteri carent *ita*.

2. DOMINVS ADDVXIT.] Ita placuit Mon. Reboll. & Enchir. Minùs rectè Bibl. & Firm. *conduxit*.

3. CVM ILLIS. ET RECEDENTE.] Ita punctuatum eſt in Enchir. Mon. & apud Reboll. ſed malè in Bibl. ſic: *Cum illis & recedente*, &c. aliter, & peiùs, Firmam.

4. FVIT MIHI IN DVLCEDINEM.] Ceteri, exceptis Bibl. & Firm. omiſerunt *mihi*, ſed inconcinnè.

5. POSTEA PARVM STETI.] Quanto tempore poſt primam vocationem in ſæculo manſerit, non conſtat certò apud Auctores. Volaterranus quatuor annis in ſaltibus degiſſe affirmat; alij duos in reparandis aliquibus Eccleſiis & eremitoriis conſumpſiſſe, antequam Socios admiſerit, aut prima Ordinis Minorum fundamenta iecerit. Vide Bonauenturam in eius Vita, c. 1. & 2. & Sedul. in Com. ad eamdem.

Volater. lib. 21. Anthrop. cap. 6.

6. POSTEA DEDIT.] Præter Enchir. Mon. & Reboll. ceteri præfigunt *&*, ſatis iniucundè, ob nimiam ingratamque huius copulæ recitationem.

7. IN ECCLESIIS, IN QVIBVS, &c.] Ita Reboll. Mon. & Enchir. at Piſan. lib. 1. Conf. 12. cap. 2. cum ceteris, *in Parochiis, in quibus*, &c. Primum magis placuit propter eximiam Sancti humilitatem, quæ non ſolùm Parochis, ſed & quibuſcumque Clericis in qualibuſcumque Eccleſiis obſequium & reuerentiam præſtabat.

8. CERNO IN IPSIS.] Ceteris, præter Reboll. Mon. & Enchirid. placuit *diſcerno in eis.* mihi prima arriſit lectio.

9. HÆC PROPTER HOC FACIO.] Sic Biblioth. & Firm. ceteri, *& propter hoc*. meliùs legetur *hæc*, quaſi referatur ſermo ad omnia obſequia & munia quæ Sacerdotibus ſe exhibuiſſe dicebat. De reuerentia Sacerdotibus exhibenda vide Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio, longè à principio, Tom. 5.

10. IPSI SOLI ALIIS ADMINISTRANT.] Ita Piſan. Reboll. & Mon. ceteri *miniſtrant*.

11. HONORARI, ET VENERARI.] Exceptis Biblioth. & Firm. ceteri legunt *honorare*, actiuè; ſed paſſiuè legendum duximus, quia quæ hucuſque dixit obſequia ſe exhibuiſſe Sacramentis, vult vt ab aliis Fratribus eiſdem myſteriis tribuantur.

Hanc

Hanc reuerentiam etiam præter Sacramenta præſtandam inculcat nominibus & verbis diuinis; quam etiam poſteà circa eadem non tepidè aut inaniter inculcauit Bernar. Senenſ. verus Franciſci filius, qui & verba hæc, vt quæ dicit confirmet, ibidem refert.

Bernar. Senenſ. Tom. 4. Serm. 16. extraord.

12. MINISTRANT NOBIS SANCTISSIMA VERBA.] Mon. & Reboll. omiſerunt *nobis*. & Enchir. *ſanctiſſima*.

13. DEBEMVS HONORARE ET VENERARI.] Nec Biblioth. nec Firm. habent *honorare*, nec Piſan. *venerari*.

14. ET POSTQVAM DOMINVS DEDIT MIHI CVRAM.] Firmament. locum hunc obſcurè legit. Cherubin. & alij omittunt *curam*.

15. NEMO OSTENDEBAT MIHI.] Quidam exiſtimant, ſe ſatis ex hoc loco probare poſſe, B. Franciſcum nullius fuiſſe inſtituti, niſi Minoritici, ſub nulliuſque diſciplina educatum, aut ab vllo edoctum. Vnde nec Auguſtini (vt aliqui fecundo illo modo Auguſtinianos creãdi quotquot antiquitus eremum coluerunt, vel habitum eremiticũ prætulerunt, & fundamento ſatis leui, ne dicam futili & inani, ducti contendunt) nec alterius cuiuſpiam Regulam aut vitam profeſſum, antequam Minorum viuendi normam inſtituerit. Sed parum certè fauent hæc verba: non enim abſolutè, & pro omni tempore negat ſe in ſpiritualibus habuiſſe ducem aut magiſtrum; ſed cum hac reſtrictione, & pro illo determinato tempore; poſtquam ſcilicet dedit ei Dominus curam de Fratribus: quod non tollit, quin antequam Socios haberet, de quibus curaret, ſub alterius ferula educari poſſit. Niſi cum Biblioth. vet. Pat. in tribus vltimis impreſſionibus Pariſienſ. & Colonienſ. & correctiſſimo Codice à Reu^mo Patre Clemente Monelia, poſteà S.R.E. Card. ordinato, & excuſo Romæ an. 1576. ex præcepto Iulij III. legamus ita: *Et poſtquam mihi Dominus dedit, de Fratribus nemo oſtendebat*, &c. Sic enim lecta verba hæc ſenſum reddunt longè diuerſum à ſuperiori, & accuratè expenſa cum antecedentibus Teſtamenti clauſulis, faciliùs noſtro fauent inſtituto. Clariùs rem hanc edocuit Bonauentura cap. 2. Vitæ noſtri Auctoris, dum referens geſta ſancti Patris per biennium à ſua conuerſione, quoaduſque Religionem ſuam inceperit, ait in principio eiuſdem Capitis: *Quoniam ſeruus Altiſſimi doctorem non habebat aliquem in huiuſmodi niſi Chriſtum.* Alia plura in hoc argumentum docebunt Rodulph. Epiſcop. Senogall. lib. 1. Seraph. hiſt. Sedul. in Comment. ad c. 1. Vitæ Franc. Antonius Daça 4. part. Chronic. ad initium; Piſan. lib. 1. Conf. 2. & quidam Vaſco citerioris Hiſpaniæ, qui deſcripſit geſta Religionis Franciſcanæ ab initio Religionis exorientis vſque ad annũ 1373. Longiorem, quàm nobis nunc liceat, requirit hæc concertatio diſcuſſionem. Non enim me latet, Ioan. Marquez, Doctorem Salmanticenſem, nuper plura congeſſiſſe, ex quibus ipſe fatetur, non efficaciter, ſed tantùm probabiliter ſuam deduci ſententiam. Sed nec probabilem eſſe, ego opportuniori loco & occaſione largiùs oſtendam, niſi meos conatus præuenerit Paulus à Salazar, vir apud noſtros Salmanticenſes acris ingenij, & ad doctè red-

arguendum non pigri, cui hæc iam commiſſa prouincia.

16. QVOD DEBEREM VIVERE.] Biblioth.& Firmam. *Quod ego deberem viuere.*

17. PAVCIS VERBIS, ET SIMPLICIBVS.] Biblioth. & Firmam. *& ſimpliciter.*

18. PAVPERIBVS EROGABANT.] Ita Mon. & Reboll. ceteri, *dabant pauperibus*. Pro hac expropriatione ad Ordinem venientium videndus Pelag. lib. 2. cap. 54. & in Adnotationibus noſtris ad Regulam 2. n.6. Tom. 2.

19. BRACCIS.] Dictio eſt ſatis vſitata, ſed in alio ſenſu, apud Diodorum lib. 6. Alexand. ab Alexand. lib. 5. c. 18. Gellium lib. 10. cap. 21. Femoralia vel perizomata parua linea hîc ſignificat. Scribendam monent ſine *h* viri peritiores.

20. NOLEBAMVS PLVS HABERE, &c.] Quibus viuant, & quibus tegantur, ſatis læti & hilares, nihil aliud veri pauperes deſiderant, nec admittunt. Vera namque *paupertas* (vt ait Seneca) *contenta eſt deſideriis inſtantibus ſatisfacere.* His expletis, alia quæque contemnunt, deſpiciunt, diuitum marſupia flocci-pendunt, ſola paupertate diuitibus ditiores. *Honeſta certè res eſt paupertas, læta, hilaris. Illa vero non eſt paupertas, ſi læta eſt: cui enim cum paupertate benè conuenit, diues eſt. Non qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iaceat, quantum paſcat, aut feneret, ſi alieno imminet, ſi non acquiſita ſed acquirenda computet? Quis ſit diuitiarum modus, quæris? primus, habere quod neceſſe eſt; proximus, quod ſat eſt.* Sat Minori pro tegumento ſaccus, pro cibo mendicatus panis, pro condimento eſuries. *Paruo fames conſtat, magno faſtidium.* Pauperes læti Minores, ſæculi Principibus locupletiores.

Senec. Epiſt. 17.

Idem Epiſt. 2.

Idem Epiſt. 17.

21. DICEBAMVS NOS CLERICI.] Mon. omiſit *Clerici*. vide Adnot. ad Reg. 2. n. 13. Tom. 2.

22. ECCLESIIS PAVPERCVLIS ET DERELICTIS.] Deeſt in Mon. *paupercults & derelictis.*

23. SVBDITI OMNIBVS.] Vera verorum Minoridarum humilitas nullum inferiorem agnoſcit, nulli ſe reputat æqualem, cunctis ſubiecta, cunctos ſibi cenſet ſuperiores. Vide Adnotat. ad Epiſt. 2. num. 2. & in Adnotat. ad verba Sacræ admonit. num. 87. Non aliter Paulus ſe & ceteros Apoſtolos *omnium eſſe ſeruos per Ieſum* dixit. *Quoniam*, (ait Chryſoſtomus, Pauli mentem explicans) *ipſi Chriſto viſum eſt ſic nos honorare, eò quòd ſic nos dilexit, & omnia pro nobis fecit. Ideò & dicit Apoſtolus, Nos autem ſeruos veſtros propter Chriſtum.* infrà: *Nihil nobis proprium facimus; ſed & vobis nos ipſos, propter illum, ſubiicimus.*

1. Cor. 4. v. 5.

Chryſo. Homil. 8 in hunc locum Pauli, poſt med.

24. VOLO LABORARE.] Satis laboraſti, Pater, egregiè certaſti, inimicum confudiſti, curſum cōſummaſti: modò in pace quieſce, arma depone, bella dimitte, & parta potire victoria; membrorum debilitati condeſcende, acquieſce infirmitati, parce ætati. Heu! de te dicam illud Eccleſiaſtici: *Cùm conſummatus fuerit homo, tunc incipiet.* & quod Bernardus de Abbate Alpenſe: *Vincit annos animus, & frigente iam corpore, feruet ſanctum in corde deſiderium; artubuſque fatiſcentibus, durat tamen incolumis* propo-

Eccli. 18. v. 6.

Bernar. Epi. 259. ad Guarinū Abb. Alpenſ.

propoſiti vigor, nec ſentit rugoſa car-nis infirma ſpiritus promptus. Vide Adnot. Epiſt. 5. n. 3.

25. VOLO QVOD LABORENT.] Ne otio torpeſcant, ignauiáque re-ctus curuetur animus, debitáque virtute per ſocordiam deſtituatur. Seneca Epiſt. 31. *Generoſos* etenim *animos labor nu-trit. Laborem ſi non recuſes, parum eſt; poſce. Non eſt viri timere ſudo-rem.* Maximè quando *homo ad labo-rem naſcitur, & auis ad volatum.* Iob 5. v. 7. *Quia inde*, ait Gregorius, *mens ad ſumma euolat, vnde caro in infimis duriùs laborat.* Greg. 6. Moral. cap. 7. Tom. 2. Mentem enim *labor*, inquit Phocylides, *ad virtutem val-de iuuat.* Phocylides Poëmate 6. Vide Adnotat. in Reg. 1. num. 25.

26. RECVRRAMVS AD MENSAM DOMINI.] Menſa Domini liberali-tas eſt diuitum, vel quia quod pau-peri erogant, à Deo acceperunt, iux-ta illud Auguſtini: *Dicit tibi Chri-ſtus: Da mihi ex eo quod dedi tibi. De meo quæro. Da, & redde: habuiſti me largitorem, fac me debitorem.* Auguſt. Serm. 15. de Verbis Domini. Vel aliter Menſa Domini dicitur, quia cum pauperibus huic menſæ Chri-ſtus Dominus aſſidet, & in paupe-ribus eleemoſynas recipit, iuxta il-lud Hieronymi: *Menſulam tuam pauperes & peregrini nouerint: tu cum illis Chriſtum conuiuam noueris.* Hieron. Epiſt. ad Demetriadem virginẽ. Vide Baſil. Serm. de Beneficen. & Hieron. Epiſt. 2. ad Nepotian.

27. REVELAVIT MIHI DOMI-NVS, &c.] Ita Biblioth. & Firm. ce-teri aliter legunt, & verba inuertunt: *Salutationem mihi Dominus reuela-uit.* Parum refert, quonam horum modorum legatur.

28. ECCLESIAS, ET HABITACV-LA, ET OMNIA.] Ita Biblioth. Firm. & Enchir. ceteri legunt, *& habitacu-la paupercula.* cuius adiectiui di-minutiui ſuperfluam iudico adie-ctionem: ſi enim paupercula eſſent, non prohiberet recipi; & quòd ſo-lùm paupercula ſint, ſanctamque præ ſe ferant paupertatem in omni-bus, rogat.

29. PENITVS NON RECIPIANT.] Si quæ meliora tecta recipere, & in illis degere per hæc verba nobis pro-hibeatur; ad eaque & cetera huius Teſtamenti ſub mortali teneamur obſeruanda; vide Gregor. quæſt. in expoſ. Regulæ Min. art. 1. expoſi-tionem 4. Magiſtrorum cap. 1. 6. Exiit, De verborum ſignif. art. 10. §. Ceterùm. & Cordub. in Reg. c. 1. quæſt. 1. Habeo de hoc egregium Tractatum B. Ioannis à Capiſtrano manuſcriptum.

30. SICVT ADVENÆ ET PERE-GRINI, &c.] Hæc eadem verba hiſ-que ſimilia habet Tom. 3. Collat. 5. rationemque reddit ibidem, dicens: *Leges namque peregrinorum ſunt ab alieno colligi tecto, ſitire ad patriam, pacificè pertranſire.* & Tom. 2. Reg. 2. cap. 6. tamquam peregrinos & ad-uenas in hoc mundo nos degere iu-bet, nihil, quod mundi eſt, pro pro-prio reputantes. Vide in Adnot. ſe-cundæ Reg. n. 21.

31. NON AVDEANT PETERE ALI-QVAM LITTERAM, &c.] Hoc mul-toties Fratribus inculcabat, ne per priuilegia Pontificum, immunitates libertateſque quaſcumque, ſe ho-mines conuerſuros, mundumque victuros iudicarent; ſed omnia in ſancta humilitate & profunda pa-tientia perficerent. Vide Tom. 3. Colloq. 14.

32. FVGIANT AD ALIAM TER-RAM.] Fugere etiam ſuos iuſſit ſeu conſuluit Christus, dicens: *Cùm perſequentur vos in ciuitate hac, fu-* Mat. 10. v. 23.

gite

gite in aliam. Vnde cauendus eſt error Tertull. in ſuo libro de Fuga (quem Hieronymus in eius Vita, contra Eccleſiam ſcriptum eſſe reputat) vbi ait, nulli licere Chriſtiano omnino fugere. Multis enim de cauſis, quas Theologi Morales exagitant, non ſolùm quibuſcumque Chriſtianis, ſed & Chriſtianorum Prælatis & Paſtoribus, in quibuſdã caſibus ſe in fugam vertere licebit. Franciſcum verò ſuis fugam capere conſuluiſſe reputo ob eamdem cauſam, ob quã ait Chryſoſtomus idem ſuis dixiſſe Apoſtolis Chriſtum, vt ſcilicet manſuetudine & lenitate ſua tyrannorum vincant duritiem, & longamini patientia furibundã placent inſaniam perſequentium. Cedant iræ ad tempus locum, vt in aliud tempus vtilitati ac profectui ſe ſeruent Chriſtianorum. *Miles enim qui fugit* (vt Græco dicitur prouerbio) *iterùm pugnabit.* Vide Athan. lib. de Fuga, & Epiſt. ad Orthod. & Epiſt. ad Mart. Pontif. Roman. & Auguſt. Epiſt. 180. ad Honor.

Tertull. l. de Fuga in perſecut.

Chryſo. Hom. 35 in c. 10. Matth.

33. QVEM SIBI PLACVERIT, &c.] Mon. mendoſè ex vitio typographi legũt, *Placuerit Miniſtri: mihi dare.*

34. CONTRA VOLVNTATEM SVAM.] Mon. & Reboll. *Vltra obedientiam & voluntatem ſuam.*

35. DOMINVS MEVS EST.] Vbiq; Miniſtrum Generalem (ad quem hæc verba referenda ſunt, licet & ad Guardianum referri poſſint) dominum vocat: cui enim in omnibus & per omnia ſubditur, quique actiones eius & vitæ viuendi normam regulare poteſt & præcipere, magis domini, quàm Poteſtates ſæculares, meretur nomenclaturam. Vide Adnotat. in Epiſt. 11. num. 8. & 12. n. 2.

36. FRATRES ITA TENEANTVR.] Enchir. non habet *ita*: rectiùs tamen apponitur; nam refert orationem ad prædicta, in quibus B. Pater ſuum obedientiæ & diuini Officij recitandi modum retulit; eoque feruore & perfectione à ſubditis vellet omnia hac compleri.

37. OFFICIVM SECVNDVM REGVLAM.] Biblioth. & Firm. adiiciunt, *ſuum Officium ſecundùm Regulam.*

38. VBICVMQVE SVNT, PER OBEDIENTIAM TENEANTVR, QVOD VBICVMQVE, &c.] Biblioth. nihil horum habet; ſed legit, ceteris omiſſis, *vbicumq; inuenerint aliquem.* Quid autem modò circa hæc fiat, fiendúmve ſit, non tam his verbis, quàm Superiorum prudentia, iudicioque Inquiſitorum de rebus fidei communiter regulatur. Vide Tomo 2. Adnotat. in Reg. 1. n. 42.

39. PROXIMIORI CVSTODI.] Id eſt Prouinciali, quem ſæpenumerò Cuſtodem vocat. Vide Adnotat. in Epiſt. 2. num. 1.

40. MANIBVS SVI MINISTRI.] Id eſt Generalis; quem abſolutè, ſine vllo addito, Miniſtrum vocabat.

41. MITTERE IPSVM PER TALES FRATRES, &c.] Satis defectuoſè obſcureque hunc locum legit Mon. & Reboll. ita, *ipſum mittere talibus Fratribus qui*, &c.

42. DOMINVS PROTECTOR ET CORRECTOR.] Cardinalis hic Protector, quem B. Pater præcepit in Reg. cap. 12. peti ab Eccleſia ad protegendam Sodalitatem Minorum, qualiter protegendum, corrigendum, gubernandúmve ſibi ſit, videat Bonauenturam Expoſ. in c. 12. Reg. Cordubam ibidem quæſt. 1. pun-

punƈto 1. & 2. Compend. Priuil. verbo Proteƈtor. §. 1. Miran. cap. 3. in Reg. Minor. ad med. Emanuel Roderic. To. 3. qq. Regul. q. 42. a. 1.

43. QVANDO LEGVNT REGVLAM, LEGANT, &c.] Ad morem & conſuetudinē aliarum Religionum, in quibus per hebdomadales Congregationes, vel menſalia Capitula Regulæ Monachis leguntur: itaque cenſeo moris fuiſſe in primitiua noſtra Religione, licet modò receptum ſit noſtram legi quocumque die Veneris in Refectorio, & ſi tempus ſuperſit, Teſtamentum. Sed hoc die Sabbati in quibuſdam Prouinciis inter reficiendum legitur.

44. NON MITTANT GLOSAS.] Si eas mitti licuerit, peccauerintve gloſantes, vide Miran. in Reg. Minor. cap. 24. & 25.

45. SIMPLICITER ET PVRE.] Reboll. & Enchir. omiſere *purè*.

46. DILECTI FILII SVI.] Enchir. non habet *dilecti*. Ab hoc loco ſatis diuersè legit Codex Romanus.

47. VESTER SERVVS IN DOMINO] Ita Enchir. Mon. & Reboll. ceteris deeſt *in Domino*.

48. CONFIRMO VOBIS, &c.] O miram Sanƈtorum dignitatem! ô ſtupendam Dei benignitatem! Quid in his verbis potiùs conſiderem, ſi Franciſci ſanƈtam audaciam, ſi humilem Omnipotentis dignationem, prorſus ignoro. Quā Deus largitur benediƈtionem, Franciſcus confirmat. Franciſci quaſi ſuperioris conſenſum expeƈtat Deus? an Deo, ſibi in infinitum ſuperiori, præcellere, & ad nutum ſuum Dei taxare voluntatem, qui paruum anteà homunculum, & paruulum ſe dixit, exoptat Franciſcus? Si tanta eſt viri humilitas, vnde (quæſo) tanta imperij maieſtas? Ex ipſa humilitate prorupit maieſtas, ex deieƈtione poteſtas. Quia reſpexit Deus humilitatem famuli ſui, ex hoc ſublimem, beatum, magnū, potentem, dicent omnes generationes. *Dignè ſeƈtanda Franciſci humilitas, tam miram in terris dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum.* Bonau. cap. 6. ad finem. Et huius imperio (velut vero Ioſue, & veri Iſraëlitici ſanƈtique exercitus duci) *votis obediuit Deus*, & ad nutum condeſcendebat. Indidem ad med. Quid ergo mirum, ſi cuius paruit voluntati Deus, elargitæ in filios benediƈtionis confirmationem expeƈtet?

LAVDES TESTAMENTI B. PATRIS NOSTRI FRANCISCI.

HAS *nobis tribuēre Laudes Firm. 1. part. fol. 17. col. 3. Biblioth. vet. Pat. Tom. 5. in finem, & Biblioth. magna Colonienſ. Tom. 13. Auƈtorem non referunt, imò Anonymum eſſe, ait Bibliotheca in margine. Cuiuſcumque ſint, dignas iudicauimus quæ ipſi Teſtamento ſubiungerentur.*

O Testamentvm pacis, Teſtamentum nulla obliuione delendum, nulla dedignatione ſpernendum, nulla ſuperordinatione contraria mutandum! Teſtamentum, inquam, non morte teſtatoris, ſed immortalis vitæ condonatione ſancitum. Beatus qui non ſpernit vel abiicit charitatis incorruptibile Teſtamentum, fertile humilitatis feudum, deſiderabilem paupertatis theſaurum, tanti Patris ſibi traditione legatum.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

B. P. FRAN-

B. P. FRANCISCI OPVSCVLORVM TOMVS SECVNDVS.

TRES à B. Franciſco inſtitutas eſſe viuendi normas, in quibus vtriuſque ſexus non modica multitudo ſanctè recteque vitam ageret, nemini prorſus ignotum. Primam Fratrum Minorum, ſecundam Sanctimonialium, tertiam Fratrum Sororumque de pœnitentia (vulgò Tertiariorum) ſuis ſtabiliuit legibus, regulis muniuit, ſanctiſque vndique firmauit inſtitutis. Hæc Tomus hic ſecundus continet; cetera variorum Argumentorum in Tomum tertium, & Opuſculorum dubiorum Appendicem, reſeruauimus. His nihil aliud præter laudes ſecundæ Regulæ (quia ab ipſo Franciſco exaratæ) admiſcuimus; nihil ipſis Regularum præceptis addidimus; nihil, quod Franciſci ſit, in illis mutauimus. *Regula* etenim (Seneca teſte) eſt *qua rectum probari ſolet: quam ſi flectes, quidquid ex illa mutaueris, iniuria eſt recti.* [Seneca Epiſt. 71.] imò tanta cura abſtinuimus (ne iniuriam hanc rectis viuendi normis inferre diceremur) ab innouandis permutandíſve quibuſcumque, vt nec ſtylum, ſcribendíve modum, in aliquibus impolitum & plus ſatis humilem, variare auderemus. Nec leuis me impediit ratio, dum propenſiùs conſiderauerim, non ſtylum, ſed rem in Regula eſſe obſeruandam; nec acquieſcendum eſſe quibuſdam ſciolis & Grammaticaſtris, qui nihil aliud, præter Latinum ornatum, phraſiumque elegantiam, deſiderant. Regulæ enim præceptum, ſeu quod præcipit, non quibus verbis præcipiat, penſandum eſt. *Nauis* etenim *bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt; nec cui argenteum aut aureum roſtrum eſt, nec cuius tutela ebore cælata eſt, nec quæ fiſcis aut opibus Regiis preſſa eſt: ſed ſtabilis, & firma, & iuncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum ma-* [Seneca Epiſt. 76.]

ris ſolida, gubernaculo parens, velox, & conſentiens vento. Gladium bonum dices, non cui deauratus eſt baltheus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur: ſed cui & ad ſecandũ ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula, non quã formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur. Has Franciſcanas formoſas vel elegantes eſſe, plurimi ibunt inficias; rectas verò, ſanctas, beneq; inſtitutas (quippe ex ipſo Euangelio extractas) nemo, qui Chriſtianè ſapit, omnino negabit.

PRIMA REGVLA, QVAM SERAPHICVS PATER SCRIPSIT FRATRIBVS MINORIBVS.

ARGVMENTVM.

PRIMAM *hanc Minorum Regulam habent Mon. primæ excuſionis tractat. 3. & ſecundæ tractat. 2. Firm. 1. part. fol. 10. Speculum Vitæ Franciſci & Sociorum, à pagina 189. Mar. 1. part. ſuorum Chron. lib. 1. cap. 21. Hiſpano & Italico idiomate. ibidem, ſed Latino, Reboll. cap. 7. & Piſan. lib. 1. Confor. 12. ſparſim per multa capita. Plura in ea continentur ad vitam ſatis laudabiliter ſancteq; componendam; & quæ, ſi rectè obſeruantur, in cælum manuducant. Hanc dum Fratribus traderet, refert Rodulph. dixiſſe:* Magna ſunt, Fratres, quæ iam diu mente agito, & ad quæ quotidie magis accendor, quia noſtris omnibus votis cæleſte Numen affuit: ex ſententia omnia cedere video, vt minimè nobis dubitandum ſit, quin ad exitum diu cogitata & optata perducantur. Huc tendunt mei labores, & repetita itinera. *Non tamen hanc, ſed ſecundã huius Tomi Regulã obſeruant Minores, poſthabita iſta, ita diſponente ipſo Franciſco, cuius rei cauſam in Argumento ſecundæ referemus. Hanc ſcripſiſſe ait Rodulph. lib. 1. fol. 8. anno Domini 1206. die 6. Aprilis. Sed errauit: neque enim adhuc Socios habuit, quibus Leges ferret Franciſcus. Eam autem confirmaſſe Innocentium anno Domini 1209. ait Miran. c. 50. in Reg. Minor. alij verò an. 1206. & 1207. Reboll. citat c. 8. in fine 1212. Pontificatus eiuſdem Innocētij III. Ceteris veriùs & certiùs aſſerunt Gonzaga p. 1. de Orig. Seraph. Relig. Roder. Tom. 1. qq. Reg. quæſt. 4. art. 1. & Sedul. Comment. in cap. 4. Vitæ D. Franciſci, §. 11. hoc factum anno Domini 1211. Pontificatus Innocentij III.*

Rodul. lib. 1. fol. 7. pag. 2.

[1]In nomine Patris, et Filii, et Spiritvs sancti. Amen.

HAEC eſt vita, quam Frater Franciſcus petiit ſibi concedi, & confirmari à Domino Papa [2] Innocentio, & conceſſit, & [3] confirmauit eam ſibi & ſuis Fratribus, habitis, & futuris. Frater Franciſcus, & quicumque erit caput iſtius Religionis, promittit obedientiam & reuerentiam Domino Innocentio Papæ, & eius ſucceſſoribus obedire.

Capvt I.

Quòd Fratres debent viuere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.

REGVLA & vita iſtorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet viuere in obedientia, & in caſtitate, & [4] ſine proprio; & Domini noſtri Ieſu Chriſti doctrinam & veſtigia ſequi, qui dicit: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo; & veni & ſequere me. &: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. item: Si quis vult venire poſt me, & non odit patrem ſuum, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Et omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, fratres, aut ſorores, vxorem, aut filios, domos, aut agros, propter me, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Mat. 19. v.21. *Lucæ 9. v.23.* *Lucæ 14. v.26.* *Mat. 19. v.29.*

Capvt II.

De receptione, & veſtitu Fratrum.

SI quis diuina inſpiratione volẽs accipere hanc vitam, venerit ad noſtros Fratres, benignè recipiatur ab eis: qui ſi fuerit firmus accipere vitam noſtram, multùm caueant Fratres ſibi, ne de ſuis temporalibus negotiis ſe intromittant: ſed ad ſuum Miniſtrum, quàm citiùs poterunt,

Quæ obſeruanda ſunt Fratribus in recipiendis Nouitiis.

runt, eum repræſentent. Miniſter verò benignè recipiat ipſum, & confortet, & [5] vitæ noſtræ tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, prædictus, ſi vult, & poteſt ſpiritualiter, & [6] ſine impedimento, vendat omnia ſua, & ſtudeat pauperibus erogare. Caueant autem Fratres, & Miniſtri Fratrum, quòd de negotiis ſuis nullo modo ſe intromittant. Nec accipiant aliquam pecuniam, nec per ſe,

Ab introëuntibus non recipiant pecunias.

nec per interpoſitam perſonam. Si tamen [7] indiguerint, alia neceſſaria corporis præter pecuniam accipere poſſunt Fratres cauſa neceſſitatis, ſicut alij pauperes. Et cùm

Veſtitus Nouitiorum.

reuerſus fuerit, Miniſter concedat ei pannos probationis vſq; ad annum, ſcilicet duas tunicas ſine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem vſque ad cingulum. Finito verò anno & termino probationis, recipiatur ad obedientiam. Poſteà non licebit ei [8] ad aliam Religionem ac-

Profeſſo non licet extra Ordinem euagari.

cedere, [9] nec extra obedientiam euagari, iuxta mandatum Domini Papæ. Si autem aliquis venerit, qui ſua dare non poteſt ſine impedimento, & habet ſpiritualem voluntatem, relinquat illa, & [10] ſufficit ei. Nullus recipiatur contra formam & [11] inſtitutionem ſanctæ Eccleſiæ.

Veſtitus Profeſſorum.

Alij verò, qui promiſerunt obedientiam, habeant vnicam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, ſi neceſſe fuerit, & cingulum & braccas. Et omnes Fratres vilibus veſtibus induantur, & poſſint eas repeciare de ſaccis, & aliis peciis, cum benedictione Dei; quia Domi-

Mat. 11. v. 8.

nus dicit in Euangelio: Qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, & qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. Et licet dicantur hypocritæ, non tamen ceſſent benefacere. Nec quærant caras veſtes in hoc ſæculo, vt poſſint habere veſtimentum in Regno cælorum.

CAPVT

CAPVT III.

De diuino Officio, & ieiunio.

DICIT Dominus: Hoc genus dæmoniorum non poteſt exire, niſi in ieiunio & oratione. Et iterùm: Cùm ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes. Propter hoc omnes Fratres, ſiue Clerici, ſiue Laici, faciant [12] diuinum Officium, Laudes, & Orationes ſecundùm quod debent facere. Clerici faciant Officium, & dicant pro viuis & pro mortuis ſecundùm conſuetudinem Clericorum. Pro defectu autem & negligentia Fratrum omni die dicant, Miſerere mei Deus, cum Pater noſter; & pro Fratribus defunctis dicant: De profundis, cum Pater noſter. Et libros neceſſarios ad implendum eorum Officium poſſint habere. Et Laicis ſcientibus legere Pſalterium, liceat illud habere. Aliis verò neſcientibus litteras, librum habere non liceat. Laici verò dicant, Credo in Deum, & viginti quatuor Pater noſter, cum Gloria Patri. Pro Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet iſtarum ſeptem Pater noſter, cum Gloria Patri. Pro Veſperis autem duodecim; pro Completorio ſeptem, & Credo in Deum, cum Gloria Patri. Pro mortuis ſeptem Pater noſter, cum Requiem æternam. Et pro defectu & negligentia Fratrum, tria Pater noſter, qualibet die.

Marc. 9. v. 31. Match. 6. v. 16.

Quid ex hac Regula tenebãtur Fratres recitare pro Officio diuino.

Et ſimiliter omnes Fratres ieiunent à feſto Omnium Sanctorum vſq; ad Natale, & ab Epiphania, quando Dominus noſter Ieſus Chriſtus incepit ieiunare, [13] vſquè ad Paſcha. Aliis verò temporibus non teneantur ſecundùm hanc vitam, niſi ſexta Feria ieiunare. Et liceat eis manducare de omnibus cibis qui apponuntur eis, ſecundùm ſanctum Euangelium.

Ieiunia huius Regulæ.

Lucæ 10. v. 8.

CAPVT

CAPVT IV.

De Miniſtris, & alijs Fratribus, qualiter ordinentur.

De benignitate Prælatorum & obedientia ſubditorum.

IN nomine Domini: Omnes Fratres, qui conſtituuntur Miniſtri & ſerui aliorum Fratrum, [14] in locis quibus fuerint, collocent ſuos Fratres, quos ſæpè viſitent, & ſpiritualiter moneant, & conſortent. Et omnes alij Fratres mei benedicti diligenter obediant eis [15] in his quæ ſpectant ad ſalutem animæ, & non ſunt contraria vitæ noſtræ. Et faciant inter ſe ſicut dicit Dominus: Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis; & quod tibi non vis fieri, non facias alteri. Et recordentur Miniſtri, & ſerui, quòd dicit Dominus, Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare; & quòd commiſſa eſt eis cura animarum Fratrum; de quibus [16] ſi aliquid perderetur propter eorum culpam & malum exemplum, in die Iudicij oportebit eos reddere rationem coram Domino Ieſu Chriſto.

Matth. 7. v. 12.

Mat. 20. v. 28.

CAPVT V.

De correctione Fratrum in offenſione.

Hebr. 10. v. 31.

IDEOQVE animas veſtras & Fratrum veſtrorum cuſtodite, quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Si quis autem Miniſtrorum alicui Fratrum aliquid contra vitam noſtram præceperit, vel contra animam ſuam, non tenetur ei obedire; quia illa [17] obedientia non eſt, in qua delictum vel peccatum committitur. Verumtamen omnes Fratres, qui ſunt ſub Miniſtris & Seruis Fratrum Minorum, & Seruorum, conſiderent rationabiliter & diligenter, ſi viderint aliquem illorum carnaliter & non ſpiritualiter ambulare pro rectitudine vitæ noſtræ; poſt tertiam admonitionem, ſi non ſe emendauerit, in Capitulo Pentecoſtes renuntient Miniſtro & Seruo totius Fraternitatis, nulla contradictione impediente. Si verò

Vera obedientia peccatum non præcipit.

Deponendi mali Miniſtri.

rò inter Fratres, vbicumque ſint, fuerit aliquis Frater, volens carnaliter & non ſpiritualiter ambulare; Fratres, cum quibus eſt, moneant eum, & inſtruant, & corripiant humiliter, & diligenter. Quòd ſi ille poſt tertiam admònitionem noluerit ſe emendare, quàm citiùs poſſint mittant eum, vel ſignificent ſuo Miniſtro & Seruo; qui Miniſter & Seruus de eo faciat, ſicut ſibi ſecundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et caueāt omnes Fratres, tam Miniſtri & Serui, quàm alij, quòd propter peccatum alterius, vel malum exemplum [18] non turbentur, & iraſcantur; quia diabolus propter delictum vnius vult multos corrumpere; ſed ſpiritualiter, ſicut poſſunt, adiuuent eum qui peccauit; quia non eſt ſanis opus medicis, ſed malè habentibus. Similiter omnes Fratres [19] non habeant poteſtatem vel dominationem, maximè inter ſe. Sicut enim Dominus dicit in Euangelio, Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ſic erit inter Fratres, ſed quicumque voluerit inter eos maior fieri, ſit eorum miniſter & ſeruus; & qui maior eſt inter eos, fiat ſicut minor. Nec aliquis Fratrum malum faciat vel malum dicat alteri, imò magis per charitatem ſpiritus voluntariè ſeruiant & obediant inuicem. Et [20] hæc eſt vera & ſancta obedientia Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et omnes Fratres quomodocumque declinauerint à mandatis Domini, & extra obedientiam euagauerint, ſicut dicit Propheta, ſciant ſe eſſe maledictos extra obedientiam, quouſque ſteterint in tali peccato ſcienter. Et quando perſeuerant in mandatis Domini, quæ promiſerunt per ſanctum Euangelium & vitam ipſorum, ſciant ſe in vera obedientia ſtare, & benedicti ſint à Domino.

Fratres charitatiuè corrigendi.

Matth. 9. v. 12.

De humilitate Superiorum.

Mat. 20. v. 25.

Fugienda inter Fratres rixa.

De non excutienda obedientia.

Pſal. 118. v. 21.

CAPVT VI.

De recurſu Fratrum ad Miniſtrum, & quòd aliquis Frater non vocetur Prior.

Miniſtri prouideāt ſpiritualibus neceſſitatibus.

FRATRES, in quibuſcumque locis ſunt, ſi non poſſunt vitam noſtram obſeruare, quàm citiùs poſſunt, recurrant ad ſuum Miniſtrum, hoc ipſi ſignificantes. Miniſter verò taliter ſtudeat eis prouidere, [21] ſicut vellet ſibi fieri, ſi in conſimili caſu eſſet. Et nullus vocetur Prior, ſed generaliter omnes vocentur Fratres Minores, & alter alterius lauet pedes.

Abhorret nomen Prioris inter Fratres.

CAPVT VII.

De modo ſeruiendi & laborandi.

Fugienda Officia ſcandaloſa in domibus ſecularium.

OMNES Fratres, in quibuſcumque locis fuerint apud aliquos ad ſeruiendum, vel ad laborandum, non ſint camerarij, nec cellarij, nec præſint in domibus eorum quibus ſeruiunt, nec recipiant aliquod officium quod ſcandalum generet, vel animæ ſuæ faciat detrimentum: ſed ſint Minores, & ſubditi omnibus qui in eadem domo ſunt. Et Fratres, qui ſciunt laborare, [22] laborent, & eamdem artem exerceant quam nouerint, ſi non ſit contra ſalutem animæ ſuæ, & honeſtè poterũt operari. Nam, ait Propheta, labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. Et Apoſtolus: Qui non vult laborare, non manducet. Et vnuſquiſque in eadem arte & officio in quo vocatus eſt, permaneat. Et poſſint [23] pro labore accipere omnia neceſſaria, præter pecuniam; & cùm neceſſe fuerit, vadant pro eleëmoſynis, ſicut alij pauperes. Et liceat eis habere ferramenta & inſtrumenta ſuis artibus neceſſaria. Omnes Fratres ſtudeant bonis operibus inſudare; quia [24] ſcriptum eſt: Semper facito aliquid boni, vt te diabolus inueniat occupatum. Et iterũ: [25] Otioſitas

Laborare iubet Fratres.

Pſal.127. v.2.

2.Theſ.3 v.11.

Fugienda otioſitas.

Eccli.33. v.29.

ſitas eſt animæ inimica. Idcircò ſerui Dei ſemper Orationi vel alicui bonæ operationi inſiſtere debent. Caueant ſibi Fratres, vbicumque fuerint, in eremis vel in aliis locis, quòd nullum locum ſibi approprient, nec alicui defendant. Et quicumque ad eos venerint, amicus vel aduerſarius, fur vel latro, benignè recipiatur. Vbicumque ſunt Fratres, vel in quocumq; loco ſe inuenerint, ſpiritualiter & diligenter debeant ſe reuidere, & honorare ad inuicē ſine murmuratione. Et caueant ſibi, quòd non oſtendant [16] ſe triſtes extrinſecus, nubiloſos, & hypocritas; ſed oſtendant ſe gaudētes in Domino, hilares, & conuenienter gratioſos.

Non appropriando loca.

Benignitas erga quoſcumque.

Honorent ſe ſemper hilares.

CAPVT VIII.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

DOMINVS præcepit in Euangelio: Videte, & cauete ab omni malitia, & auaritia; & attendite vobis à ſollicitudinibus huius ſæculi, & à curis huius vitæ. Vnde nullus Fratrum, vbicumque ſit, & quocumque vadit, aliquo modo tollat, nec recipiat, nec recipi faciat pecuniam, aut denarios; nec occaſione veſtimentorum, nec librorum, nec pro pretio alicuius laboris; imò nulla occaſione, niſi propter manifeſtam neceſſitatem infirmorum Fratrum; quia non debemus maiorem vtilitatem habere, & reputare in pecunia & denariis, [17] quàm in lapidibus. Et illos vult diabolus obcæcare, qui eam appetunt, vel reputant lapidibus meliorem. Caueamus ergo, quia omnia reliquimus, ne pro tam modico regnum cælorū perdamus. Et ſi in aliquo loco inuenerimus denarios, de his non curemus, tamquā de puluere, quem pedibus calcamus; quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et ſi fortè (quod abſit) aliquem Fratrem contigerit pecuniam vel denarios colligere, vel habere, excepta ſolūmodò prædicta infirmorū neceſſitate; omnes Fratres teneant eum pro falſo Fratre,

Lucæ 12. v. 34.

Fugienda omnino Minoribus pecunia.

Eccle. 1. v. 2.

& fure, & latrone, & loculos habente, niſi verè pœnituerit. Et nullo modo Fratres recipiant, nec recipi faciant, nec quærant, nec quæri faciant pecuniam, vel eleëmoſynam, nec denarios pro aliquibus domibus, vel locis, nec cum perſona, pro talibus locis pecuniam vel denarios quærente, vadant. Alia autem ſeruitia, quæ non ſunt contraria vitæ noſtræ, poſſunt Fratres in talibus locis facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in manifeſta neceſſitate leproſorum, poſſunt pro eis quærere eleëmoſynam. Caueant tamen multùm à pecunia. Similiter caueant omnes Fratres, ne pro aliquo turpi lucro terras circumeant.

Fugiendi diſcurſus quæſtuoſi.

CAPVT IX.

De petenda eleëmoſyna.

Petenda cum fiducia eleemoſyna. *1. Tim. 6. v. 8.*

OMNES Fratres ſtudeant ſequi humilitatem & paupertatem Domini noſtri Ieſu Chriſti; & recordentur, quòd nihil aliud oportet nos habere de toto mundo; ſicut dicit Apoſtolus: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et debent gaudere quando conuerſantur inter viles & deſpectas perſonas, inter pauperes & debiles, infirmos & leproſos, & iuxta viam mendicantes. Et cùm neceſſe fuerit, vadant pro eleëmoſynis, & non verecundentur, & magis recordentur, quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus filius Dei viui omnipotentis, poſuit faciem ſuam, vt petram duriſſimam, nec verecundatus eſt, & fuit pauper, & hoſpes, & [28] vixit de eleëmoſynis ipſe, & beata Virgo, & Diſcipuli eius. Quando facerent eis homines verecundiam, & nollent eis dare eleëmoſynam, referant inde gratias Deo, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti. Et ſciant quòd verecundia non patientibus, ſed inferentibus imputatur. Et [29] eleëmoſyna eſt hereditas,

& iu-

& iuſtitia, quæ debetur pauperibus, quam nobis acquiſi-
uit Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Et Fratres qui eam ac-
quirendo laborant, magnam mercedem habebunt, & fa- *Lucra eleëmo-ſyna.*
ciunt lucrari & acquirere tribuentes: quia omnia quæ ho-
mines faciunt in hoc mundo, peribunt; ſed de charitate, &
de eleëmoſynis quas fecerint, habebunt præmium à Do-
mino. Et ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſſitatem ſuam, *De mutua Fratrũ charitate.*
vt ſibi neceſſaria inueniat, & miniſtret. Et quilibet dili-
gat & nutriat Fratrem ſuum, ſicut mater diligit & nutrit
filium ſuum, in quibus Deus eis gratiam largiatur. Et qui *Rom. 19. v. 3.*
non manducat, manducantem non ſpernat; & qui man-
ducat, non manducantem non iudicet. Et quando neceſ- *Tempore neceſſitatis indiſcriminatim veſci liceat.*
ſitas ſuperuenerit, liceat vniuerſis Fratribus, vbicumque
fuerint, vti omnibus cibis, quos poſſunt homines mandu-
care, ſicut Dominus noſter dicit de Dauid, qui comedit
panes propoſitionis, quos non licebat comedere, niſi Sa- *Marc. 2. v. 3.*
cerdotibus. Et recordentur quòd dicit Dominus: Atten- *Luc. 21. v. 34.*
dite vobis ne fortè grauentur corda veſtra in crapula &
ebrietate, & ſuperueniat vobis repentina dies illa, tam-
quam laqueus; laqueus enim ſuperueniet ſuper omnes, *Fugienda crapula.*
qui ſedent ſuper faciem orbis terræ. Similiter tempore
manifeſtæ neceſſitatis, faciant omnes de eorum neceſſa-
riis, ſicut eis Dominus gratiam largietur, quia [10] neceſſi-
tas non habet legem.

CAPVT X.

De infirmis Fratribus.

SI quis Fratrum in infirmitatem inciderit, vbicumque *Cura præcipitur infirmorum.*
fuerit, alij Fratres non dimittant eum, niſi conſtituatur
vnus de Fratribus, vel plures, ſi neceſſe fuerit, qui ſeruiant
ei, ſicut vellent ſibi ſeruiri. Sed in maxima neceſſitate poſ-
ſunt ipſum dimittere alicui perſonæ, quæ debeat ſuæ ſa-
tisfacere infirmitati. Et rogo Fratrem infirmum, vt refe-

Admonetur patientia infirmus. tat de omnibus gratias Creatori; & qualem vult eum Dominus, [31] talem ſe eſſe deſideret, ſiue ſanũ, ſiue infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam præordinauit æternam, flagellorum atque infirmitatum ſtimulis, & [32] compun-
Apoc. 3. v. 19. ctionis ſpiritu erudit, ſicut dicitur in Apocalypſi: Ego quos amo, corrigo & caſtigo. Si autem turbabitur, ſiue iraſcetur contra Deum, ſiue contra Fratres; vel ſi fortè ſollicitè poſtulauerit medicinas, nimis deſiderans liberare
Non curandum nimiùm de corpore. carnem citò morituram, quæ eſt [33] animæ inimica; [34] à malo ſibi euenit, & carnalis eſt, & non videtur eſſe de Fratribus, quia plus diligit corpus quàm animam.

CAPVT XI.

Quòd Fratres non blaſphement, nec detrahant; ſed diligant inuicem.

Fugienda calūnia, contentiones, & murmurationes. ET omnes Fratres caueant ſibi vt non calumnientur aliquem, nec contendant verbis, ſed ſtudeant retinere ſilentium, quandocumque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter ſe, nec cum aliis; ſed primò curent
Lucæ 17. v. 10. humiliter reſpondere, dicentes: Serui inutiles ſumus. Et
Matth. 5. v. 22. non iraſcantur, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit gehennæ ignis. Et diligant ſe inuicem, ſicut Dominus dicit:
Ioan. 15. v. 12. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Et oſtendant ex operibus dilectionem, quam de-
1. Ioan. 3 v. 18. bent ad inuicem, ſicut dicit Apoſtolus: Non diligamus verbo aut lingua, ſed opere & veritate. Neminem blaſphement, nec murmurent, nec detrahant aliis; quia ſcri-
Eccli. 28. v. 15. & Rom. 1. v. 29. ptum eſt: Suſurrones & detractores ſunt Deo odibiles. Et ſint modeſti omnes, monſtrãtes manſuetudinem ad omnes homines; nec iudicent, nec condemnent. Et, ſicut dicit
Lucæ 6. v. 41. Dominus, non conſiderent minima peccata aliorum, imò magis ſua recogitent in amaritudine animæ ſuæ. Et con-

contendant intrare per anguſtam portam, quia dicit Dominus: Anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam. Matth. 7. v. 14.

CAPVT XII.

De malo viſu, & frequentia mulierum vitanda.

OMNES Fratres, vbicumque ſunt, vel vadunt, caueant ſibi à malo viſu, & frequentia mulierum. Et nullus cum eis conſilietur ſolus. Sacerdos honeſtè loquatur cum eis, dando pœnitentiam, vel aliud ſpirituale conſilium. Et nulla penitus mulier ab aliquo Fratre [35] recipiatur ad obedientiam; ſed dando ſibi conſilium ſpirituale, vbi voluerit, agat pœnitentiam. Et multùm omnes nos cuſtodiamus, & omnia membra noſtra teneamus, quia dicit Dominus: Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt cum ea in corde ſuo. *Senſus refrænandi.* Matth. 5. v. 28.

CAPVT XIII.

De præſumptione fornicationis.

SI quis Fratrum, diabolo inſtigante, fornicaretur, habitum, quem [36] ex ſua turpitudine amiſit, ex toto deponat, & à noſtra Religione penitus expellatur, & poſteà pœnitentiam faciat de peccatis.

CAPVT XIV.

Quomodo Fratres debeant ire per mundum.

QVANDO Fratres vadunt per mundum, nihil portent per viam, nec ſacculum, nec peram, nec panem, nec pecuniã, nec virgam. Et in quamcumq; domum intrauerint, dicant primùm: Pax huic domui. Et in eadem domo manentes, edant & bibant quæ apud illos ſunt. Non reſiſtant malo, ſed ſi quis eos in maxillam percuſſerit, præbeant Lucæ 10. v. 4. *Conuerſatio Minorum inter ſæculares.* Lucæ 6. v. 29.

beant ei alteram; & qui auferret eis veſtimentum, & tunicam, non prohibeant. Omni petenti ſe tribuant; ſed ſi quis auferret quæ ſua ſunt, non repetant.

CAPVT XV.

Quòd Fratres non teneant beſtiam, nec equitent.

INIVNGO omnibus Fratribus meis, tam Clericis quàm Laicis, euntibus per mundum, licet morantibus in locis, quòd nullo modo apud ſe, nec apud alium, & aliquo modo beſtiam aliquam habeant. Nec eis liceat equitare, niſi infirmitate vel magna neceſſitate cogantur.

CAPVT XVI.

De euntibus inter Sarracenos & alios infideles.

Mat. 10. v.16. DIXIT Dominus: Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum. Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Vnde quicumq; Fratrum *Quibus concedenda licentia eundi in terras infidelium.* diuina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos & alios infideles, vadant de licentia ſui Miniſtri & Serui. Miniſter verò det eis licentiam, & non contradicat, ſi viderit eos eſſe idoneos ad mittendum. Nam tenebitur Domino reddere rationem, ſi in hoc vel in aliis proceſſerit indiſcretè. *Duplex conuerſatio inter infideles.* Fratres verò qui vadunt, poſſunt duobus modis ſpiritualiter inter alios conuerſari. [17] Vnus modus eſt, quòd non faciant lites, nec contentiones, ſed ſint ſubditi *1.Pet.2. v.13.* omni humanæ creaturæ propter Deum, & confiteantur ſe eſſe Chriſtianos. Alius modus eſt, quòd cùm viderint placere Deo, annuntient verbũ Dei, vt credant in Deum omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum Creatorem omnium, Redemptorem & Saluatorem Filium; vt baptizentur, & Chriſtiani efficiantur: quia niſi *Ioan.3. v.5.* quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei. Hæc, & alia quæ placuerint Domino

mino, ipſis & aliis dicere poſſunt, quia dicit Dominus in
Euangelio: Omnis qui confitebitur me coram homini- Mat. 10.
bus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui eſt in v.32.
cælis. Et qui erubuerit me, & meos ſermones, hunc Filius
hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris,
& ſanctorum Angelorum. Et omnes Fratres, vbicumque
ſunt, recordentur quòd [18] dederunt ſe, & reliquerunt ſua
corpora Domino noſtro Ieſu Chriſto, & pro eius amore
debent ſe exponere inimicis, tam viſibilibus, quàm inuiſi-
bilibus; quia dicit Dominus: Qui perdiderit animã ſuam Mat. 10.
propter me, ſaluam faciet eam in vitã æternam. Beati qui v.39. Idem 5.
perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſo v.10.
rum eſt Regnum cęlorum. Si me perſecuti ſunt, & vos per- Ioan. 15.
ſequentur. Si autem perſequuntur vos in vna ciuitate, fugi- v.20. Mat. 10.
te ad aliam. Beati eſtis, cùm vos oderint homines, & male- v.23. Idem 5.
dixerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrũ v.11.
tamquam malum, & cùm dixerint omne malum aduer-
ſum vos, mentientes propter me. Gaudete in illa die, &
exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis. Dico Lucæ 12.
autẽ vobis amicis meis, nolite timere eos qui occidunt cor- v.4.
pus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Videte
ne terreamini. In patientia veſtra poſſidebitis animas ve- Lucæ 21.
ſtras. Qui autẽ perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit. v.19. Mat. 10.
v.22.

CAPVT XVII.

De Prædicatoribus.

NVLLVS Fratrum prædicet contra formam & inſtitu-
tionem ſanctæ Eccleſiæ, niſi conceſſum fuerit ſibi à
ſuo Miniſtro. Caueat ergo ſibi Miniſter, ne alicui indiſ-
cretè concedat. Omnes tamen [19] Fratres operibus prædi-
cent. Et nullus Miniſter vel Prædicator approprięt ſibi *Iniungi*
miniſterium, vel officium prædicationis; ſed quacum- *non aſſu-*
que hora ei iniunctum fuerit, ſine omni contradictione *mi debet*
prædica-
tionis of-
ficium.

dimittant ſuum officium. Vnde deprecor in charitate, (quæ Deus eſt) omnes Fratres meos prædicatores, oratores, & laboratores, tam Clericos quàm Laicos, vt ſtudeant ſe humiliare in omnibus, non gloriari, nec in ſe gaudere, nec intrinſecus ſe exaltare de bonis verbis & operibus; imò de nullo bono, quod dicit vel facit Deus, & operatur in eis aliquando, & per ipſos, ſecundùm quod ipſe Dominus dicit: Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis. Et firmiter ſciamus, quòd [40] non pertinent ad nos niſi vitia & peccata. Et magis debemus gaudere, cùm in tentationes varias inciderimus, & cùm ſuſtinemus quaſcumque animæ vel corporis anguſtias, aut [41] tribulationes in hoc mundo propter vitam æternam. Omnes ergo, Fratres, caueamus ab omni ſuperbia & vana gloria. Cuſtodiamus nos à ſapientia huius mundi, & à prudentia carnis. Spiritus enim carnis vult & ſtudet multùm ad verba habenda, ſed parum ad operationem; & quærit non religionem & ſanctitatem ſpiritus, ſed vult & deſiderat religionem & ſanctitatem foris apparentem hominibus; & iſti ſunt, de quibus dicit Dominus: Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Spiritus autem Domini vult mortificatam & deſpectam, vilem & abiectam, & opprobrioſam eſſe carnem, & ſtudet ad humilitatem, & patientiam, & puram ſimplicitatem, & veram pacem ſpiritus. Et ſuper omnia deſiderat diuinum timorem, & diuinam ſapientiam, & diuinum amorem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et omnia bona Deo altiſſimo & ſummo reddamus, & omnia bona ipſius eſſe recognoſcamus, & de omnibus eis gratias referamus, à quo bona cuncta procedunt, & ipſe altiſſimus & ſummus ſolus & verus Deus habeat, & ei reddantur, & ipſe recipiat omnes honores & reuerentias, & omnes laudes & benedictiones, & omnes gratias, & omnem gloriam, cuius eſt omne bonum,

1. Ioan. 4. v. 8.

Humilitas maximè decet prædicatores.

Lucæ 10. v. 20.

In tribulatione gaudendum, non in eloquentia gloriandum.

Contraria ſtudia carnis & ſpiritus.

Matth. 6. v. 2. & 5. & 16.

Omnia bona in Deum referenda.

num, qui ſolus eſt bonus. Et quando videmus vel audimus malum dici, vel fieri, vel blaſphemari Deum, nos benedicamus, & benefaciamus, & laudemus Deum, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, Amen. Lucæ 18. v. 19.

CAPVT XVIII.

Qualiter Miniſtri conueniant ad inuicem.

QVOLIBET anno vnuſquiſque Miniſter cum Fratribus ſuis poſſit conuenire, vbicumq; placuerit eis, in feſto ſancti Michaëlis Archangeli, de his quæ ad Deum pertinent tractaturus. Omnes verò Miniſtri, qui ſunt in Vltramarinis & Vltramontanis partibus, ſemel in tribus annis, & alij Miniſtri ſemel in anno veniant ad Capitulum in feſto Pentecoſtes apud ſanctam Mariam de Portiuncula, niſi à Miniſtro & Seruo totius Fraternitatis aliter fuerit ordinatum. *Tempus, locus, & modus celebrandorum Capitulorũ.*

CAPVT XIX.

Quòd omnes Fratres viuant Catholicè.

OMNES Fratres ſint Catholici, viuant & loquantur Catholicè. Si quis verò errauerit à fide & vita Catholica, in dicto, vel in facto, & non ſe emendauerit, à noſtra Fraternitate penitus [42] expellatur. Et omnes Clericos, & omnes Religioſos, habeamus pro dominis, in his quæ ſpectant ad laudem animæ, & à noſtra Religione non deuiant, & Ordinem, & Officium eorum, & adminiſtrationem in Domino veneremur. *Catholicum Catholicè viuere & loqui decet. Venerandi Eccleſiaſtici.*

CAPVT XX.

De Confeſſione Fratrum, & perceptione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

FRATRES benedicti, tam Clerici quàm Laici, confiteantur peccata ſua [43] Sacerdotibus noſtræ Religionis. *Quibus confitendum ſit Minoribus.*

nis. Et ſi non poſſunt, confiteantur aliis diſcretis & Catholicis Sacerdotibus, ſcientes firmiter, & attendentes, quòd à quibuſcumque Sacerdotibus acceperint pœnitentiam & abſolutionem, [44] abſoluti erunt proculdubiò ab illis peccatis, ſi pœnitentiam ſibi iniunctam procurauerint humiliter & fideliter obſeruare. Si verò tunc Sacerdotem habere non poterunt, [45] confiteantur Fratri ſuo, ſicut dicit Apoſtolus Iacobus: Confitemini alterutrum peccata veſtra. Non tamen ob hoc dimittant recurrere ad Sacerdotes; quia poteſtas ligandi atq; ſoluendi ſolis Sacerdotibus eſt conceſſa. Et ſic contriti & confeſſi ſumant Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti cũ magna humilitate & veneratione, attendentes quod ipſe Dominus dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternã. &: Hoc facite in meam commemorationem.

Iacob. 5. v. 16. *Ioan. 6. v. 55.* *Lucæ 22. v. 19.*

CAPVT XXI.

De laude & exhortatione, quam poſſunt facere omnes Fratres.

Quomodo laudandus Deus, quidve annuntiandum populo.

ET hanc talem exhortationem & laudem omnes Fratres mei, quandocumq; placuerit eis, annuntiare poſſunt, & inter quoſcumq; homines, cum benedictione Dei: Timete & honorate, laudate & benedicite. Gratias agite, & adorate Dominum Deum omnipotentem in trinitate & vnitate, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, creatorem omnium. Facite pœnitentiam, agite dignos fructus pœnitentiæ, quia ſcitote quod citò moriemur. Date, & dabitur vobis. Dimittite, & dimittetur vobis; & ſi non dimiſeritis, Dominus non dimittet vobis peccata veſtra. Beati qui moriuntur in pœnitentia, quia erunt in Regno cælorum. Væ illis, qui non moriuntur in pœnitentia, quia erunt filij diaboli, cuius opera faciunt, & ibunt in ignem æternum. Cauete & abſtinete ab omni malo, & perſeuerate vſque in finem in bono.

Lucæ 6. v. 38. *Ibidem v. 37.*

CAPVT XXII.

De admonitione Fratrum.

ATTENDAMVS omnes, Fratres, quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. Nam & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cuius veſtigia ſequi debemus, traditorem ſuum vocauit amicum, crucifixoribus ſponte ſe obtulit. Amici ergo noſtri ſunt omnes illi, qui iniuſtè nobis inferunt tribulationes, anguſtias, verecundias & iniurias, dolores & tormenta, martyrium & mortem, quos multùm diligere debemus; quia ex hoc quod nobis inferunt, habemus vitam æternam. Et odio habeamus corpus noſtrum cum ſuis vitiis & peccatis, quia carnaliter viuendo vult nobis auferre amorẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, & vitam æternam, & ſeipſum cum omnibus perdere in infernum. Quia nos propter culpam ſumus fœtidi, miſeri, & bono contrarij; ad mala autem prompti, & voluntarij; quia ſicut dicit Dominus in Euangelio: De corde hominum procedunt & exeunt cogitationes malæ, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, & auaritia, nequitia, dolus, falſa teſtimonia, blaſphemia, ſuperbia, ſtultitia. Hæc omnia mala ab intus de corde hominis procedũt, & hæc ſunt quæ coinquinant animam. Nunc autem poſtquam dimiſimus mundum, [46] nil aliud habemus facere, niſi vt ſolliciti ſimus voluntatem Domini ſequi, & placere ipſi. Multũ caueamus ne ſimus terra ſecùs viam, vel petroſa, vel ſpinoſa, ſecundùm quod dicit Dominus in Euangelio: Semen eſt verbum Dei. Quod autem ſecus viam cecidit, & conculcatum eſt, hi ſunt qui audiunt verbũ Dei, & non intelligunt; & confeſtim venit diabolus, & rapit quod ſeminatum eſt in cordibus eorum, ne credẽtes ſalui fiant. Quod autem ſuper terram cecidit, hi ſunt qui cùm audierint verbum, ſtatim cum gaudio ſuſcipiunt illud: facta autem tribulatione & perſecutione propter verbum, continuò ſcandalizantur, & hi radicẽ in ſe non habent, ſed tem-

(Matth. 5. v. 44.) (*Inimici pro amicis repuſandi,*) (Mat. 26. v. 50.) (*Corpus verò pro inimico.*) (Mat. 15. v. 19.) (*Religioſis fugienda ſecularia.*) (*Varius & rarus fructus verbi Dei in hominibus.*) (Lucæ 8. v. 13.)

porales ſunt, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt qui verbum Dei audiunt, & ſollicitudo, & ærumnæ iſtius ſæculi, & fallacia diuitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introëuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu afficiuntur. Quod autem in terram bonam ſeminatum eſt, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum intelligunt, & retinent, & fructum afferunt in patientia.

Matth 8. v.22. Et propterea nos, Fratres, ſicut dicit Dominus, dimittamus mortuos ſepelire mortuos ſuos, & multùm caueamus à malitia & ſubtilitate ſatanæ, qui vult ne homo mentem ſuam & cor habeat ad Dominum Deum, & circuiens deſiderat cor hominis ſub ſpecie alicuius mercedis vel adiutorij tollere, & ſuffocare verbum & præcepta Domini à memoria; & vult cor hominis per ſæcularia negotia & curam excæcare, & ibi habitare; ſicut dicit Dominus: Cùm immundus ſpiritus exit ab homine, ambulat per loca arida & inaquoſa, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens inuenit eam ſcopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & aſſumit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis, peiora prioribus. Vnde, Fratres, cuſtodiamus nos multùm, ne ſub ſpecie alicuius mercedis, vel adiutorij, vel operis, perdamus, aut tollamus mentem noſtram à Domino. Sed in ſancta charitate, quæ Deus eſt, rogo omnes Fratres, tam Miniſtros quàm alios, vt omni impedimento remoto, & omni cura & ſollicitudine poſtpoſita, quocumque modo meliùs poſſunt, debeant ſeruire, amare, & honorare Dominum Deum mundo corde, & pura mente, quod ipſe ſuper omnia quærit. Et ſemper [47] faciamus in nobis habitaculum & manſionẽ ipſi, qui eſt Dominus Deus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; qui dicit: Vigilate

Religioſis quæ cauenda;

Lucæ 11. v.24.

Et quæ ſectanda.

Lucæ 21. v.36.

gilate itaque omni tempore orantes, vt digni habeamini
fugere omnia mala quæ ventura ſunt, & ſtare ante Filium
hominis. Et cùm ſtatis ad orandum, dicite: Pater noſter,
qui es in cælis. Et adoremus eum puro corde. Oportet Idem 18.
enim ſemper orare, & non deficere; nam Pater tales quæ- v.1. Ioan. 4.
rit adoratores. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, v.23.
in ſpiritu & veritate oportet adorare. Et ad ipſum recurra-
mus, tamquam ad Patrem, & Epiſcopum animarum no-
ſtrarum, qui dicit: Ego ſum Paſtor bonus, qui paſco oues Idem 10.
meas, & animam meam pono pro ouibus meis. Omnes v.11. & 14.
enim vos Fratres eſtis. Patrem nolite vocare vobis ſuper Mat. 23.
terram: vnus enim eſt Pater veſter, qui in cælis eſt. Nec v.8. & 9.
vocemini magiſtri: vnus enim eſt Magiſter veſter, qui in
cælis eſt. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis man- Ioan. 15.
ſerint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis. Vbi- v.7. Mat. 18.
cumque ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi v.20.
ſum in medio eorum. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad Mat. 28.
conſummationem ſæculi. Verba quæ locutus ſum vobis, v. vlt. Ioan. 6.
ſpiritus & vita ſunt. Ego ſum via, veritas, & vita. Tenea- v.64. Ioan. 14.
mus ergo veram vitam, & doctrinam, & ſanctum eius v.6.
Euangelium, qui dignatus eſt pro nobis Patrem ſuum, &
nomen eius nobis manifeſtare, dicens: Pater, manifeſtaui Ioan. 17.
nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi, quia verba, v.6.
quæ dediſti mihi, dedi eis; & ipſi acceperunt, & cognoue-
runt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſi-
ſti. Ego pro eis rogo, non pro mundo, ſed pro his quos de-
diſti mihi in nomine tuo, vt ſint vnum, ſicut & nos. Hæc
loquor in mundo, vt habeant gaudium in ſemetipſis. Ego
dedi eis ſermonem tuum, & mũdus eos odio habuit, quia
non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo.
Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à ma-
lo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut
tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum, &
pro

pro eis ſanctifico meipſum, vt ſint ipſi ſanctificati in veritate. Non enim pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt propter verba eorum in me, vt ſint coniuncti in vnum, & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut me dilexiſti. Et notum faciam eis nomen tuum, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, & videant claritatem tuam in Regno tuo.

Capvt XXIII.

48 *Oratio ad Deum, ſiue gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.*

OMNIPOTENS, ſanctiſſime, altiſſime, & ſumme Deus, Pater ſancte, & iuſte Domine, Rex cæli & terræ, propter temetipſum gratias agimus tibi, quòd per ſanctam voluntatem tuam, & per vnicum Filium tuum, & Spiritum ſanctum, creaſti omnia ſpiritualia & corporalia; & nos ad imaginem tuam & ſimilitudinem factos in paradiſo poſuiſti, & per culpam noſtram cecidimus. Et gratias agimus tibi, quia ſicut per Filium tuum nos creaſti, ſic per iſtam dilectionem tuam, qua dilexiſti nos, ipſum verum Deum & verum hominem ex glorioſa ſemper Virgine beatiſſima ſancta Maria naſci feciſti, & per crucem, & ſanguinem, & mortem ipſius nos captiuos redimere voluiſti. Et gratias agimus tibi, quia ipſe Filius tuus iterùm venturus eſt in gloria maieſtatis ſuæ mittere maledictos, qui pœnitentiam non egerunt, & te non cognouerunt, in ignem æternum; & dicere omnibus, qui te cognouerunt & adorauerunt, & tibi ſeruierunt in pœni-
Mat. 25. v. 34. tentia: Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Et quia omnes miſeri & peccatores, non ſumus digni nominare te, ſuppliciter exoramus, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius

lius tuus dilectus, in quo tibi benè complacuit, vnà cum Mat. 17. v. 5.
Spiritu ſancto Paraclito gratias agat tibi, ſicut tibi & ipſis placet pro omnibus, qui tibi ſemper ſufficit ad omnia, per quem tanta nobis feciſti. Alleluia. Et glorioſam Matrem beatiſſimam Mariam ſemper Virginem, beatum Michaëlem, Gabrielem, Raphaëlem, & omnes choros beatorum Spirituum, Seraphim, Cherubim, Thronorũ, Dominationum, Principatuum, & Poteſtatum, Virtutum, Angelorum, Archangelorum; B. Ioannem Baptiſtam, Ioannem Euangeliſtam, Petrum, Paulum, & beatos Patriarchas, & Prophetas, Innocentes, Apoſtolos, Euangeliſtas, Diſcipulos, Martyres, Confeſſores, Virgines, beatos Eliam & Enoch; & omnes Sanctos, qui fuerunt, erunt, & ſunt, propter tuum amorem humiliter deprecamur, vt ſicut tibi placet, pro his tibi gratias referant ſummo Deo, vero, æterno, & viuo, cum Filio tuo beatiſſimo Domino Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto Paraclito in ſæcula ſæculorum, Amen. Alleluia. Et Domino Deo vniuerſos intra ſanctam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam ſeruire volentes, & omnes ſequentes Ordines, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos, & Exorciſtas, Lectores, & Oſtiarios, & omnes Clericos, vniuerſos Religioſos, & vniuerſas Religioſas; omnes pueros & paruulos, pauperes & egenos, Reges & Principes, laboratores & agricolas, ſeruos & dominos; omnes virgines, continentes & maritatas, laicos maſculos & feminas; omnes infantes, adoleſcentes, iuuenes & ſenes, ſanos & infirmos, omnes puſillos & magnos, & omnes populos, tribus [49] & linguas, & omnes nationes, & omnes homines vbiq; terrarum, qui ſunt & erunt, humiliter rogamus & ſupplicamus nos omnes Fratres Minores ſerui inutiles, vt omnes in vera fide & pœnitentia perſeueremus; quia aliter nullus ſaluari poteſt. Omnes diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, &

fortitudine, ex toto intellectu, & ex omnibus viribus, toto niſu, toto affectu, totis viſceribus, totis deſideriis & voluntatibus Dominum Deum, qui totum corpus, totam animam, totam vitam dedit, & dat omnibus nobis: qui nos creauit, & redemit, & ſola ſua miſericordia ſaluauit: qui nobis miſerabilibus & miſeris, putridis & fœtidis, ingratis, ignaris, & malis omnia bona fecit, & facit. Nihil ergo aliud deſideremus, nihil aliud velimus, nihil aliud placeat, & delectet nos, niſi Creator, & Redemptor, & Saluator noſter, ſolus & verus Deus, qui eſt plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum & ſummum
Lucæ 18. bonum, qui ſolus eſt bonus; pius & mitis, ſuauis & dulcis:
v. 19. qui ſolus eſt ſanctus, iuſtus, verus, & rectus: qui ſolus eſt benignus, innocens, mundus: à quo, per quem, & in quo eſt omnis venia, omnis gratia, omnis gloria, omnium pœnitentium, & iuſtorum, omnium beatorum in cælis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil ſeparet, nihil interpellet. Vtique nos omnes, omni loco, omni hora, & omni tempore, quotidie & continuè credamus veraciter & humiliter, & in corde teneamus, & amemus, honoremus, adoremus, ſeruiamus, laudemus, & benedicamus; glorificemus, & ſuperexaltemus; magnificemus, & gratias agamus altiſſimo & ſummo Deo æterno, & Trinitati & Vnitati, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, Creatori omnium, in ſe credentium & ſperantium, & diligentium eum, qui ſine initio, & ſine fine, immutabilis, & inuiſibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, inueſtigabilis, benedictus, laudabilis, glorioſus, ſuperexaltatus, ſublimis, excelſus, ſuauis, amabilis, delectabilis, & totus ſemper ſuper omnia deſiderabilis in ſæcula ſæculorum.

[49] *Exhortatio ad Fratres.*

IN nomine Dei omnipotentis rogo omnes Fratres, vt addiſcant tenorem & ſenſum eorum quæ in iſta vita ad ſalutem animæ noſtræ ſcripta ſunt, & iſta frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, vt ipſe, qui eſt omnipotens, trinus & vnus, benedicat omnes docentes, addiſcentes, recordantes, & operantes iſta, quoties repetunt quæ ibi ad ſalutem noſtram ſcripta ſunt. Et deprecor omnes cum oſculo pedum, vt multùm diligant, cuſtodiant, & reponant; & ex parte Dei omnipotentis, & Domini Papæ, & per obedientiam, ego Franciſcus firmiter præcipio & iniungo, vt ex his quæ in iſta vita ſcripta ſunt, nullus minuat, vel in ipſa ſcriptum aliquod deſuper addat, nec aliam Regulam Fratres habeant. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.

ADNOT. IN PRIMAM REGVLAM.

1. IN NOMINE, &c.] Omnes præter Firm. hæc præponunt Regulæ.

2. INNOCENTIO] Tertius huius nominis hic fuit, fama & doctrina celebris, ſub quo celebratum eſt Concilium magnum Lateranenſe.

3. CONFIRMAVIT.] Viuæ vocis oraculo.

4. SINE PROPRIO.] In particulari, & in communi. Vide Adnotat. in Orationem pro paupertate, n. 51. & in Reg. 2. n. 3.

5. VITÆ NOSTRÆ TENOREM, &c] Reprehenſibiles certè iudico Miniſtros aliter facientes, ipſo quo quis die habitum petit, concedentes induenteſque. Melius & ſatius eſt, quod in quibuſdam Prouinciis præceptum & admiſſum eſt, vt per dies aliquot iuuenes in veſtitu ſæculari intra Monaſterij ſepta cum Fratribus degant, eorum vitæ rationem attentiùs conſiderantes; quæ ſi non placet, faciliùs ſine rubore, moleſtia aut ſumptu eis valedicere poterunt, quàm poſtquam in eorum adſciti ſunt numerum.

6. SINE IMPEDIMENTO, &c.] Præter particulares aliquas rationes, quę ſæpiſſimè efferri poſſūt, propter quas Nouitij nō poſſint exequi quod hîc præcipitur, modò commune eſt obſtaculum, præceptum ſcilicet Iuris c. Non ſolum. de Regularibus; & Conſtitutio Oecumenici Concilij Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. Videndus in eumdem Concilij locum Petrus Vincentius lib. 1. tit. 12 Nauar. l. 3. Conſil. de Donat. Conſ. 8. & in

eodem lib. tit. de Statu Monach. Conſ. 5. & Emanuel Tom. 2. Reg. qq. q. 47. art. 8. 9. & 10. & in Summa Tom. 2. excuſionis Salmantinæ, an. 1615. cap. 62. titulo Nouitij: qui iuxta Trident. mandatum docent, quamcumque Nouitiorum donationem, ſeu expropriationem bonorum ante habitus ſuſceptionem, ſeu duos menſes Profeſſioni proximos, illicitam eſſe & irritam.

7. INDIGVERINT.] Mon. 1. impreſſ. tractat. 2. habent corruptè, *diguerint*.

8. AD ALIAM RELIGIONEM.] Vide Adnotat. in Reg. n. 8.

9. NEC EXTRA OBEDIENTIAM EVAGARI.] Vide ibidem.

10. SVFFICIT EI, &c.] Voluntas namque in quibuſdam pro facto reputatur. *Quidquid enim vis, & non potes, pro facto Deus computat.* (August. in Pſal. 57)

——Audacia certè
Laus erit in magnis, & voluiſſe ſat eſt. (Prop. 2. v. 10.)

11. INSTITVTIONEM SANCTÆ ECCL.] Plura & varia inſtituit Eccleſia obſeruanda in receptione Nouitiorum, quæ numerare, ſeu hîc aſſignare non erit facile; præſertim cùm plura ſint Iuris antiqui, alia à recentioribus Pontificibus ſtatuta, quædam innouata, aliqua immutata. Omnia videre licebit apud Nauarr. in cap. Cui portio. 52. q. 1. n. 8. & lib. 3. Conſiliorum, Conſil. 1. de Regul. n. 8. & 9. Emanuel. Tom. 3. qq. Reg. à q. 10. vſque ad 17. incluſiuè, & in Summa Tom. 2. verbo Nouitius, per varia cap. Miran. in Man. Prælat. à q. 15. vſque ad 25. & in Regulam Min. à cap. 33. vſque ad 48. & Siluester verbo Nouitij.

12. DIVINVM OFFICIVM, &c.] Præcepit vt orationes & preces (quæ iam ex more diuini Officij nomen obtinuêre, vel quòd in diuinum honorem effunduntur, vel quia diuinum quid in illis celebratur) per ſuas horas & tempora iuxta ſanctiones Eccleſiaſticas diſtribuant. Quod nouum recenſque in Eccleſia certè non eſt, imò ex Danielis Prophetæ & Apoſtolorum tempore hæc Horarum Primæ, Tertiæ, Sextæ, &c. obſeruatio celebrata eſt, vt Danielis Prophetiam & Apoſtolorum Acta legenti patebit. Quod Hieron. optimè & ita expreſſè docet, vt Horarum Canonicarum inſtitutionem, diſtributionemque prolixam, minimeq; obſeruandam oblatrantibus hæreticis plenè ſatiſfaciat. (Hieron. Epiſt. ad Lætam & Demetriadem.) Vt verò quotidie ſeptem Horæ Canonicæ recitentur, ſancitũ putant aliqui à Pelagio II. inſtitutionem verò & diſtributionem à diuo Ambroſio, Damaſo, & Hieronymo, eo modo quo hodie fit, additis poſteà per alios nonnullis, ortum habuiſſe. Vide Guliel. Duran. in Ration. diuin. Offic. & Petrum Creſpet. verbo Offic. diuinum.

13. VSQVE AD PASCHA.] In 2. Reg. cap. 3. ieiunium hoc ſpontaneum eſt, nec eò vſque protenditur, ſed tantùm per quadraginta dies.

14. IN LOCIS, IN QVIBVS FVERINT, COLLOCENT, &c.] Locus hic in Latinis codicibus ſatis obſcurus eſt. Obſcuritatem dubiumque tollit tranſlatio Hiſpanica Marci ita: *Los Miniſtros y Sieruos de los Frayles, ordenenlos por los lugares en que moran.* Quaſi iubeat diſtribuendos eſſe, ſeu remittendos ex Capitulis in quibus Miniſtri eliguntur, ad loca vel Monaſteria, in quibus degebant, vel ad alia quæcumque, in quibus viuunt aut morantur; & cuique proprius inhabitandi locus aſſi-

aſſignetur, vt pro temporis vel neceſſitatis ratione eos viſitent & conſolentur Miniſtri.

15. IN HIS QVÆ SPECTANT.] In iis enim quæ non ſpectant, ſed contraria ſunt Deo & animæ ſuæ, contemnenda potiùs eſt poteſtas præcipientis, ex tex. Non ſemper. 11. quæſt. 3. ibidem. cap. Ita corporis, §. Qui reſiſtit. ibidem. cap. Imperatores. cap. Si dominus. *Nec exinde*, optimè Auguſtinus, *contemnis poteſtatem, ſed eligis maiori ſeruire: nec hinc debet minor iraſci, ſi maior prælatus eſt.* infrà: *Imperator carcerem, Deus gehennam minatur.* Vide Adnotat. ad Epiſt. 2. n. 26. Vide Bern. Senenſ. Tom. 4. Serm. 19. in 2. Par. princ. qui hoc idem ex ipſo Franciſco confirmat.

August. Serm. 6. de Verbis Domini.

16. SI ALIQVID PERDERETVR.] Hoc Prælatis timendum eſt, & periculoſum, *quòd pereuntium ſubditorum de ipſorum manibus requiretur ſanguis, ſi tamen erga eorum ſalutem reperti ſunt deſides, atque vitæ monita eiſdem inſinuare neglexerint.* Vide Adnotat. in Orat. pro Commend. fam. num. 3.

Laurent. Iuſtin. de Inſtitut. & regim. Prælatorũ, c. 17.

17. OBEDIENTIA NON EST.] *Obedientia* etenim (vt rectè definit Iouinianus) *à iuſtitia trahit originem, & eſt habitus parendi præceptis omnibus quæ à ratione proficiſcuntur; vel habitus parendi præceptis illorum atque imperiis, quibus lege iureque parere teneamur: & vt pareamus, recta dictat ratio.* Vt verò peccemus, aut aliquid contra Deum committamus, nulla dictabit; imò ipſi rationi omnino contrarium erit, quantumcumq; Superioris accedat præceptum. Vide num. 15.

Iouinian. Pont. lib. de Obed. poſt princip.

18. NON TVRBENTVR, ET IRASCANTVR.] Idem inculcauit Reg. 2. cap. 7. *Sed in neutro loco prohibet*, ait Bonauentura, *iram per zelum, quæ virtus neceſſaria eſt in peccatis corrigendis:* ſed *ne ira excandeſcant, corde concitentur* (Piſanus) *& verbis turbationis irritentur*; ne & ſubditum in lapſu diabolus collidat, & Prælatum per iracundiam dæmon occidat.

Bonau. in Expoſit. Reg. 2. c. 7. in fine To. 7. Piſan l. 1. Conf. 9. in expoſ. eiuſdem.

19. NON HABEANT POTESTATEM, VEL DOMINAT.] *Oſtendens* (vt verbis & ratione vtar Chryſoſtomi) *quia primatus in Chriſto, nec ab aliquo appetendus eſt non habente, nec alteri inuidendus eſt habenti: quia Principes mundi ideò ſunt, vt dominentur minoribus ſuis, & eos ſeruituti ſubiiciant, & expolient, & vſque ad mortem eis vtantur ad ſuam vtilitatem & gloriam. Principes autem Eccleſiæ ſunt, vt ſeruiant minoribus ſuis, & miniſtrent eis quæcumque acceperunt a Chriſto; vt ſuas vtilitates negligant, & illorum procurent, & mori non recuſent pro ſalute inferiorum. Primatum ergo Eccleſiæ concupiſcere, neque iuſtum eſt, neque vtile.*

Chryſoſt. Hom. 32. in Matthæum.

20. HÆC EST VERA ET SANCTA OBEDIENTIA.] Seruire & obedire inuicem, veram & Chriſti aſſerit eſſe obedientiam. Sed liceat nobis cum D. Thoma in ſimilia verba Pauli, *In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes*, dubitare quomodo hoc præſtare poſſint. Quomodo qui ſuperior eſt, inferiorem & ſubditum, ſuperiorem eſſe iudicare poterit? *Aut enim non cognoſcit ſe eſſe ſuperiorem, & virtutem ſuam, & ſic non eſt virtuoſus, quia non eſt prudens: aut ſcit, & ſic non poteſt exiſtimare alium ſuperiorem ſe.* Reſpondet Angelicus Doctor: *Dicendum, quòd nullus eſt ſic bonus, quin ſit alicuius defectus; & nullus eſt ſic malus,*

Philipp. pen. 2. v. 3. Thom. Lect. 2. in cap. 2. ad Philip.

 lus,

lus, quin habeat aliquid boni. Vnde non oportet quòd eum præponat ſibi ſimpliciter, ſed quantum ad hoc quod dicat in mente ſua, Forte in me eſt aliquis defectus, qui non eſt in illo. Et hoc oſtendit Auguſtinus, quomodo virgo præferat ſibi coniugatam, quia forte feruentior. Sed detur quod quantum ad omnia ſit ille bonus, & ille malus; nihilominus tu & ille geritis duplicem perſonam, ſcilicet tui, & Chriſti. Si ergo illũ non præponas ratione ſuæ perſonæ, præponas ratione imaginis diuinæ, iuxta illud Pauli: Honore inuicem præuenientes. Hæc vera obedientia eſt, quæ non ſolùm ſuperiori, ſed & æquali, imò inferiori, præſtat obſequium. Vera (inquam) quaſi excellens, & ſupererogationis. Hæc Chriſti obedientia (vt rectiſſimè B. Pater affirmat) cenſenda videtur, *quæ parentibus, licet ſibi inferioribus, obedientiam præſtat*, vt Græca habet Catena: imo vt Baſilius affirmat, à primæua ætate obediens illis, etiam in ſuſtinendo labores ſubiectionem plenariam ſuſtinebat. Sed (vt optimè Ambroſius) *non infirmitatis, ſed pietatis eſt iſta ſubiectio.* Pietatis ergo, excellentiæ, ſupererogationis & ipſius Chriſti obedientia eſt, quæ mutuum etiam ſubditis offert & præbet obſequium.

Auguſt. lib. de Virginitate, ad med.

Rom. 12. v. 10.

Græca Cat. apud D. Tho. in cap. 3. Lucæ.

Baſil. l. de Regulis.

Amb. in Luc. c. 2.

21. SICVT VELLET SIBI FIERI.] Vide To. 1. Adnot. in Epiſt. 8. n. 14. & Tom. 3. Collat. 24. modò audi exemplum ſatis accommodum huius præcepti ex Chryſoſtomo: *Quemadmodum*, inquit, *diuites ſportulas mittunt egentibus, quo ſi quando & ipſi in egeſtatem inciderint, eadem ab aliis conſequantur, ſic Prælatis faciendum eſt*, vt prouideant ſuis ſubditis in neceſſitatibus ſpiritualibus, ſicut ſibi vellent prouideri; maximè dum qui hodie Miniſtri & Prælati gerit vices, manè ſubditi ſubire poſſit obſequium, & veriſimiliter in eaſdem incidere neceſſitates: *fieri enim non poteſt, vt homo abſq; aliquo viuat defectu*, quem cum lenitudine & manſuetudine tunc vellet ab alio curandum.

Chryſo. Hom. 13. in c. 6. ad Galat. ad initiũ.

Idem paruum.

22. LABORENT.] Idem admonuit in ſuo Teſtamento, & Reg. 2. c. 5. vide Adnotat. Teſtamenti n. 25.

23. PRO LABORE] Monita vtriuſque impreſſionis habent *pro laborare*, errore Typographi.

24. SCRIPTVM EST, SEMPER FACITO, &c.] Magnam defert verbis Hieronymi auctoritatem, quaſi ſolum ſufficiat hæc ſcripſiſſe ſanctum Doctorem, vt ab omnibus obſeruentur; nec alio vtitur modo loquendi, quando verba citat ſacræ Scripturæ. Sententiam autem hanc inuenies apud Hieronymũ Epiſt. 4. de viuendi forma ad Ruſtic. ad med.

25. OTIOSITAS EST ANIMÆ INIMICA.] *Mater etenim eſt nugarum, & nouerca omnium virtutum. Ipſa eſt quæ virum fortem fortiſſime præcipitat in reatum, facit ſuffocare virtutem, & viam conſtruere ad gehennam.* Quod & ſimilitudine comprobat. *Sicut*, inquit, *per rimam ſentinæ aqua latenter intrat, & excreſcit, donec nauis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio atq; ignauia cogitationes prauæ & concupiſcentiæ multiplicantur, donec nauis cordis eius ſuccumbens in peccato periclitetur.* Aliam ſatis appoſitam vide comparationem aquæ decurſu carentis, cum otio, apud Laur. Iuſtin. lib. de Perfect. gradibus c. 9. qua ante eum vſus eſt Ouidius, dum ait:

Bern. l. de Conſid. c. 13.

Idem Serm. de S. Andrea.

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus: Ouid. 1. Pont. 6.

Vt

Vt capiant vitium, ni moueantur aquæ?

& elegantem otij deſcriptionem apud Bapt. Mant. lib. 1. de calamitate ſuorum temporum.

26. SE TRISTES EXTRINSECVS.] Non veram Chriſtianamq; de peccatis triſtitiam prohibet, ſed ſimulatam Phariſaicam, extrinſecus nubiloſorum, intrinſecus gaudentium: de quibus Græcum illud circumfertur adagium, Πρὸς τὸν μητρυᾶς τάφον δακρύειν, *Flere ad nouercæ tumulum.* quod accommodatè eſt ſimulare geſtu dolorem, cùm re gaudeas. Quod propriè hypocriſis eſt; quam vehementer in ſuis exoſus eſt Franciſcus, nec immeritò, cùm (vt benè depingit Pelagius) *nihil ita ſit ſimplicitati diuinæ contrarium quam illa, ſitq; mater duplicitatis, filia mendacij, & patris eius diaboli, duplici vita viuens, corpore in cælis habitans, mente in terra, honoris auida, in ſe pauida & infructuoſa, doli artifex, martyr diaboli, æmulatrix & perſecutrix bonorum, correctrix omnium, ipſa incorrigibilis, intus arida, antrum dæmonum, & eorum figura, tinea ſanctitatis, compta meretrix, fucata ſpurcitia, inflata vipera, ornatum ſepulcrũ, filia peccati, & continuè peccans, perditionis præcurſus, vermis Eccleſiæ inſenſibiliter quodammodò eam depaſcens, negatio naturæ, crocodilus vitalia conſumens Eccleſiæ, blaſphemia alterius vitæ, genitrix Phariſæorum, ſoror Scribarum, totius puritatis Euangelicæ inimica.* Vide Tom. 3. Apophtheg. 18. & Prophet. 11. Aluar. Pelag. l. 1 de Planctu Eccl. c. 67. poſt init.

27 QVAM IN LAPIDIBVS.] Eadem certè eſt pecuniæ & lapidum mater, vtriuſque communis origo: concreta terra aliquantò purior & lucidior, argentum; fuluior, aurum: eadem duriùs congelata, in lapides abit. Falſa ergo æſtimatione hominum lapidibus præferri duco pecuniam. *Hoc malum*, ait Ambroſius, *iamdudum humanis mentibus inſluxit, vt pecunia honori ſit.* Malum vtique non magnarum mentium, ſed vilium animorum. *Nihil*, inquit Cicero, *tam anguſti animi, tamque parui, quàm amare pecuniam; nihil honeſtius magnificentiuſque quam pecuniam contemnere.* Sed quò ſublimior eſt mens, eò magis ei vileſcit pecunia. Quid ergo Religioſus peculium appetat? quid cæleſtis vir terrenam deſideret ſpurcitiã? *Quid cæleſti animo cum terreſtribus purgamentis?* Vide Petrar. ibidem benè lateque pecuniæ vilitatem, eiuſque contemptum docentem. Et infrà Tom. 3. Apophth. 39. Ambroſ. lib. 2. Officio. c. 21. Cicero lib. 1 de Offic. Franciſc. Petrar. Dial. 13.

28. VIXIT DE ELEEMOSYNIS IPSE.] Conſtans expreſſaque ſententia multorum antiquitate & doctrina magnorũ Patrum hæc eſt (de qua quidam dubitare viſi ſunt.) Hieronymus *Chriſtus*, inquit, *alieno veſcebatur cibo.* Bernardus alloquẽs Chriſtum in Ieruſalem remanentem per triduum, annorũ duodecim factum, ait: *Quid dicam Deus meus? An vt te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus è turba pauperum ſtipem per oſtia mendicabas?* Idem ſentit Auguſtinus Concil. 3. in Pſal. 103. ſuper illud *Producẽs fœnum iumentis*, Tom. 8. Hugo Vict. in Pſalm. 91. cap. 64. Ludolphus De Saxon. 1. p. Vitæ Chriſti c. 15. poſt med. & aliorũ quos citat D. Bon. in c. 4. Reg. Min. To. 7. Vide Suar. Tom. 2. in 3. p. diſp. 28. Sect. 2. De B. verò Virginis educatione & victu, vide Barrad. Tom. 1. lib. 6. c. 6. Hieron. Epiſt. 2. ad Nepot. poſt med. Bernar. Hom in fra Octauam Epiphan.

29. ELEE-

29. ELEEMOSYNA, ET HEREDITAS, ET IVSTITIA.] Eadem ſub aliis verbis repetit in Appendice, Serm. 3. & Tom. 3. Collat. 7. Hereditas & iuſtitia eſt, quia *temporalia bona diuitibus non magis poſſidenda Dominus tradidit, quàm pauperibus diſpenſanda commiſit.*

Leo Papa Ser. 5. de Collectis.

30. NECESSITAS NON HABET LEGEM.] Commune & ab omnibus receptum dictum, ſimillimum Græco adagio: *Omnia eſculenta obſeſſis:* Ἅπαντα γάρ τοι βρωτὰ πολιορκουμένοις. q. d. Inſtante neceſſitate nihil non facimus, nec legum vlla habetur ratio; *imò ſuas habet neceſſitas leges tam duras*, ait Plato, *vt nullæ eis reſiſtere poſſint, nec Deus eas queat violare.* Ita ex Platone refert Bruſon. lib. 4. cap. 29. & Laërt. dixiſſe ait Pittacum, *tantam eſſe neceſſitatis vim, vt nec dij ipſi reluctari poſſint.* Cordatè ergo Franciſcus ſuos nullis legum vinculis neceſſitatis vrgente vexamine aſtringit.

Plato l. de Legibus.

Laërt. l. 1. c. 5.

31. TALEM SE ESSE DESIDERET.] Dei voluntati qualiter in omnibus conformari debeamus, tam in ipſa ſubſtantia actus, quàm in eius circumſtantiis, vide Scot. in 2. d. 48. Sed & in infirmitate propter eamdem conformitatem gloriandũ eſt cum Paulo, vt in infirmo inhabitet virtus Chriſti, dum eius lubens ſuſcipit flagellum. *Qui enim dolorem capitis non ſuſcipit benignè, quomodo pro Chriſto capitis abſciſſionem pateretur? Qui flagellum renuit, quomodo flagella ſuſtineret.* Maximè ex eo toleranda eſt infirmitas, quòd ſæpiſſimè flagellum ſit delictorũ commiſſorum, vel cautio patrandorum. *Quoſdam enim præſciens Deus multa peccare poſſe, flagellat eos infirmitate corporis ne peccent, vt eis vtilius ſit frangi languoribus ad ſalutem, quàm remanere incolumes ad damnationem.*

2. Cor. 12 v. 9. Hugo l. 1. de Clauſt. animæ.

Idem lib. de Anima.

32. COMPVNCTIONIS SPIRITV ERVDIT.] Ita peccatores per calamitates & ſupplicia quaſi retorto fræno reducere ſolet Deus, & erudire ne in viam abeant perditionis. *Caſtigaſti me Domine*, ait Ieremias, *& eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus.* Iſaias: *Sola vexatio intellectũ dabit auditui.* Iterùm Ieremias: *De excelſo miſit ignem* (ſcilicet tribulationis) *in oſſibus meis, & erudiuit me. Intuere* (ſubiungit Conimbricenſ. Magiſter) *calamitatis vtilitatem; ea eſt inſtructio noſtra è cælo diuinitus miſſa, quæ mirum in modum conducit ad vitam immortalem conſequendam.* Vide eumdem ibidem; & Tertul. lib. ad Mart. cap. 3.

Ier. 31. v. 18.

Iſai. 28. v 19.

Thren. 1. v. 13.

Hector Pint. in præd. locũ Thren.

33. ANIMÆ INIMICA.] *Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Notat Caietanus, *rebellionem hanc proueniſſe ex peccato, & non ex primaua creatione; in ſtatu namque innocentiæ Adam & Eua nudi erant, & non erubeſcebant.* Et addit: *Nec oportet litteris declarare hanc contrarietatem, quam* (proh dolor!) *quotidie ſentimus per experientiam.*

Gal. 5. v. 17.

Caiet. in hunc locũ Pauli.

34. A MALO.] Id eſt diabolo, *qui malus dicitur*, (inquit Chryſoſtomus) *non naturâ, ſed propter redundantiam malignitatis.* Vnde & per ἀντονομασίαν abſolutè malus appellatur à Patribus. Vide Chryſoſt. cit. in illud Orationis Dominicæ, *Sed libera nos a malo.* & ſi plura eius nomina ſcire deſideres, conſule Blaſium Viegas Comment. 3. in cap. 2. Apocal. Sect. 1.

Chryſoſt. Hom. 20 in cap. 6. Matth. Tom. 2.

35. RECIPIATVR AD OBEDIENTIAM.]

TIAM.] Prohibet antequam quorumdam Religioſorum conſuetudinem, etiam in hæc noſtra ſæcula protractam, feminarum ſæcularium curã ſuſcipientium, ad quorum nutum & præceptum illæ ſe victituras ſpondent, quas vulgò Beatas dicunt, alij Filias ſpirituales, alij Matres vel Deuotas ſuas vocitant ſorores. Nomina ſancta, ſi conuerſatio caſta. Sed heu quàm verè dixerit Hieronymus: *Argumenta ſunt diaboli, & mortis æternæ indicia, filiationes & maternitates, quibus vocabulis ſub velamine ſpiritus inter ſe vtuntur mares & feminæ.* Et alibi: *Matres vocamus, ſorores, & filias, & non erubeſcimus vitiis noſtris nomina pietatis obtendere*; Sanctum & laudabile exercitium, mulieres docere, & in via Dei inſtruere; ſed in ſecreto, ſine arbitris, & cum aſſiduitate, periculoſum. *Sæpè etenim familiaritas vincit, quos vitium ſuperare non potuit; & quos voluptas proſternere non valuit, aſſiduitas ſuperat.* Vide egregium textum 2. quæſt. 2. cap. Diffinimus. Nec mulieris, quantúcumq; deuotæ, ſanctitati fidendum eſt, quæ ex fragili ſexus conditione illecebroſum propendit ad crimen. *Sanctior mulier, vltrà quàm dici liceat, ſi viro adhæreat, quantumcumque ſpiritualis, inſtinctu naturali inclinatur tandem ad nefas*, & tacitè paulatimque *per amorem ſanctum, fit non ſancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam.* Vide Bon. Tom. 7. p. 2. lib. 1. de Profectu Relig. cap. 39. in princip. & Baſil. lib. de Virginitate, poſt med.

Hier. in Regul. Monach. ad Paulam & Euſtoch. c. 20.

Idem aduer. Vigilant. c. 6.

Bernar. vel Auctor Sermon. 98. ad Soror.

Hieron. in Reg. Monach. c. 20. ad finem.

Idem in c. 2. ad Titum.

36. EX SVA TVRPITVDINE AMISIT.] *Cucullus nempe ſignum eſt innocentiæ. Et ſordidæ*, inquit Hieronymus, *veſtes, candidæ mentis indicia ſunt.* Qui ergo innocentiæ candorem per fornicationẽ perdidit, ſanctimoniæ inſignia per incontinentiam amiſit. Nec enim *pietatis ſolummodo formam, ſed & veritatem in omnibus & præ omnibus habitus noſter repromittit*, vitæque integritatem requirit. Non ex illorum debet eſſe numero Monachus, de quibus Paulus ait: *Sunt aliqui ſpeciem quidem pietatis habentes, virtutes autem eius abnegantes.* Non etenim fucatam ſpeciem, nec fallaciæ notam religioſus cucullus protendit; ſed virtutis ſpecimen, integritatis veritatem Monachalis veſtis obtendit. *Conuerſandũ ergo iuxta id quod habitus noſter ſignificat.* Sin aliter, non iniuſtè, quem tua conſpurcaſti fœditate, deponendum putes ex tanti Legiſlatoris præcepto. Similiter præcepiſſe videbis Conc. Neocæſar. ſi Decretum conſulas d. 28. cap. Preſbyter. *Si fornicatus*, inquit, *fuerit Presbyter, vel adulteriũ commiſerit, extra Eccleſiam abijci, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.* Vide gloſam ibidem. & d. 28. 31. & 32. vbi plura ordinantur de Clericorum continentia, & incontinentium pœnis; & Concil. Toletan. II. cap. 2.

Part. 2. Vit. Pat. De diuer. Hier. ad Ruſtic. Epiſt. 4.

Bernar. tractat. de Vit. ſolit. ad Frat. de monte Dei.

2. Tim. 3. v. 5.

Vitæ Patrum vbi ſuprà.

37. VNVS MODVS EST, &c.] Duos aſſignat modos infideles conuertendi, vnum per ſanam Catholicamq; doctrinam prædicando, alterum per ſanctam & honeſtam vitam tacendo; qui certè primo non eſt inferior. Suas enim habet voces vita ſancta, ſua prædicat lingua bonum exemplum. Etenim *in omnibus bonam ſidem oſtendentes, doctrinam Saluatoris noſtri in omnibus ornant. Enimuero* ſi per honeſtam vitam & bona exempla *tales ſe præſtiterint ſerui Chriſti,*

Ad Tit. 2. v. 8.

Theophyl. in cap. 2. ad Tit.

Chriſtiano nomini gloriæ erunt. Nam gentilis aliquis conſpicatus tam benè à Chriſti ſectatoribus ſubſtitutum, quo pacto poterit ad Chriſtianā doctrinam non obſtupeſcere, & ad illam, quam obſtupeſcit & laudat, non conuerti? Hunc conuertendi modum non parum efficacē eſſe demonſtrat Chryſoſtomus Chriſti exemplo, dicens:
Chryſoſt. Serm. in Oſiam. *Sicut Chriſtus Deus & omnium Dominus in carne manſuete nobis apparens, ſanctoſq; Angelos cum hominibus concordes effecit, qui quaſi bello quodā à nobis diſſidebant: ita & manſuetus homo gentiles & paganos cum Chriſtianis, qui inter ſe diſcordes ſunt, conciliat, & reuereri leges & præceptum fidei, abiectiſq; inimicitiis in gratiam mutuam redire facit.* litigioſi verò & ſcandaloſi ex aduerſo faciunt, *vt*
Ad Tit. 2. v. 6. *blaſphemetur verbū Dei. Credēt enim*
Caietan. ibidem. (ait Caietanus) *qui ex aduerſo ſunt, quòd Euangeliū pareret hæc monſtra, & quòd daret libertatem peccandi.*

38. Dedervnt se.] Quid magnum fecerunt ſe illi dando, qui ſe totum dedit illis? quid non debitum ſoluêre ei, qui omnes conſtituit de-
Origen. Hom. 14. in Numer. Tomo 1. bitores? *Deus homini dedit terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, ad obſequium; dedit & ſolem, &c. Sed poſt hæc ſemetipſum dedit. Sic enim Deus*
Ioan 3. v. 16. *dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret pro mundi huius vita. Quid ergo magnum faciet homo, ſi ſemetipſum offerat Deo, cui ipſe ſe prior obtulit Deus?* Qui ergo totus es Chriſti, tolle, tolle Crucem Chriſti, Chriſtum viriliter ſequere, & ſi opus fuerit, pro Chriſto in cruce cū Chriſto exhalantem offer ſpiritum.

Bernar. Serm. 59. in Cant. parum po. t init. 39. Fratres operibvs prædicent.] Bona opera ſanè, *& exemplum tum in aliis multis, tum vel maximè in hoc negotio, verbo efficacius eſt. Dabis voci tuæ vocem virtutis, ſi* Pſal. 67. v. 34.
quod ſuades, priùs illud tibi cognoſceris perſuaſiſſe. Validior operis quàm oris vox. Fac vt loqueris, & non ſolùm me faciliùs emendas, ſed te quoque non leui liberas probro. Non iam pertinebit ad te, ſi quis dicat, Alligant Matt. 23. v. 4.
onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Sed neque illud verearis oportet: Tu qui alios doces, te ipſum non doces? Factis proinde verba confirmat, qui ſibi & aliis conſulere deſiderat. Vide To. 1. Adnotat. in Epiſt. 9. n. 6. & Santem Pagnin. l. 9. ſuæ Iſagog. c. 41. ant. fin.

40. Non pertinent ad nos nisi vitia.] Hanc non modicam rationem reputauit Pſaltes, vt ſe humiliter Deo ſubiiceret. *Nónne*, in- Pſal. 61. v. 1.
quit, *Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.* Bona etenim noſtra omnia à Deo ſunt, naturalia tamquam ab auctore naturæ, ſupernaturalia, & ad hæc conducentia à gratiæ largitore; peccata verò ſine ipſo facta ſunt. *Nec enim ad* Auguſt. lib. 2. de Peccat. merit. & remiſs. cap. 6.
peccandum à Deo adiuuamur, iuſta autem agere, vel iuſtitiæ præceptū omni ex parte implere non poſſumus, niſi adiuuemur à Deo. Quod eleganter etiam docuit Hieronymus in illud ſacri Eloquij, *Omnes, qui ingrediun-* Prouer. 2. v. 19.
tur ad eam, non reuertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. Dum ait: Hieron. ibidem Tom. 8.
Omnes qui ingrediuntur ad eam, ſcilicet ad meretricem, ſiue ad domum eius, non reuertentur; quia quantum attinet ad naturam, iniqua ſua voluntate deprauatam, recurſum per ſe ipſam non habet, ſed per Dei gratiā, quæ adiuuatur, & inſtauratur, vt ſemitas vitæ apprehendat. Deſignatum eſt hoc dicto pondus iniquitatis, vt cùm reuertetur quis, ſibi non tribuat, ſed

gra-

gratia Dei, non ex operibus, ne forte glorietur. Eadem habet verba à Hieronymo mutuata Auguſtinus lib.10. de Gen. ad litt. Tom. 3. *Gratis* (inquit alibi) *malus eram, malitia mea cauſa nulla erat niſi malitia.* Malitiam hanc habet lapſa natura, malis abundat; Dei deſtituta muneribus, ad bona ſupernaturalia languet. *Quid tantū de naturæ poſſibilitate præſumitur? vulnerata, ſauciata, vexata, perdita eſt, gratia Dei indiget qua reſtituatur?* Vide Adnot. in verba ſacræ Admon. n.31.& 32.& de Perfecta læt. n.21.

Auguſt. lib. 2. Conf. cap. 4. Tom. 1.

Idem de Nat. & grat. c. 5. Tom. 7.

41. TRIBVLATIONES IN HOC MVNDO.] Propter has ſolùm lætabatur Paulus, non propter inauditum illum raptum in tertiū cælum, nec propter magnitudines reuelationum, aut alia ingentia dona à Deo recepta; gloriabatur ſolùm in miſeriis & anguſtiis. *Libenter igitur gloriabor,* inquit, *in infirmitatibus meis, in contumeliis, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro Chriſto. Hæ namque* (ait Theophylactus) *quò affluent magis, eò mihi Dei virtutem vberiùs allaturæ ſunt.* Vide Auguſt. Fragmento vltimo à Louanienſibus adiectorum Tom.10. & Opuſc. de Perfect. lætit. ſuprà Tom.1. n.18.

2. Cor. 12. v. 10.

Theoph. in hunc locum.

42. EXPELLATVR.] Expuliſſe modò non ſufficit in infidelitate pertinaces; ſed & in Regnis, in quibus ſancta inſtituta eſt contra hæreticam prauitatem inquiſitio, neceſſe eſt apud eamdem de eis denuntiari, vt habet Franciſcus Peña 3. p. Direct. Com. 77. excuſionis an. 1585. vel matura & ſtricta animaduerſione Prælatorum, inquiſitionis præuenire ſupplicium, eorum errores ſeuerè, iuridicè & prudenter puniendo, prout conſulit & tenet Hieronymus Sorbo Adnotat. in Compend. priuil. verbo Inquiſitor. in §. octauum. Videndus ibidem, vbi contrariis Peñæ rationibus ſatisfacit.

43. SACERDOTIBVS NOSTRÆ RELIGIONIS.] Vt Religioſi confiteantur Sacerdotibus eiuſdem Religionis, cuius Inſtitutum profitentur, moris & iuris eſt antiqui, præceptumq; à Bonifacio VIII. Clem. IV. & Leone X. quos refert Collector Compendij, titulo Abſolut. Ord. quoad Fratres, §.4. & 5. roboratumq; in Statutis noſtris generalibus Barchinonenſibus c.6. An verò Indulto Bullæ Cruciatæ in Hiſpaniarum Regnis quoſcumq; aliquando valeant eligere Confeſſores, videantur Cordub. in Reg. Min. c. 7. q. 3. Eman. tract. de Crucia. §.9. dub.7.

44. ABSOLVTI ERVNT PROCVLDVBIO AB ILLIS PECCATIS, SI POENITENTIAM SIBI INIVNCTAM PROCVRAVERINT HVMILITER ET FIDELITER OBSERVARE.] Horatius Diola Bonon. in ſua Italica interpretatione apud Marc. Portuenſ. 1. p. Chro. l.1.c.11. hunc locum ita habet: *Per la penitenza, & aſſolutione, che le ſarà data, ſaranno aſſolti da tutti lor peccati, è procurino con fede & humiltà di far la penitenza impoſta loro.* Latinè ita reddes: *Per iniunctā pœnitentiam, & datam abſolutionem, abſoluti erunt à ſuis peccatis: & procurent fideliter & humiliter adimplere pœnitentiam ſibi impoſitam.* Si ita legas, nulla erit huius loci difficultas. At ſi inhæreas vetuſtæ, quam offero, lectioni Codicum à me in Argumento huius Regulæ citatorum, aliqualem ingeret viro Theologo ſcrupulum, dum ex his verbis ſuſpicari poſſit, Franciſcum voluiſſe, ſatisfactionem ſeu adimpletionem pœnitentiæ à Confeſſario impoſitæ, eſſe partem

eſſentialem Sacramenti Pœnitentiæ (quod & multis voluit, in hac re ſingularis, Palud. in 4. diſt. 16. q. 1. in fine) eamque ordinari ad primarium effectum huius Sacramenti, qui eſt peccati remiſſio; ita vt non perficiatur Sacramentum, nec pœnitens beneficium abſolutionis obtineat, dum ſatisfactioně non compleat. Sic enim ſonare videntur illa verba conditionalia: *Abſoluti erunt proculdubiò ab illis peccatis, ſi pœnitentiam ſibi iniunctam procurauèrint humiliter & fideliter obſeruare.*

At ego mihi planè perſuadeo, Franciſcum non reputaſſe ſatisfactionem eſſe eſſentialem, ſed integralem partem huius Sacramenti, atque intellexiſſe ad ſecundarium dumtaxat effectum eam ordinari. Namque Epiſt. 2. cap. 4. dum de confeſſione, & digna ſumptione Euchariſtiæ agit, ſuadet ſtatim, vt poſt confeſſa peccata recipiatur Corpus Dominicum; poſteà verò hortatur ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos. Niſi autem ſenſiſſet in præmiſſa confeſſione dimitti peccata, abſque eo quòd præmittatur & ſatisfactio, non hortaretur ad immediatam communionem Chriſti Corporis, cuius dignam ſumptionem abſque peccatorum conſcientia ibidem & alibi efficaciùs inculcat, nec ſatisfactionem poſt Communionem commendaret.

Triplicem autem legitimum ſenſum poſſunt habere hæc verba. Primum vt intelligatur ſecundùm morem antiquum, quo præmittenda erat pœnitentia abſolutioni. Ita enim olim ſolitū fuiſſe, teſtatur Franciſcus Suarez Tom. 4. in 3. p. diſputat. 38. Sect. 2. num. 5. & nunc interdum fit, cùm Confeſſarius, vt exploret pœnitentis dolorem, & animum quo ad Sacramentum accedit, quædam iniungit perficienda, & toleranda ante abſolutionem, iubetque vt procul abiiciat certas vel probabiles occaſiones peccandi, & ſe expediat ab iis, per quæ Sacramenti effectum impediri poſſe iudicat. Tunc enim dependenter ad pœnitentiam datur abſolutio, & liberantur pœnitentes à peccatis, ſi iam procurauerint fideliter & humiliter complere quod Confeſſarius tamquā neceſſariò præmittendum præcipit. Et hanc eſſe Franciſci mentem, iudicari poterit ex ipſa verborum diſpoſitione: ait enim, quòd *à quibuſcumque acceperint pœnitentiam & abſolutionem, abſoluti erunt*, &c. Vbi præmittit abſolutioni pœnitentiam, tamquam à Confeſſario iniungendam, & à pœnitente abſque fictione & humiliter complendam ante abſolutionem, ſecundùm illius temporis conſuetudinem.

Secundus ſenſus eſt, vt explicentur illa verba conditionalia de vitæ emendatione, quam in quibuſdam regionibus in ipſa pœnitentiæ impoſitione iniungunt Sacerdotes; vt moris eſt apud Hiſpanos, qui pœnitentibus ante abſolutionem, poſt confeſſa peccata dicunt: *La principal parte de la penitençia ſea la emienda.* Nām niſi hæc adimpleatur pœnitētia, ſaltem in voto & propoſito, inanis erit confeſſio & abſolutio. fruſtrà etenim vult quiſpiam illud peccatū ſibi dimitti, in quo adhuc complacet, nec cauere procurat; vt docet Auguſtinus dicens: *Videte qualis debeat eſſe pœnitentia, quia multi aſſiduè ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen adhuc illos delectat* Auguſt. Serm. 7. de tempor. Tomo 10.

pecca-

peccare. Profeſſio eſt, non emendatio. Accuſatur anima, non ſanatur. Pronuntiatur offenſa, non tollitur. Et Tertullianus: *Vbi emendatio nulla, pœnitētia neceſſariò vana.* quod communiter alij docent Patres. Et certè Domin. Soto ex D. Thoma, Scoto, Alenſi, Bonauentura, aliiſque, & ex communi Pœnitentiæ definitione docet, expreſſum propoſitum cauendi futura peccata requiri ad iuſtificationem; de quo videri poteſt Vaſquez Tom. 4. in 3. part. quæſt. 86. art. 2. dub. 4. Vnde non immeritò appoſuit Franciſcus pro conditione validæ abſolutionis ſaltem propoſitum hoc & deſiderium emendandi vitam præteritam, ſecundùm iniunctam à Sacerdote pœnitentiam, vt ſuperiùs explicaui, dicens: *Si procurauerint pœnitentiam ſibi iniunctam humiliter & fideliter obſeruare.* Non autem dixit, *Si opere & actu impleuerint pœnitentiam*, omnino de facto & perſeueranter tranſeuntes ad nouitatem vitæ, & emendantes præteritam: quia vt plurimùm hoc naturæ fragilitas negat, dum poſt ritè confeſſa & dimiſſa peccata, & præhabitis vehementi contritione peccatorum præteritorum, & firmo propoſito cauendi futura, miſerè iterùm atque iterùm in eadem crimina relabimur.

Tertull. lib. de Pœnit. c. 2. To. 2. Soto in 4. diſt. 15. q. 1. art. 2.

Tertius clarior & facilior ſenſus eſt, vt intelligatur hic locus de plena remiſſione peccatorum tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Quo etiam ſenſu dixit Concil. Tridentinum Seſſ. 14. cap. 2. *Nos ad integram peccatorum remiſſionem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iuſtitia, peruenire nequaquam poſſe.* & cap. 3. *Tres Pœnitentis actus, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem requiri ex Dei inſtitutione ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam remiſſionem peccatorum.* Nam ſi Sacerdotes, claue non errante, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & conuenietes ſatisfactiones iniunxerint, eaſque compleuerint pœnitentes, ex opere operato conſequuntur remiſſionem pœnæ temporalis, illis peccatis debitæ. Idque voluit hîc Franciſcus, dicendo proculdubiò abſolui pœnitentes, quoad culpam ſcilicet & pœnam, qui pœnitentiam & abſolutionem acceperint à Sacerdote, ſi tamen fideliter & humiliter pœnitentiam procurauerint obſeruare.

45. CONFITEANTVR FRATRI SVO.] Non Sacerdoti ſcilicet, vel laico. Quibus non ideò confitendum cenſet, aut iubet, quaſi iudicet abſolutionis munus à non Sacerdotibus impartiri poſſe, vt ipſe ſtatim explicat, dicens: *Poteſtas ligandi atq; ſoluendi ſolis Sacerdotibus eſt conceſſa.* Et firmiſsimè ſtabilitum eſt in Concilio Conſtātienſi in Bulla Martini V. in Florētino in Decreto vnionis, & Tridentino, Seſſ. 14. cap. 6. & can. 10. Sed eo ſenſu, quo aliqui Doctores deduxerunt ex illis verbis Iacobi Apoſtoli: *Confitemini alterutrum peccata,* (quæ Franciſcus etiam in huius ſui conſilij confirmationem adducit) aperienda eſſe peccata laicis, deficiente Sacerdote, non confeſsione Sacramentali, ſed fraterna, vel conſultrice, aut reconciliatrice. Quo modo locum hunc noſtri Auctoris intellexit Ioan. Lorinus, cuius doctrinam & amicitiam ego in pretio habeo, in ſuis Commentariis ad præcitatum Iacobi locum. Et certè

Iacob. 5. v. 16.

X 3 hoc

hoc ſenſu iudicatur Magiſter Sent. in 4. diſtinct. 17. ſenſiſſe præceptum eſſe; & Gratianus de Pœnitentiis diſtinct. 6. cap. Qui vult, Auctorque Supplem. in 3. partem D. Thomæ quæſt. 8. de Pœnitent. art. 2. omnino neceſſariam iudicaſſe, abſente Sacerdote, laico confiteri, videlicet vt ipſa humilitate atque erubeſcentia confeſſionis commoueatur, flectaturque magis Dei miſericordia erga peccatorem confitentem, eoque certiùs peccatorum remiſſio non per laici aliquod miniſterium ſeu opus, ſed ab ipſo Deo ſolo impetretur. Quod & Auguſtinus, ſeu quiſquis Auctor eſt libri de Vera & falſa pœnitentia, cap. 10. dixit: *Tanta virtus, inquit, eſt confeſſionis, vt ſi deſit Sacerdos, confiteatur proximo. Etſi enim ille, cui confitebitur, poteſtatem abſoluendi non habet, fit tamen dignus venia ex deſiderio Sacerdotis, is qui ſocio confitetur turpitudinem criminis.* Vbi dignum iudicat humiliter confitentem, cui Deus peccata dimittat, tum ex deſiderio Sacerdotis, tum ex humilitate & rubore criminis laico patefacti. Sed licet hoc modo & fine aliquando conſueuerit in Eccleſia laicis confiteri, modò vtilius iudicat Scotus huiuſmodi tolli conſuetudinem, pœnitentemque apud ſe verecundari & conteri, vbi copia non adfuerit Sacerdotis; idemque poſt illum ſenſit Sotus 4. diſtinct. 18. quæſtione 4. art. 1. imò & Nauarr. in Man. cap. 21. num. 41. ex communi ſententia notat peccatum eſſe mortale, quempiam in eiuſmodi confeſſione ſe infamare apud laicum, niſi grauis ſubſit cauſa. Vnde rectè inferunt Scotus, Sotus, & Ioannes Medina contra Magiſtrum vel contrarium ſentientes, numquam fuiſſe præceptam huiuſmodi laicalem confeſſionem. Exſibilandus ergo venit Lutherus libro De abroganda Miſſa priuata, art. 13. per Leonem Decimum condemnato, & Kemnitius in Examine Seſſ. 14. c. 6. & can. 10. Concilij Trident. & qui cum illis ſentiunt, omnes fideles, etiam pueros & mulieres habere poteſtatem peccata dimittendi, & teneri peccatores quibuſcumq; laicis, vbi copia non adſit Sacerdotis, crimina ſua confiteri. Videndus Ioan. de Medina Cod. de Confeſſ. quæſt. 2. Lorinus & Sotus citati, Vaſquez ſupracitatus quæſt. 93. art. 1. dub. 1. & alij in citatum locum Magiſtri.

Scotus in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 3.

Medina tract. de Confeſſ. quæſt. 28

46. Nil alivd habemvs facere.] Quid enim aliud intendit, qui mundum reliquit, quàm Deo, mundanis abſolutus, firmiùs adhærere? huc conatus, huc eius tendit labor, hæc eius expeditionis curarum merces. *Apparet nullam aliam ſpem vitæ Religioſo eſſe propoſitam, niſi vt abiectis vanitatibus, & errore miſerabili, Deum cognoſcat, & Deo ſeruiat; niſi huic temporali vitæ renuntiet, ac ſe rudimentis iuſtitiæ ad cultum veræ Religionis inſtituat. Hac enim conditione gignimur, vt generanti nos Deo iuſta & debita obſequia præbeamus: hunc ſolum nouerimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo & religati ſumus, vnde ipſa Religio nomen accepit.*

Lactant. Firm. l. 4. diuin. Inſtitut. cap. 28. in princ.

47. Faciamvs in nobis habitacvlvm.] Magnam commendas prouinciam, Dei vexillifer, Chriſti imago, rem arduam iubes; quod oras, vereor non exores. Noſtræ pe-

nuriæ

nuriæ habitaculum, tantorum Principum manſione dignum, committis extruendum? quæ Regia tantum capiet Regem? quæ hominum anguſtiæ tātæ ſufficient amplitudini? quæ aræ, quod templū tantam excipient maieſtatem? Sed demus omnino verum eſſe, quod Paulus prædicat, habitaculum hoc non manufactum, nec terrenum, ſed ab ipſo Deo creatum eſſe, & omnino ſpirituale; credamuſq; dicenti, *Templum Dei eſtis vos*; vnde & ſine ſumptibus, ſine labore aut tædio noſtro facillimè nos Deum excipere hoſpitio poſſe, non deerit qui opinetur. Sed audiat parumper. Neſcit domum hanc ſordibus infectā, ſcopis pœnitentiæ mundandam? ignorat tapetibus virtutum & aulæis gratiarum adornandam? non nouit ſuffitu bonorum operum, & puluere pigmentario magnorum meritorum adolendam? non audiuit; *Domum Dei decet ſanctitudo?* Sine Deo excitante, ex ſuo promptuario depromit homo pœnitentiam? tapetes virtutum & aulæas gratiarum in ſuo habet reconditas repoſitorio? odoramenta bonorū operum, aut ſuffitum meritorum ex ſuo proferet armario? Vno dicamus verbo, ſe dignum Deo præſtare habitaculum? Deum per gratiam in ſe excipere, vt apud eum manſionem faciat, ſe ſaluare ſolius hominis eſt? eius dicetur arbitrij? *Non liberi arbitrij* (ait Bernardus) *ſed Domini eſt ſalus. imò & ipſe via eſt ad ſalutem, qui ait, Salus populi ego ſum. qui item perhibet, Ego ſum via. Se facit viam, qui & ſalus erat & vita: vt non glorietur omnis caro.* Infrà: *Quid igitur? totū hoc liberi arbitrij opus, hoc ſolum eius meritum, quòd cōſentit? Eſt prorſus. Non equidem, quòd vel ipſe conſenſus, in quo omne meritum conſiſtit, ab ipſo ſit, cum nec cogitare (quod minus eſt quàm conſentire) aliquid à nobis, quaſi ex nobis ſufficientes ſimus. Verba ſunt non mea, ſed Apoſtoli, qui omne quod boni eſſe poteſt, id eſt, cogitare, vel velle, & perficere, pro bona voluntate, attribuit Deo, non ſuo arbitrio. Si ergo tria hæc (hoc eſt bonum cogitare, velle, & perficere) operatur in nobis; primum profectò ſine nobis, ſecundum nobiſcum, tertium per nos facit: ſiquidem immittendo bonam cogitationem nos præuenit; immutando etiam malam voluntatem, ſibi per conſenſum iungit; miniſtrando & conſenſui facultatem, foris per apertum opus noſtrum innoteſcit: ſane ipſi nos præuenire nequaquam poſſumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem ſaluat, quem non præuenit. A Deo ergo ſine dubio noſtræ ſit ſalutis exordium, nec per nos vtique, nec nobiſcum. Verùm conſenſus, & opus etſi non ex nobis, non iam tamen ſine nobis.* Viden' obſecro, quàm facilè Deo habitaculum extruere valemus? & ad fores pulſantem admittere, ſolùm non negando conſenſum, & Dei gratiæ non reſiſtendo? cui, quamuis efficaciſſimæ, definiuit Trident. nos poſſe reſiſtere. Non reſiſtas, conſenſum præbe, gratiæ cooperare, iam ad Franciſci votum, Deo domum confecaſti.

Marginalia: Act. 17. v. 24. — 2. Cor. 6. v. 16. — Pſal. 92. v. 5. — Bernar. tract. de Grat. & lib. arb. ante finē. — Pſal. 34. v. 3. — Ioan. 14. v. 6. — 2. Cor. 3. v. 5. — Phil. 2. v. 13. — Trident. Seſſ. 6. c. 5. & 6.

48. ORATIO AD DEVM.] Hanc repoſuit Piſanus inter Orationes D. Franciſci lib. 2. Conf. 11. ab aliiſq; Operibus eiuſdem, & huius Regulæ fragmentis, quæ ſparſim per varia capita habet lib. 1. Conf. 12. diſcreuit; quem imitatus ſimiliter fecit Marc. 1. par. lib. 1. cap. 93. ſed apud omnes alios ipſi Regulæ annexam inuenies.

49. Ex-

49. EXHORTATIO AD FRATRES.] Quæ ſequuntur ab hoc numero habent Firmament. & Reboll. citati. Sed ſine hoc titulo, quem nos maioris claritatis gratia interpoſuimus.

SECVNDA REGVLA B. PATRIS FRANCISCI PRO FRATRIBVS MINORIBVS.

ARGVMENTVM.

IAM ſuprà in Argumento præcedentis Regulæ monuimus, ea poſthabita, hanc à Fratribus Minoribus obſeruari, rationémque in hunc locum reſeruauimus, quam ex cap. 4. Vitæ noſtri Auctoris non pigebit tædebítve hîc referre. Cùm dilatato iam Ordine *(ait D. Bonauentura)* viuendi formá per D. Innocentium approbatam diſponeret per ſucceſſorem ipſius Honorium, in perpetuum facere roborari, huiuſmodi fuit à Deo reuelatione commonitus. Videbatur quidem ſibi de terra micas panum ſubtiliſſimas collegiſſe, multiſque famelicis Fratribus ipſum circumſtantibus, debere tribuere; cumque micas tam tenues diſtribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei deſuper ait: Franciſce vnam de micis omnibus hoſtiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, quicumque illud deuotè non recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti notabiles apparebant. Recitat manè vir ſanctus hæc omnia Sociis, dolens ſe non percipere myſterium viſionis. Sequenti verò die cùm vigil in oratione perſiſteret, huiuſmodi vocem de cælo delapſam audiuit: Franciſce, micæ præteritæ noctis, verba Euangelica ſunt: hoſtia, Regula; lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Euangelij aggregatione profuſiùs traditam, ad compendioſiorem formam, iuxta quod dictabat viſio monſtrata, redigere; in montem quemdam cum duobus Sociis, Spiritu ſancto ducente, conſcendit: vbi pane tantùm contentus & aqua, ieiunans conſcribi eam fecit, ſecundùm quod oranti ſibi diuinus Spiritus ſuggerebat. Quam, cùm de monte deſcendens, ſeruandam ſuo Vicario commiſiſſet, & ille elapſis paucis diebus aſſereret per incuriam deperditam; iteratò vir ſanctus ad locum ſolitudinis redijt, eamque inſtar prioris, ac ſi ex ore Dei verba ſuſciperet, illicò reparauit, & per ſupradictum D. Papam Honorium

Bonau. c. 4. Legendæ maioris, in fine.

rium

rium, octauo Pontificatus illius anno, ſicut optauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obſeruantiam Fratres feruenter inducens, dicebat, ſe nihil ibi poſuiſſe ſecundùm induſtriam propriam; ſed omnia ſic ſcribi feciſſe, ſicut fuerant ſibi diuinitus reuelata. *Huius viſionis plerique meminerunt, præſertim Reboll. 1. part. lib. 2. cap. 4. Mar. ibidem c. 7. & Platus lib. 1. de Bono Status Relig. c. 25. Regulam autem ipſam ad Spiritus ſancti inſtinctum & interiorem motionem ſcriptam eſſe, imò ab eodem reuelatam, conſtanter aſſerit Epiſcopus Comes Senogall. Rodulph. variis in locis ſuæ Hiſtoriæ Seraphicæ; & ante hunc aſſeruere Bernardin. Senenſ. Tom. 3. diſp. de Obed. art. 3. limite 3. beati Leo & Bonizius Franciſci comites, quibus præſentibus poſt quadraginta ieiunij dies ſcripta eſt, in Monte Rainerio, ſiue Columbæ, ſiue Palumbæ, Reatinæ Diœceſis, intra ruptiones quaſdam, & lapidoſas cauernas, quæ ſpectantibus metum & admirationem incutiunt. Huic aſſertioni adſtipulantur plurima Summorum Pontificum ſacra teſtimonia. Gregorius IX. in Reg. Min. cap. 1. Nicolaus III. c. Exiit, de verb. ſignif. in 6. Iulius II. in litteris de facultate Card. Protectoris; beata Brigitta lib. 7. Reuelat. cap. 20. Hieron. Platus citatus, Piſan. plurimis in locis ſuarum Conformitatum, Reboll. cit. Aluarus Pelag. lib. 2. de Planctu Eccleſiæ, art. 61. Ambroſ. Cather. in controu. exorta inter Prædicat. & Senenſ. cap. 4. ante med. Confirmationis Bullam Pontificio ſignatam plumbo in hunc vſque diem ſeruari teſtatur Rodulph. lib. 1. Hiſt. Seraph. Rel. in Conuentu D. Franciſci Aſſiſio, quam & ego ibidem vidi anno 1619. imò quod & magis animum recreauit, in Sacrario præter ceteras egregias, quæ ibidem ſeruantur, Reliquias, vidi hanc ipſam Regulam ipſius Franciſci manu exaratam. Confirmatam illam ab Honorio aſſerit D. Antonin. 3. part. Hiſt. tit. 24. cap. 7. §. 4. anno (vt diximus) octauo Pontificatus Honorij, & noſtræ ſalutis 1223. Cui ſubſcribit Sedul. Comment. in cap. 4. Vitæ B. Franciſci, num. 11. & Matth. Palmerius in ſua Chronol. ad eumdem annum. Confirmationem ipſam omittendam duxi, dum quòd ſolum Franciſci eſt Opuſculum, curaui tranſcribendum. Illius autem hoc eſſe, nullus eſt qui dubitare poſſit, niſi & Minorum fundatorem eſſe negare velit. Quid in illa, qualitérve eam obſeruare teneantur eius profeſſores, conſulat, qui voluerit, D. Bonau. Tom. 7. ſuorum Operum, Antonij Cordubæ, Ludouici Mirandæ, & Seruatij Myricani præ ceteris, expoſitiones in eamdem. Nos, ne Opuſcula hæc magnam creſcant in molem, breuia tantùm ſcholia adnectemus; nec expoſitorem, ſed Scholiaſten agimus.*

Rodul. lib. 1. Hiſtor. Seraph.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT REGVLA ET VITA FRATRVM MINORVM.

[1] CAPITVLVM I.

REGVLA & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum [2] Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia [3] ſine proprio, & in caſtitate. Frater Franciſcus promittit obedientiam & reuerentiam D. Papæ Honorio, ac ſucceſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et alij Fratres teneantur Fratri Franciſco & eius ſucceſſoribus obedire.

De his qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.

CAP. II.

SI qui voluerint hanc vitam accipere, & venerint ad Fratres noſtros, mittant eos ad ſuos Miniſtros Prouinciales: quibus ſolummodò, & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur. Miniſtri verò diligenter examinent eos de fide Catholica, & de Eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare; & [4] vxores non habent, vel ſi habent, & iam Monaſterium intrauerint vxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ iam emiſſo, & illius ſint ætatis vxores, quòd non poſſit de eis oriri ſuſpicio; dicant illis verbum ſancti Euangelij, quòd vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare: quod ſi facere non potuerint, [5] ſufficit eis bona voluntas. Et caueant Fratres, & eorum Miniſtri, ne [6] ſolliciti ſint de rebus ſuis temporalibus,

Conditiones recipiendorum ad habitum.

Mat. 19. v. 21.

Prohibetur Fratribus ſollicitudo bonorum Nonitiorũ.

talibus,vt liberè faciant de rebus ſuis,quidquid Dominus inſpirauerit eis. Si tamen conſilium requiratur, licentiam habeant Miniſtri mittendi eos ad aliquos Deum timentes,quorũ conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſteà concedant eis pannos probationis,videlicet [7] duas tunicas ſine caputio,& cingulum,& braccas,& caparonem vſque ad cingulum, niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundũ Deum aliquando videatur. Finito verò anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam iſtam ſemper & Regulam obſeruare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire, iuxta [8] mandatum Domini Papæ; quia ſecundùm ſanctum Euangelium, Nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei. Et illi qui iam promiſerunt obedientiam, habeant [9] vnam tunicam cum caputio, & aliam ſine caputio, qui voluerint habere. Et qui neceſſitate coguntur, poſſint [10] portare calceamenta. Et Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & [11] poſſint ea repeciare de ſaccis & aliis peciis, cum benedictione Dei. Quos moneo, & exhortor [12] ne deſpiciant, neque iudicent homines, quos viderint mollibus veſtimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis; ſed magis vnuſquiſque iudicet & deſpiciat ſemetipſum.

Veſtis Nouitiorum.

Profeſſus retrocedere nequaquã poterit.

Lucæ 9. v. 62.

Habitus Profeſſorum.

Non deſpiciendi diuites.

De diuino Officio, & Ieiunio; & quomodo Fratres ire debeant per mundum.

CAP. III.

CLERICI faciant diuinum Officium ſecundùm Ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ [13] excepto Pſalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater noſter pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, [14] pro qualibet iſtarum, ſeptem, pro Veſperis autem duodecim, pro Completo-

Officium Clericorum & Laicorum.

pletorio ſeptem, & orent pro defunctis. Et ieiunent à Feſto
Ieiunia Minorũ. omnium Sanctorum vſq; ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadrageſimam, quæ incipit ab Epiphania
vſque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus
Matth. 4. v. 2. ſuo ſancto ieiunio conſecrauit, qui [15] voluntariè eam ieiunant, benedicti ſint à Domino; & qui nolunt, non ſint
aſtricti, ſed aliam vſque ad Reſurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur niſi ſexta
Feria ieiunare. Tempore verò [16] manifeſtæ neceſſitatis non
teneantur Fratres ieiunio corporali. Conſulo verò, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Ieſu Chriſto, vt
Quæ in itineribus ſeruanda. quando [17] vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent; ſed ſint mites, pacifici,
& modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus, ſicut decet. Et non debeant equitare, niſi manifeſta
neceſſitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intrauerint, primùm dicant: Pax huic domui. Et
Lucæ 10. v. 8. ſecundùm ſanctum Euangelium, de omnibus cibis, qui
apponuntur eis, liceat manducare.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

CAP. IV.

Fugienda pecunia. PRAECIPIO firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo
modo [18] denarios vel pecuniam recipiant, per ſe, vel
Prouidendum infirmis & ſanis. per interpoſitam perſonam. Tamen pro neceſſitatibus infirmorum & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales Miniſtri tantùm & Cuſtodes ſollicitam curam gerant, ſecundùm loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire. Eo ſemper ſaluo, vt, ſicut dictum eſt, denarios vel pecuniam non recipiant.

De modo laborandi.

CAP. V.

FRATRES illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & deuotè; ita quòd excluſo [19] otio animæ inimico, ſanctæ Orationis & deuotionis [20] ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſeruire. De mercede verò laboris, pro ſe & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant, præter denarios vel pecuniam. Et hoc humiliter, ſicut decet ſeruos Dei, & paupertatis ſanctiſſimæ ſectatores.

Laborandum ſine præiudicio Orationis.

Quid pro labore recipiendũ.

Quòd nihil ſibi approprient Fratres, & de eleëmoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.

CAP. VI.

FRATRES nihil ſibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem. Sed [21] tamquam peregrini & aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, [22] vadant pro eleëmoſyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus [23] pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. [24] Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos chariſſimos Fratres meos [25] heredes & Reges Regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui, dilectiſſimi Fratres, [26] totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis. Et vbicumque ſunt, & ſe inuenerint Fratres, oſtendant ſe [27] domeſticos inuicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet vnus alteri neceſſitatem ſuam: quia ſi mater nutrit & diligit Filium ſuum carnalem, [28] quantò diligentiùs debet quis diligere & nutrire Fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent ei ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

Mendicandum humiliter & confidenter.

Excellentia paupertatis Minoridarum.

Mutuò ſe ament Fratres.

De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.

CAP. VII.

Recurrendum ad Miniſtros pro caſibus reſeruatis.

SI qui Fratrum, [29] inſtigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad ſolos Miniſtros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quàm citiùs poterunt ſine mora. Ipſi verò Miniſtri, ſi Presbyteri ſunt, [30] cum miſericordia iniungant illis pœnitentiam; [31] ſi verò Presbyteri non ſunt, iniungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, ſicut eis ſecundùm Deum, meliùs videbitur expedire. Et cauere debent, [32] ne iraſcantur & conturbentur propter peccatum alicuius; quia ira & conturbatio, in ſe & in aliis impediunt charitatem.

Imponenda miſericorditer peccantibus pœnitentia.

De electione generalis Miniſtri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.

CAP. VIII.

Quis in Generalem eligendus.

VNIVERSI Fratres vnum de Fratribus iſtius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum & Seruum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio ſucceſſoris fiat à Miniſtris Prouincialibus & Cuſtodibus in Capitulo Pentecoſtes, in quo Prouinciales Miniſtri teneantur ſemper inſimul cònuenire, vbicumque à Generali Miniſtro fuerit conſtitutum. Et hoc ſemel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, ſicut à prædicto Miniſtro fuerit ordinatum. Et ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Miniſtrorum Prouincialium & Cuſtodum prædictum Miniſtrum non eſſe ſufficientem ad ſeruitium & communem vtilitatem Fratrum, teneantur prædicti Fratres, quibus electio data eſt, in nomine Domini [33] alium ſibi eligere in Cuſtodem. Poſt Capitulum verò Pen-

Quando, & à quibus.

Ineptus Miniſterio deponendus.

Pentecoſtes Miniſtri & Cuſtodes poſſint ſinguli, ſi voluerint, & eis expedire videbitur, [34] eodem anno in ſuis Cuſtodiis ſemel Fratres ſuos ad Capitulum conuocare.

Celebranda Capitula Prouincialia.

De Prædicatoribus.

Cap. IX.

FRATRES non prædicent in Epiſcopatu alicuius Epiſcopi, cùm ab eo illis [35] fuerit contradictum. Et nullus Fratrum populo penitùs audeat prædicare, niſi à Miniſtro Generali huius Fraternitatis fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo Officium ſibi prædicationis conceſſum. Moneo quoque & exhortor eoſdem Fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia ad vtilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate ſermonis; quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.

Prædicatores cum beneplacito Epiſcopi prædicent.

Approbati à ſuis Superioribus.

Qualiter prædicandum ſit.

De admonitione & correctione Fratrum.

Cap. X.

FRATRES, qui ſunt Miniſtri & Serui aliorum Fratrum, viſitent & moneant Fratres ſuos, & humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod ſit [36] contra animam ſuam, & Regulam noſtram. Fratres verò, qui ſunt ſubditi, recordentur, quòd propter Deum [37] abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio, vt obediant ſuis Miniſtris, in omnibus quæ promiſerunt Domino obſeruare, & [38] non ſunt contraria animæ ſuæ, & Regulæ noſtræ. Et vbicumque ſunt Fratres, qui ſcirent, & cognoſcerent ſe non poſſe Regulam ſpiritualiter obſeruare, ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere. Miniſtri verò charitatiuè & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, vt dicere

Correctio Prælatorum qualis debeat eſſe.

Humiliter obediendum Prælatis.

Adiuuandi Fratres vt Regulam obſeruēt.

dicere poſſint eis & facere [39] ſicut domini ſeruis ſuis. Nam ita debet eſſe, quòd Miniſtri ſint ſerui omnium Fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, vt caueant Fratres ab omni ſuperbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & ſollicitudine huius ſæculi, detractione & murmuratione. Et non curent neſcientes litteras, [40] litteras diſcere, ſed attendant quod ſuper omnia deſiderare debent, habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem, [41] orare ſemper ad eum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in perſecutione & in infirmitate, & diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt, & arguunt; quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Vitia Fratribus cauenda.
Non curandum nimiùm de litteris.
Matth. 5. v. 44.
Ibidem v. 10.
Mat. 10. v. 22.

Quòd Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.

CAP. XI.

Conſortia mulierum vitanda.
Non ingredienda Cœnobia Monialium.
Non fiant Fratres cõpatres.

PRAECIPIO firmiter Fratribus vniuerſis ne habeant [42] ſuſpecta conſortia vel conſilia mulierum, & ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos, quibus à Sede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occaſione inter Fratres vel de Fratribus ſcandalum oriatur.

De euntibus inter Sarracenos, & alios infideles.

CAP. XII.

Idoneis concedenda licentia eundi in terras infideliũ.

QVICVMQVE Fratrum diuina inſpiratione voluerint ire inter Sarracenos, & alios infideles, petant inde licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus. Miniſtri verò nullis eundi licentiam tribuant, niſi eis, quos [43] viderint eſſe idoneos ad mittendum. Ad hæc per obedientiam iniungo

iungo Miniſtris, vt petant à Domino Papa vnum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ [44] Cardinalibus, qui ſit Gubernator, Protector, & Corrector huius Fraternitatis, [45] vt ſemper ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem, & humilitatem, & ſanctum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti, [46] quod firmiter promiſimus, obſeruemus.

Cardinalis petendus Protector.

Eccleſiæ firmiſſimè obediendum.

Regula obſeruanda.

ADNOT. IN II. REGVLAM MINORVM.

1. CAPITVLVM PRIMVM.] In Bulla Pontificia Confirmationis, aduertit Firm. 1. Par. fol. 15. col. 2. non haberi diſtinctionem Capitulorum, licet ante confirmationem eam appoſuerit Franciſcus, & modò ea vtantur Fratres maioris claritatis gratiâ.

2. EVANGELIVM OBSERVARE.] Bonauentura: *Secundùm intentionem mandatorum voueant Fratres, partim ad obſeruantiam, vt præceptoriè impoſita; partim ad reuerentiam & approbationem illorum, quæ non tam præceptoriè imponuntur, quàm meritoriè proponuntur, tali ſtatui ſpecialiter æmulanda.* Non ergo quodcumque in Euangelio eſt, ſub mortali obligat Minores, quamuis voueant Euangelium obſeruare. Vide Roderic. Tom. 1. qq. Reg. q. 26. a. 4. Vtrú verò Regula hæc ab Euangelio diſcrepet, vel dicenda ſit de Iure eſſe diuino, videatur cautè Rodericus citatus quæſt. 4. art. 1. Sed interim audire placeat verba Nicolai III. in Expoſit. eiuſdem Regulæ: *Hæc eſt Regula ſancta, quæ Euangelico fundatur eloquio, vitæ Chriſti roboratur exemplo, fundatorum militantis Eccleſiæ Apoſtolorum eius ſermonibus actibuſque confirmatur. Hæc eſt apud Deum Patrem munda & immaculata Religio, quæ deſcendens à Patre luminum, per eius Filium exemplariter & verbaliter Apoſtolis tradita, & demum per Spiritum ſanctum beato Franciſco & eum ſequentibus inſpirata, totius in ſe quaſi continet teſtimonium Trinitatis. Hæc eſt,* &c.] Plura eius encomia vide apud Aluarum Pelagium Hiſpan. lib. 2. de Planctu Eccleſ. art. 61.

3. SINE PROPRIO, &c.] Vide quæ diximus in Adnotat. Orat. pro paupert. obtin. num. 31. Attende verò quid vlteriùs dicat Bonauentura in hunc locum: *In bonis communibus eſt periculum, ſicut in propriis, vt patet ex auaritiis & aliis malis affluentiæ terrenæ frequenter annexis, tam Religioſorum quàm ſæcularium Clericorum. Ille ſtatus eſt ſincerior, & à periculis diuitiarum remotior, qui non habet affluentiam propriam vel communem, mobilem vel immobilem, vt non ſit ei ex diuitiis materia ſuperbiendi, vel occaſio laſciuiendi, vel auaritiæ incentiuum. Creſcit enim amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.* Nihil horum ex perfecta paupertate & diuitiarum contemptu ſequitur; ſed ſumma mentis tranquillitas, ſumma Dei perfruendi libertas, ſpiritualis acuitur intelligentiæ vigor, contemplationis

tionis acies altiùs eleuatur. Audi Gregorium IX. Minoridas pauperes alloquentem: *Quo magis elongati à ſæculo, vt columbæ pennis aſſumptis, in ſeceſſum contemplationis, eò ſupra vos altiùs euolaſtis, & conſpectiùs peccatorum iacula prævidiſtis, & plura, per quæ conſpicitis ſalutis impediri profectum, cordis veſtris oculus perſcrutatur. Vnde quæ tecta ſunt alijs, in conſcientijs veſtris quandoque Spiritus manifeſtat.* Vnde prudenter & rectè Minorum familia *ſponte deuouit* (Extra. Exiit, de verb. ſignif. in 6.) *Chriſtum pauperem in tanta paupertate ſectari.*

Greg. IX in expoſit. Regul. Fratrum Min. in princ.

4. VXORES NON HABENT, VEL SI HABENT, &c.] Locum hũc, totamq; periodum refert Scotus in 4. d. 32. quæſt. vn littera D. vbi conditiones has iudicat neceſſarias eſſe Religionem ingredienti, & habentur expreſsè lib. 3. tit. 32. de Conuerſ. coniugum, cap. Cùm ſis.

5. SVFFICIT EIS BONA VOLVNTAS.] Vide Adnotat. primæ Reg. num. 10.

6. SOLLICITI SINT DE REBVS SVIS TEMP.] *Vt quantum eſt ex parte Fratrum, nouitiorum receptio* (Clement. Exiui de parad. de Verb. ſign. lib. 5. tit. 11. §. Ceterùm.) *ſancta & puriſſima appareret, & ne aliquo modo oculum viderentur habere ad bona eorum temporalia, ſed ad ipſos tantùm diuino ſeruitio mancipandos.*

7. DVAS TVNICAS.] *Cùm dicatur* (Bonauentura hîc) *in Regula Apoſtolorum, Neq; duas tunicas, &c. quomodo hic S. Franciſcus concedit duas, qui ſuperiùs dixit: Regula & vita fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctũ Euangelium obſeruare? Reſponſio. In Euangelio nomine vnius tunicæ, veſtitus deſignantur neceſſarij. Vnde habere duas tunicas, non eſt ferre ſuperflua veſtimenta. Et quia pro Religionis honeſtate, neceſſarium eſt exteriorem tunicam in longitudine & latitudine ab alia vel alijs differre, neceſſarium veſtimentum B. Franciſcus in duas tunicas diuiſit.*

8. IVXTA MANDATVM D. PAPÆ.] Honorij ſcilicet Tertij, cuius de hac re litteras inuenies in Mon. Ord. tractat. 1. in Firm. trium Ord. Venet. excuſo anno 1513. part. 2. tract. 2. fol. 73. & in Specul. Frat. Min. tract. 2. fol. 25. & incipiunt, *Cùm ſecundùm conſilium*; quas triennio ante huius Regulæ confirmationem emiſit. Vnde & eiuſdem mandati mentio fit in 1. Reg. c. 2. quam eidem interſeruerat Franciſcus, ſtatim vt litteræ conceſſæ ſunt. In illis omnem omnino regreſſum ab Ordine, & diſcurſus otioſos, ſpreta obedientia Pontifex prohibuit.

9. VNAM TVNICAM CVM CAPVTIO.] Habitum ſcilicet, qui eſt tunica exterior, cum caputio.

10. PORTARE CALCEAMENTA.] Calceamentum dicunt quatuor doctiſſimi illi Magiſtri, Regulæ expoſitores, quos ſecutus eſt Bonauentura, eſſe cooperimentum de corio, quo operitur pes. Vnde infert Piſan. ſandalia, quæ ſoleæ dicuntur, non intelligi nomine calceamenti, nec requiri ad hæc portanda neceſſitatem, propter quam ſolùm licet calceamentis vti, quia Chriſtus, qui Franciſco leges ferẽti forma & norma factus eſt, Apoſtolis calceamẽta interdixit, & ſandalia conceſſit, vt doctè & latè probat Bonauentura in hunc locum, & tract. de Sandaliis Apoſtolorum. Ritus iſte nudis pedibus incedendi ſatis approbatur

tum

tum ab antiquis Philoſophis, tum à primis Eccleſiæ Patribus. Plato (teſte Bonauentura) docuit, *duas corporis ſummitates non eſſe velandas, nec aſſueſieri debere mollitiei capitis & pedum. Cùm enim hæc ex ſe habuerint firmitatem, ceteris robuſtiora ſunt.* Hieronymus etiam in cap. 10. Matth. ait, hunc ritum non aſpernandum: & Clem. Alex. *Viro*, inquit, *pulchrè conuenit nullos habere calceos: calceatum enim eſſe, non paruam habet affinitatem cum eo, quod eſt eſſe ligatum. Optimum quidem exercitationis genus eſt nudis vti pedibus, & ad ſanitatem, & ad expeditam facilitatem. Quòd ſi omnino nudis incedere non poſſumus, ſoleis vtendum eſt, quas Attici vocant κονίποδας, quòd pedes terræ appropinquarent.* Vide Anſel. in cap. 10. Matth. Tom. 1.

Clem. Alex. l. 2. Pædag. cap. 11.

11. POSSINT EA REPECIARE DE SACCIS.] Vt peciarum (ita rudi Minerua loqui liceat) vilitas cum vilitate cohæreat ipſius habitus, & totum quod Apoſtolici viri geſtant, Prædicatorum præferat pœnitentiam: nec enim ad hanc perſuadendam parum refert aſperitas veſtis in Prædicatore. Ideò inquit Chryſoſtomus: *Antequam apparuiſſet Ieſus, prædicabat eum Ioannes Baptiſta, vt facilè ſuſceptibile eſſet teſtimonium, ipſo apparente, & in vili veſtimento innoteſcente. Ita enim viliveſte annuntiabatur, forma communi omnibus Chriſtus, vt Samaritanæ meretrices & publicani cum magno auſu auderent ei appropinquare, & loqui.* Delicatæ veſtes in corpore, & aſperum pœnitentiæ verbum in ore, monſtrum. Verbo cohæreat veſtis, vita ſermoni.

Chryſo. Hom. 33. in Matth. ad med.

12. NE DESPICIANT.] *Vilis tunica* (inquit Hieronymus) *contemptum ſæculi probat, ita dumtaxat, ne animus tumeat, ne habitus ſermoque diſſentiant.* & Paulus ad Rom. ait: *Qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum aſſumpſit. Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat, aut cadit.* & infrà: *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum? Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* q.d. Ibi dignoſcetur qua intentione quiſquis bonis aut aſperis veſtibus, & his vel illis cibis vſus fuerit.

Hieron. Epiſt. 4.

Rom. 14. v. 3.

13. EXCEPTO PSALTERIO.] Locum hunc ſatis obſcurum, obſcuriorem reddidêre varia Expoſitorum placita. Verius iudico, quod leuiter attingit D. Bonau. & clariùs docent doctiſſimi viri, Cord. q. 1. in cap. 3. Reg. & Miran. cap. 61. ſolùm voluiſſe Franciſcum obligare Fratres ſuos ad recitandum Officium diuinum ex eo tempore, quo ſibi conquirere poſſent Breuiaria, quæ manuſcripta tunc difficiliùs & cariùs inueniebantur. Ita tamen voluit Fratres ſuos in Officio recitando Eccleſiæ Romanæ conformari, vt nollet eos vti Pſalterio Romanæ tunc Eccleſiæ communi, nec ex eo Pſalmos extrahere ad Officium diſtribuendum: quia Romana Eccleſia tunc vtebatur tranſlatione quadam Gallicana vetuſtiſſima, vel verſione LXXII. Interpretum; ille verò volebat eos vti editione Vulgata, qua modò vtitur. Illud ergo Pſalterium ſeu illam verſionem excepit.

14. PRO QVALIBET ISTARVM.] Subintellige *horarum*. Firm. & alij legunt, *pro quolibet iſtorum.*

15. VOLVNTARIE EAM IEIVNANT.] In præcedenti Regula ieiunium hoc non erat ſpontaneum, & ad

ad Paſcha Reſurrectionis protendebatur. Vide cap. 3.

16. MANIFESTÆ NECESSITATIS.] Vide Adnot. in 1. Reg. n. 30.

17. VADVNT PER MVNDVM, NON LITIGENT.] Similem conuerſandi modum docuit Paulus Corinthios, cùm benè operari rogabat.
1. Cor. 6. v. 3. *Nemini*, inquit, *dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrum. Sed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus*, &c. quaſi dicat, Theoph. in hunc locum. inquit Theophylactus, *quod ita viuere neceſſarium ſit, non ſolùm vt quauis culpa & labe vacent, ſed vt ita viuant, vt ex hoc ſuo rectè viuendi modo perſpicuum faciant, Dei miniſtèrio ſe fungi.*

18. DENARIOS VEL PECVNIAM RECIPIAT.] Ambroſius: Ambroſ. lib 2. Offic. cap. 25. Tom. 4. *Dominus ad diſcipulos ait: Nolite poſſidere aurum aut argentum; quo velut falce in humano pectore ſuccidit pullulantem auaritiam.* Chryſoſtomus: Chryſo. Hom. 33. in Mat. in Proœ. Tom. 2. *Radicem malorum confeſtim euellens, ait: Ne poſſideatis aurum neque argentum. Non dixit, Non accipite vobiſcum, ſed etiam, ſi poſſibile ſit aliunde accipere, fugite periculoſam hanc ægritudinem.* Bonauentura: Bon. in cap. 4. Regul. Min. ad initium. *Volens igitur Dominus per ſeruũ Franciſcum auaritiæ radicem penitùs excludere ab horto concluſo, & fonte ſignato*, Ordine ſcilicet Minorum, *præcepit ne recipiant Fratres denarios vel pecuniam.* Vide eumdem ibidem, qui ſeptem egregias huius præcepti rationes aſſignat. Vide etiam de contemnenda pecunia Adnotat. in 1. Reg. num. 27.

19. OTIO ANIMÆ INIMICO.] Vide Adnotat. in 1. Reg. n. 25.

20. SPIRITVM NON EXTINGVANT.] Hoc loquendi modo vtitur Paulus 2. ad Theſſal. 5. *Spiritum*, inquit, *nolite extinguere.* ab eoque accepere Chryſol. Serm. 22. ante med. & Auguſt. in Pſalm. 37: vbi *extinguere* idem eſſe ait, ac abſcondere, occidere, vel totaliter opprimere. Ille autem Spiritum extinguit & opprimit, qui Spiritus feruore & oratione abiectis, quæ ſunt mundi, carnis, vel diaboli, ſectatur & quærit.

21. TAMQVAM PEREGRINI ET ADVENÆ IN HOC SÆCVLO.] *In quo* Philo (vt rectè Hebræus ille Philoſoph.) lib. de *conſeneſcere non debent homines, ſed* Somn. *tamquam in aliena regione pro inquilinis ſe gerere, ſemper quærendo mi-* parum poſt init. *grationem & reditum in patriam. Hic amator virtutis Iacob, vt peregrinus, non diu habitat, ſemper de reditu cogitans.* Vide plura ibidem apud eumdem; & leges peregrinorum & aduenarum infrà Tom. 3. Collat. 5.

22. VADANT PRO ELEEMOSYNA CONFIDENTER.] Vide Collat. 7. & in Append. Serm. 3.

23. PRO NOBIS SE FECIT PAVPEREM.] Vide Reg. 1. cap. 9. & Adnotat. in eamdem, n. 28.

24. HÆC EST ILLA CELSITVDO ALTISSIMÆ PAVPERTATIS.] *Quare altiſſima?* ait Bonauentura, *niſi quia à mundo remotiſſima, & per conſequens cælorum Regno ſummè vicina: illi etiam vitæ æternæ, vt eſt poſſibile, ſimillima, vbi nihil eſt proprium vel commune.* In hac paupertatis celſitudine non eſt frigidum illud verbum, *meum, tuum.* Cælo ſimillimus ſtatus hic, ſolum cælum appetit, nihil vult aut valet cum terra habere commune. Ita ſe quæ mundi ſunt priuauit bonis, vt non plus vltrà

mundi

Bartol. l. 1. Minoricar. Tomo de Conſiliis.

mundi tendat contemptus. *Ecce ſtatum* (ait Bartolus legis ille peritus, & huius Religionis perquam deuotus fautor & amicus) *in arctiſſima paupertate fundatum, qualis ſtatus inter ſæculares homines ob aliquam cauſam nullo iure inſtitutionis eſt inuentus.* Vbi latè proſequitur huius paupertatis celſitudinem, oſtenditque, ob nullum crimen aut nefas in tantam deuenire poſſe paupertatem facinoroſum, nec Principes ita depauperare poſſe quempiam propter ſcelera aut pœnam, quantum ſe depauperauere Minores propter Chriſtum: præfertq; hunc ſtatum in ratione paupertatis omnibus Eccleſiæ ſtatibus. Videndus ibidem per quatuor integros libros; & Bernar. Epiſt. 103.

25. HEREDES, ET REGES REGNI CÆLORVM INSTITVIT.] *Ideò heredes*, ait Bonauentura, *quia omnia dimittentibus pro Regno cælorum promittitur gloria æterna. Ideò Reges, quia ſolutio facta plenaria pro re emenda. Idcircò dicitur: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Sunt ergo tamquam domini cælorum, quia cuncta dederunt propter Deum.* Conformiter dixit Bernardus: *Vis obtinere cælum, quod perdidit ſuperbus Angelus, qui confiſus eſt in virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum? Paupertatis vilitatem amplectere, & tuum erit. Terram calcaſti? cælum viciſti. diuitias ſpernis? gloriam acquiris.* Vide Auguſt. de Verb. Apoſt. Sermon. 28. conformiter ad verba quæ ſubſequuntur in textu, *Virtutibus ſublimauit.* Antonius Patauin. *Paupertas animam veſtit virtutibus diuitiæ temporales expoliant.* In Sermon. Dom. 5. poſt Trinit.

Matth. 5. v. 3.

Bernar. Serm. Omniũ Sanctorum.

26. TOTALITER INHÆRENTES.] *Totaliter inhæret paupertati*, ait Piſanus, *qui eam vſu ſeruat, & corde diligit.* Qui pro Chriſto pauper eſt, ei totaliter inhæret, ſolis naturæ neceſſitatibus ſatisfacere contentus. *Intra quos limites quiſquis deſiderium ſuum clauſit*, ait Seneca, *cum ipſo Ioue de felicitate contendit.* Totaliter inhære paupertati, vt plenè hanc felicitatem conſequaris. Conſule Petrarcham Dialog. 8.

Piſan. lib. 1. Conf. 9.

Seneca Epiſt. 25.

27. DOMESTICOS INVICEM, &c.] Vt mutuò inter ſe & erga quemlibet Fratres mutua exerceant charitatis officia, *tanta familiaritate ſub modis honeſtis & ſanctis, quòd quilibet Fratrum in ſignis extrinſecis, & intrinſeco affectu, ſic ſe oſtendat Confratri domeſticum, quòd quilibet Frater meritò poſſit in corde ſuo concipere tantam confidentiam, vt faciliter & ſecurè velit illi manifeſtare neceſſitatem ſuam.* Hæc eſt vera Fraternitas, quæ vero fundatur affectu, & vltrà roboratur operibus.

Expoſitio ſanctorũ Patrum Ordinis in hunc locum.

28. QVANTO DILIGENTIVS DEBET, &c.] Quæ, quæſo, conſequentia de tenerrimo matris erga natum amore, ad tepidum & multoties inconſtantem Fratrum affectum, vt hos maiora velit & ſeduliora erga Confratres exhibere obſequia? *Conſequentia patet*, ait Bonauentura, *quia amor gratuitus ſanctæ charitatis, fortior eſt amore carnali; tum quia charitas ſuperat mortis innatum horrorem, tum quia habet pro ſuo fundamento bonum infinitum, propter quod nihil ſi itum praualet contra eam.* Sedula eſt charitas miniſtra: magna ſunt veræ charitatis obſequia.

Bonau. in hunc locum.

29. INSTIGANTE INIMICO.] Communi generis humani, ſed ſpeciali & ferociori eorum, qui ſemi-

Bonau. ibidem. tas terunt perfectionis. *Quantò enim aliquis maius habuerit virtutis ſtudium, tantò fortioribus contra eum machinatur inſidiis.* E ſummo cælorum Angelos expulit, è paradiſo ſacra Dei plaſmata detruſit, mundi primogenitum Cainum ſupplantauit, Eccleſiæ quamplures athletas proſtrauit, tulit de Libano cedri medullam *eſca eius electa.* Non igitur in Monaſterio pacem, non in ſancto ſibi promittat Monachus habitu ſecuritatem. Habac. 1. v. 16.

30. CVM MISERICORDIA INIVNGANT.] *Quia iniquum & impium eſt, afflicto addere afflictionem, & infirmis nullo modo compati, ne facilè peccans labatur in deſperationem. Benignum ergo ſuadet Franciſcus occurſum Prælatorum præberi ad pœnitentiam accedentibus.* Vide Adnotat. in 1. Reg. num. 21. Piſan. vbi ſuprà.

31. SI VERO PRESBYTERI NON SVNT.] Ex hoc loco, & traditione, conſtat, in primæua Religione laicos, ſiue Clericos non Preſbyteros, ad Miniſteriatum aſſumi poſſe, & conſueuiſſe ob raritatem Sacerdotum, vt aduertunt Bonauentura & Piſanus. *Regulariter tamen modò Prælati Sacerdotes eſſe debent*, ait Bonauentura, *cùm curam habeant animarum, & per conſequens debeant vultus pecorum ſuorum, id eſt conſcientias ſuorum ſubditorum, cognoſcere, & in fide ac moribus ordinare.* Prou. 27. v. 23.

32. NE IRASCANTVR, ET CONTVRBENTVR.] Vide Adnotat. in 1. Reg. num. 18.

33. ALIVM SIBI ELIGERE.] Qui per ſuam ſufficientiam prædeceſſoris inſufficientiæ damna reparare poſſit. Quæ verò in hoc requirantur vt eligatur, & in illo vt deponatur, qui ſcire voluerit, conſulat Piſan. citatum, & Cordub. in cap. 8. quæſt. 2 puncto 1. & 2.

34. EODEM ANNO, &c.] Ita primitus fieri conſueuit in Religione, vt ad Epiſt. 10. adnotaui. Eamdem facultatem Legiſlator conceſſit Reg. 1. cap. 18.

35. FVERIT CONTRADICTVM.] Antiqui hoc Iuris præceptum eſt, cap. Excommunicamus, De hæreticis, §. Quia verò. Vbi dummodò non actualiter contradicat Epiſcopus, prædicandi datur Religioſis facultas: iudicatur enim Epiſcopus conſentire, & velle ſaltem tacita licentia, vt ab huiuſmodi operariis in grege paſcendo adiuuetur. *Pij etenim Paſtoris mens*, vt ait Gregorius, *quia non propriam gloriam, ſed Auctoris ſui quærit, ab omnibus vult iuuari. Fidelis namq; Prædicator optat, vt ſi fieri valeat, veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent.* Quod & Bonauent. vlteriùs confirmat ex illo apud Lucam loco: *Vidimus quemdam in nomine tuo dæmonia eiicientem, & prohibuimus eum, quia non ſequitur te nobiſcum. Et ait ad illos: Nolite prohibere, qui enim non eſt aduerſus nos, pro nobis eſt. Et ſimile*, ait, *habetur in Numeris cap.* 11. inſertque: *Ne igitur impedimentum eſſe poſſit verbi Dei, expectatio licentia expreſſa, oſtendit licentiam præſumptã his ſufficere dumtaxat, quorum prædicatio eſt per Sedem Apoſtolicam approbata.* Vlteriùs & latiùs hoc proſequitur argumentum quæſt. 2. in Reg. probatque ſuo tempore licentiam tacitam aut præſumptam ſuffeciſſe; modò verò expreſſa Epiſcopi requiritur, ſine qua prædicari prohibuit Conc. Vienen. & habetur in Clem. Dudum, De ſepult. & expreſſiùs Trident. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 16. circ. med. Lucæ 9. v. 49.

Trident.Seſſ.24. de Reform.cap.4. & Seſſ.5.cap.2. Vide Tom. 3. Colloq. 1. & 14.

36. CONTRA ANIMAM SVAM.] Firm. omiſit *ſuam.*

37. ABNEGAVERVNT PROPRIAS VOLVNTATES.] *Propria voluntas*, ait Bonauentura, *eſt illa quæ omnino diuino imperio non ligatur, vel ſuperiori Regulæ non adhæret.* Huiuſmodi voluntatem ſtatim abdicet & abneget Religioſus, dum Religionis inſtitutis & Prælati præceptis ſe mancipare ſtudet. *Hæc Monachi*, ait Sulpitius Seuerus, *prima virtus eſt, alieno parere imperio.* Non qualitercumq; verò hoc faciendum eſt, ſed ſimpliciter & verè, *ita vt præter Abbatis mandatum, nulla penitùs voluntas viuat in nobis; quod non aliter obſeruari poterit, niſi ab eo, qui non ſolùm ſe mortuum huic mundo, verùm etiam inſipientem iudicauerit ac ſtultum, vniuerſa, quæ ſibi fuerint à Superioribus imperata, ſine vlla diſcuſſione perficiens, ſacroſancta ea credens, ac diuinitus promulgata.* Hæc vera & ſimplex eſt voluntatis abnegatio.

Bonau. in hunc locum.

Seu. Sul. Dial. 1. cap. 5.

Caſſian. lib.12. Inſtit. Monaſt. cap. 32.

38. NON SVNT CONTRARIA ANIMÆ SVÆ.] Vide Adnotat. in 1.Reg. num.15.& 17.& in Epiſt.2. num. 26. Modò ex Siluenſi illo noſtro Antiſtite audi veræ obedientiæ non inanes conditiones; quarũ prima hæc eſt, quam noſter Legiſlator requirit, nimirum *vt ſit recta; quia non eſt obediendum contra animam noſtram, aut Deum.* 11.*quæſt.* 3.*Si is. Secunda, vt ſit voluntaria: quia quod ex neceſſitate fit, bonum non eſt. Extr. de Reg. Iuris. Qui ex timore.* 15.*q.* 1. *Non eſt. Tertia, vt ſit pura; nimirũ vt intentio ſit bona: quia ſi oculus ſimplex eſt, totũ corpus lucidum erit. Luc.* 10. *Matth.* 5. *&* 18. *Quarta, vt ſit diſcreta. Nequid nimis. Qui enim ratione offert, ſi non ratione diuidat, peccat. de Conſec. d.* 2. *Si credis. de Offic. cuſt. c.*1. *Quinta, vt ſit firma, id eſt perſeuerans: perſeuerantia enim omnia claudit & tenet; nullum namq; bonum ſine perſeuerantia eſt.* 7.*q.* 1. *Suggeſtum. Vt autem perſeuerantiam habeat manus obedientia, inhærere ſibi debent propugnacula patientiæ.* Has obedientiæ leges verè perdiſcant Monachi, & obſeruent.

Alu. Pelag. l. 2. de Planctu Eccl. cap. 69. parum an. fin.

Bernar. Serm.20. in Cant.

39. SICVT DOMINI SERVIS SVIS.] Breuis & exacta *informatio hæc eſt Miniſtrorum, ne verbo aut facto prætendant faſtum, qui poſſit repellere ſubditos à fiducia ad Miniſtros in neceſſitatibus recurrendi.* Non eſt autem ita intelligendum verbũ hoc, quòd ſubditis detur occaſio ſuperbiendi per nimiam humilitatem Miniſtrorum, *ne*, ſicut dicit Gregorius, *dum nimis ſeruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Vnde qui dixit, *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor*; non dixit è conuerſo, *Qui minor eſt, fiat ſicut maior.* Prælatus ſubditorum infirmitati humiliter condeſcendat; ſubditus Prælati humilitati ſuperbè non inſultet.

Bonau. in cap. 10. Reg. p.4.

Gregor. in Paſt. part.2. cap.6. Lucæ 22. v.26.

40. LITTERAS DISCERE.] Fratrum laicorum hîc cohibet curioſitatem (vt volunt Bonau.& Expoſitio ſanctorum Patrũ Ordinis, quam in Enchirid. Fratrum Minorum inuenies) in ceteris non ſtudium improbauit, ſed vanum, anxium, & præpoſterum, vt videndum eſt Epiſtola 3. & Tom. 3. Collat. 15. 16. & 17. & Colloq. 15. Sacratum etenim Scripturarum ſtudium honeſtus & ſanctus labor eſt, & Religioſorum proprius, *quo nihil præclarius, nihil animarum ſaluti conducibilius*

Damaſ. 4 Orthod. fid. c. 18.

bilius eſt. Quemadmodum enim lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, ita etiam anima diuinæ Scripturæ fluentis irrigata, ſaginatur, fructumque tempeſtiuum, hoc eſt rectam fidem profert, ac perpetuò virentibus foliis, id eſt, Deo gratis actionibus exornatur. Siquidem hoc adferunt Scripturæ ſanctæ, vt ad probas & honeſtas actiones, & ad puram contemplationem nos componãt. Nam in eis & cohortationem ad virtutem, & ab omni vitio dehortationem inuenire eſt. Hæc tamen ita intelligenda ſunt, vt ſtudium & lectio ab oratione incipiat, vel ſaltem non ſeparetur; & ſtudioſa luxuria ſanctum orationis ſpiritum non extinguat aut ſuffocet, quod à Franciſco ſæpiſſimè cautum eſt; nec immeritò: nam *orationibus mundamur, lectionibus inſtruimur. Vtrumq; bonum eſt, ſi liceat; ſi non liceat, melius eſt orare quàm legere.* Vide Bonau. Epiſt. ad Mag. innominatum, poſt med. Tom. 7. Iulium Nigron. in Comment. ad Reg. 14. Societ. Ieſu. num. 7. doctum virum Didacum Payua lib. 1. Orthod. explicat. contra Kemnitium, qui doctè & deuotè multa pro his congerunt.

Iſidor. 3. de Sum. bon.

41. ORARE SEMPER AD EVM.] Firm. cum aliis habent, *Deum:* prima lectio magis arridet.

42. SVSPECTA CONSORTIA.] Hoc idem prohibuit Reg. 1. cap. 12. vide Tom. 3. Collat. 6. Quæ verò dicenda ſint ſuſpecta conſortia vel conſilia mulierum, vide quatuor Magiſtros, & latè Bonau. in hunc locum. Huius loci meminit Bern. Senenſ. Tom. 3. Serm. 2. art. 1. c. 2. in 3. Reg ad finem.

43. VIDERINT ESSE IDONEOS.] *Idoneitas hæc attendenda eſt* (ait Piſanus hic) *in litteratura, perſonæ ſanctitate, religioſitate, vita, fidei zelo, feruore, mundi abdicatione, & ſui perfecta abnegatione.* Addit Bonauentura: *Probati virtute, & ſemper irreprehenſibiliter conuerſati.* Non alias viuendi regulas præſcripſit Apoſtolus Paulus diſcipulo ſuo Tito, vt inter Cretenſes idoneus Chriſti miniſter iudicaretur. *In omnibus,* inquit, *præbe te ipſum exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in caſtitate; verbum ſanum & irreprehenſibile.* Caietanus (qui ſatis aliter hunc locum legit) dicit, Apoſtolum inſtruere Titum quomodo alios inſtruat idoneè, & quinque in doctrina eius requirere conditiones; tres priores in docẽte: *Primã, vt ſit integer quoad vitam, etiam ſecundùm intima, quæ ab aliis videri poſſunt. Secundam, vt ſit grauis in actibus, moribus, geſtibus, & vniuerſis quæ ad commendationem auctoritatis ſpectant. Tertiam, vt ſit incorruptibilis ab extrinſecis, tam proſperis quàm aduerſis, à muneribus, à minis, à tormentis. Aliæ duæ ad materiam doctrinæ ſpectant. Prima, vt non doceatur verbum ſapiens aliquid inſaniæ, ſed verbum ad animi ſanitatem ſpectans. Secunda, vt prætereà ſit irreprehenſibile, à quibuſcumque ad quos peruenerit, etiam aduerſarios.* Cuius vita ſic doctrinam commendat, & verbum vitæ concordat, hic idoneus huiuſmodi miniſterio iudicabitur. Vide Adnotat. in 1. Reg. num. 37.

Ad Tit. 2. v. 8.

Caiet. in cap. 2. ad Titum.

44. CARDINALIBVS QVI SIT GVBERNATOR.] Quæ ſint Cardinalis Protectoris munia, vel ad quæ ſe extendat illius auctoritas, conſulendi ſunt Reboll. 2. Part. lib. 1. cap. 1. Miran. in Reg. Min. c. 11. Comp. in

verbo Protector, §. 1. & 2. Emanuel Tom. 3. qq. Reg. q. 42. art. 1. & Cordub. in Addition. ad Compend. Mendicantium, tit. Protector.

45. VT SEMPER SVBDITI ET SVBIECTI.] Quanta ſint huius ſubiectionis emolumenta, vide Tom. 3. Collat. 20.

46. QVOD FIRMITER PROMISI-
Eccleſ. 5. v. 8. MVS, OBSERVEMVS.] *Si quid vouiſti Deo*, ait Eccleſiaſtes, *ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voueris, redde. Multò melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere.* Non ergo iniuſtè exigitur ad ſoluendum, qui à nullo cogitur ad vouendum. Liberè voues, neceſſariò ſolues. Bonum promiſſum libenter Deus acceptat; vt quod promiſſum eſt, ſoluatur, indeſinēter expectat. Optimè Tertull. *Votum, cùm à Deo acceptatum eſt, legem in poſterum facit per auctoritatem acceptatoris: exinde enim faciendū mandauit, qui factum comprobauit.* Simile inuenies documentum apud eiuſdem Tertulliani diſcipulū Cyprianum lib. de Hab. & diſcipl. Virginum. Alium etiam audi Afrum, his non inferiorē, Auguſtinum. *Priuſquam eſſes voti reus, liberum fuit, &c. nunc verò quia tenetur apud Deum ſponſio tua, non te ad magnam iuſtitiam inuito, ſed à magna iniquitate deterreo. Non enim talis eris, ſi non feceris quod vouiſti, qualis manſiſſes, ſi nihil tale vouiſſes: minor enim tunc eſſes, non peior. Modò autem tantò (quod abſit) miſerior, ſi fidem Deo fregeris, quantò beatior, ſi perſolueris.* Plura ibidem in hanc rem vide apud eumdem, & Tom. 1. horum Opuſcul. in Adnot. in Epiſt. 11. n. 6.

Tertull: aduerſus Pſychicos, c. 11.

Auguſt. Epiſt 45. ad Arm. & Paulin.

LAVDES SECVNDÆ REGVLÆ FRATRVM MINORVM A B. PATRE PROLATÆ.

ARGVMENTVM.

HAS *præcedentis Regulæ laudes præ ceteris nobis obtulère Piſanus lib. 1. Confor. 9. partitione 6. in fine; Manuale Minorum, Aluar. Pelag. lib. 2. de Planct. Eccl. art. 61. in princ. Rodulph. lib. 2. partitione 5. & 6. Firm. trium Ord. tractat. 1. Sedul. lib. 2. Apolog. cap. 3. num. 6. & 7. communiterq́; à Minoridis circumferuntur, & apud antiquos quoſque paſſim inueniuntur, ita vt omnis dubitandi ſcrupulus circa auctorem facillimè tolli poſſit. Breues ſunt, compendioſæ, & myſterioſæ ſatis. Adnotationibus quibuſdam adiectis obſcuriora reſerabuntur.*

FRATRES mei, & filij chariſſimi, præclarè nobiſcum actum eſt in conceſſione huius Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, [1] liber eſt vitæ, [2] ſpes ſalutis, [3] arrha gloriæ, [4] medulla Euangelij, [5] via Cru-

cis,[6] ſtatus perfectionis,[7] clauis paradiſi,[8] pactum æterni fœderis. Nemo veſtrûm eſt, qui ignoret quantum emolumenti[9] conferat nobis ſacra Religio, cùm colluctator & aduerſarius noſter ad omnes dolos vel cogitandos vel explicandos mirus ſit artifex, atque omnia quæ nocere poſſunt,[10] pro laqueis habeat. Vnde quamplures, niſi Religionis beneficio[11] muniti eſſent, in ſummum diſcrimen adduxiſſet. Hanc ergo veſtram Regulam ſcitote omnes, & in alleuiatione tædij, & memoria præſtiti iuramenti, cum interiori homine de ea confabulamini, cum intentione eam adimplendi[12] ſemper præ oculis portate; imò & cum ipſa debetis mori.

ADNOTAT. IN LAVDES REGVLÆ FRATRVM MINORVM.

1. LIBER EST VITÆ.] Per librum vitæ eruditiſſimè docet Santes Pagninus lib. 9. ſuæ Iſagogæ ad myſticos ſacræ Script. ſenſus cap. 35. ex D. Gregor. lib. 22. Moral. cap. 11. intelligi ſacrum Euangelium. Non ergo immeritò dicit ſacer hic noſter Doctor per hanc ſuā Regulam eſſe librum vitæ: *quia* (vt ait Bonauentura) *tota Regulæ ſubſtantia, de fonte trahitur Euangelicæ puritatis: nec eſt Regula hæc, aut vita, noua res, ſed procul dubio vita Apoſtolorum renouata.* Quod & ipſe docuit Franciſcus in principio eiuſdem, dicens: *Regula & vita Fratrum Minorum hæc eſt, ſcilicet Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctum Euangelium obſeruare.*

Bonau. in c. 1. Reg. Min. in princip.

2. SPES SALVTIS.] Quid ni ſalutem ſperet, qui pro æterna conſequenda hanc viuendi profitetur Religioſam normam? De hac, quæ tota Euangelica eſt, ſperare, *credere, ac profiteri quiſquis debet Regulā; quòd eā ingrediens ſine errore, tanto lumine, & cum magna etiam ac perpetua voluptate, ad immarceſcibilem cœleſtis patriæ voluptatē perueniet.* Quod & magna cum fiducia, & à Deo deriuata certitudine noſtri promittunt Prælati normam hanc profitentibus, dicentes: *Si tu hæc omnia obſeruaueris, ego tibi promitto vitam æternam, in nomine Patris, & Filij, &c.* Spes certè eſt ſalutis, quæ ſalutis facta eſt ſemita.

Plat. l. 1. de Bono ſtatus Relig. c. 23. in fine.

3. ARRHA GLORIÆ.] De gloria acquirenda cum Deo pactū ineunt, qui Euangelicæ vitæ ſe totos dedunt; illi ſe Deo in gloriæ pretium offerunt. Sed quos recipiat Deus, dum probare vult (nec enim improbatos fragilis conditionis viros in tantam felicitatem admittere ſine feliciſſimi ſtatus probro iudicatum eſt) pignus & arrham promiſſæ dedit hereditatis in hac Regula; quod diuino eloquio magnus expreſſit Paulus. *Cùm audiuiſſetis* (inquit Ad Epheſ. 1. v. 14.

Ephe-

Epheſiis) *Verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ, in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hereditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis gloriæ ipſius.* *Deus nobis* (ait diuus Thomas) *dedit veritatem Euangelij tamquam pignus per Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus veritatis & dilectionis.* Videndus ibidem de differentia arrhæ & pignoris, & de pignoris conditionibus, & Lect. 5. in cap. 1. ſecundæ ad Corinth. & l. 2. in cap. 5. eiuſdem. & Hieron. in c. 1. ad Epheſ. ad illa verba, *Qui eſt pignus hereditatis noſtræ*, Tom. 6. (D. Thomas ibid. Lect. 5.)

4. MEDVLLA EVANGELII.] Præcipua enim ſacri Euangelij præcepta, *quantum ad virtutum perfectionem omnimodã*, in Regula hac Franciſcus compilauit: vnde & per eam Minores *primitiuæ Eccleſiæ* (vt ait Iacobus à Vitriaco ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalis) *Religionem, paupertatem & humilitatem in ſe reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum ſiti & ardore ſpiritus haurientes; quòd non ſolum Euangelica præcepta, ſed & conſilia, vitam Apoſtolicam expreſſiùs imitantes, modis omnibus adimplere laborant.* (Bonau. in cap. 10. Regul.) (Iacob. à Vitr. in Hiſt. Occident. cap. 32.)

5. VIA CRVCIS.] Quam nobis viam per Crucem Chriſtus demonſtrauit, præter paupertatem, nuditatem, tolerantiam paſſionum, mundi contemptum, & triumphum? Hac incedunt via veri huius Regulę profeſſores. Quare non ineptè citatus Vitriacus, Religionem Regulamque eſſe dixit *pauperum Crucifixi*, qui *omnibus quæ poſſident renuntiantes, ſe ipſos abnegantes, Crucem ſibi tollendo nudi nudum ſequentes, relinquentes pallium cum Ioſeph,* (Gen. 39. v. 12.) *& hydriam cum Samaritana, expediti currunt, ambulant ante faciem ſuam, & non reuertuntur* ad mundum, de quo triumpharunt. (Ioan. 4. v. 28.) (Ezech. 8. v. 9.)

6. STATVS PERFECTIONIS.] Non erit, qui inficietur perfectos eſſe, qui venditis omnibus quæ poſſidebant, & in pauperes diſtributis, Chriſtum ſequuntur. Quis Apoſtolorum vitam ſtatum eſſe perfectionis denegabit? ſanæ mentis nullus. Audi modò Bonauenturam: *Magna eſt huiuſmodi Regulæ profeſſoribus materia ſolatij, qui ſoli in hoc mundo vitam illam ad litteram profitentur, quam Apoſtolis ad prædicandum miſſis Dominus commendauit.* Vita eſt Apoſtolorum, ſtatus eſt perfectionis. (Bonau. in c. 1. Reg.)

7. CLAVIS PARADISI.] Miſellis noſtris progenitoribus ex paradiſi deliciis expulſis adeundi reditum quis præcluſit? paradiſi portas vectibus & ſeris ferreis quis firmauit & clauſit, niſi mandatorum tranſgreſſio? Quis ergo reſerabit? qua aperientur claue obſignatæ valuæ, niſi eorumdem obſeruatione? Ita qui clauſit, & ſine quo nemo aperit, docuit Chriſtus. *Si vis*, inquit, *ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Si ergo ingreditur foribus reſeratis, qui ſeruat mandata, quiuis Chriſtianus; qui & præcepta & conſilia obſeruant Minoridæ, ſublatis obſtaculis, & bipatentibus valuis paradiſi fruentur deliciis. Clauis eſt paradiſi Euangelica Regula, quæ ſuis ſectatoribus cæleſtia patefacit Regna. (Mat. 19. v. 17.)

8. PACTVM ÆTERNI FOEDERIS.] Qui huius vitæ aſperitatem ſubit, vel alterius cuiuſcumque perfectæ ſemitas terit, cum Deo paciſcitur, vt pro paſſionum tolerantia æternæ vitæ conferat gaudium. Pactum libenter Deus admittit. *Et omni vouenti,* (Fulg. de fide ad Pet. c. 3.)

uenti, & reddenti quod vouit, ipſe quoque Deus reddit cæleſtis Regni præmia, quæ promiſit.

9. CONFERAT NOBIS SACRA RELIGIO.] Non ineptè aſſeruerim de iis, qui ſub Religionis ferula æterno ſe Dei manciparunt obſequio, quod antiquus ille Tertullianus dixit de Chriſtianis, carceribus per tyrannos inclusis. *Ibi namque quæ vtilia ſunt fidei, ſpiritus adipiſcitur. Non vides alienos deos, non imaginibus eorum incurris, non ſolemnes nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum, atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis: non in loca libidinum publicarum oculi tui impingũt: vacas à ſcandalis, à tentationibus, à recordationibus malis.* Et vltrà: *Humanas actiones* ait Platus, *ſiue animi, ſiue corporis, ad Dei obſequium dirigit, informat, & inſtruit: ita vt eius proprium ſit munus mentem noſtram ab omni labe purgatam, integram & ſine macula Deo offerre.* Viden' quanta ſint Religionis emolumenta?

Tert. lib. ad Martyres, c. 2.

Hieron. Pla l. 1. de Bono ſtatus Relig. c. 2.

10. PRO LAQVEIS HABEAT.] Satis ad mentem noſtri Auctoris Chryſoſtomus: *Multa nobis munitione opus eſt, quia multæ ſunt vndique inſidiæ, ſicut ipſe Salamon dicebat: Agnoſce quòd in medio laqueorũ tranſitus.* Vnde & appoſito vocabulo, laqueorum periculum præcauere iubet Paulus: *Ne*, inquit, *circumueniamur à ſatana.* laqueis ſcilicet aſtutiarum, & retibus tentationum; quas omnes vno retis nomine comprehendit Pſalmographus, dicens: *Cadent in retiaculo eius peccatores.* Vbi Auguſtinus: *Quid eſt, fratres, Cadent in rete eius peccatores? ſed non omnes peccatores? quidam peccatores, qui vſque adeò ſunt peccatores, vt ſic ament iſtam vitam, vt præponant illam vitæ æternæ, cadent in muſcipulam eius.* Non verò qui in altum euolant, vitam quærunt cæleſtem, terram faſtidiunt. *Etenim volatilia dum altum aërem ſecant, non facilè capiuntur; ita dum tu ad ſuperiora reſpexeris, nec laqueo nec vllis aliis facilè capieris inſidiis.*

Chryſo. Hom. 25. ad pop Tom. 5. Eccli. 9. v. 20.

2 Cor. 2. v. 11.

Pſal. 140. v. 10.

Auguſt. ibidem.

Chryſoſt. vbi ſuprà.

11. MVNITI ESSENT.] Non paruum eſt munimen Religionis; murum habet præceptorum Euangelicorum, & antemurale Chriſti conſiliorum. *Sanctis exemplis & documentis Sanctorum ornatur & custoditur, vt nemo tranſeuntium facilè vineam hanc poſſit vindemiare, aut aper de ſilua eam poſſit exterminare, nec alieni repentè poſſint diripere labores eius & fructus. Hæc vinea ſæpe charitatis, obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis circumdata eſt.* Benè ergo muniti, qui Religioni ſunt adſtricti.

Auguſt. vel Auctor Sermon 39. ad Fratres in eremo.

12. SEMPER PRÆ OCVLIS PORTATE.] Nõ paucis ante Franciſcum ſæculis ſimiliter conſuluit Athanaſius: *Regulam tuam*, inquit, *geſtabis per omne tempus vitæ tuæ* Sed geſtaſſe non ſufficit, obſeruaſſe neceſſe eſt: ad legem ſuam quiſque viuat, nec voto diſſentiat: quod Regula præcipit, Monachus exequatur. Benè Seneca: *Vnam ſemel ad quam viuas, Regulam prende, & ad hanc omnem vitam exæqua.*

Athana. in Reg. de Seruanda virginitate.

Seneca Epiſt. 20.

PRI-

PRIMA REGVLA SANCTIMONIALIVM S. CLARÆ A B. FRANCISCO PRO EISDEM CONSCRIPTA.

ARGVMENTVM.

IDEM *eſt huius Regulæ Argumentum, eadem materia, totidem capita, non diſsimilia præcepta, ſimillima omnino verba, ac præcedentis. Nec immeritò, vt quos idem genuit Pater, diuerſa non diſcriminarent instituta. Eamdem etiam, paucis mutatis, dedit feminis Regulam Auguſtinus Epiſt. 109. quam pro ſeruis Dei conſcripſerat, & habetur Tom. 1. in fine. Sed quoſdam vidi, etiam ex noſtris, qui dubitent de Auctore huius quam offerimus Regulæ, Franciſcus ne ſit, an alius. Inter hos non infimæ notæ eſt Rodulph. lib. 1. ſuæ Hiſtor. Seraph. fol. 132. qui ab Innocentio III. exaratam, & Sororibus traditam indicat. Cui, ſui immemor, conſentit Piſan. lib. 1. Conform. 8. part. 2. in Vita B. Claræ, dicens:* A Domino Innocentio III. Regulam pauperum dominarum Clara petiit, & obtinuit; cuius principium ipſe Pontifex plorando ex deuotione conſcripſit manu ſua. *Sed iam ſuprà Conform. 6. & poſteà Conform. 9. in princ. & in fine non ſemel ſed multoties ait, aſſeueratq; à Franciſco ſcriptam, exaratam, & Sanctimonialibus ab eodem traditam anno 6. ſuæ conuerſionis. Idem tamquam indubitatum ſupponit Firmament. trium Ord. 5. & vlt. parte Tract. 1. fol. 2. col. 2. in indice eorum quæ continentur in dicta parte, vbi ſic recenſet:* Prima Regula Sororum pauperum mendicantium ſanctæ Claræ à B. Franciſco edita, & ab Innocentio IV. confirmata. *Idem ibidem col. 3. repetit in princip. Regulæ, & ad finem eiuſdem fol. 28. col. 1. modum profeſsionis Clariſſarum primæ Regulæ apponit ita:* Ego Soror N. voueo, & promitto Deo, B. Mariæ Virgini, *&c.* toto tempore vitæ meæ ſeruare formam vitæ Sororum pauperū ſanctæ Claræ, per eumdem B. Franciſcum eidem ſanctæ Claræ traditam, & per Dominum Innocentium Papam IV. approbatam, viuendo, *&c. Idem clarè habet ipſe Innoc. IV. in proœmio Bullæ confirmationis eiuſdem Regulæ; quod & in titulo eidem Bullæ ſuperpoſito aſſerit Laërtius Cherubin. Tom. 1. ſui Bull. conſtit. 12. ſub Innoc. IV. Et pro omnibus eiuſdem B. Claræ teſtimonium ſufficiat, quæ expreſsè in ſuo Teſtamento, quod ex vetuſto memoriali extractum, inuenies apud Marcum*

Portuenſem Epiſcopum 1.p.l.8. c.35. Idem etiam ſentiunt, doctus Pater Miranda in Expoſitione eiuſdem Regulæ 1.p.cap.6. & 7. & 2.p. cap.1. & communiter alij. Quare nullum video ſufficiens dubitandi fundamentum. Regulam hanc ſtrictiſſimè & ad vnguem pleræque B. Claræ ſequaces in pluribus Cœnobiis per Europam diſperſæ, regulariter obſeruant, licet alia quàm pluria Monaſteria, ſub Clariſſarum etiam nomine, laxiores obſeruant Regulas; quædã Innocentij Quarti, aliæ verò Vrbani etiam Quarti. Quidquid verò in hac notatu dignum, præter ea quæ in præcedentem obſeruauimus, occurrerit, adiicere non omittemus. Hoc ſtatim in principio præmonere neceſſarium duximus, quædam à Cardinale Protectore, & Innocentio Papa, imò & ab ipſa Virgine Clara, interpoſita fuiſſe pro temporum ratione, vt nos ſuis locis adnotabimus: aduertitq́ Firm. in princ. eiuſdem Regulæ. Cuius Originale authenticum ſub confirmatione & Bulla plumbea in Conuentu Sanctimonialium Chamberiaci Prouinciæ ſancti Bonauenturæ diligenter cuſtodiri tradit Firmam. & alij.

REGVLA ET VITA SORORVM PAVPERVM.

CAPITVLVM I.

IN nomine Domini. Amen. Incipit Regula & forma vitæ Ordinis Sororum pauperum, quæ quidem eſt ſanctum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate. Clara [1] indigna ancilla Chriſti promittit obedientiam & reuerentiam Domino Papæ [2] Innocentio, ac ſucceſſoribus eius canonicè intrantibus, & Eccleſiæ Romanæ. Et ſicut in [3] principio conuerſionis ſuæ, vnà cum Sororibus ſuis, promiſit obedientiam Fratri Franciſco, ita eamdem promittit inuiolabiliter obſeruare ſucceſſoribus ſuis. Et aliæ Sorores teneantur ſemper ſucceſſoribus Fratris Franciſci & Sorori Claræ, & aliis Abbatiſſis canonicè electis ei ſuccedentibus obedire.

CAPIT.

Capit. II.

Qualiter recipi debeant.

Si qua, diuina inſpiratione, venerit [4] ad Sorores, volens vitam iſtam accipere, Abbatiſſa Sororum omnium conſenſum requirere teneatur. Et ſi maior pars conſenſerit, [5] habita licentia Domini Cardinalis Protectoris, poſſit eam recipere. Et ſi recipiendam viderit, diligenter examinet eam, vel examinari faciat de fide Catholica & Eccleſiaſticis Sacramentis. Et ſi hæc omnia credat, & velit ea fideliter confiteri, & vſque in finem firmiter obſeruare, & virum non habeat, vel ſi habet, & iam Religionem intrauit auctoritate Diœceſani Epiſcopi, voto continentiæ iam emiſſo, [6] ætate etiam longæua, vel infirmitate aliqua ſeu fatuitate ab huiuſmodi obſeruantia non impediente, diligenter exponat ei tenorem huiuſmodi vitæ. Et ſi idonea fuerit, dicatur ei verbum ſancti Euangelij, quòd vadat, & vendat omnia ſua, & ea ſtudeat pauperibus erogare. Quod ſi facere non potuerit, ſufficit ei bona voluntas. Et caueant Abbatiſſa & eius Sorores, ne ſollicitæ ſint de rebus ſuis tẽporalibus, vt liberè faciat de rebus ſuis, quidquid Dominus inſpirauerit ei. Si tamen conſilium requiratur, mittant eam ad aliquos diſcretos & Deum timentes, quorum conſilio bona ſua pauperibus erogentur. Poſteà [7] capillis tonſis in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, concedant ei [8] tres tunicas, & mantellum. Deinceps extra Monaſterium, ſine vtili, manifeſta, & probabili cauſa, eidem exire non liceat. Finito verò anno probationis, recipiatur ad obedientiam, promittens vitam & formam huius paupertatis in perpetuum obſeruare. Nulla infra tempus probationis [9] veletur. [10] Mantela etiam poſſint Sorores habere pro alleuiatione & honeſtate ſeruitij & laboris. Abbatiſſa verò de veſtimentis diſcretè eis pro-

prouideat ſecundùm qualitates perſonarum, & loca, & tempora, & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderit expedire. [11] Iuuenculæ, in Monaſterio receptæ infra tempus ætatis legitimæ, tondeantur in rotundum, & depoſito habitu ſæculari, induantur panno religioſo, ſicut viſum fuerit Abbatiſſæ. Cùm verò ad ætatem legitimam peruenerint, indutæ iuxta formam aliarum, faciant profeſſionem ſuam; & tam ipſis, quàm aliis nouitiis Abbatiſſa ſollicitè Magiſtram prouideat [12] de diſcretioribus totius Monaſterij, quæ in ſancta conuerſatione & honeſtis moribus, iuxta formam profeſſionis Sororum, eas diligenter informet. In examinatione & receptione Sororum ſeruientium extra Monaſterium, ſeruetur forma prædicta; quæ poſſunt portare calceamenta. [13] Nulla cum Sororibus reſidentiam faciat in Monaſterio, niſi recepta fuerit ſecundùm formam huius profeſſionis. Et amore ſanctiſſimi & dilectiſſimi [14] pueri Ieſu pauperculis pannis inuoluti, in præſepio reclinati, & ſanctiſſimæ Matris eius, moneo, deprecor, & exhortor Sorores meas, vt veſtimentis ſemper vilibus induantur.

CAPIT. III.

De diuino Officio, & Ieiunio, & quoties communicent.

Modus recitandi Officium diuinum.

SORORES litteratæ faciant diuinum Officium [15] ſecundùm conſuetudinem Fratrum Minorum, ex quo potuerint habere Breuiaria, legendo ſine cantu. Et quæ occaſione rationabili nō poſſint aliquando legendo dicere Horas ſuas, liceat eis, ſicut aliæ Sorores recitant, dicere Pater noſter. Quæ verò litteras neſciunt, dicant viginti quatuor Pater noſter pro Matutino, pro Laudibus quinque; pro Prima verò, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet iſtarum ſeptem, pro Veſperis autem duodecim, pro Completorio ſeptem. Pro Defunctis dicant etiam in Veſperis

Orandū pro defunctis.

ſeptem

ſeptem Pater noſter, & Requiem æternam, pro Matutino duodecim. Sorores litteratæ teneantur dicere Officium defunctorum. Quando verò aliqua ex Sororibus migrauerit, dicant quinquaginta Pater noſter. Omni tempore Sorores ieiunent. In Natiuitate Domini, [16] quacumque die venerit, bis refici poſſint. Cum adoleſcentibus debilibus, & ſeruientibus extra Monaſterium, ſicut videbitur Abbatiſſæ, poſſit miſericorditer diſpenſari. Tempore verò manifeſtæ neceſſitatis non teneantur Sorores ieiunio corporali. Duodecim vicibus, ad minus, de Abbatiſſæ licentia confiteantur in anno. Et cauere debent, ne alia verba tunc inſerant, niſi quæ ad Confeſſionem, & ſalutem pertinent animarum. [17] Sex vicibus communicent, videlicet in Natiuitate Domini, in quinta Feria Maioris hebdomadæ, in Reſurrectione Domini, in Pentecoſte, in Aſſumptione beatæ Virginis, & in Feſto omnium Sanctorum. Pro communicandis infirmis Sororibus, Cappellanis intus liceat intrare.

Semper ieiunandum.

Quoties confitendum.

CAPIT. IV.

De electione Abbatiſſæ.

IN electione Abbatiſſæ teneantur formam canonicam obſeruare. Procurent ipſæ habere Generalem Miniſtrum, vel Prouincialem Ordinis Fratrum Minorum, qui verbo Dei eas informet ad omnimodam concordiam, communem vtilitatem in electione facienda; & nulla eligatur niſi Profeſſa. Et ſi non profeſſa eligeretur, vel aliter daretur, ei non obediant, [18] niſi primò profiteatur formam huius paupertatis. Qua decedente, electio alterius fiat Abbatiſſæ. Et ſi aliquo tempore appareret vniuerſitati Sororum, prædictam non eſſe ſufficientem ad ſeruitium, & communem vtilitatem ipſarum, teneantur prædictæ Sorores iuxta formam prædictam, quàm citiùs poterunt,

Profeſſa canonicè eligatur in Abbatiſſam.

Inſufficiens deponenda.

aliam ſibi in Abbatiſſam [19] & matrem eligere. Electa verò cogitet [20] quale onus in ſe ſuſceperit, & cui reddituraeſt rationem de grege ſibi commiſſo. Studeat etiam aliis [21] magis præeſſe virtutibus, & ſanctis moribus, quàm ex officio; vt eius exemplo prouocatæ Sorores, potiùs [22] ex amore obediant, quàm timore. De priuatis amoribus caueat, [23] ne dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. Conſoletur afflictas. Sit etiam vltimum refugium tribulatis, ne ſi apud eam remedia defuerint ſanitatum, deſperationis morbus præualeat in infirmis. Communitatem ſeruet in omnibus, præcipuè autem [24] in Eccleſia, Dormitorio, Refectorio, Infirmaria, & veſtimẽtis. Quod ſimili modo ſeruare eius Vicaria teneatur. Semel in hebdomada, ad minus, Abbatiſſa Sorores ſuas teneatur ad Capitulum conuocare. Vbi tam ipſa quàm Sorores de omnibus & publicis offenſis & negligentiis [25] debeant humiliter confiteri. Et quæ tractanda ſunt pro vtilitate & honeſtate Monaſterij, ibidem conferat cum omnibus Sororibus. Sæpè enim Dominus, quod melius eſt, [26] minori reuelat. Nullum debitum graue fiat, niſi de communi conſenſu Sororum, & manifeſta neceſſitate, & hoc per procuratorem. Caueat autem Abbatiſſa cum Sororibus ſuis, ne depoſitum aliquod recipiat in Monaſterio; ſæpè enim de his turbationes & ſcandala oriuntur. Ad conſeruandam autem vnitatem mutuæ dilectionis & pacis, de communi conſenſu omnium Sororum omnes Officiales Monaſterij eligantur. Et eodem modo octo ad minus Sorores de diſcretioribus eligantur, quarum in his quæ forma vitæ Sororum requirit, Abbatiſſa ſemper [27] vti conſilio teneatur. Poſſint etiam Sorores & debeant, ſi eis vtile & expediens videatur, Officiales & Diſcretas aliquando remouere, & alias loco ipſarum eligere.

Electa quæ cogitanda & facienda.

Conuocandum ad Capitula.

Non contrahenda debita.

Non admittenda depoſita.

Officiales & Diſcretæ eligendæ.

CAPIT.

CAPIT. V.

De ſilentio & modo loquendi ad Locutorium & ad Cratem.

Tempus & loca ſilentij.

AB hora Completorij vſque ad tertiam Sorores [28] ſilentium teneant, exceptis ſeruientibus extra Monaſterium. Sileant etiam continuè in Eccleſia, Dormitorio, & in Refectorio tantùm dum comedunt, præterquam in Infirmaria, in qua pro recreatione & ſeruitio infirmarum loqui diſcretè ſemper Sororibus liceat. Poſſint etiam ſemper & vbique breuiter ſubmiſſa voce, [29] quod neceſſe fuerit, inſinuare.

Quando, & qualiter ad Cratem loquendum.

Non liceat Sororibus loqui ad Locutorium vel ad Cratem ſine licentia Abbatiſſæ, vel eius Vicariæ. Et licentiatæ ad Locutorium loqui non audeant, niſi præſentibus & audientibus duabus Sororibus. Ad Cratem verò non præſumant accedere, niſi præſentibus, ad minus, tribus per Abbatiſſam vel eius Vicariam aſſignatis, de illis Diſcretis, quæ ſunt electæ ab omnibus Sororibus pro conſilio Abbatiſſæ. Hanc formam loquendi teneantur, pro poſſe, Abbatiſſa & eius Vicaria obſeruare. Et [30] hoc de Crate rariſſimè. Ad portam verò nullatenus fiat.

Modus vel cuſtodia Cratis.

Ad Cratem verò pannus interiùs apponatur, qui non remoueatur, niſi cùm proponitur verbum Dei, vel aliqua alicui loqueretur. Habeant etiam oſtium ligneum diuerſis vel duabus ſeris ferreis, valuis & vectibus optimè coniunctum, vt nocte maximè duabus clauibus obſeretur, quarum vnam habeat Abbatiſſa, aliam verò Sacriſta. Et maneat ſemper obſeratum, niſi cùm auditur diuinum Officium, & pro cauſis ſuperiùs memoratis. Nulla ante ſolis ortum, vel poſt ſolis occaſum loqui ad Cratem vllatenus debeat. [31] Ad Locutorium verò ſemper pannus, qui non remoueatur, interiùs maneat. In Quadrageſima ſancti Martini, & Quadrageſima maiori, nulla loquatur ad Locutorium, niſi Sacerdoti, cauſa confeſſionis, vel alterius

manifeſtæ neceſſitatis, quod reſeruetur in prudentia Abbatiſſæ, vel eius Vicariæ.

CAPIT. VI.

Qualiter Sorores non recipiant poſſeſſionem aliquam vel proprietatem, per ſe, vel per interpoſitam perſonam.

32 ABBATISSA, cum omnibus Sororibus, ſollicitæ ſint ſanctam paupertatem, quam Domino Deo promiſerunt, cuſtodire, & eamdem teneantur Abbatiſſæ futuræ, & Sorores omnes vſque in finem inuiolabiliter obſeruare; videlicet in non recipiendo, ſeu habendo poſſeſſionem vel proprietatem, per ſe, nec per interpoſitam perſonam, ſeu etiam aliquid quod rationabiliter proprietatis dici poteſt; niſi quantum terræ, pro honeſtate & renouatione Monaſterij, neceſſitas requirit. Et illa terra non laboretur, niſi pro horto ad neceſſitatem ipſarum.

Arcta & perpetua paupertas.

CAPIT. VII.

De modo laborandi.

SORORES, quibus dedit Dominus gratiam laborandi, poſt horam tertiam laborent de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem, & communem vtilitatem, fideliter, & deuotè; ita quòd excluſo otio animę inimico, ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cetera temporalia deſeruire. Et id quod manibus ſuis operantur, aſſignare in Capitulo Abbatiſſæ vel eius Vicariæ coram omnibus teneantur. Item fiat de eleëmoſyna aliqua miſſa pro Sororum neceſſitatibus ab aliquibus, vt in communi pro eiſdem recommendatio fiat. Et hæc omnia pro communi vtilitate diſtribuantur per Abbatiſſam, vel eius Vicariam, de conſilio Diſcretarum.

Laborandum fideliter.

Abbatiſſa de laboritio diſponat.

CAPIT. VIII.

Qualiter Sorores nihil ſibi approprient, & de infirmis Sororibus.

SORORES nihil approprient ſibi, nec domum, nec locum, nec aliquam rem; ſed tamquam peregrinæ & aduenæ in hoc ſæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, mittant pro eleëmoſyna confidenter. Nec oportet eas verecundari, quia Dominus pro nobis ſe fecit pauperem in hoc mundo. Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis, quæ vos charisſimas Sorores meas heredes & Reginas Regni cælorum inſtituit, pauperes rebus fecit, virtutibus ſublimauit. Hæc ſit portio veſtra, quæ perducit in terram viuentium. Cui, dilectiſſimæ Sorores, totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini Ieſu Chriſti in perpetuum ſub cælo habere velitis. Non liceat alicui Sorori [13] litteras mittere, vel aliquid recipere, aut extra Monaſterium dare ſine licentia Abbatiſſæ. Nec quidquam liceat habere, quod Abbatiſſa non dederit aut permiſerit. Et ſi à parentibus ſuis vel ab aliis aliquid mitteretur, Abbatiſſa faciat illi dari; ipſa autem, ſi indigeat, vti poſſit. Sin autem, Sorori [14] indigenti charitatiuè communicet. Si verò aliqua pecunia tranſmiſſa fuerit, Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum in illis, quorum indigeat, illi faciat prouideri.

Nihil proprium reputent.

Nihil emittendũ, dandũ, recipiendum ſine licentia Abbatiſſæ.

De infirmis Sororibus, tam in conſiliis, quàm in cibariis, & aliis neceſſariis, quæ earum requirit infirmitas, teneatur firmiter Abbatiſſa ſollicitè per ſe vel per alias inquirere, & iuxta poſſibilitatem loci, charitatiuè & miſericorditer prouidere. Quia omnes tenentur prouidere & ſeruire Sororibus ſuis infirmis, ſicut vellent ſibi deſeruiri, ſi ab aliqua infirmitate tenerentur. Et ſecurè manifeſtet vna alteri neceſſitatem ſuam. Quia ſi vera mater diligit &

Seruiendum & prouidendum infirmis.

nutrit filiam ſuam carnalem; quantò diligentiùs debet quælibet Soror diligere & nutrire Sororem ſuam ſpiritualem? Quæ infirmæ ſunt, in ſaccis & paleis iaceant, & habeant ad caput capitalia cum pluma. Et quæ indigent [35]pediolis laneis & culcitris, vti poſſint. Infirmæ verò prædictæ, cùm ab introëuntibus Monaſterium viſitantur, poſſint ſingulæ aliqua bona verba ſibi loquentibus, breuiter reſpondere. Aliæ verò Sorores licentiatæ, Monaſterium intrantibus loqui non audeant, niſi præſentibus & audientibus duabus Diſcretis Sororibus, per Abbatiſſam & eius Vicariam aſſignatis. Hanc formam loquendi teneantur per ſe Abbatiſſa & eius Vicaria obſeruare.

Quomodo cubandum.

Fugienda colloquia intrantium.

CAPIT. IX.

De pœnitentia Sororibus imponenda.

SI qua Sororum contra formam Profeſſionis noſtræ mortaliter, inimico inſtigante, peccauerit, per Abbatiſſam, vel alias Sorores bis aut ter admonita, ſi non ſe emendauerit; quot diebus contumax fuerit, in terra panem & aquam coram Sororibus omnibus in Refectorio comedat, & grauiori pœnæ ſubiaceat, ſi viſum fuerit Abbatiſſæ. Interim dum contumax fuerit, oretur vt Dominus ad pœnitentiam cor illius illuminet. Abbatiſſa verò, & eius Sorores cauere debent ne iraſcantur propter peccatum alicuius: quia ira & conturbatio in ſe & in aliis impediunt charitatem. Si contigerit, quod abſit, inter Sororem & Sororem verbo vel ſigno occaſionem turbationis vel ſcandali aliquando ſuboriri; quæ turbationis cauſam dederit, ſtatim antequam offerat munus orationis ſuæ coram Deo, non ſolùm humiliter proſternet ſe ad pedes alterius, veniam petens, verùm etiam ſuppliciter roget, vt pro ſe intercedat ad Dominum, quòd ſibi indulgeat. Illa verò memor illius verbi Domini, Niſi ex corde dimiſeritis,

Peccantes corrigendæ.

Rixantes reconciliandæ.

Matth. 6. v. 15.

ritis, nec Pater cæleſtis dimittet vobis, liberaliter Sorori ſuæ omnem iniuriam ſibi illatam dimittat. Sorores ſeruientes extra Monaſterium longam moram non faciant, niſi cauſa manifeſtæ neceſſitatis requirat. Et [36] honeſtè debeant ambulare, & parum loqui, vt ædificari valeant ſemper intuentes. Et firmiter caueant ne habeant ſuſpecta conſortia vel conſilia aliquorum; nec fiant commatres virorum aut mulierum, ne hac occaſione murmuratio vel turbatio oriatur. Nec præſumant rumores [37] de ſæculo referre in Monaſterio: & firmiter teneantur, de his quæ intus dicuntur vel aguntur, [38] extra Monaſterium aliquid non referre, quod poſſit aliquod ſcandalum generare. Et ſi aliqua ſimpliciter in his duobus offenderit, ſit in prouidentia Abbatiſſæ miſericorditer ſibi pœnitentiam iniungere. Si autem ex conſuetudine vitioſa haberetur, iuxta qualitatem culpæ Abbatiſſa de conſilio Diſcretarum illi pœnitentiam iniungat.

Liberaliter dimittenda offenſa.

Seruientibus extra Monaſteriũ quæ obſeruanda.

CAPIT. X.

De viſitatione Sororum ab Abbatiſſa.

ABBATISSA moneat & viſitet Sorores ſuas, & humiliter & charitatiuè corrigat eas, non præcipiens eis aliquid quod ſit contra animam ſuam*, & huius Profeſſionis formam. Sorores verò ſubiectæ recordentur, quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vnde firmiter ſuis Abbatiſſis obedire teneantur in omnibus quæ obſeruare promiſerunt, & non ſunt animæ contraria, & ſuæ profeſſioni. Abbatiſſæ verò tantam familiaritatem habeant circa ipſas, vt dicere poſſint eis & facere ſicut dominæ ancillis ſuis. Nam ita debet eſſe, quòd Abbatiſſa ſit omnium Sororum ancilla. Moneo verò & exhortor in Domino Ieſu Chriſto, vt caueant Sorores ab omni ſuperbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & ſollicitudine hu-

Abbatiſſa charitatiuè corrigãt.

Subditæ humiliter obediant.

Abbatiſſa erga eas oſtendat ſe familiarem.

De quibus cauendum Sororibus.

ius

ius ſæculi, detractione & murmuratione, diſſenſione & diuiſione. Sint verò ſollicitæ ſemper ad inuicem ſeruare mutuæ dilectionis vnitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Et neſcientes litteras, non curent litteras diſcere, ſed attendant quòd ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem, orare ſemper ad eum puro corde, & habere humilitatem, & patientiam in tribulatione & in infirmitate, & diligere eos qui nos reprehendunt & arguunt; quia dicit Dominus: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum; qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Ad Coloſſ. 3. v. 14.

Matth. 5. v. 10.

Ibidem c. 10. v. 22

CAPIT. XI.

De Oſtiaria.

Leges Oſtiariæ.

OSTIARIA ſit matura moribus, & diſcreta, ſitque conuenientis ætatis, quæ ibidem in cella aperta ſine oſtio in die reſideat. Sit ei & aliqua ſocia idonea aſſignata, quæ, cùm neceſſe fuerit, vicem eius in omnibus exequatur. Sit autem oſtium duabus ſeris, & diuerſis ferreis valuis & vectibus optimè coniunctum, & in nocte maximè duabus clauibus obſeretur, quarum vnam habeat Portaria, aliamque Abbatiſſa. In die ſine cuſtodia minimè dimittatur, & vna claue firmiter obſeretur. Caueant autem ſtudioſiſſimè, & procurent ne vnquam oſtium ſit apertum, vbi minùs fieri poterit congruentèr. Nec omnino aperiatur alicui intrare volenti, [39] niſi conceſſum fuerit à ſummo Pontifice, vel à Domino Cardinali. Nec ante ſolis ortum Monaſterium ingredi liceat, nec poſt ſolis occaſum Sorores intus aliquem remanere permittant, niſi exigente manifeſta rationabili & ineuitabili cauſa. Si [40] pro benedictione Abbatiſſæ, vel pro aliqua in Monialem conſecranda, vel alio etiam modo conceſſum fuerit

Qui intra Monaſteriũ admittendi.

Epiſco-

Epiſcopo alicui Miſſam interiùs celebrare, quàm paucioribus & honeſtioribus poterit, ſit contentus ſociis & miniſtris. Cùm autem intra Monaſterium, ad opus faciendum, neceſſe fuerit aliquos introire, ſtatuat tunc Abbatiſſa ſollicitè perſonam conuenientem ad portam, quatenus illis, & non aliis, ad opus deputatis aperiat. Caueant ſtudioſè omnes Sorores [41] ne tunc ab ingredientibus videantur.

CAPIT. XII.

De viſitatione.

VISITATOR Sororum ſemper ſit de Ordine Fratrum Minorum [42] ſecundùm voluntatem & mandatum Domini Cardinalis. Et ſit talis, de cuius honeſtate & moribus plena notitia habeatur. Cuius officium erit, tam in capite quàm in membris corrigere exceſſus commiſſos contra formam profeſſionis. Qui ſtans in publico loco, vt videri ab aliis poſſit, cum pluribus & ſingulis loqui liceat, quæ ad officium viſitationis pertinent, ſecundùm quod meliùs viderint expedire. Cappellanum etiam cum vno ſocio Clerico bonæ famæ, diſcretionis prouidæ, & duos Fratres laicos ſanctæ conuerſationis & honeſtatis amatores, in ſubſidium paupertatis, ſicut hactenus ab Ordine Minorum miſericorditer habuerunt, [43] ab eodem Ordine poſtulent. Nec liceat Cappellano ſine ſocio Monaſterium ingredi. Et intrantes in loco ſint publico, vt ſe poſſit alterutrum, & ab aliis intueri.

Leges viſitatoris & Cappellani.

Pro Confeſſione infirmarum quæ ad Locutorium ire non poſſunt, pro communicandis eiſdem, & pro extrema Vnctione, & pro animæ recommendatione, liceat eiſdem introire. Pro exequiis verò, & Miſſarum ſolemniis defunctarum, vel ad fodiendam vel aperiendam ſepulturam, ſeu etiam coaptandam, poſſint ſufficientes idoneæ perſo-

næ Abbatiſſæ prouidentia introire. Ad hæc Sorores teneantur ſemper habere illum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus pro Gubernatore, Protectore, & Correctore, qui fuerit à Domino Papa Fratribus Minoribus deputatus, vt ſemper ſubditæ & ſubiectæ pedibus eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eius ſanctiſſimæ Matris, in perpetuum obſeruemus.

In Protectorem ſumendus Cardinalis.

ADNOTATIONES IN REGVLAM PAVPERVM DOMINARVM.

1. INDIGNA ANCILLA CHRISTI, &c.] Hæc tria verba appoſuiſſe B. virginem Claram pro ſua humilitate, reputo, præſertim cùm ea in quibuſdam originalibus antiquis non inuenerim, nec Regulæ auctor Franciſcus in 2. Regula huic conſimili ſimilia adiecerit verba, ſed tantùm dixerit: *Frater Franciſcus promittit obedientiam*, &c. Virgo tamen Clara, quæ tanta fulſit ſanctitate, vt D. Bonau. eius coæuus de ea dixerit, *fuiſſe illam Virginem deo chariſſimam, florem vernantem, candidum odorem ſpirantem, & ſtellam præfulgidã radiantem*, ita humiliter de ſe ſentit, vt nec ancillæ Dei nomen ſe mereri putauerit: quod Sanctorum proprium eſſe docuit Gregorius; *qui quò apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eò ſubtiliùs indignos ſe eſſe deprehendunt: quia dum proximis luci fiunt, quidquid eos in ſeipſis latebat, inueniunt: & tantò magis foris ſibi deformes apparent, quantò minùs pulchrum eſt quod intus videtur. Et illa quæ leuia paulò antè crediderant, mox vt grauia ac mortifera perhorreſcunt.* Vide eumdem lib. 9. Moral. cap. 2.

Bonau. cap. 5. Legend.

Gregor. lib. 32. Mor. c. 1.

2. INNOCENTIO.] Quarto ſcilicet, qui Cæleſtino etiam Quarto ſucceſſit, & (vt in Argumento diximus) hanc Regulam confirmauit. Quidam Codices in Bulla confirmationis mendosè habent *Innocentio* III. Conſuetudinis verò tunc erat, eidem ipſi Pontifici, qui Regulam confirmabat, in eadē obedientiam promittere, vt videre eſt in 1. & 2. Regula Fratrum Minorum, cap. 1.

3. IN PRINCIPIO CONVERSIONIS SVÆ.] Hinc colligo B. Virginem B. Patri obedientiam promiſiſſe ſtatim in initio ſuæ conuerſionis verbo tenus, quo modo tunc etiam idem ſollicitus Pater nouæ ſuæ diſcipulæ normam quamdam viuendi, & præcepta aliqua præſcripſit, quæ etiam quibuſdam adiunctis poſteà tradidit ſcripta. Quod nobis inſinuat Cardinalis Oſtiēſis Epiſcopus Reynald. poſteà dictus Alex. IV. in Pontificatu, in principio confirmationis eiuſdem Regulæ, dicens: *Forma viuendi, quam B. Franciſcus verbo & ſcripto tradidit. Verbo* ſcilicet, quando B. Claram ſub ſua tutela cum aliis paucis Virginibus ſuſcepit;

Firmam. trium Ordin. part. 5. in princ.

pit; *ſcripto*, quando eiſdem & ſociis hanc ſcripſit Regulam.

4. Ad Sorores.] Firmam. alij & quamplurimi Codices habent *ad vos*, & cetera huius Capituli ita proſequuntur, quaſi B. Clara ad ſuas loquatur diſcipulas: nobis tamen placuit cum vetuſtis quibuſdam Codicibus M. SS. ita legere ſicut tranſcripſimus, quaſi Legiſlator Sorores alloquatur conſimili modo, quo ſuperiori Regula Fratres Minores.

5. Habita licentia Domini Cardinalis.] Tunc quando præſcripta aut confirmata eſt Regula, Cardinalis expoſtulari & ſolebat & expediebat licentiam, tum quòd omnes Sanctimoniales ſubiiciebantur Cardinali Protectori; (an verò mediatè vel immediatè, modò non diſputo) tum quia faciliter ad eum recurrere poterant pro eadem licentia obtinenda, propterea quòd prope Romam & Peruſium, vbi habitabant tunc Pontifices, initium accepit hæc ſacra Religio. Modò verò rationabilibus de cauſis non à Cardinale, ſed à Miniſtro Generali, Prouinciali, Commiſſario, aut alio quouis Prælato Superiori Religionis, hæc petenda eſt licentia, vt in ſuis admonuit Conſtitutionibus c. 2. grauiſſimus & doctiſſimus Pater Gulielmus de Caſſali, totius quondam Generalis Miniſter, quas videre eſt apud Firm. part. 4.

6. Ætate etiam longæva, vel infirmitate aliqva, sev fatvitate.] Longæuæ etenim, infirmæ, & fatuæ magno ſunt oneri Monaſterio, nec ſuas adiuuant Sorores, ſed potiùs onerant & fatigant. Quòd ſi aliquando cum longæuis aut infirmis propter generis nobilitatem, aut populi ædificationem, diſſimulandum aut diſpenſandū ſit; cum fatuis nequaquam: nec enim Deus, cùm omnium peteret & acceptaret animalium primogenita, aſini aliquando voluit ſibi pullum aut fetū offerri, ſed vel redimi vel mutari alio curauit & iuſſit animali. Non enim peſſimum genus hominum, ſtolidos aut fatuos, qui per ſtupidiſſimum animal aſinum deſignantur, in domum ſuam introduci aut admitti ei placuit aliquando: nec immeritò, cùm, vt Eccleſiaſticus habet, *arenam, & ſalem, & maſſam ferri faciliùs ſit ferre quàm hominem imprudentem & fatuum.* Quid, quæſo, ſi mulier ſit, cuius fatuitas grauior & abiectior? *Quid muliere ſtulta,* ait Cicero, *miſerius, aut intolerabilius dicere poſſumus?*

Exod. 13. v. 13. & c. 34. v. 20

Eccli. 22. v. 18.

Cic. lib. 1. De nat. deorum cap. 19.

7. Capillis tonsis.] Per capillos, corporis ſuperflua intelligi docet Auguſtinus tract. 50. in Ioan. Benè ergo capillos tondere iubet Franciſcus in Virginibus Deo conſecrandis, vt intelligant quæcumque temporalia & ſuperfluas mundi diuitias omnino eſſe dimittenda, vt pauperem ſponſum liberiùs imitentur, & æquiùs amplectantur. Æquæ ſortis eſſe decet ſponſum & ſponſam; in quibus & amorem mutua conciliat æqualitas, & dilectionem minuit quæcumque imparilitas. Aliam huius religioſæ cærimoniæ rationem affert Santes Pagninus lib. 1. ſuæ Iſagogæ cap. 27. ex Magno Gregor. lib. 2. Moral. c. 26. & 38. in illa verba Iob, *Et tonſo capite corruens in terram,* &c. vbi ait: *Capillos tondere, eſt cogitationes ſuperfluas & defluentes, a mente reſecare.* Quod etiam docent Origenes Homil. 8. in Leuit. Ambroſius l. de Spi-

Spiritu ſancto, in Prologo, & alij. Capillos ergo tondeat, & mentem à vanis purget cogitationibus, quæ ſe Deo præparat virgo. Ad Cœnobij valuas ſæcularibus valedicat affectibus, vt nihil intra eaſdem præter Christum valeat cogitare. Alia huius tonſionis myſteria videre poteris apud D. Thom. in 4. diſt. 24. quæſt. 2. quam Monachis & Clericis eſſe communem ſtatuit Ius Canonicum, cap. Clericus. vbi conſulenda Gloſſa de Vita & honeſt. Clericorum, & c. Si quis, eodem tit. & Clement. Attendentes. de Statu Monach.

8. TRES TVNICAS.] Duas Fratribus Minoribus, tres verò Sanctimonialibus noſter concedit Legiſlator, muliebri plus indulgens infirmitati, & pro ſua pietate Virginum condeſcendens debilitati; quas eiuſdem figuræ & formæ cum eis quas portant Minores, totum circumplectentes integrè corpus, & non ad modum mulierum ſæcularium in partes ſuperiores & inferiores, thoracem & fimbrias diuiſas, debent portare. Exterior eſt ipſe habitus, cinereum referens colorem, interiorum nulla debet eſſe linea. Videndus Caſſal. citatus.

9. VELETVR.] Plurima & varia fit mentio velorum Sanctimonialium, Virginum, Viduarum, & continentium in Iure Canonico per multa capita: quorum diſcordiam circa eum qui prædictas velare poſſit, conciliat Gloſſa in cap. Velamen. 20. quæſt. 1. quam refert, & dubium vlteriùs tractat Silueſter verbo Conſecratio Virginum, n. 1. quem ſequitur Palud. in 4. diſt. 38. Inter has primæ Regulæ Clariſſarum Sorores receptum eſt, vt ab ipſis Abbatiſſis, (circa quas maximè fuit dubitatio inter Iuriſperitos) quæ profitentur, poſſint velari, iuxta doctiſſimum Caſſalium citatum.

10. MANTELA.] Ita legendum cenſeo; per quæ intelligere puto Legiſlatorem cincticulum, ſeu mantelia, vel mantilia, quæ talia vocantur, compoſita dictione à manu & tela, quæ linteolum ſignificat quo manus tergere ſolemus, quæque præ ſe, vel à parte anteriori communiter cingunt feminæ, cùm aliquid quod veſtimenta conſpurcare poſsit peragunt, vt & ipſa verba Regulæ innuere videntur. *Poſſint*, inquit Legiſlator, *Sorores mantela habere pro alleuiatione & honeſtate ſeruitij & laboris.* Et ita diſtinguenda ſunt hæc mantela à mantello, quod Fratres propter frigus portant, & ſuperiùs iam antè cum tribus tunicis Sororibus conceſſum fuit.

11. IVVENCVLÆ.] Laudabilis erat illa ætate, & à principio naſcentis Eccleſiæ deducta conſuetudo, virgines & puellas in tenella ætate Deo conſecrandi, vt colligere eſt ex Tertulliano lib. de Veland. virgin. Clem. Alex. illis ſuis de Pædag. libris; Chryſoſt. contra Vituperat. vitæ Monaſt. & Hieron. ad Lætam de inſtit. Paulæ. cui inter cetera hæc exarauit: *Poſtquam ablactaueris eam cum Iſaac, & veſtieris cum Samuele, redde pretioſiſſimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Ieſu vagientis impone: nutriatur in Monaſterio, ſit inter Virginum choros, iurare non diſcat, mentiri ſacrilegium putet, neſciat ſæculum, viuat Angelicè, ſit in carne ſine carne.* Iuuenculas has ita Deo conſeruandas longè anteà vaticinatus eſt Regius Pſaltes, dum dixit:

Pſal. 44. v. 17. dixit: *Adducentur regi virgines.* vbi alij legunt *adoleſcentulæ.* in quem locũ Bernardus: *Virgines dico illas, quæ ante Chriſto fœderatæ quàm fœdatæ mundi amplexibus, ipſi firmiter perſeuerãt; cui ſe tantò faciliùs, quantò maturiùs deuouerunt.* Neſcierunt enim blandimenta carnis, non mundi guſtarunt oblectamenta, quæ ad Deum accedentes poſſint retardare; ſed ſolùm quæ ſpiritus ſunt ſapientes, cum Chriſto ſpiritualiter deſponſatæ, ad fluenta gratiarum & donorum cæleſtium *plantatæ in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri florebunt; & adhuc multiplicabuntur in ſenecta vberi.* Quod mirum non eſt: nam, vt benè Theodoretus, *agricolam habent Deum, viridarium verò diuinum templum.* Plantentur ergo maturè iuuenculæ in hoc viridario, vt veluti iucundiſſimi flores odorem virtutum ſpirent ſuauiſsimum, & tamquam fructiferæ arbores fructus producant bonorum operum. Maturè ſæculum fugiant, vt potiùs ſæculum neſciuiſſe quàm reliquiſſe dicantur.

Bernar. Serm. 14. in Cant.

Pſal. 91. v. 14.

Theod. in Pſal. 91

12. DE DISCRETIORIBVS TOTIVS MONASTERII.] Nihil Prælatis magis curandum, aut Religionibus magis deſiderandum, quàm religioſi, graues, modeſti, diſcreti, & virtute referti Magiſtri, aut inter Sanctimoniales Magiſtræ; ex his enim totius Religionis aut bonum pendet, aut damnũ imminet. Quales Magiſtræ, tales diſcipulæ. Præceptoris moribus & doctrina imbuitur adoleſcens; ſuam in illum vel virtutem transfert, vel vitium transfundit. Leproſæ Magiſtræ leproſas procreant diſcipulas, & ita breuì totum Monaſterium leproſum euadet. *Malæ Magiſtræ, malè docuerint neceſſe eſt.* Per Magiſtrorum, & docentium, aut pædagogorum incuriam, ſocordiam, diſſolutionem, aut inſcitiam, de optimis Religionibus multoties actum eſt. Iſaias conſiderans, vel ponderaturus Hebrææ Reipub. ruinam, *Vbi eſt,* inquit, *legis verba ponderans? vbi doctor paruulorum?* Quaſi dicat: De Republica Hebræa actum eſt, quia boni iuuentutis Doctores inſtructoreſque numquam apparent. Pro *doctore paruulorum* eſt in Hebræo, *numerator turrium*, quaſi paruuli ab infantia benè edocti turres ſint, & tot Reipublicæ defendendæ turres erigantur, quot paruuli bonis moribus inſtruuntur. Benè educati adoleſcentes, Religionum ſunt propugnacula; malè edocti, expugnacula & interitus. Huic ergo damno, in ipſo fonte, in Magiſtrorum prouideatur doctrina. Vide Anton. Gueuar. optimè de his diſſerentem 1. Part. ſui Oratorij Relig. cap. 7 & Baſil. in Regulis largioribus, interrog. & reſponſ. 43.

Tertull. lib. de Hab mul. cap. 2.

Iſai. 33. v. 18.

Verſio Hebr.

13. NVLLA CVM SORORIBVS RESIDENTIAM FACIAT.] Conuiuere Sororibus prohibet ſæculares quocumque prætextu, niſi Religionis voto acceſſerint. Secreto certè beatus Pater cauit periculo: nam, vt ait Hieron. de educatione Pacatulæ infantulæ, *quantò licentiùs puellæ ſæculares ſacras adeunt virgines, tantò difficiliùs euitantur; & quod didicerunt in ſæculo, docent ſecretò, incluſamque Danaem vulgi ſermonibus violant. Sit ergo ei Magiſtra comes, ſit Pædagoga cuſtos.* Eademq; de cauſa Paulæ, Lætæ filiæ, colloquia interdixit ſæcularium, & malarum virginum contubernia. Hæ etenim ſunt illæ Idumææ, Sidoniæ,

Hieron. Epiſt ad Gaud. poſt med.

Idem Epiſt. ad Lætam ante finem.

niæ, & Hethææ, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: *De illis non ingredientur ad veſtras, certiſſimè etenim auertent corda veſtrarum* Sanctimonialium à caſtiſſimo ſuo Sponſo ad ſpurcitias ſæculi, à ſpiritualibus & honeſtis Religionis deliciis, ad inanes & adulatrices mundi vanitates. Gaudia enim Virginum Deo ſacratarum, & ſæcularium, non ſunt eadem: illæ mundana, hæ ſpiritualia ſectantur. *Aliis*, inquit Auguſtinus, *alia ſunt; ſed nullis talia, qualia ſunt Virginum ſanctarum*, quæ ſoli Deo patent. Ne ergo ſæculares vanitates & noua ſæculi referant in Monaſterio, idem illis omnino præcludi voluit; ſicut & viris ſæcularibus aditum omnino interdici voluit in Conuentum B. Mariæ Angelorum, vt videre licet Tom. 3. Collat. 28. Vt quid (oro) Religioſis cum ſæculi vanitatibus, quæ vt eas fugerent, Monaſteriis ſe incluſerunt? *Hinc ille*, ait Ambroſius, *murali ſeptus ſpiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam.* Quæ aquilas fugerunt, non admittant accipitres; præſertim cùm & aliud hinc oriatur malum, vt cùm hæ puellæ aut mulieres ad ſæculum redierint, facilè, ſi quid viderunt in Sororibus minùs laude dignum aut defectuoſum, aliis denuntient, & ita apud exteros bonus Sororum odor depereat. Lilium eſt inter ſpinas, Virgo inter ſæculares: caueat ſibi de ſpinis. *Nec enim vel leuiſſimam ſpinæ ſuſtinet vlla tenus punctionem floris teneritudo, ſed mox vt modicè premitur, perforatur.* Aut per ſæculares virtus in virginibus premitur, aut fama poſteà in eiſdem perforatur. Nullas recipiant ad reſidentiam, ſi ſibi velint conſulere. Hoc tamen dicimus & intelligendum volumus de iis Sanctimonialibus, quibus per ſpeciale præceptum ita cauetur, non de omnibus: nec enim latet nos, ſanctiſſimè per Conc. Trident. Seſſ. 25. c. 5. iuxta ſacræ Cardinalium Congregationis explicationem Epiſcopis facultatem eſſe commiſſam, vt in Monaſteriis vel Religionibus, quibus hoc non interdicitur ſub ſpeciali præcepto vel ſtatuto, licentiam tribuant puellis ſæcularibus in caſibus neceſſariis commorandi, aut reſidendi; de quo videndus Nauarr. in cap. Statuimus. n. 66. & Miran. Tomo 1. Manual. quæſt. 52. art. 6.

[3. Reg. 11 v. 2.] [Auguſt. lib. de Bono viduitat. cap. 17. Tom. 4.] [Ambroſ. lib. 1. de Virg. ad Marcellam Sororem Tom. 4.] [Bernard. Serm. 48. in Cant.]

14. PVERI IESV PAVPERCVLIS PANNIS INVOLVTI.] Amor æquales facit: quòd ſi Veſtalis virgo puerum amat Ieſum, paupertatem ad eius amabit exemplum; nec veſtes abhorrebit viles, ſi pauperculos in Chriſto panniculos potiùs honori habuerit, quàm contemptui. Pauper Ieſus, pauperes quærit amicas & ſponſas. *Quod ſi ipſum ſequi, temporale aliquid appetens ſeu deſiderans fortè volueris, onerata grauedine nudum ſequi non poteris.* Ille propter te è ſummo venit cælorum; vt fugientem comprehendere valeret, omnibus ſe exonerauit, ab omnibus ſe abſtinuit, præparauit ſe ad currendam viam tui illectus amore: & tu vt illum vides coràm poſitum, depauperatum, vilibus contectum, byſſinis & pretioſis te ornas veſtimentis? heu quàm iniqua ſors! *Verè magna abuſio & magna nimis, vt diues eſſe velit vermiculus vilis, propter quem Dominus maieſtatis voluit pauper fieri.* Qui te exoneratus in terra inſecutus fuit, modò in cælum diues reuertitur; expedita, & vili contecta tegmine currentem ſequere,

[Hieron. in Reg. Monach. cap. 3. Tom. 9.] [Bernar. Serm. 3. de Reſurrect.]

quere, vt & cum diuite diues euadas, quæ propter pauperem pauper exultabas. Vide Bonau. Opuſc. de Perfectione vitæ ad Sor. cap. 5. Tomo 7. part. 4.

15. SECVNDVM CONSVETVDINEM FRATRVM MINORVM.] Non alia eſt Fratrum Minorum conſuetudo in diuino Officio recitando quàm Romana, præterquam quòd aliquorum trium à B. Franciſco inſtitutorum Ordinum Feſta Sanctorum ſibi propria ſolemniter venerentur & celebrent. Vide primam Regulam cap. 3. & Adnot. in eamdem, num. 15.

16. QVACVMQVE DIE VENERIT, &c.] Bis refici permittit Sororibus die Veneris, occurrente in eodem ſolemnitate Natalis Domini: non tamen, vt declarauit Caſſal. c. 5. Conſtitutionum, quas pro eiſdem Sororibus fecit, hinc inferendum eſt, illis licere illo die carnibus veſci, quæ nec aliis quibuſcumque diebus illas manducant. Sed inter pleroſq; controuerſum fuit, ſi non ex hoc capite, an ſaltem ex alio, ex eo ſcilicet, quòd ex conceſſione Honorij III. lib. 3. Decret. tit. 46. c. Explicari, communis ſit vſus tam ſæcularium quàm Religioſorum, illo die carnes comedere, hoc & huius Regulæ ſectatricibus, nec non & Fratribus Minoribus liceat, quantumuis vtrique per ſpecialia Regulæ præcepta ad cuiuſcumque ſextæ Feriæ per annū teneantur ieiunium. Quoſdam fateor ex noſtris arbitratos licere, ductos non leui pondere auctoritatum; D. Epiph. dicentis, *In die Epiphaniorum, id eſt, apparitionis, & Aduentus, quando natus eſt in carne Dominus, ieiunare non licet, etiam ſi contingat vt ſit quarta, aut proſabbatum.* & Leonis Magni, Priſcillianiſtas illo die ſe ieiunio macerantes improbantis, hiſq; verbis rationem aſſignantis: *Vt per omnia ſint à noſtræ fidei vnitate diſcordes, & dies qui à nobis in lætitia habetur, ab illis in afflictione ducatur.* Nec parum horum confirmauit ſententiam Honorij citati indulgentia, & quod de beato Patre Franciſco Barth. Piſanus exarauit, quòd cùm hæc ipſa quæſtio inter Fratres agitaretur, & B. Moricus Franciſci diſcipulus ieiunandū diceret, reſpondet B. Pater: *Peccas Frater Moricce, diem Veneris vocans, diem quo natus eſt puer Ieſus. Volo,* inquit, *quòd & parietes tali die comedant carnes, ſi fieri poteſt, vel deforis liniantur.* Quibus innixi non pauci ieiunium relaxarunt, & in aliquibus Cœnobiis inoleuit mos, iſthoc tali die à carnibus non abſtinere. Quorum nequaquā laudarim conſuetudinem, quos omnino credo ad ieiunandum adſtringi. Fateor, ſæcularibus aliiſque indulgendum propter Eccleſiæ conſuetudinem, ſanctorum quorumdam Patrum dictis, & Pontificum indultis non leuiter innixam. Mores Eccleſiæ laudo, hæreticorum palliatas pietates execror; Religioſorum abſtinentias voto firmatas veneror & extollo, quibus maioris meriti occaſionem ſancti noluerunt Patres aut Pontifices ſubtrahere, vt ex ipſo illius Honorij textu, & loco citato videbis: ait enim hoc ipſum dubium proponenti: *Reſpondemus, quòd illi, qui nec voto nec regulari obſeruantia ſunt adſtricti, in ſexta Feria, ſi feſtum Natiuitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiā veſci poſſunt, ſecundùm*

An liceat Minoribus vel Clariſſis carnibus veſci Feria ſexta incidenti Natali Domini.

Epiph. Panario contra hæret. in fine.

Leo Epiſt. 93. cap. 4.

Piſan. lib. 1. Confor. Fruct. 8.

dùm

dùm conſuetudinem Eccleſiæ Generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob deuotionem voluerint abſtinere. Quo loco ita ieiunium relaxat, vt nec ſæculares ob deuotionem ieiunio indulgentes reprehendat, nec Religioſos voto de Feriæ ſextæ ieiunio adſtrictos ab eodem diſpenſet. Vide, quæſo, totũ caput fin. de Obſeru. ieiunij. Quod verò ex Piſano de B. P. noſtro Franciſco adducitur, non vrget, cùm hoc euenerit ante Regulæ confirmationẽ, in qua nullius diei Veneris exceptionem adiecit; poſt quam omnes eius Socij & primæui Patres noſtri hoc die ieiunarunt, à quibus ad nos deſcendit iſta conſuetudo. At ſi hoc die ieiunandum vel abſtinendum eſſe non vellet, eum exciperet, & à communi lege ſextæ Feriæ liberaret, vt & fecit in Regula Tertiariorum, c. 5. quos ad morem aliorũ ſæcularium voluit illo die omni iubilo & corporis etiam refocillatione tantam celebrare Natiuitatem; quod nequaquam Religioſis indulſit, cùm in neutra Regula hunc diẽ exceperit. Nec excipiendum voluiſſe crediderim, cùm non conuiuiis carnalibus, ſed ſpiritualibus gaudiis, & interiori lætitia, à Religioſis viris & feminis Chriſti Domini, Matris, ac Sanctorum eius feſtiuitates celebrandas eſſe voluerit, vt mihi ſatis conſtat ex Oraculo 8. ipſius, quod Tomo 3. inuenies, vbi ait, *feſtiuitates Domini, & aliorum Sanctorum, magis honorari inopia & paupertate, per quam ipſi cælos ingreſſi ſunt.* Imò & Fratres reprehendit, quòd ipſa Natiuitatis ſolemnitate, de qua nobis modò eſt ſermo, ſolito lautiùs voluerint ad aduentum cuiuſdam Miniſtri Prouincialis epulari, dicens: *In die pauperis Chriſti à paupertate deuiatis: mementote quòd hodie beata Maria Virgo vix habuit panem ad manducandum, & mundi Dominus pro incunabulis animalium habuit præſepe: pauperem Matrem imitamini, vagientis Infantuli recordamini.* Quare indubitanter cenſere cogor, nullatenus poſſe ſacras B. Claræ Moniales huius Regulæ obſeruatrices in iſthoc die carnibus veſci, licet bis refici eiſdem liceat; nec Fratres Minores carnes edere, aut ieiunij tranſgredi formam. Hoc me priores ſenſerunt Eman. Roder. in ſua Sum. Tom. 1. & Tom. 3. qq. Reg. quæſt. 45. art. 3. Manuale Minorum, & alij. Vide Decretal. lib. 3. tit. 46. de Obſeru. ieiunij, cap. 3. Franc. Suarez Tom. 1. de Relig. l. 4. de Obligatione voti, c. vltimo, n. 5. & alios ab eodem ibi citatos. Satis in noſtram inclinat ſententiam Panormit. ad cap. vlt. de Obſeru. ieiun. & Gloſſa ibidem.

Franc. Tom. 3. Apopht. cap. 45.

17. Sex vicibvs commvnicent.] Has ſex, quas nos commemoramus, expreſſit Franciſcus; aliam verò adiecit Innocentius IV. ad inſtantiam ipſius B. Claræ, videlicet in feſto eiuſdem B. Patris, & Religionis fundatoris; vnde & illæ legunt *ſeptem vicibus*, ad alias hanc adiicientes.

18. Nisi primo profiteatvr.] Semper in Religionibus cautum eſt, vt Superiores ex eiuſdem Inſtituti Profeſſoribus aſſumantur: nec abs re certè; quippe ex Publij Mimographi ſententia *æquum eſt vt quam quiſque tulit legem ferat.* aliter namque tepidè & cum rubore aliis Prælatus præcipiet, quod ipſe obſeruare nolit. Quomodo Regulæ præceptorum, abſtinentiæ, aut religioſæ auſteri-

ſteritatis erit zeloſus exactor, qui earumdem fuerit publicus tranſgreſſor? Subditos ad hæc obſeruanda compellet, ſi ea ipſe voto firmauerit, & opere compleuerit. Monſtroſam illam iudico Rempubl. in qua alterius ſit generis aut profeſsionis Prælatus à ſubditis. Suæ relaxationis aut delitiarum humores influet caput in membra; & quem ſubditi in ſuis non habent inſtitutis conſortem, illum citò ſentient perditionis & tranſgreſſionis magiſtrum. Vnde à noſtro Legiſlatore quàm prudenter cautum eſt in ſecunda Regula c. 8. *quòd vniuerſi Fratres vnum de Fratribus illius Religionis teneantur ſemper habere Generalem Miniſtrum, & Seruũ totius Fraternitatis.* Quod etiam tamquam indubitatum ſupponit cap. 4. Reg. 1. imò ſancta illa, & ſatis docta, numquam ſatis laudata Statuta generalia Barchinonenſia vlteriùs præcipiunt, quòd non ſolùm de Fratribus Prælati aſſumerentur, ſed etiam de iis, qui ætate, vita, moribus, vera D. Frãciſci Regulæ obſeruatione, in victu & veſtitu cum ceteris conformitate, præ omnibus clareſcerent. Quod poſteà reualidatum eſt in Conſtitutionibus Toletanis ad an. 1606. Idemque de Abbatiſſis & Superioribus Monacharũ quàm ſæpiſsimè ſancitũ fuit.

Barchin. c. 7. §. 2.

Toletana §. pænult.

19. ET MATREM ELIGERE.] Matres namque debent eſſe Abbatiſſæ, & materno affectu ſibi commendatas gubernare: nutrices tantarum ſe putent Sororũ, & non dominas ſubditarum: potiùs porrigant vbera, quàm minentur verbera. Matrem tenerrimo affectu diſtentis vberibus ſponſa illa cæleſtis ſe exhibuit ſocijs virginibus, & ſequacibus, dum illæ omnino hilares, lætabundæ, & alacres aſſerunt ſatis ſe eſſe *memores vberum* illius, quibus eas lactabat. In quem locum Bernardus, *Audiant*, inquit, *hoc Prælati, qui ſibi commiſsis ſemper volunt eſſe formidini, vtilitati rarò: diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos; ſtudete magis amori, quàm metui: & ſi interdũ ſeueritate opus eſt, paterna ſit non tyrannica. Matres fouendo, patres corripiendo vos exhibeatis; manſueſcite, deponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite vbera.* Matres vos oſtendite amplectendo, fouendo, ſubueniendo oppreſsis, compatiendo miſeris; *imbecilles Monachas vos Matres non vtero, ſed animo ſuſcipite.* Nihil quo indigeat ſubdita aut inferior, in vobis deſit; filias ſe exhibebunt Sorores, ſi vos Abbatiſſas experiantur genitrices. Vide Chryſoſt. lib. 5. de Sacerd. & Aug. citatum.

Cant. 1. v. 4.

Bern. Ser 23. in Cant.

Aug. Epiſt. 109. Tom. 2.

20. QVALE ONVS IN SE SVSCEPERIT.] Quod alij pro honore reputant, S. Pater oneris inſigniendũ iudicat nomine: qui enim honorem accipit, oneri ſuccumbit. Quod ſatis intellexiſſe mihi videtur Centurio Euangelicus, dum ſe non ſupra poteſtatem, aut in poteſtate, ſed *ſub poteſtate conſtitutum* dicat. nam ad Bedæ mentem, eam non ambitioſè gerebat, aut dignitate ad vanitatem vtebatur, vnde ſub ea tamquam ſub onere ſe conſiderabat. Eamdem ipſam conſiderationem Prælatis Generalibus faciendam, ſollicitè rogat ipſe Franciſcus Tomo 3. Collat. 26. dicens: *Officium prælationis, ſemper putent & ſentiant ſibi fore potiùs oneri quàm honori.* Placuit valdè quod in Eccleſia Domus noſtræ Aracæli ſtatuit inter cetera ornamenta S. P. Q. R. dignitatis

Matth. 8. v. 9.

Beda in c. 8. Matth.

Franc. Tom. 3. Coll. 26.

tatis

tatis ſymbolum, virginem videlicet ingentem rupis molem humeris geſtantem, & ſub onere veluti incuruatam & gementem. Quo veluti hieroglyphicis Ægyptiorum literis, inſupportabile dignitatis pondus voluit expreſſum. Conſule quæ ſuprà Tom. 1. adnotaui ad Epiſt.7.n.2 & 3.

21. MAGIS PRÆESSE VIRTVTIBVS.] Idem conſuluit Prælatis Collatione proximè citata, dicens: *Plus in moribus pietatis, ſimplicitatis, patientiæ, & humilitatis imaginem ferat: foueat virtutes in ſe & in aliis, atque in practicando eas continuè ſe exerceat, ad hac alios plus exemplo quàm ſermonibus incitando. Circa omnes* (Auguſt.cit.) *Præpoſita ſe ipſam bonorum operum præbeat exemplum.* Quæ enim aliter præeſt, non prodeſt, ſed obeſt; non ædificat, ſed deſtruit: Superior namque (teſte eodem Franciſco ibidem) *tamquam caput & exemplar conſtituitur ab omnibus imitandum.* Quid ergo nouitius miles, aut tenellus ſubditus in ſuo capite imitabitur virtute vacuo, ambitione pleno? Quid virtutis à virtutis ignaro docebitur? Quod viderit, imitabitur; & quod docetur, apprehendet. Præſit ergo virtutibus, qui ſibi creditos probis moribus decorare deſiderat. Aliam ſanctæ præfecturæ pro ipſo Præſule affert Chryſoſtomus rationem: *Illum*, inquit, *conuenit ſtudio acri, ac perpetua vitæ continentia, tamquam adamantinis armis circumſcriptum, quoquouerſus circumſpicere, necubi nudo quis aut neglecto loco deprehenſo letale inferat vulnus: circumſiſtunt enim ceteri parati vt vulnerent, & ſi liceat, ſupplantent; neque hi ex hoſtium atque aduerſariorum numero, ſed ex his qui ſe amicos eſſe adſimulant.* Virtute ſe ornet & circumcingat Prælatus, vt ſubditis conſulat, & ſibi prouideat. Quos probus Præſul poteſt amicos virtute exornare, hos ſine virtute ſentiet vt inimicos improbum ferire. Vide Apophth. 38.

Chryſo. lib. 3. de Sacerd.

22. EX AMORE OBEDIANT.] *Præpoſita tamquam matri obediatur* (ait alius ille magnus Legiſlator Auguſt. Epiſt. cit. ad finem) *honore ſeruato.* quod facilè (me ſponſore) fiet & iuſtè, ſi Abbatiſſa *non ſe exiſtimet poteſtate dominante, ſed charitate ſeruiente felicem* (Auguſt. ibidem; & infrà) *& à Monachis plus amari appetat quàm timeri.* Si Abbatiſſæ ſe matres non dominas exhibent, æquũ certè eſt vt Sorores illas ament, non timeant. Ad materni amoris menſuram, erit & filiarum obedientia: amore præcipiat Mater, amore obediet filia: Abbatiſſa Monacham non de filia in ancillam tranſire cogat timore, quæ ancillam in filiam mutare poteſt amore. Abbatiſſa ita religiosè *ab omnibus timeatur, vt etiam ab ipſis timentibus diligatur.* Franc. Tom.3. Coll.26.

23. NE DVM IN PARTE.] Hanc ipſam rationem ſub eiſdem verbis Prælatis Generalibus inculcat Tomo 3. Collat. 26. & tres ſequentes ibidem repetit periodos.

24. IN ECCLESIA, DORMITORIO, &c.] Hoc multoties in generalibus & prouincialibus mandatum eſt Conſtitutionibus, præcipuè in Barchinonenſ. cap.7. §. 2. & ſanctè certè, nec enim ſub delicato capite decent eſſe ſpinoſa membra. Quibus ſe membra pungunt abſtinentiæ, ieiunij, mortificationis, & ſtrictæ obſeruantiæ, ſentiat caput ſpinas:

nas: ſubditis ſe ieiunio macerantibus, non epuletur lautè Prælatus; duris cubantibus in lectis, ſericis non dormiat in culcitris; communem & regularem in menſa, veſtitu, choro, intus & foris agentibus vitam, laxam & delicatam non agat Superior in cella: non ſit diſſimilis conuerſatio, quorum non eſt diuerſa profeſſio. Laudanda certè illa Alphonſi Aragonum Regis inter eſurientes milites temperantia: cùm enim fugato Iacobi Caudolæ exercitu ſub dio pernoctare cogeretur; & Ioannes Eſernitanus Alphonſi ſtudioſus raphanum vnum in tam magna militum inopia, & panem vnum cum dimidio caſeolo miſiſſet, recuſauit; *non decere*, inquiens, *Imperatorem ieiuno exercitu manducare.* Quomodo Regulæ obſeruantiam ſubditis commendabit, qui eã contemnit? quomodo Religionis ſtatuta obſeruare faciet alios illorum tranſgreſſor? *Si enim* Prælati aut Prælatæ *hæc facere nolunt, non poterunt abſque ſui confuſione, præiudicio, & condemnatione alios admonere.* In cella particularem, aut mollem non ducat vitam, qui ad commune ſubditos cogere voluerit inſtitutum. Vide ſuprà num. 18. Baſil. in Reg. fuſiùs diſp. interrog. & reſponſ. 43. Hieronym. Epiſt. 24. de exitu Lætæ.

Panorm. lib. 3. de Geſtis Alphonſi.

Franciſc. Tom. 3. Oraculo 6.

25. Debent humiliter confiteri.] Vt ſe coram ceteris humilient, & errores detegantur, vt euitentur. Similiter ſtatuit qui auctor eſt Regulæ Monacharum apud Hieronym. Tom. 9. cap. 9. *Non pudeat*, inquit, *ſingulis hebdomadis de commiſſis contra præcepta & Regulam ſe proprio ore criminari, ac diſciplinam ſubire, quatenus ſtimulata mens cogitationis, ſtimulo accuſationis ac verborum caueat accuſanda pudendaq; committere.* Medicis detegenda ſunt vlcera vt apponant medicinam; quæ ſi taceantur, inueteraſcunt, & latiùs per ceteras Sorores latenter graſſantur. Ab huiuſmodi religioſa & meritoria Confeſſione, & voluntaria ſui ipſius accuſatione, nemo debet abhorrere, ſi ſecretis malis remedium velit inuenire. Nec eſt cur ob pudorem taceantur: *nam ad delinquendum expandit peccator frontem, ruborem ſubducit. non detur ergo rubori locus in pœnitendo, cùm plus inde detrimenti acquiratur. Periculum ſanè pudoris in hac re eſt oneroſum.* Imò pudori conſules, ſi coram tuis collegis confitearis. *Nam melius eſt coram vno*, vel pluribus, *aliquantulum pudoris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum graui paſſa repulſa notatim tabeſcere.* Quæ per cetera Monaſterij loca publicè commiſiſti, in Capitulo per veram & humilem tui abiectionem in te ipſa condemna: quos alibi leues perpetraſti defectus, hîc confitendo citiùs absterge. *Nec tamen propter hoc* (vt in Regula proximè citata cauetur) *occulta cogitamina cordium prodantur, nec occulta peccata, quæ ſolis debent Sacerdotibus confiteri, ſed ſolùm quæ præceptis obuiant publicis, & exempla peccandi Sororibus præbent.* Si quæ verò ſunt ſecreta crimina, & quæ vlteriori Sacramentali indigent diſcuſſione, ad Sacerdotem protinus accedere non prætermittas, in vtroque tribunali de peccatorum ſordibus triumphatura. Varias vide Confeſſionis vtilitates apud Ambroſ. lib. 7. in Lucam cap. 15. in illa verba, *Peccaui in cælum & coram te*, Tom. 3.

Tertull. lib. 1. de Pœnit. cap. 10.

Auguſt. de Viſit. infirm. cap. 1.

26. Minori revelat.] Conſilia

Math.11 v.25. lia namque ſua *abſcondit Deus à ſapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis*. Qui inter homines minores iudicantur, apud Deum maiores cenſentur: humiles in ſuos admittit Conſiliarios, *cum ſimplicibus* Prou. 3. v.32. *eſt ſermocinatio Dei*: faſtu tumentes à ſuis repellit ſecretis. Qui apud homines ſtulti ſunt, apud Deum ſapientiores redduntur, quibus magna & ſuperiora naturali hominum captu reuelat. Bonau. cap. 11. Legend. *Simplicibus & paruulis* (inquit Bonauentura) *ſua ſolet pandere myſteria Doctor excelſus, ſicut priùs apparuit in Dauid Prophetarum eximio, & pòſt in Apoſtolorum Principe Petro, & tandem in pauperculo Chriſti Franciſco. Hi enim cùm eſſent litterarum imperitia ſimplices, facti ſunt ſancti Spiritus eruditione illuſtres. Is quidem Paſtor vt gregē paſceret Synagogæ, de Aegypto eductum: iſte piſcator vt ſagenam repleret Eccleſiæ multiformitate credentium: hic autem negotiator, vt margaritam emeret Euangelicæ vitæ, venditis omnibus propter Chriſtum.* Qui ergo Dei voluntatem in faciendis ſcire deſiderat, huiuſmodi minores & humiliores conſulere non omittat. Idem etiam præſcribitur eiſdem Monialibus in ſecunda Regula, ab Vrbano IV. confecta, Rubr. 22.;

27. VTI CONSILIO TENEATVR, &c.] Ad pauciorem numerum redactæ ſunt hæ Diſcretæ; nec enim in omnibus Conuentibus totidem ſeniores inueniri facile eſt, quæ eligantur. Diſcretarum ideò nomen ſortiuntur, quia vel per longam experientiam regiminis, vel per probam vitam & ſanum ac maturum iudicium, dignæ iudicantur, quarum conſilium in officio Abbatiſſa requirat, & earum diſcretione, ſi qua grauiora in Monaſterio aguntur, ſaniùs dirigantur. Harum requirendum ait ſanctus Pater conſilium, iuxta illud: *Fili mi, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebit.* Eccli. 32. v.24 Et quò plures ſunt Conſiliarij, eò ſanius erit conſilium. *Salus*, inquit Sapiens, *vbi multa conſilia*, vel vt alij legunt, *Vbi non ſunt conſilia, populus corruet: & ſalus in multo conſultore.* Prou.11 v.14.

28. SILENTIVM TENEANT.] Satis ad mentem ſui Patris, quæ ille Sanctimonialibus præcipit, noſter pædagogus Bonauentura omnes docuit Fratres, dicens: *Quia diuina conſolatio ſæpè per multiloquium denegatur, toto tempore vitæ tuæ tene ſtrictum ſilentium in locis & temporibus opportunis, & ad hoc ordinatis.* Bonau. in Reg. Nouit. cap. 15. Tom.7. part.4. *Nam, teſte Scriptura, in ſilentio & in ſpe erit fortitudo noſtra;* Iſa.30. v.15. *& ſileas ſemper vbicumque fueris, in diuino Officio celebrando, in comedendo, in quolibet ſeruitio faciendo, & vbicumque fuerint multi Fratres; & etiam à Completorio quotidie vſque ad Tertiam non loquaris niſi interrogatus, vel aliqua neceſſitate vel vtilitate coactus.* Plures eiuſdem rationes, & ſanctorum Patrum confirmationes vide ibidem apud eumdem, & De perfectione vitæ ad Sorores cap. 4. Tom. 7. part. 4. & apud Iul. Nigron. in Regul. 26. Ieſuit.

29. QVOD NECESSE FVERIT INSINVARE.] Noluit pius Pater omnem præcludere viam neceſſitates prouidendi; ſed quod locutione prohibuit, nutibus fieri conceſſit. Quod in quibuſdam Religionibus ſatis receptum eſt, & multis anteà ſæculis à Sapiente præmonitū. Eccli. 32. v.11. *Fili,* inquit,

inquit, *loquere in tua cauſa vix, & cùm bis interrogatus fueris, reſponsũ habeat caput tuum:* inſinuando, vel nutibus ſignificando, vel quod interrogaris reſpondendo, vel illud quo indiges petendo.

30. HOC DE CRATE RARISSIME.] Illud ipſum de loquẽdo raro, etiam cum ſuis Prælatis, præcepit Sanctimonialibus Cõcilium Hiſpalen. II. ſub Siſebuto Rege ad an. Dom. 657. *Ita*, inquit, *vt rara ſit acceſſio, & breuis omnino locutio.* Et cum quoquam vel ſæcularis aut Religioſi ſtatus cauit Ius commune Canonicũ 2.q.2.c Peruenit. c. Diffinimus, &c. In nullo. Quæ ſe intra Monaſterij ſepta & ferreatum cratum cuſtodiam virgo concluſit, vt mundi fugeret inquinamenta; vt quid quotidie ad cratem redeat, ad Locutorium accedat, vt ſæculi audiat vanitates, turbulentos percipiat motus, hominis confabulantis familiaribus attrahatur illecebris? Tutiùs certè in ſua permanebit cuſtodia. *Periclitatur enim fama virginis crebra certè alicuius ſalutatione, periclitatur & conſcientia. Nam quantò ſæpiùs eumdem viderit vultum, vel vocem audierit, tantò expreſsiùs eius imago illius memoriæ imprimatur.* Ad impreſſam imaginem, caſtæ cogitationis ſequitur plerumque ruina. Caueat ergo caſta & clauſa virgo, ne propter inane cõſortium, non contemnendum ſubeat diſcrimen. Quòd ſi de ſua confidat conſtantia, & de ſuis ſecura virtutibus, cadere non timeat; timeat illius, quem quotidiana allicit conuerſatione, & blãda loquela inuitat, facillimam & Circæam penè ruinam. Nec enim de ſanctitate in hac parte fidendum, vbi periculum eò grauius & certius, quò ſecretius. *Crede mihi* (ait magnus ille Monachorũ Pater) *Epiſcopus ſum, veritatem loquor, in Chriſto non mentior. Cedros Libani, & grandes abietes ſub hac ſpecie corruiſſe vidi, de quibus non minùs præſumebam quam de Gregorio Nazianzeno, & Ambroſio. Fuge ergo*, addit, *laqueos mulieris, quia non es Dauide ſanctior, nec Samſone fortior, nec ſapientior Salamone.* Ad crates ergo & Locutorium raro Soror accedat, in ſecretis abditis cum ſuo ſponſo confabuletur, ne ſe mundana conuerſatione contaminet, vel confabulantes illius familiaritate aut illecebris criminosè tentari contingat.

Auctor l. de Vita eremit. ad Sor. c.10. in Append. To. 1. Aug.

Aug. relatus à Bonau. in Reg. Nouit. c.11. To 7. par. 4.

31. AD LOCVTORIVM VERO SEMPER PANNVS.] Vt ſi per cratem verbis patet aditus, per pannum licentioſus omnis prohibeatur intuitus. Cauendum ſollicitè Religioſis feminis, vt quam fugerunt mortem, paternis laribus valedicendo, mundum contemnendo, & ſe perpetuo carceri mancipando, in ipſa cuſtodia, in ipſa Religionis turri, rimulas quaſcumq; callidè circumeuntem, incautè non admittant; & quæ per portas nõ poteſt, non *intret mors per feneſtras.* Animæ feneſtræ, oculi; Monaſterij, Locutoria. Vtraſque tenuis panni valido præſidio vallare neceſſe eſt. *Circumducant vallum verecundiæ, murum ſexui ſuo ſtruant, qui nec illarũ emittat oculos, nec admittat alienos.* Tenellus flos virgo, in ictu oculi læditur. A baſiliſcorum cauete virgines oculis, in tuto poſitas vos enecant: lyncea ſunt amatoria ad vos aduentantium lumina, crates penetrant, per locutoria intrant, de carnis illecebris triumphantes, ſupplantant. O quàm timuit ſecretũ oculorum virus, ve-

Ierem. 9. v. 21.

Tertul. l. de Velan virg. c. 16

ſtra caſtiſſima mater:

Greg.IX. inHymno D.Claræ. *Clauditur velut tumulo,*
Nequam ſubducta ſæculo;
Patet in hoc ergaſtulo,
Solùm Dei ſpectaculo.

Sponſæ Dei; Deo vos oſtendite; aliorum in vos profanos ocellos, ſacræ non debetis virgines admittere. Veſter præueniendus eſt lapſus, iuuenculorum ſpectantium timenda ruina. Vide, virgo, ne, *et ſi ipſa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium & venenum videntibus te præbeas.* Extrue, quæſo, inter te & blandum inimicum, aut periculoſum amicum, murum pudicitiæ. In crate ſi deſit, in capite clypeum portas, velamen non tam geſtas ad decorem, quàm ad præſidium. Caſſidem circumduc faciei; non ad tergum, vbi non cõgreditur inimicus, proiicias. Vide quæſo tres inſignes Afros optimè de his diſſerentes, Tertullianum, eius diſcipulum Cyprianum citatos, Auguſtinum Epiſt. 109. Tom. 2. & Auctorẽ l. Vitæ eremit. apud eumdem in Appen. Tom. 1. c. 8. & 10. & Hieronymum Epiſt. 8. ac num. præcedentem.

Cypr. l. de Hab. Virg.

32. Abbatissa, &c.] In Monum. Ord. pluribus codicibus, & Regula quæ communiter circumfertur, inſertas reperies huic capiti duas illas Epiſtolas 4. & 5. quas libro primo collocauimus, & pro ſua humilitate, deuotione erga ſanctum Patrem, vel firmiori teſtimonio, aut maiori conſolatione ad paupertatem ſubleuandam, ſanctam virginem inſeruiſſe in argumentis docuimus: Codices tamen antiqui MSS. quos vidi, eo modo, quo totum caput hoc tranſcripſi, habent; licet non iſto, ſed illo intelligam à Pontificibus confirmatam, & à Sanctimonialibus conſeruari & circumferri.

33. Litteras mittere.] Omnes præcludit vias ſapientiſſimus & zeloſiſſimus de filiarum ſalute Pater, quibus inimicus homo aut dæmon ſupplantare poſſit eas, quæ laqueos ſæculi fugerunt. Neque hæc inter ceteras minùs mihi cauenda videtur, quæ quantò familiarior & facilior, tantò per eam ſecuriùs & certiùs ad victoriam tendit inimicus. Lenonibus, amatoribus inhoneſtis crates præcluduntur & valuæ: horum ad fores (ſi quæ eſt) fremit libido, limen non tranſgreditur; epiſtola domos penetrat, interiora rimatur, virginem vndique præcluſam, muris circumſeptam accedit, blandè inuadit, nihil tale timẽti ſe offert, animo quietam perturbat, ſanctis intentam cogitationibus mutat, amatoriis allicit verbis, ſuadet, perſuadet, vt cuius concupiſcentiæ non poteſt, ſaltem deſideriis ſatisfaciat. Hinc incipit pudoris ruina, vota votis correſpõdent, dum periculi ignara, ingratitudinis notâ nolit inuri. Gratias agit, gratam ſe eſſe reſcribit, mittit, recipit, frequentat litterulas; paulatim mundanus & inhoneſtus ſerpit amor, ſecretis arbitris, liberis his vtitur nuntiis: eunt, redeunt, priuatim colloquuntur, donec diuinum expellant, humanum gradatim introducant affectũ. Dehinc magnis turgent promiſſis, perpetuò fidelem ſpondent amicum, nec eius amori deeſſe velit, ſuo hortantur affectu; orant, & exorant vt omnia amici poſtponat deſideriis. Sequũtur deinde munuſcula, admittuntur donariola, quæ fragilem ac facilem animum vincunt femineum. Victa lenociniis, obſtricta munuſculis, pudo-

pudoris ac inhonoris reputat non ſtare promiſſis, amicitiam non rependere, & ſi quod ille iubet, non perficere. Redduntur munuſcula, retribuuntur & rependuntur accepta, ſudariola & faſciolæ donantur amanti, de hemunculi curat deliciis, ſolùm & ſemper *cogitat quomodo placeat viro.* (1. Cor. 7. v. 34.) *Diuiſa eſt* inter hominem & Deum, inter impudicum & ſanctum amorem. Imò (parce) non diuiſam hominis & Dei credo ſponſam, ſed totam in hominis aut iuuenculi tranſiiſſe obſequium, & ſanctum in non ſanctum totum abiiſſe deſiderium. Etenim *crebra munuſcula, & ſudariola, & faſciolas,* &c. *blandaſque ac dulces litterulas ſanctus amor non habet.* (Hier. Epiſt. ad Nepotianum.) Impuri & profani hæc ſunt effectus amoris. *Patitur aliquid quod virginis nō ſit, ſtudium placendi vtique & viris.* (Tert. l. de Velan. virg. c. 14.) Fomenta ſunt hæc amoris illiciti. Cui vt præcluderetur aditus, ſanctè & cautè præcepit Franciſcus, ne Dei amoris latrunculi hinc inde diſcurrant, quin ab Abbatiſſa ſedula cura examinentur. Quod & alius Franciſcus, noſtri Legiſlatoris verè filius, eius ſpiritus particeps, nobilitate inſignis, in regimine prudens, virtute clarus Gonzaga, quondam noſtri Ordinis, Mantuanæ poſteà Eccleſiæ digniſſimus Præſul, nunquam ſatis laudandus pro meritis, per omnia Italiæ Cœnobia ſtrictiſſimè præcepit, ne vlla ex Monialibus auderet emittere aut admittere quaſcumque litteras, etiam propinquorum, aut parentum, quin cenſoriam ſubirent Abbatiſſæ diſcuſſionem. (Gonzaga in Conſt. Monial. Ital. ad an. 1582. c. 13.) Quod & ſæpiſſimè in aliis ordinatum eſt ſtatutis generalibus; & in ſuis ad Monachas ſuæ curæ ſubiectas ſtrictiſſimè præcepit Auguſtinus Epiſt. 109. & habetur 12. q. 1. Non dicatis. Et cauit Auctor l. de Vita erem. ſuprà citat. c. 10. Aperiat, legat, examinet epiſtolas Mater, ne quas alti parietes cuſtodiunt, ſeris obfirmatæ valuæ defendunt, ſecretis & blandis intereant litteris filiæ; & quæ de mundo triumpharunt, ad mundi illecebras, quas per litteras norunt, velint aliquando redire. Vide apud Bernardum auctorem libri de Modo benè viuendi ad ſororem c. 61. Regulā 2. Clariſſarum, rubr. 22. & Nauar. l. 5. Concil. de Sent. excommunic. Conſ. 60.

34. INDIGENTI CHARITATIVE COMMVNICET.] Communicare iubet, non elargiri vel donare. Communia quippe ſunt omnia, nihil proprium inter Sorores ſtrictę paupertatis voto obfirmatas, & charitatis amore ſuccenſas. Nec paupertas aliquid ſibi appropriat, nec charitas à bonorum communione alios ſeiungit. Qui viderit (iuxta Euangeliſtæ præconium) *fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, non eſt charitas Dei in illo.* (1. Ioan. 3. v. 17.) *Non eſt ſterilis charitas:* vbicumque eſt, magnos exercet effectus, vberrimos producit fructus, proximorum ſtudet vtilitati, egeno ſuccurrit, ſubuenit oppreſſo, pauperi compatitur, condolet alienis calamitatibus, & quidquid eſt obſequij, ſollicita & ſedula ſemper impendit. (Baſil. Ser. de Beneficentia.) Ita tamen aliis impertit, vt ſibi non pereat; communicat, non diſperdit; feneratur, non alienat; mutuatur aliis, quod cum fenore ſe accepturam poſteà confidit. *Nemo qui fratrem aluerit, ſuæ timeat diſpenſationi; quandoquidem ſibi Dominus imputat, quæ in fratres expenſa ſunt. Quod ſi dediſti Domino,* (Baſil. cit.)

non eſt cur te ab eo accepturum diffidas. Potens eſt Chriſtus reddere quæ ſibi data ſunt, idque non æqua tantùm menſura, ſed multò copioſiore. Feneremus Domino ad vſuram multam. Communicet Monialis Sororis vtilitati quod ſuæ ſupereſt neceſſitati, *& quidquid habet, habeat ad miſericordiam.* Videndus Aug. citat.

Bern. cit.

35. Pedeolis laneis.] Pedeolum, verbum eſt rarò aut nuſquam Latinis in vſu: idem tamen per hoc vocabulum ſignificare puto Legiſlatorem, quod Græci per vocem πόδια, & Varro 3. de Re ruſt. c. 5. per pedale, ac Vlpia. ff. de auro arg. mundo, l. Argumento, & Turnebus per pedules faſcias, quibus pedes non penitùs obteguntur, ſed vel inuoluuntur, aut circumligantur. Genus ergo quoddam calceamenti per hæc verba expreſſiſſe puto, ex cannamo, vel ex ſimili rudi materia cõtextum, antiquis ſatis commune, & modò non parum frequens apud aliquas Hiſpaniæ regiones, quo pedeſtres communiter incedunt per itinera; tum quia viliora, tum quia expeditiora. His infirmiores huius Regulæ vtuntur ſectatrices. Omnibus tamen Eugenius IV. indulſit vt illa poſſent deferre, quæ nomine calceamentorum non cenſentur, vt cuquos ligneos, ſeu calepodia, & ſandalia, & cùm opportunum fuerit, calceamenta.

36. Honeste debeant ambvlare.] In veſtitu ſcilicet modeſto, qualis decet ſanctarum & pauperum virginũ ſeruitrices (nam quales ſunt dominæ, tales decet habere famulas) *vt exemplo ſint mulieribus ſæcularibus, & magnificetur Deus in corpore illarum. Magnificatur autem per pudicitiam, & per habitum pudicitiæ competentem.* Alij inhoneſti, mundani, ſerici, aut pomposi habitus aliis vſibus, feminis inſeruiunt. *Propter ipſum conuentum, & mutuum videre & videri, omnes pompæ in publicum proferuntur; aut vt luxuria negotietur, aut gloria inſoleſcat.* Monialibus, aut illarum famulabus, *nulla procedendi cauſa non tetrica.* Honeſtas etiam præter veſtitum apparere debet in inceſſu. *Profeſſionem tuam* (Religioſa ſoror, aut famula) *in habitu & in inceſſu demonſtrato. Sit in ingreſſu tuo ſimplicitas, ſit in motu puritas, ſit in geſtu grauitas, ſit in inceſſu honeſtas. Nihil dedecoris, nihil laſciuiæ, nihil petulantiæ, nihil inſolentiæ, nihil leuitatis in inceſſu tuo appareat. Animus enim in corporis geſtu apparet. Geſtus corporis, ſignum eſt mentis: corporis geſtu animus proditur.* Sanctimoniæ ſignum honeſtas & grauitas. *Nam vbi Deus, ibi pudicitia, ibi grauitas adiutrix, & ſocia eius.* Plura huius argumenti habet Auguſtinus citatus.

Ad Phil. 1 v. 20.

Tertul. l. de cultu femin. c. 11.

Ibidem.

Bern. cit. Serm. 9.

Tertul. vbi ſuprà.

37. De sæcvlo referre in Monasterio.] Hoc idem prohibuit & interdixit Fratribus laicis ſeruientibus in Monaſterio B. Mariæ Angelorum. *Volo,* inquit, *quòd Fratres laici, qui ſeruiunt Sacerdotibus, teneantur numquam dicere eis verba otioſa, vel noua huius ſæculi, vel quæcumque alia, quæ non eſſent vtilia animabus eorum.* Quod & Fratribus in vniuerſum prohibuit Bonauentura; *Caueant*, inquit, *ne ſint rumorum, licet bonorum & veriſimilium, delatores. Religioſos viros paſſim rumigerulos eſſe non decet.* Periculum enim non contemnendum eſſe in confabulationibus, aut relatione rerum ſæcularium idem docuit

Franc. Collat. 18 Tom. 3.

Bon. in Spec. diſcipl. partic. 4. c. 5.

Bonau. in Reg. Nouit. cap. 15. Tom. 7. part. 4. Pſal. 13. v. 3. cuit Nouitios. *Numquam*, inquit, *loquaris de ſæculo, nec de guerris, nec audias referentem, cùm id ſit venenū mortiferum animarū. de talibus enim dicitur: Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labijs eorum.* Cui ſatis conformiter Auctor ille apud Bernardum ſcribit ad ſororem: *Fuge cantus Sirenarum, ne dum delecteris audire delectamenta terrena, à recto itinere auertaris. Quid enim ſunt verba ſæcularium mulierū niſi cantus Sirenarum? Cantus ergo Sirenæ fuge, & à lingua malè ſuadentis mulieris ſepara aures tuas. Sic declina verba ſæcularis mulieris, quaſi ſibilos ſerpentis. Caue, ne ſicut ſerpens decepit mulierem in Paradiſo, ita te decipiat venenoſa lingua malè ſuadentis mulieris in Monaſterio. Vide ne mulier vana & garrula infundat in aures tuas mortis venena. Caue ne mors intret per feneſtras tuas, id eſt per oculos & aures in animam tuam.* Aliter quæ tibi data eſt in obſequium, blandè & incautè vertetur famula in ruinam. Vide ſuprà nu. 13. huius Regulæ Commentarij; Hugonem Victorinū l. 2. de Clauſtro animæ c. 23. Laurent. Iuſtin. de Diſcipl. & perfect. Monaſt. c. 15. & præ omnibus Auctorē libri de Vita eremitica ad ſororem apud Auguſt. in Append. Tom. 1. c. 3. & 4. vbi egregiè oſtendit quantum ſint huiuſmodi nugigerulæ fugiendæ. Plura habet Nigron. in Reg. 37. Ieſuitarum.

Bern. cit. c. 57.

38. EXTRA MONASTERIVM.] Quamuis perfectionis locus Monaſterium ſit, & in quo ſemper ad perfectionem tendi debeat; nequaquam tamen omnino & vtcumque vacabit à ſcandalis, aut liberum erit à quibuſcumque defectibus, dum pro noſtræ fragilitatis miſeria, & callidi hoſtis verſutia, aliquando in tanti & tam continuis Fratrē incautum, aut imbecillē Sororē, contingit vinci conflictibus. Non quia locus ſanctus eſt, ſtatim reddimur ſecuri, aut efficimur ſancti; nec ſemper de parta gloriabimur victoria. Aliquando tentationi miſer ſuccumbit Religioſus, aliquando de filio victo chara triſtatur Religio. Non proinde propalari debet calamitas, quam in locum ſanctum ſuccumbentis induxit infirmitas. Caueat Religioſus, ſiue Soror, aut famula, ne tantæ matris detegat pudenda, & quæ abſcondi debuerant, manifeſtet delicta; ne propter vnius peccatum tota Religio indignam ſubeat verecundiam, & totius ſodalitij virtus bonum deperdat odorem. Quod leue & facile apud Religioſos iudicatur, magnum quid & portentoſum apud ſæculares cenſetur. Neſciunt laici ſanum aut æquum de rebus noſtris proferre iudicium. Vnde nec bona ipſa, quæ in Monaſterio fiunt, facilè voluit magnus ille noſter Hypodidaſcalus eiſdē referri. *De factis Ordinis* (inquit ad Religioſos) *vt de modo ieiunandi, de ſilentio, vel de alijs requiſiti, ſe nouos in Ordine dicāt, ſeniorem requirendum prætendant. Ne fortè dū ſapienter & benè reſpondere reputant, ſtultum aliquid (& quod omnino dici non oporteat) dicant. Secreta Ordinis, quantumcumque Religioſo vel familiari non reuelent, vel ſtatutum aliquod publicent, niſi quod fortè celari non poteſt.* Vide ibidem alia quæ ſubſequuntur. Traditores ſunt Religionis, infideles filij, in matrem impij, qui vel leuiuſculas eius maculas expandunt, aut ſancta ſecreta reuelant.

Bonau. in Spec. diſcipl. partic. 4. c. 5.

Ee

lant. Quòd ſi ſeruus aut famula apud ſæculares hæc ſuſurrauerit, commodiùs expelletur vt hoſtis, quam vt fraudulentus retineatur amicus. Videnda Statuta noſtra generalia, præcipuè Barchinonenſia, quæ hæc eadem, tamquã Religionis ſplendori omnino neceſſaria, multoties præceperunt; & in huius Reg. Adnot. nu. 13. Conſule etiam c. De forma fidelit. 22. q. 5. Nauar. in c. Inter verba, Concl. 6. n. 403. Tolet. l. 5. c. 66. n. 3. Hoc idem cauit in ſua Regula magnus ille Monachorum Pater D. Benedictus c. 3. Idipſum prohibetur in Regula 38. Religioſorum Patrum Societ. Ieſu, in quam vide Nigr. Commentaria.

39. NISI CONCESSVM FVERIT à SVMMO PONTIF.] Apud Summos Pontifices, vel Cardinales protectores, agendum erat in principio huius Religionis (quibus ſubijciebatur, vt ſuprà n. 5. harum Adnotationum adnotaui) de licentia obtinenda ingrediendi Monaſteria Monacharum; modò verò cùm Generali & Prouincialibus ſint ſubiectæ, penes hos eadem eſt facultas ex conceſſione Pontificia, modò rationabiles ſubſint cauſæ. Liberam hanc licentiam Clauſtra ingrediendi cum quatuor vel quinque ſocijs conceſſit Generali Vrbanus IV. in 2. Reg. à ſe cõfecta, Rubr. 13. vel ad Sacrum faciendum, vel ad verbum Dei proponendum. Vide Ludouic. Miran. Tom. 1. Manual. tract. de Sacris Monialibus, q. 2. art. 3.

40. PRO BENEDICTIONE ABBATISSÆ.] Mos erat hic antiquus vt Abbatiſſæ benedicerentur, & Moniales quædam conſecrarentur ab Epiſcopis, de quo habetur in Iure Canonico diſt. 68. c. Quamuis; vbi alijs quàm Epiſcopis hæc prohibentur; & 26. q. 6. c Si iubet, & c. Presbyter. facit etiam 20. q. 1. Deuotis, §. Viduas autem, & 50. q. 1. Diaconiſſam: ſed modò antiquata eſt hæc conſuetudo, & inter Clariſſas receptum, vt in ſua electione Abbatiſſæ ſolùm per Prouincialis, aut eius qui electioni præſidet, benedictionem confirmata & conſtituta cenſeatur in ſuo officio: conſecrationes verò ceterarum fermè Monialium iam penitùs inueterauerunt, niſi dum ſolùm ad Ordinem vel Profeſſionem recipiuntur. Vtrarumque, tam Abbatiſſarum quàm conſecrandarum Nouitiarũ, benedictionis formæ videndæ ſunt apud Hieron. Sorbo, ſacræ noſtræ Capuccinorum Congregationis olim Generalem, in Collectione noua Priuilegiorum noſtræ Religionis, ad finem.

41. NE TVNC AB INGREDIENTIBVS VIDEANTVR.] Ad omnes viri aditus pauere debet virgo, ad hominis trepidare loquelam, ſecretum etiam timere virus oculorũ. Teneram virginem faſcinat impudicus oculus, imbecillẽ concutit & ſternit iuuenculam curioſus & inhoneſtus ſpectator. Ipſis oculis, ipſo palpebrarum motu laſciuo, & geſtu amatorio ſpectantis illecebroſè virgo mouetur, & humanũ quid paſſa, in ſpectantis iactat ſua lumina vultus, videri gaudens, & videre deſiderans. Laſciuis luminibus, & fornicarijs ocellis ſui copiam facit, nundinari volens ſpeciem ſuam ſua complacere volens venuſtate. Liberos deinde ſuos patitur per ſpectantem oculos euagari, quid in eo ſibi placeat inueſtigans, & demum reſpicienti ſe totam expandit amandam.

dam. Heu quàm certò ruinam tunc minitatur ſtatus ſua fragilitate virgineus? *Cùm ſe inuicem*, (ait Augustinus) *ſibi, etiam tacente lingua, conſpectu mutuo corda nuntiant impudica, & ſecundùm concupiſcentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit caſtitas ipſa de moribus.* Hinc namque reconditæ cogitationes ebullire incipiunt; hinc ſecreta feruet titillatio, hinc prauus & inhoneſtus ſerpit affectus, hinc illecebroſum & turpe turget deſiderium, virgineæ puritati omnino contrarium. *Ipſa etenim concupiſcentia non latendi, non eſt pudica; patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi vtique & viris. Quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, dum digitis demonſtrantium titillatur. Sic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſoluitur, ſic diſcitur iam aliter placere deſiderare.* Deliteſce ergo virgo, vt virgo ſis, & virgo reputeris; *tege faciem velo verecundiæ*, verecundare ſecretum Chriſti propalare depoſitum. Sanctæ virginis eſt ſubfundi ſi à viro viſa ſit; etiam ipſum bonum ſuum erubeſcendum eſt. Quòd ſi à libidinoſis oculis videri deſiderat, non caſtis certè gaudet illa luminibus. *Tales oculi volent virginem viſam, quales habet virgo quæ videri volet. Inuicem ſe eadem oculorum genera deſiderant. eiuſdem libidinis eſt, videri, & videre.* Ne ergo libidinoſa dicatur, caueat ne ab ingredientibus quandoque videatur; vel ſi ſemper latere non poſſit, aſpicientem non reſpiciat, aut ſi incautè oculi iaciuntur in aliquem, figantur in neminem. Vide ſuprà num. 31.

Aug. Epi. 109. Tom. 2.

Tertul. l. de Velan. virg. c. 14.

Bon. l. de Profect. vitæ ad Soror. c. 4

Tertull. cit. c. 2.

42. SECVNDVM VOLVNTATEM ET MANDATVM DOMINI CARDINALIS.] Cardinalibus Protectoribus hanc Religionem priùs commendatam fuiſſe, dixi in his Adnotationibus n. 5. & 39. quibus ampliſſimam facultatem corrigendi, diſponendi, & ſtatuendi tam circa ipſas, quàm circa Fratres, & famulos ſeruitricesque earum obſequio deſtinatas, conceſſit Vrbanus IV. in Reg. 2. Rubr. 25. Rationabiles autem ob cauſas poſteà Pontifices Clariſſas omnes ſubſtituerunt Ordini Minorum; cuius grauiores Patres ſtatuerunt in Capitulo Generali Lugdunenſi ſolos Viſitatores & Confeſſores à Miniſtris electos habendos pro idoneis earumdem miniſterio, non verò quos illæ ſibi eligerent: quod & Diplomate emiſſo confirmauit Leo X. qui inſuper ſtatuit, Viſitatorem earumdem, cuius hîc fit mentio, Commiſſarium, vel Confeſſorem de cetero eſſe appellandum. Hoc vltimum iam nomen apud illas inualuit. Cõſule Collectorem priuil. v. Moniales, n. 21. 27. & 28. & verbo, Ingredi Monaſteria, notab. 1. §. Sed circa ſupradicta.

43. AB EODEM ORDINE POSTVLENT.] Suprà Tom. 1. in Adnot. ad Epiſt. 4. n. 4. animaduerti, voluiſſe ſacras virgines Fratres Minores veluti ex debito & obligatione compellere, vt ſibi de corporis neceſſarijs prouiderent, propterea quòd in ea Epiſtola ita per Fratres ſuos ſe ſpoponderit facturum B. Pater Frãciſcus. Sed ipſe hîc declarat, non obligatoriè, nec ex pacto inito, quo cogi poſſint, hoc feciſſe, ſed

miſericorditer quoſdam Fratres laicos eiſdem dediſſe in paupertatis ſubſidium. Quos poſteà eis denegari viſum eſt propter congruas rationes, & incommoda quæ quotidie offerebantur: vnde & eos Vrbanus IV. tanto faſce leuauit, ſicut loco ſuprà citato adnotaui.

REGVLA TERTIARIORVM
SIVE
FRATRVM DE POENITENTIA.

ARGVMENTVM.

AD initium huius libri, admonui tres Ordines inſtituiſſe B. Franciſcum, & vnicuique ſuas præſcripſiſſe viuendi normas. Qui tertiam profitentur, à numero vel ordine eius, & relatione ad alios duos, Tertiarij communiter dicuntur. A D. Antonino 3. p. Hiſt. titul. 23. c. 2. in princip. Pinzocgori, ab aliis Pinzochori & Mantellati vocantur. Propriato & honeſto impoſito nomine (ſub quo Ordo à Nicolao IV. & aliis Pontificibus fuit approbatus, & quo eos vocari iuſſit Clem. 7. Ad vberes fructus) ab ipſo D. Franciſco inſtitutore æquiùs & rectiùs appellantur Fratres vel Sorores de pœnitentia. Quam dum cæleſti feruore, & cumulato fructu in multis Italiæ locis beatus hic Legiſlator noſter prædicaret, ſed præcipuè in oppido Canarij, quod in Vmbria in Valle Spoletana per quatuor millia paſſuum ab Aſſiſio diſtat, oppidani omnes, & ex aliis pagis & ciuitatibus turmatim ad virum Dei, eius prædicationis igne ſuccenſi, vndique confluebant, nullo pauore ſuſpenſi, nulla cura diſtracti, & ſe nouis pœnitētiæ legibus vincire velle ſignificabant. Qui ne imbecilles mulieres, & periculis facilè expoſitas, conſortium præſidio orbaret, nec homines vxorum licita & optata ſocietate priuaret, & loca vrbéſque penitùs depopulare videretur, nec hos in Religioſorum ſodalitium recipere, nec illas infra Sanctimonialium clauſtra recludere, conſultum iudicauit. Vnde commune vtriſque hoc Inſtitutum præſcripſit ad 14. ſuæ plenæ conuerſionis annum, & virginei partus 1221. inquo vtriuſque ſexus omne genus, tam ſecularium quàm Eccleſiaſticorum, facillimè, & ſub ſuaui iugo, ſub propriis tectis, propria gaudens hereditate, Deo inſeruiret. Ordinem ſuis ſtatutis firmauit, legibus muniuit, & propria Regula corroborauit.

Sunt verò qui contrarium putent, & omnino negent Regulam concinnatam Tertiariis dediſſe, & hanc quæ ſequitur eius eſſe, ſed Nicolai IV. (non Tertij, vt habet Sedulius in principio Adnotatio-

tationum ad Vitam diuæ Eliſabethæ) licet Franciſcus eis quædam præſcripſiſſet ſtatuta. Inter hos ſunt non ignoti nominis Alphonſus de Caſarubios Collector Compend. verbo Fratres Tertiarij, num. 24. §. Inſuper circa Tertiarios, Miranda & Carrillo illum ſecuti ad initium ſuarum Expoſitionum in hanc Regulam, denuò Miran. Tom. 1. ſui Manual. q. 36. art. 1. Roderic. Tom. 3. QQ. Reg. q. 72. ar. 1. Sedul. us citatus ex Gonzaga, cum aliis.

Ego verò hanc ab eo editam, & inter eius genuina Opera referendam putaui, innixus non infirmo teſtimonio Hieronymi à Sorbo, qui in ſuis Adnot. ad præfatum locum Compendij, ita ait: Quoad hanc materiam Tertiariorum eſt primò notandum, quòd eorum duæ reperiuntur Regulæ: vna facta à Seraphico Patre Franciſco, à Nicolao IV. approbata, & altera Leonis X. pro ijs Tertiarijs, qui Regularem profitentur vitam in Monaſterijs. *& Bernardi de Buſto part. 2. Roſar. Serm. 27. part. 2. Serm. §. Quoad primum; vbi pro concluſione, loquens de hac Regula, ita ſtatuit:* Dico quòd huius Regulæ inuentores non fuerunt Fratres Minores, non aliquis Epiſcopus, non Doctor, non Congregatio aliqua; ſed Seraphicus Franciſcus, Spiritu ſancto prædocente, eam inſtituit. *Petrus Rodulph. l. 2. fol. mihi 152. pag. 1. titulo De Tertiarijs, eos ſub Regula B. Franciſci militare aſſerit. Eamdem cõfeciſſe, tenet noſter Ioannes Pineda 3. part. ſuæ Monarch. Eccleſ. l. 22. c. 20. §. 6. Ioan. à Capiſtrano ſæpiùs in Defenſorio tertij Ordinis; Ioannes Amicius in Dedicatoria eiuſdem Defenſorij; Raph. Volat. l. 21. ſuæ Anthropol. c. 6. Codex quidam MS. de Rebus Hiſp. Biblioth. Conuentus S. Franciſci Aſiſ. Dionyſ. Carthuſ. in Expoſit. ad eamdẽ in Prologo, & alibi; Anton. de Sillis l. de Orig. & prouectu tertij Ord. per multa loca; imò & Miranda in Expoſit. eiuſdem Regulæ c. 5. quàm ſæpiſsimè, c. 9. in princ. & in Forma Profeſsionis, quam ibidem aſsignat, pluribusq́; alijs in locis, à Franciſco datam hanc Regulam, & à Nicolao approbatam aſſerit, parum conformiter ad ea quæ in locis ſuperiùs citatis dixit. Plures ſunt mihi huius rei teſtes, quibus modò ſuperſedeo, ſola contentus comprobatione Firmam. trium Ordi um, in cuius 5 par. tract. 2. fol. mihi 34. col. 3. hæc habetur forma Profeſsionis Tertiariorum:* Ego Frater N. vel Soror N. voueo, &c. ſeruare mandata Dei toto tempore vitæ meæ, & ſatis facere, vt conuenit, trangreſsionibus contra Regulam & viuendi modum tertij Ordinis de pœnitentia inſtitutam per B. Franciſcum, & per Dom. Nicolaum IV. confirmatam, &c. *Eadem*

demq́, profitendi forma ibidem ſubnectitur idiomate Gallico his verbis: le Frere N. ou Seur N. promets & voue à Dieu, *&c.* de guarder tous les commandemens de Dieu tout le temps de ma vie, & de ſatisfaire, cóme ſera conuenable, des transgreſsions que ie auray cómis contre ceſte Reigle & maniere de viure de l'Ordre des pœnitens, inſtituée par ſainct François, & confirmée par Seigneur Pape Nicolas, *&c. Vbi in ipſa Profeſsionis ſolemnitate quis fatetur B. Franciſcum auctorem eſſe Regulæ quam profitetur, approbatorem vel confirmatorem tantùm Nicolaum, imò & expreſsè hoc habet Leo X. in Conſtitutione vel Bulla* Inter cetera, *pro Tertiarijs in congregatione viuentibus; & pluries ait illam à Franciſco editam, & à Nicolao confirmatam & approbatam. quod & aſſerit Laërt. Cherub. ad Conſtit. 2. Nicolai IV. & 42. Leonis X. Idem ceteris clariùs ſæpiùs affirmat Clem. 7. Conſt.* Ad vberes fructus. *Facile tamen crediderim, Nicolaum quædam ex ſuis inſeruiſſe, aliquidve pro temporis & ipſius Ordinis ratione immutaſſe, quorum vtrumque ipſe Nicolaus inſinuauit non obſcurè in Bulla* Vnigenitus, *quam refert Sillin. præcitatus To. 2. pag. 7.*

Magna ſunt huius Ordinis priuilegia, ſingularia indulta, egregia encomia, innumeri Sancti & Sanctæ, quorum multi Diuorum albo ſunt adſcripti. Horum Vitas habes partim apud Sedul. in ſua Hiſt. Seraph. partim in Chronicis Minorum, & apud ſuprà citatos Auctores. Regulæ argumentum hoc vno comprehenditur, vt eius profeſſores ſanctè & Catholicè vitam componant, Dei præcepta aliaq́, leuiuſcula obſeruent. Sub ea, hac noſtra ætate plurimi militant Principes, Cardinales, & Prælati, ita vt ſolùm in Carpentana Hiſpaniæ Mantua, ſeu Madrito, Curia regis Catholici, ſexageſimum excedant numerum Domini titulares & magni Principes ſub hoc Inſtituto degentes. De eo plura prædixit Abbas Ioachimus; & magni ſcripſerunt Auctores. Regulam hanc nobis obtulere Firmam. citatum, Speculum Minorum Rotomagi impreſſum anno 1509. apud Martinum Morin. fol. mihi 53. pag. 2. & ſeq. Laërt. Cherub. To. 1. ſui Bullarij ſub Nicol. IV. Conſt. 2. Codex quidam MS. Bibliothecæ Fratrum Min. Conuent. Aſsiſiatum, Sorbo ad finem Compendij, & plures eius Expoſitores.

[1]IN NOMINE DOMINI, AMEN.

De modo examinandi volentes intrare Ordinem.

CAPITVLVM I.

SI qui voluerint hanc vitam obſeruare, & illos ad eam obſeruandam aſſumi contigerit, ante aſſumptionem ſeu receptionem ipſorum [2] de fide Catholica, & obedientia erga præfatam Eccleſiam, diligenti examinationi ſubdantur. Et ſi eas profeſſi firmiter fuerint, vereque crediderint, admitti, ſeu [3] recipi tutè poterunt ad eamdem. Præcauendum eſt tamen ſollicitè, nequis hæreticus, [4] vel ſuſpectus de hæreſi, [5] aut etiam infamatus, ad vitæ obſeruationem iſtius quomodolibet admittatur. Et ſi talem inueniri cõtigerit extitiſſe receptum, aſſignetur ille quantocyùs [6] Inquiſitoribus prauitatis hæreticæ puniendus.

Examinandi ſollicitè de fide qui ad hoc Sodalitium accedunt.

De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.

CAPIT. II.

CVM autem Fraternitatem huiuſmodi quis intrare voluerit, Miniſtri, ad receptionem talium deputati, eius officium, ſtatum, [7] & conditionem ſolerter explorent, ſibi Fraternitatis eiuſdem onera, præcipuè [8] alienorum reſtitutionem, apertiùs exponentes. Quibus præmiſſis, ſi eidem placuerit, iuxta modum huiuſmodi induatur; & de alienis, ſi qua fuerint apud eum, ſatisfacere ſtudeat in pecunia numerata, vel ſecundùm exhibitam pignoris cautionem, ſeque nihilominùs [9] proximis reconciliare procuret. Quibus omnibus ad effectum productis, poſt vnius anni ſpatium, cum aliquorum diſcretorum Fratrum conſilio, [10] ſi is videbitur ipſis idoneus, recipiatur hoc modo: videlicet [11] vt promittat ſe diuina præcepta

Alia in receptione obſeruanda.

Quid profiteantur Tertiarij.

omnia

omnia ſeruaturum, ac etiam ſatisfacturum, vt conuenit, de tranſgreſſionibus, quas contra hunc viuendi modum commiſerit; cùm interpellatus ad Viſitatoris exciterit voluntatem. Et huiuſmodi ab eo facta promiſſio [12] per manum publicam in ſcriptis inibi redigatur. Alio autem modo nullus à Miniſtris recipiatur eiſdem, niſi viſum eis aliter fuerit, conditione perſonæ, ac ipſius inſtantia, ſollicita conſideratione diſcuſſis. Ordinamus prætereà ſtatuentes, vt nullus poſt ipſius Fraternitatis ingreſſum, eamdem egredi valeat [13] ad ſæculum reuerſurus. Poſsit tamen habere liberum tranſitum [14] ad Religionem aliam approbatam. Mulieribus verò viros habentibus, [15] niſi de ipſorum licentia & conſenſu, non pateat ad conſortium dictæ Fraternitatis ingreſſus.

Egredi ab hac Societate non licet ad ſæculum.

De forma habitus, & qualitate indumentorum.

Capit. III.

FRATRES inſuper ipſius Fraternitatis de humili panno in pretio, [16] & colore non prorſus albo vel nigro communiter veſtiantur; niſi fuerit ad tempus in pretio, per Viſitatores, de conſilio Miniſtrorum, ob cauſam legitimam & apertam cum aliquo diſpenſatum. Chlamydes quoque ac pelles abſq; ſcolatura ſciſſas, vel integras, affibulatas tamen, non patulas, vt congruit honeſtati, clauſaſque manicas Fratres habeant ſupradicti. Sorores etiam chlamyde induantur & tunica de huiuſmodi humili panno factis, vel ſaltem cum chlamyde habeant [17] guarnellum ſeu placentinum coloris albi vel nigri, aut [18] paludellum amplum de canabo ſiue lino abſque vlla criſpatura cōſutum. Circa humilitatem verò panni, & [19] pellitiones Sororum ipſarum iuxta conditionem cuiuſlibet earumdem ac loci conſuetudinem poterit diſpenſari. [20] Bindis & ligaturis ſericis non vtantur, [21] pelles dūtaxat

Honeſtas non curioſas debere eſſe veſtes Tertiariorum.

agninas

agninas, burſas de corio, & corigias ſimpliciter abſq; ſerico vllo factas, & non alias tam Fratres habeant quàm Sorores, depoſitis ceteris, [22] iuxta beati Petri Apoſtolorum Principis ſalubre conſilium, vanis huius ſæculi ornamentis. 1. Pet. 3. v. 3.

Quòd non vadant ad inhoneſta conuiuia, & ſpectacula, & quòd hiſtrionibus non dent.

CAPIT. IV.

SIT eis ad inhoneſta cõuiuia, vel ſpectacula, ſiue curias ſeu choreas, [23] acceſſus penitùs interdictus. Hiſtrionibus, ſeu vanitatis intuitu nihil dent. Et ne quidquam illis donetur à propria familia, prohibere procurent.

De abſtinentia & ieiunio.

CAPIT. V.

AB eſu autem carnium, ſecunda, quarta, & ſexta Feria, dieque Sabbati abſtineant vniuerſi, niſi aliud infirmitatis vel debilitatis inſtantia ſuaderet. [24] Minutis verò per triduum carnes dentur; nec ſubtrahantur in itinere conſtitutis. Sit quoque ipſarum comeſtio licita ſingulis, cùm ſolemnitatem præcipuam interuenire contigerit, in qua ceteri Chriſtiani ab antiquo epulis carneis veſci ſolent. Alijs autem diebus, in quibus ieiunium non ſeruatur, oua & caſeus non negentur, ſed cum Religioſis ceteris in eorum Conuentualibus domibus, licitè ſumere valeant de appoſitis ab eiſdem, ſintque prandij cœnæque refectione contenti, exceptis languidis, & viatoribus, ac infirmis. Sit ſanis cibus moderatus & potus; cùm textus Euangelicus habeat: Attendite ne corda veſtra crapula & ebrietate grauentur. Prandium autem, vel cœna, non niſi præmiſſa ſemel Dominica oratione ſumatur, poſt ſumptionem cuilibet cum Deo gratias iteranda. Quòd ſi

Quando à carne abſtinendum.

Quæ circa alia abſtinentia.

Lucæ 21. v. 34.

omitti contigerit, dicatur tribus vicibus Pater noſter. [25] Qualibet verò ſexta Feria totius anni ieiuniū celebrent, niſi fortè infirmitatis aut alia cauſa legitima excuſentur, vel niſi feſtum Natalis Domini Feria ipſa occurreret obſeruandum. Sed à feſto omnium Sanctorum vſque ad Paſcha quarta & ſexta Feria ieiunabunt, alia quæ ab Eccleſia ſunt ſtatuta vel ordinata, ex cauſa communiter indicta ieiunia ſeruaturi. In Quadrageſima verò B. Martini vſq; ad diem Natiuitatis Domini, & à Dominica Quinquageſimæ vſque ad Paſcha, diebus ſingulis, exceptis Dominicis, ieiunare procurent; niſi aliud fortaſſis infirmitas, vel neceſſitas alia ſuaderet. Sorores grauidæ, vſque ad ſuæ purificationis diem, ab exercitatione qualibet corporali, orationibus dumtaxat exceptis, poterunt, ſi voluerint, abſtinere. Laborantes autem, propter fatigationis afficientis inſtātiam, à Dominicæ Reſurrectionis feſto [26] vſque ad feſtiuitatem B. Michaëlis prædicti, ter in die, qua exercitio laboris incumbent, licitè ſumere cibum poſſunt. Cùm verò illos contigerit aliorum imminere laboribus, de cunctis appoſitis die quolibet ſumere licebit eiſdem, niſi ſexta Feria, vel dies ſit alia in qua generaliter ab Eccleſia ieiunium noſcitur inſtitutum.

Quibus diebus ieiunandum.

Quoties debent confiteri per annum & ſumere corpus Chriſti.

CAPIT. VI.

SINGVLI autem Fratrum [27] & Sororum ter in anno, videlicet in Natali Domini, in Reſurrectionis ipſius & Pentecoſtes feſtiuitatibus, peccata propria confiteri, & Euchariſtiam deuotè ſuſcipere non poſtponant, [28] reconciliando ſe proximis, & reſtituendo etiam aliena.

Quòd

Quòd non ferant arma impugnationis.

CAPIT. VII.

29 IMPVGNATIONIS arma ſecum Fratres non deferant, niſi pro defenſione Romanæ Eccleſiæ, Chriſtianæ fidei, vel etiam terræ ipſorum, aut dé ſuorum licentia Miniſtrorum.

De dicendis Horis Canonicis.

CAPIT. VIII.

DICANT vniuerſi quotidie ſeptem Horas Canonicas, videlicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium; Clerici, videlicet ſcientes Pſalterium, pro Prima, Deus in nomine tuo, & c. Beati immaculati, vſque ad Legem, Gloria Patri dicant. Cùm verò ad Eccleſiam non accedent, pro Matutino Pſalmos dicere ſtudeant, quos dicunt Clerici, vel Eccleſia Cathedralis, vel ſaltem vt illiterati alij pro Matutino duodecim, & pro qualibet alia Hora ſeptem vicibus Pater noſter cum Gloria Patri dicere non omittant; in quibus videlicet Primæ ac Completorij Horis [30] minorem Symbolum, & Miſerere mei Deus, adijciant, qui nôuerint. Sed ſi Horis non dixerint conſtitutis, dicant tribus vicibus Pater noſter. Infirmi autem Horas huiuſmodi non teneantur dicere, niſi velint. In Quadrageſima verò ſancti Martini, & etiam in maiori, Eccleſias, in quarum Parochijs habitant, Matutinalibus Horis perſonaliter adire procurent, niſi cauſa rationabili excuſentur.

Variatio variis Horarũ distributio.

Quòd omnes, qui de iure poſſunt, faciant teſtamentum.

CAPIT. IX.

OMNES prætereà, quibus de iure facultas affuerit, condant ſeu faciant teſtamentum, & de bonis ſuis infra tres menſes poſt eorum ingreſſum immediatè ſequentes

ordinent & diſponant, ne quemquam illorum contingat decedere inteſtatum.

De pace reformanda inter Fratres & alios extraneos.

CAPIT. X.

[31] De pace verò inter Fratres & Sorores, aut etiam exteros in diſcordia poſitos, facienda, ſicut Miniſtris videbitur, ita fiat, adhibito, ſi facultas affuerit, Epiſcopi diœceſani conſilio in hac parte.

Quando moleſtantur contra ius aut eorum priuilegia.

CAPIT. XI.

Si verò Fratres aut Sorores contra ius [32] vel eorum priuilegia, per Poteſtates ſeu Rectores locorum, vbi domicilium obtinent, vexationibus impetantur; Miniſtri loci ad eos Epiſcopos, & alios locorum Ordinarios, ſtudeant habere recurſum, iuxta conſilium & ordinationem ipſorum in talibus proceſſuri.

Quòd caueant, in quantum poſſunt, à iuramentis ſolemnibus.

CAPIT. XII.

A Iuramentis autem ſolemnibus omnes abſtineant, niſi neceſſitate cogente [33] in caſibus per indulgentiam Apoſtolicæ Sedis exceptis, videlicet pro pace, fide, calumnia, & teſtimonio perhibendo, ac etiam in contractu emptionis, venditionis, & donationis, vbi videbitur expedire.[34] In communi quoque loquela vitent, vt poterunt, iuramenta. Et qui die aliquo minùs cautè iurauerit lapſu linguæ, prout contingere in multiloquio conſueuit, die ipſo in ſero, [35] cùm debet recogitare quid fecerit, dicat tribus vicibus Orationem Dominicam, propter incautè facta huiuſmodi iuramenta. Memor autem ſit quilibet, vt ád diuina obſequia [36] familiam propriam exhortetur.

De

De audiendà Miſſa, & Congregatione facienda.

CAPIT. XIII.

VNIVERSI ſanè Fratres & Sorores, cuiuſcumque ciuitatis aut loci, diebus ſingulis, ſi commodè poterunt, Miſſæ Officium audiant. Et menſe quolibet ad Eccleſiam, ſiue loca, ad quam vel quæ Miniſtri curauerint intimare, conueniant, Miſſarum ſolemnia inibi audituri. Vnuſquiſque autem vſualis monetæ denarium [37] Maſſario tribuat, qui pecuniam huiuſmodi colligat, & eam de conſilio Miniſtrorum [38] inter Fratres & Sorores paupertate grauatos, & præcipuè infirmantes, ac eos qui funeris carere dignoſcuntur exequijs, & deinde inter pauperes alios diuidant congruenter. Offerant inſuper de dicta pecunia Eccleſiæ memoratæ, tuncque, ſi commodè poterunt, [39] virum Religioſum, & in verbo Dei competenter inſtructum habere procurent, qui eos ad pœnitentiam & miſericordiæ opera exercenda hortetur, ſollicitè moneat & inducat. Studeat quilibet, dum Miſſæ celebratur Officium, & prædicationis verbum proponitur, ſeruare ſilentium, orationi & Officio ſit intentus, niſi eum communis vtilitas fraternitatis impediat.

E communi ſubuentu occurrendum Fratrum neceſſitatibus.

Inſtructor habendus Religioſus.

Attendendum seriò diuinis.

De Fratribus infirmis, & defunctis.

CAPIT. XIV.

CVM autem quemquam ex Fratribus infirmari contigerit, Miniſtri per ſe, vel per alium, ſeu alios, ſi hoc eis infirmus fecerit intimari, ſemel in hebdomada viſitare teneantur ægrotũ, ipſum ſollicitè ad recipiendum pœnitentiam, prout meliùs & efficaciùs expedire putauerint, inducentes, neceſſaria illi de bonis cõmunibus miniſtrãdo. Et ſi præfatus infirmus de præſenti luce migrauerit, Fratribus & Sororibus tunc in ciuitate vel loco, vbi eum con-

Curandi infirmi.

Sepeliendi mortui.

contigerit mori, præſentibus nuntietur, vt defuncti exequiis procurent perſonaliter intereſſe; à quibus, donec Miſſarum fuerint celebrata ſolemnia, & corpus tumulo conditũ,[40] non recedant. Hæc quoque circa Sorores infirmas, & decedentes, volumus obſeruari. Præterea infra octo dies poſt ipſius ſepulti obitum immediatè ſequẽtes, quilibet Fratrum & Sororum ipſarum dicat pro anima eius, Sacerdos videlicet Miſſam vnam; ſciens Pſalterium, quinquaginta Pſalmos; & illiterati totidẽ Pater noſter, & in fine cuiuſlibet Requiem æternam, adijciat. Et poſt hæc infra annum, pro Fratrum & Sororum tam viuorum quàm defunctorum ſalute, tres Miſſas faciant celebrari. Qui verò Pſalterium ſciuerint, illud dicant, & ceteri Orationem Dominicam centies dicere non omittant, Requiem æternam in fine cuiuſlibet addituri.

Orandũ pro iiſdem.

De Miniſtris.

CAPIT. XV.

MINISTERIA quoque ac alia officia, quæ præſentis formulæ ſeries exprimit, poſita quiſque ſibi deuotè ſuſcipiat,[41] curetque fideliter exercere. Officium autem cuiuſlibet, certi temporis ſpatio limitetur.[42] Nullus Miniſter inſtituatur ad vitam, & eius Miniſterium certum tempus comprehendat.

De viſitatione & correctione delinquentium.

CAPIT. XVI.

AD hæc Miniſtri, & Fratres ac Sorores, ciuitatis & loci cuiuſlibet, ad viſitationem communem, in aliquo loco Religioſo, vel Eccleſia, vbi locum huiuſmodi contigerit deeſſe, conueniant, & viſitatorem habeant Sacerdotem, qui[43] alicuius approbatæ Religionis exiſtat, quique illis de commiſſis exceſſibus iniungat pœnitentiam ſalutarem, nec quiuis alius poſſit eis huiuſmodi viſitationis offi-

officium exhibere. Huiuſmodi autem viſitationis officium ſemel exerceatur in anno, niſi neceſſitate aliqua ſuadente fuerit pluries facienda. Incorrigibiles verò ac inobedientes monitio trina præueniat. Qui ſi ſe corrigere non curauerint, de ipſius Congregationis conſortio [44] expellantur omnino de conſilio Diſcretorum.

De vitandis litigijs inter ſe, & cum alijs.

CAPIT. XVII.

VITENT inſuper Fratres & Sorores, iuxta poſſe, litigia inter ſe; illa, ſi ſuſcitari contigerit, ſollicitè dirimendo: alioquin de iure coram illo reſpondeant, apud quem poteſtas reſidet iudicandi.

Qualiter, & per quos in abſtinentijs poſsit diſpenſari.

CAPIT. XVIII.

ORDINARII autem locorum, vel Viſitator cum Fratribus & Sororibus vniuerſis in abſtinentijs, ieiunijs, & auſteritatibus alijs ex cauſa legitima, cùm expedire viderint, poterunt diſpenſare.

Quòd Miniſtri eorum manifeſtas culpas denuntient Viſitatori.

CAPIT. XIX.

MINISTRI verò [45] manifeſtas Fratrum & Sororum culpas Viſitatori denuntient puniendas. Et ſi quiſquam incorrigibilis fuerit, poſt trinę admonitionis inſtantiam à Miniſtris de diſcretorum Fratrum aliquorum conſilio Viſitatori nuntietur eidem, de Fraternitatis conſortio abijciendus ab ipſo, & in Congregatione poſtmodum publicandus.

Qua-

Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.

CAPIT. XX.

CETERVM in præmiſſis omnibus, ad quæ Fratres & Sorores huius Ordinis non ex diuinis præceptis, vel ſtatutis tenentur Eccleſiæ, [46] nullum ipſorum ad mortalem culpam volumus obligari; ſed impoſitam ſibi pœnitentiam pro tranſgreſſionis exceſſu prompta humilitate recipiat, & efficaciter ſtudeat adimplere.

ADNOTAT. IN REG. TERTIAR.

1. IN NOMINE, &c.] Regulam hanc, eo modo quo ab ipſo Franciſco conſcripta vel tradita fuerit, videre non licuit apud quempiam, ſed Bullæ Nicolai inſertam eam omnes offerunt. Vetuſtum quemdam Codicem MS. in Bibliotheca Minorum Conuent. Aſsiſ. offendi, qui eam ſolam, & quædam Hiſpaniarum monumenta continet. In quibuſdam à ceteris diſcrepat. Ex illo principium hoc tranſcripſimus.

2. DE FIDE CATHOLICA, &c.] Magnam adhibuit curam Catholicus & Apoſtolicus hic noſter Legiſlator, vt ad ſuos Ordines accedentes Catholica & Apoſtolica inſignirentur fide. In tribus etenim trium Religionum ab ipſo fundatarum Regulis primam hanc apponit conditionem, vt à Miniſtris recipiendi examinentur de fide Catholica. nec immeritò: nam *accedentem ad Deum* (vt definit Apoſtolus) *oportet credere quia eſt, & quia remunerator eſt.* Primus hic eſt greſſus ad Deum accedentis: primum & potiſſimum eſt ſpiritualis ædificij fundamentum, *hoc eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad filiorum Dei numerum poteſt peruenire, ſine hac omnis labor hominis vacuus eſt.* Imò non erit, qui ſine hac vel aliquantulùm velit in Religione laborare, Religionis onera perferre, aut aſperitatem tolerare vitæ Regularis, niſi credat tolerati laboris ſibi præmium reddendum. *Fide omnia humana & ſpiritualia conſtant. Neque agricola ſine fide incidit terræ ſurculum, neque mercator paruo ligno ſuam ipſius animam inſano maris pelago committit: non nuptiæ fiunt, non aliud quidquam in terra ſine fide. Fides eſt inſcrutabilis conſenſus.* Scrutari tamen & examinari debet ſecundùm conſilium optimi huius Legiſlatoris, & ad exemplum Chriſti Seruatoris, qui à ſe curandos, & ad ſe venientes de fide examinabat; quod appoſito exemplo maximè laudat Athanaſius: *Vt ſi quis medicus ingreſſus* (inquit) *ad ægrotos, priùs ſciſcitatur an velint curari, ne dum ipſe curam ſuſceperit, & illi nolint, inutilis exiſtat curatio, nimirum iis qui laborant, aduerſus artem medici pugnan-*

Marginal notes: Hebr. 11. v. 6. — Auctor l. de Fide ad Petrū in Prooemio, in Append. Tom. 3. — Damaſc. l. 4 Orth. fid. c. 12. — Athan. tract. de Paſſione Domin. admit. Tom 3.

pugnantibus. Sic & Dominus, eos qui ſanabantur, percontabatur, nec ſibi fidentibus conferebat beneficium, vt per fidem & beneficium conſeruari poſſent. Per fidem enim dignoſcitur animi propoſitum. Examinet ergo ſagaciter Prælatus tyronis aduenientis fidem & fiduciam, & facilè deteget animi propoſitum, & qua mente ad Sodalitium accedat. Vide Athanaſium citatum, & Dionyſ. Carthuſ. ar. 2. in hãc Regulam.

3. RECIPI TVTE POTERVNT.] Qui & fidem profitentur Catholicam, & obedientiam erga Romanam verè & ſine fictione præferunt Eccleſiam, tutè, inquit, poſſunt recipi. Nam ſi ſolidum hoc præſtruatur fundamentum, facilè & firmè poterit ſancta Religio ſua regulari diſciplina, laudabili conſuetudine, bonis exemplis, ſanctis vtriuſque vitæ actiuæ & contemplatiuæ actionibus & inſtructionibus, præclarum omnibus virtutibus ornatum ſuperædificare domicilium. Quod licet aliquando ingruentibus tentationibus & diaboli ſuggeſtionibus concutiatur, non tamen omnino diruitur. Quati, concuti, impugnari poteſt multoties, qui feruenti & formata caleſcit fide, ſed nec totaliter deſtruitur, nec facilè ſuperatur. *Sicut in turri conſiſtentes duo bona conſequuntur* (exemplum eſt Chryſoſtomi) *& hoſtium irruptionem ipſi facilè non patiuntur, & hoſtes de turre facilè conterunt: ſic & qui in fide Chriſti conſiſtunt, vel in lege Dei, & dæmones ſuper ſe irruere non ſinunt, & ſpiritualibus bonorum operum ſagittis eos facilè vulnerant.* Feruens & vera fides magnas addit vires, nec facilè tentari permittit perfectum, nec ſemper ſuperari ſinit imbecillem. Licet fluctuet, licet tentationum ventis agitetur, non totaliter demergetur, tutum ſuum pignus habebit Religio. *Sicut anchora iactata de naui non permittit eam circumferri, licet venti commoueant, ſed iactata firmam facit; ſic & fides.* His conſonant Ambroſij verba: *Non turbatur hæc nauis, in qua abeſt perfidia, fides ſuperat. Illic turbatio, vbi modica fides; illic ſecuritas, vbi perfecta dilectio.* Tutè ergo & ſecurè in Religioſum poterit recipi, quem in Romanam Eccleſiam commendat ſubiectio, & ſtrenuum futurum operarium fides promittit perfecta.

Chryſoſt. Hom. 40. ad popul. Antioch.

Idem Hom. 11. in Epiſt. ad Hebr. To. 4.

Ambroſ. & hab. 24. q. 1. c. Non turbatur.

4. VEL SVSPECTVS DE HÆRESI.] Non ſolùm notoriè hæreticum in hanc Societatem admitti prohibet, iuxta Apoſtolicum conſilium, *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum*; ſed & de hæreſi ſuſpectis omnem aditum iuſſit præcludi. In periculis magnis ipſa ſuſpicio hominem quempiam reddit ſollicitum; nec facilè admittit, aut incautus amplectitur, quem timet habere proditorem. Nihil tam familiare hæreticis, quàm ſemet ſimulare, amicos ſe dicere, vt ſibi fidentibus occulta propinent venena. *Operarij*, inquit Apoſtolus, *ſunt ſubdoli, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti.* Nec mirum: magiſtrum ſuum imitantur, qui traditor & falſus ſimulator erat ab initio, vt ſubiungit Paulus: *Ipſe ſatanas transfigurat ſe in angelum lucis.* Non eſt ergo magnum, ſi miniſtri eius transfigurentur velut miniſtri iuſtitiæ. Subdolè & ſimulanter accedunt, vt incautos & ſimplices inficiant ſuis

2. Ioan. 1. v. 10.

2. Corin. 11. v. 13.

prauis dogmatibus, & eos, quibus cõuiuunt, in fide ſupplantent. Sana aliquando exteriùs proferunt verba, Chriſtianam in labijs ſpirant doctrinam, cùm fœtidam habeant multarum hæreſium in corde ſentinam. Accedunt verbis humiles, factis poſteà ſuperbi: & dum in congreſſu ſe molles oſtendunt, temporis ſucceſſu fiunt lupis atrociores. *Eccleſiæ*, inquit bonus eius paſtor, *ſub blandimentorum ſpecie dolos deceptionis parant, & ei nonnumquam ſe ſpecie tenus inclinant, & dum verba molliunt, virus infundunt.* Vbi ergo ſe ingerit de hæreſi ſuſpicio, nec facilè ſunt quidam credendi, nec vllatenus admittendi. *Nolite*, inquit Ioannes, *omni ſpiritui credere, ſed probate an ſpiritus ex Deo ſint.* Examinandi ſunt, ſollicitè probandi, qui ad Ordinem accedunt; & ſi vel minima ſit de hæreſi ſuſpicio, aut circa rectitudinem fidei ſubſit dubitatio, reſpuendos eſſe ſatius & tutius ducit noſter Legiſlator, quàm ex eorum conſortio periculum offerri de Fratrum contaminatione.

Greg. lib. 3. Moraliũ cap. 15. Tom. 1.

1. Ioan. 4. v. 1.

5. AVT ETIAM INFAMATVS.] Quinam dicendi ſint infamati aut infames, præſcribunt c. Omnes verò. c. Illi. c. Infames. & c. Quicumque 6. q. 1. c. Infamibus, de Reg. Iuris lib. 6. c. Tantis 81. c. vlt. de Teſt. c. Deus omnip. de Accuſ. Ex quibus leges & rationes, propter quas quiſpiam dicatur infamis, colligit Bart. in L. 1. C. Ex quibus cauſis infam. irrogetur, & eruditè Aluar. Siluen. Epiſcop. lib. 1. de Planct. Eccl. c. 49. Duplicē verò aſſignant Iuriſperiti infamiam, Iuris vnam, alteram facti. De illa poteſt conſuli L. Quid ergo. §. Ex cõpromiſſo. & ſeqq. ff. De his qui notan. infam. & Innoc. in c. Qualiter & quando. de Accuſ. de iſta Iuris Interpretes in cap. Infamis ibidē. Eſt autem infamia *læſæ dignitatis qualitas reprobata quantum ad vitam & mores*, vt quidam definiunt: vel, vt alij, *exiſtimationis apud probos viros facta commaculatio.* Aliam tradit eius deſcriptionem Panormit. in c. Veſtra, num. 12. de Cohabit. Cler. Plures eſſe modos infamiæ, adnotant Doctores, nec omnem ſemper prodire ex infamati demeritis. Aliquando denigreſcit hominis opinio ex parum æquis coniecturis, aliquando ex iniuſta detractione, frequenter etiam diſpendium patitur honor ex hoſtium inſidijs. Id tamen parauit ſolaminis & medicaminis natura hominis æſtimationi, *quòd falſus rumor citò opprimitur; & vita poſterior iudicat de priori. Si anno præterito mentita eſt fama, iſto ceſſabit rumor.* At quam verum produxit crimen, infamia numquam aboletur.

Hieron. Epiſt. ad Marcell.

Pater, hominum immortalis eſt infamia,
Etiam tum viuit, cùm eſſe credas mortuam.

Plautus Perſ.

Quod eleganter inſinuauit Claudius Cæſar, qui dum cuidam notam appoſitam ſui criminis, deprecantibus familiaribus, ademiſſet, dixit, *Litura tamen eſt*; ſentiens, etiam remiſſa culpa, manere adhuc infamiæ prioris veſtigium: Vera infamia nullo retinaculo ſiſtitur, nullo ſigillo ſecreti clauditur, nullo cautelarum operculo retinetur, tempore non minuitur, ſed magnificatur. Hac infamia laborantes in hoc Sodalitium recipi vetat Franciſcus, ne bonus odor totius Societa-

cietatis apud exteros pereat. *Reuera*, inquit doctus ille Monachus, *quantumuis ſint honeſti & boni nominis viri, ſi tamen infamium conſortia recipiunt, ex tunc infames & ſuſpecti erunt: quidquid enim tetigerit immundus, immundum faciet.* Licet opulentam habeat quis ſubſtantiam, licet arrideat fortuna, licet eum reſpiciant & obſeruent vndique populi, bonum tamen non habeat nomen, non admittatur: præſtat pœnitentum cœtui pœnitentum eſuries, & tenuis facultas, dum benè audiat, quàm locupletum ſupellectilia vel potentiam ſibi communicari cum dedecore. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: ſuper argentum enim & aurum gratia bona.* & ex aduerſo, nihil deteſtabilius dedecoratione.

Petrus Berch. in Repert. mor. p. 2. verb. Infamia. n. 29.

Prou. 22. v. 1.

Quamquam res noſtræ ſunt, pater, pauperculæ,
Modicè & modeſtè eſt melius vitam viuere.
Nam ſi ad paupertatem admigrant infamiæ,
Grauior paupertas fit, fides ſubleſtior.

Plautus cit.

Eamdem appoſuit conditionem Leo X. pro ſuſcipiendis in Ordinem Tertiariorum in clauſtro viuentium c. 1. Regulæ à ſe pro eiſdem concinnatæ. Et in Cõſtitutionibus, quas modò obſeruant Tertiarij Regul. obſeru. congregationis Lombardicæ in Italia, eadem adhibetur cautio. Eamdemque obſeruari voluit Innocentius VII. pro Tertiarijs D. Dominici conſtit. Sedis Apoſt. c. 1.

6. INQVISITORIBVS PRAVITATIS HÆRET.] De iure & ex officio ad Epiſcopos pertinet de fidei cauſis cognoſcere, & grauiſſimæ extant Conſtitutiones, Conciliorumque Decreta, quæ ſui officij in hac re eos admoneant. Illa referunt Albertin. de Agnoſcen. aſſer. q. 11. n. 11. & 12. Simancas de Cathol. inſtit. tit. 25. num. 3. Peña 3. parte Direct. comment. 32. ſub litera C. Dum tamen multis & varijs negotiis impliciti, alias res fidei inquiſitionibus præferebãt, conſultò prouidit Eccleſia de Iudicibus delegatis, qui ex officio, & vulgari nomine, atque ex ipſa ſua inſtitutione in literis Apoſtolicis *Inquiſitores* appellantur, vt ſolùm res fidei, & quæ ad illas ſpectant, curarent. A quo verò tempore inceperint, quibuſdam non omnino conſtat. Peña citatus, & ſpeciali de hoc argumento libro, ac Alfonſus Fernandes in ſua Concert. Prædicator. volunt à B. Dominico, & cum Religionibus Prædicatorum & Minorum inchoaſſe. Plurima Honorij III. Innocentij & Alexandri IV. aliorumque Pontificum reſcripta ad vtriuſq; Inſtituti Profeſſores, contra hæreticam prauitatem deſtinatos Inquiſitores, videre eſt in fine Directorij Inquiſitorũ apud Laërt. Cherub. Tom. 1. ſui Bullarij, & in Monumentis Ordinis Minorum & Prædicatorum. Originalia, & multa authentica tranſumpta eorum quæ ad Minores data ſunt in hac re Diplomata, vidi anno 1619. in Archiuis noſtrorum Minorum Conuentualium Aſſiſien. Angelus Manrique Ciſtercienſis, vir planè doctus, publicus apud Salmanticenſes Theologiæ Profeſſor, quem ego obſeruabam, ad finem ſuæ Laureæ Euangelicæ, probatum vult apud ſuos, ante exortas has Reli-

De inſtitut. Inquiſitorũ.

giones floruiſſe, & cum laude, Iudices in fidei cauſis delegatos. Alij etiam eumdem ſibi honorem vendicant: quorum concertationem vel ſtudium ſcopus non eſt modò dirimere. Suppoſitum velim, iam diui Franciſci ætate, & quando hanc præſcripſit Regulam, huiuſmodi Inquiſitores extitiſſe, quorum iudicio puniendos voluit Tertiarios in fide errones: nec enim magna hoc eget probatione, cùm D. Fråciſcus Ordinem hunc inſtituerit anno 1221. quem eodem, vel ſequenti, hac Regula ſtabiliuit; & ante annos 1215. Innocentius III. contra hæreticorum prauitatem, & de inquiſitionibus circa eam faciendis, plura præſcripſerit, vt ex lib. 3. Regiſtri Innocentij conſtat. & B. Dominicus alijque viri Religioſi non ſegniter hæreticis ſe oppoſuerint, de eorum pernicioſis erroribus Apoſtolica auctoritate inquiſierint, doloſaſque artes detexerint, & diſſoluerint. Alij forſan velint, non tot tunc viguiſſe Inquiſitores, nec tam frequentes fuiſſe in Italia, vt ſtatim adeſſet in quauis Prouincia, cui de erroribus fidei plectendi traderentur, vt abſolutè videntur Legiſlatoris verba ſupponere; & proinde iudicent, Nicolai potiùs Pontificis, Regulæ approbatoris, quàm Franciſci eiuſdem inſtitutoris, hæc verba eſſe. Cum quibus multis non contendam, cùm, vt in Regulæ argumento prælibaui, non improbabile nec inopinabile putem, Nicolaum quædã ad Franciſci verba addidiſſe. Cuiuſcumque ea ſint, volunt non ſolùm hæreticum, verùm & ſuſpectum, præſertim ſuſpicione probabili aut vehementi, vel diffamatum de hæreſi, denuntiari debere apud Inquiſitores, vt ex ſuſpicione aut infamia procedant ad veritatis indagationem, & latentem detegant hæreticum, ne ſancta Fraternitas Æſopicum foueat in ſinu colubrum, & in confratres peſtiferum ſuum latenter diffundat venenum. Priùs tamen piè ac feruidè ſapienterque admonendum, ait Dionyſius Carthuſ. art. 3. in hũc eumdem locum, eum qui huiuſmodi laborat ſuſpicione aut infamia; eumque inſtruendum, vt à ſuo reſipiſcat, ſi qui erat, errore, & pœnitentiam condignam agat, ſicque verbis & factis oſtendat ſe eſſe Catholicum, & ſuſpicionem vel infamiam tantæ labis excutiat. De quo videndus Alfonſus de Caſtro in egregio ſuo illo Opere de Iuſta hæretic. punit. l. 2. c. 25. Ad Inquiſitores verò pertinere non ſolùm de manifeſtis hæreticis, verùm etiam de ſuſpectis in fide, & diffamatis de hæreſi, inquirere, docet Direct. Inquiſit. p. 2. q. 55. 56. & 57. Repert. eorumdẽ, verbo Præſumptio, verbo Suſpectus, & verbo Diffamatus; Locatus de Opere iudiciali; Zanchin tract. de Hæret. c. 11. Ioan. Milleus in fine Pract. crim. tract. de Præſumpt. videndus Peña ad loca proximè citata Direct. comment. 80. 81. & 82.

7. Et conditionem solerter explorent.] Qualitatem etiam & ſortem admittendorum conſiderandam admonet, ne viles homines, ſeruile aut probroſum hominum genus in hanc Societatem introducatur; quorum quò vilior conditio, eò rarior pœnitentia. Seruos & originarios ſæpiùs prohibetur in Iure Canonico d. 54. ad Eccleſiaſticæ

Exploranda conditio ad hunc Ordinem venientium.

cleſiaſticæ conuerſationis conſortium admitti. Videndum c. Generalis, eadem d. vbi præcipitur, ne Eccleſiaſticus famulatus huiuſmodi hominum admiſſione obfuſcetur. Et licet de ſuperiori famulatu intelligendus veniat ille textus, attamen ex eo ad hunc pœnitentum ratio procedit. Vilium etenim & triobolarium dedecore vileſcet benè inſtitutæ Congregationis opinio; & ex indiſcriminata improbæ colluuiei admixtione, tota dicetur Societas ex infima plebis fæce coaleſcere. Sunt & alij, qui fictè accedunt, vt ex pœnitentum ſocietate, vel perpetrati criminis notam aboleant, vel vt bonam ſibi opinionem concilient, per quam ad dignitates aſpirent. *Sunt nonnulli*, inquit Gregorius, *qui dum præſentis mundi gloriam eiuſdem mundi actionibus adipiſci non poſſunt, ſpeciem ſanctitatis appetunt, habitum venerationis ſumunt, imitatores antiquorum Patrum videri concupiſcunt.* Et Auguſtinus expertum ſe dicit *horum conditiones, & fictas pœnitentias, propter affectatas bonorum dignitates*; ad quas dum ſibi præcludi viam norunt propter animi morbos, & vitiorum languores, quibus laborare dignoſcuntur, huius fictæ medicinæ remedium adhibere procurant. *Cogunt*, inquit Auguſtinus, *multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum.* Vide ibidem ſanctum Doctorem, & Bernard. Senen. Tom. 2. Serm. 24. ar. 2. c. 1. Nec ignoti homunciones, nec fraudulenti ſimulatores ad Societatem hanc admittantur, cuius & nomen honorificum, & pœnitentia debet eſſe ſincera.

Gregor. l. 20. Mor. c. 15.

Auguſt. Ep. 50. ad Bonif. & habetur d. 5. c. Vt conſtituerentur

Ibidem.

8. ALIENORVM RESTITVTIONEM, &c.] Iure communi prohibetur in Religioſum aſſumi, qui vel ad ratiocinia reddenda tenetur, vel ad aliena ſoluenda obligatur, niſi priùs tanto vinculo rationabiliter ſe exuat. Vide d. 35. c. Legem. & Conſtitut. Sixti V. Cùm de omnibus. Silueſt. verb. Religio. 2. q. 4. & 6. Nauar. l. 3. Conſil. de Regul. Conſil. 3. n. 2. Et licet hi de Regularium profeſſione veniant intelligendi, non tamen abs re, nec incongruè voluit Franciſcus præmonendos eos, qui ad pœnitentiam exercendam accederent, de præmittenda alienorum reſtitutione. Nam, vt optimè Auguſtinus, *ſi res aliena, propter quam peccatum eſt, reddi poſsit, & non redditur, pœnitentia non agitur, ſed ſimulatur.* Similiter etiam docuit optimus Auguſtini Magiſter. *Homo*, inquit, *qui non ſtudet reddere homini, quod iniuſtè ab eo abſtulit, non timet adhuc Deum, & ignorat quid ſit vera pœnitentia.* Quomodo enim pœnitere poterit de peccatis commiſſis, qui adhuc gaudet de alienis retentis? Quomodo perpetrata expiabit delicta, qui manifeſtam in proximum non curat iniuriam? Quomodo Deum velit placatum, qui fratrem & proximum habet offenſum? *Satisfactio proximi* (inquit ex Auguſtino noſter inſtaurator Bernardin. Senen.) *præmittenda eſt omni operi, quantumcumque ſpirituali, & vtili, ſicut eſt deuota oblationis donum, vel Sacrificium; & nec oratio nec Sacrificium prodeſt, nec dignè exercetur ab illo, qui pro poſſe, & ſecundùm quod debet, non ſatisfecit ei quem læſit.* Qui ergo in hac Societate placare Deum velit per pœnitentiam, reſarciat proximi dam-

Præmittenda reſtitutio Ordinis ingreſſui.

Aug. Ep. ad Macedonium, & hab. 14. q. 6. c. Si res aliæ.

Ambroſ. Serm. 3. poſt Domin. 1. Quad. To. 1. & habetur 16 q. 2. c. Nã qui Deo.

Bernar Senen. Tom. 1. Ser. 36. art. 1. c. 1.

damnum per bonorum aut honoris reſtitutionem. Quæ, qualia, vel vbi, aut quando reſtituenda ſunt, qui exactè ſcire voluerit, conſulat citatũ Senenſem à Serm. 33. vſq; ad 40. & præcipua emolumenta reſtitutionis, Ser. 40. c. vltimo. Reſtitutionis materiam habes apud diuum Thom. 2. 2. q. 62. Alen. 4. p. q. 24. membr. ar. 5. & 6. Scot. in 4. d. 15. & Summiſtas communiter verbo Reſtitutio.

Et proximorum reconciliatio.

9. Proximis reconciliare procvret.] Neceſſarium ſanè conſilium. Nam in ſuum non ſuſcipit Deus amicum, quem fratris aut proximi nouit inimicum. Non poteſt concordiam habere cum Chriſto, qui diſcors voluerit eſſe cum Chriſtiano. Deo tua non placent munera, nec ſi te ipſum ei offeras in holocauſtum, dum ira aut odio excandeſcas in proximum. Ita ipſe præponendam ſtatuit fratris reconciliationem exhibendis ſibi honoribus, aut præſtandis obſequijs. *Si offers*, inquit, *munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs recõciliari fratri tuo, & tũc veniens offeres munus tuum.* O *admirabilem*, exclamat in hunc locum Chryſoſtomus, *benignitatem, & ineffabilem erga homines amorem Dei!* Honorem ſuum *deſpicit, dum in proximo charitatem requirit.* Parum infrà: *Interrumpatur*, inquit, *cultus meus, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi eſt fratrum reconciliatio.* Sine hoc Sacrificio, cetera Deo non placent, nec vllum proximo offenſi gratum erit obſequium. *Scire debemus*, inquit Auctor imperfecti Operis in Matth. *quòd quamdiu fideles homines aliquam diſſenſionem habuerint inter ſe, Deus illis non poteſt eſſe amicus; munus eorum non ſuſcipitur, oratio eorum non exauditur, vel ſi quid aliud bonum fecerint: quia nemo inter duos inimicos poteſt eſſe fidelis amicus amborum; ideò & Deus non vult eſſe amicus fidelium, quamdiu ipſi inter ſe fuerint inimici.* Paucis interpoſitis: *Conſidera qualem habet Deus conſcientiam circa nos, & quomodo fidem ſeruat hominibus: quia nos perfectè diligit, ideò inimicis noſtris non vult eſſe amicus. Vtputa, duo inimici eſtis fideles; ideò tibi non vult eſſe amicus, quia illi amicus eſt: & ideò illi non vult eſſe amicus, quia tibi amicus eſt. Ergo te diligens, illi eſt inimicus; & illum diligens, tibi eſt inimicus.* Amici ſui inimicum odio Deus habet, nec qui fratrem non diligit, in ſuam gratiam poteſt admittere. *Deus lucem habitat inacceſſibilem*; 1. Tim. 6. v. 16. ſed *qui fratrem ſuum odit, in tenebris eſt.* 1. Ioan. 2. v. 11. Non poteſt autem eſſe *ſocietas luci ad tenebras*, 2. Corin. 6. v. 14. Dei gratiæ ad odij peccatum. Quantumcumque ergo Deo munus offeras, vel in pœnitentum cœtum te connumeres, dummodò in corde virus maneat liuoris, tua non erunt Deo grata holocauſta. *Non iraſcitur Deus,* August. Ser. 16. de Verb. Domini, cap. 3. Tom. 10. *quia differs imponere munus tuum; te quærit Deus magis, quàm munus tuum. Nam ſi malum animum gerens aduerſus fratrem tuum, adueneris cum munere ad Deum tuum, reſpondebit tibi: Tu periiſti, mihi quid attuliſti? Offers munus tuum, & tu non es munus Dei.* Vt ſis ergo munus Dei, & ei tuum placeat de te Sacrificium, reconciliare priùs offenſo. *Qualis præceſſit offenſio, talis* Pſeudo-Chryſoſt. citatus.

Matth. 5. v. 23.

Chryſoſt. Hom. 16 in c 5. Matth. poſt medium, Tom. 2.

Pſeudo-Chryſoſt. Hom. 11. in c 5. Matth.

lis debet ſequi reconciliatio. Si cogitatu offendiſti, cogitatu reconciliare; ſi verbis offendiſti, verbis reconciliare. Omne enim peccatum quomodo committitur, eo modo, quoad poteſt, & pœnitetur. Pœnitendo de malè facto in proximum, eique verè & ex corde, vel noxam dimittendo, vel veniam petendo, & in gratiam redeundo, ſalutaria reddes tuæ pœnitentiæ exercitia. *Non eſt poſſibile,* inquit Chryſoſtomus, *quòd homo, qui dimiſerit proximo, non plenam remiſſionem aſſequatur.* De his vide plura apud eumdem lib. de Compunct. cord. inter Didactica ac Parænetica To. 5. Creſpet. in Summa Cathol. fidei, verbo Reconciliatio. Ioan. Trullum in Ord. Canonic. Regul. l. 4. & Valerium Maxim. l. 4. c. 2.

Chryſoſt. Hom. 36. in Act. Apoſt. ad fin. To. 3.

Innoc. c. Ad Apoſt. de regul.

Vnde & quale inſtitutum tempus probationis.

10. SI IS VIDEBITVR IPSIS IDONEVS.] Sanctiſſimos Patres refert Innocentius Papa vnius anni ſpatium pro probatione Nouitiorum ſtatuiſſe, tum in fauorem Nouitiorum, vt ſcilicet probent & experiantur, vtrùm poſſint difficultates & aſperitates Religionis portare; tum in fauorem Religionis, vt per conuerſationem annuam Nouitiorum, eorum mores & inclinationes Fratres cognoſcant, & videant an ad Religionem ſint idonei. Secundùm varias item hominum conditiones, varios etiam præfixerunt probationum terminos Iura antiqua, vt videre eſt c. Si quis incognitus, 17. q. 2. c. Monaſterijs, 19. q. 2. c. Gonſaldus, 17. q. 2. c. Solum. c. Conſtitut. & c. Ad Apoſtol. de Regul. Primas illas probationes, & rigoroſos modos priſcorum Monachorum examinandi aduentantes ad Religiones, qui ſcire voluerit, legat Climacum Grad. 4. & Iul. Nigron. comment. in Reg. 27. Societatis Ieſu, num. 3. Neceſſarias autem in Religionibus eſſe has probationes, optimè docet D. Bern. Sen. ex illo Ioannis: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus; ſi ex Deo ſint.* & ex illo Chriſti Domini: *Attendite vobis à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Nam,* ſubiungit Senenſis, *experientia teſte, quidam ad Religionem venientes in principio videntur agni, & modico elapſo tempore ſunt lupi. Non ſine magna experientia, & Dei lumine, Regulæ ſanctorum Patrũ prudentiſſime ſtatuerunt, quòd ad Religionem venientes anteà probarentur an ad talem Religionem apti ſint & idonei. Quis enim ædificator domus, vel nauis materialis, non ſolerter & prouidè perſcrutatur ligna & lapides; & diu cum multis ſciſſuris & tunſionibus parat, antequam in ædificio ponantur; nec ad hoc quoſcumque accipit, ſed ſolùm ſolidos, & ſuo artificio aptos: quantò magis in ſpirituali Religionum ædificio hoc ſeruari neceſſe eſt? Sicut igitur nullus eſt à pœnitentia, aut à ſpe veniæ reijciendus, ſi pœniteat verè; ſic nullus eſt ad intima Sanctorum vel Sanctarum collegia, vel ad firmam vel familiarem ſocietatem recipiendus, niſi priùs eius idoneitas per ſigna ſufficientia comprobetur.* Sua autem habet Religio vel benè inſtituta Societas ſigna & regulas, per quas in ſe connumerandos exploret, & menſuras, per quas hos tyrones ad militiæ normam & leges coaptet. Habet abſtinentiæ rigorem, per quam, temperantiam in Religioſis neceſ-

1. Ioan. 4 v. 1.

Math. 7. v. 15.

Bernar. Senen. Tom. 2. Ser. 24. art. 2. c. 1.

neceſſariam, in Nouitio præſentiat, vel intemperantiam aut ventris ingluuiem tyroni innatam proſpiciat. Habet & caſta eloquia, & Angelicã puritatem, ad quam facilè laſciuia vel incontinentia probetur. Refrænat petulantes mundanaſq; voluntates, quæ faciliter & ſagaciter obedientiæ duris & peregrinis aliquãdo præceptis explorantur & deteguntur. Premit aliquando & comprimit iuuenum volũtates benè inſtituta Societas, vt exſugat ſæculares humores, & ſulco regularis diſciplinæ cordis terram aperit, vt eius qualitatem agnoſcat, & conditionem apertiùs comperiat. Ita faciendum præcepit Deus filijs Iſrael.
Leuit. 2. v. 14. *Si obtuleris*, inquit, *munus primarũ frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris.* In quem locum peruetuſtus & doctus Abbas
Radulph Flauiacenſ. l. 2. in Leuit. c. 10. Radulphus: *Notum eſt quia ſpicæ virentes, niſi igni aduſtæ & confractæ, palearum tegumenta minimè deponunt. In hunc modum nec mentes Neophytorum, deſideriorum carnalium humoribus adhuc grauidæ, abſque tribulationis igne, & propriæ voluntatis confractione, mundanorum affectuum paleas minimè à ſe abijciunt. Aduſtionis ignem eis Religionum Rectores adhibent, cùm abſtinentia corpus affligunt, laboribus ſubdunt, vigilijs frigoribuſque fatigant.* Per hũc ignem tamquam aurum probantur; his experimentis, an idonei ſint, comperitur. Et ſi ſtatim vt adueniunt, non facilè ſe prodant, ante annum expletum, quem promittant fructum, diſcreti viri & prudentes Magiſtri facilè apprehendunt. Infructuoſam illam ficulneam ſagax agricola noluit ſta- Luc. 13. v. 8.
tim ſuccidi, vt optimè ad hoc inſtitutum notat Bonauentura, ſed vno anno rogauit dimitti, ne præſcinderetur, vt fructus ab eo agricolatus, adhibito fimo, expectaretur. Bonau. in Regul. Minor. c. 2. Expectandus & ſuſtinendus per aliquot menſes nouus in Religione miles, donec ad ſpiritualia arma, quorum vſum non habet, ſemet adaptet; & ad religioſa exercitia, quibus inhiat, ſeſe componat. Non ſtatim, vt quidquam veteris hominis in tyrocinij limine Magiſter redoleat, à ſancto cœtu expellendus; ſed fimo, & ſuaui Præceptoris iuuamine, eius adiuuanda & fouenda deſideria, vt nec nimio rigore ſuffocentur, nec molli blanditie diffluant aut liquefiant. Vide de his præ ceteris Bonauent. in Pharetra, l. 1. c. 29. & in Form. Nouit. p. 2. c. 1. & 2. Quid ad Nouitios attineat, plenè accipies à noſtro Dauide de Auguſta, ſanctitate & antiquitate ſatis commendato, in Formulis Nouitiorum, & de Septem proceſſibus Religioſi, quæ inuenies nouiter edita To. 13. Biblioth. vet. Pat. recentioris editionis Colonienſ. Quædam ex his prodiere an. 1593. Quantus fuerit hic vir, & qualia eius Opera pro inſtruendis tyronibus, qui ſcire voluerit, cõſulat Præfationem & elogia eius Operibus præfixa, Iacobũ VVimpfelingium in Apolog. pro Rep. Chriſtiana, & Anton. Poſſeu. in eius Apparatu Tom. 1. Plura habet ab eo mutuata Bonauentura, vel ille exſcripſit è Doctore Seraphico, circa quod modò non immoror; alia ſe offeret occaſio vt hoc dubium aperiam. Circa idẽ tempus floruit vterque.

11. VT PROMITTAT SE DIVINA PRÆCEPTA, &c.] Circa obligationẽ ſeruan-

Qualiter tenẽantur Tertiarij ad obſeruantiam diuinorum præceptorũ. ſeruandorum præceptorum Dei, quam hæc promiſſio inducebat, diſcreparunt inter ſe Doctores. Dionyſius Carthuſ. ar. 7. & 28. in Regula Tertiariorum dicit, quod & alij voluerunt, ex vi huiuſmodi profeſſionis, huius Regulæ ſectatores denuò teneri ad omnia & ſingula præcepta diuina ſeruanda, & ad tranſgreſſionem vniuſcuiuſque ſuam violare Profeſſioné, nouumque & grauiſſimum perpetrare peccatum. Alij ſaniùs ex ipſa Regula deducunt, per tranſgreſſionem quorumcumque Dei mandatorum, à Fratribus vel Sororibus huius Ordinis vnum ſolum committi reatum contra Dei legem, nec aliud ſuboriri peccatum ex violata Profeſſione; nec per emiſſam hanc promiſſionem, peccatum, v.g. furti, fieri duplex peccatum, aut duobus æquiualens, ſed eiuſdem ſpeciei ac grauitatis cum delictis ceterorum fidelium non profeſſorũ. Ita Antonius de Sillis Adnot. 5. in c. 9. Regulæ Tertiariorum Regul. Miran. & Carillo in hunc locum. Multorum etiam Academicorum, præcipuè Salmanticenſium, Complutenſium, Conimbricenſium, Toletanorum, & aliorum virorum doctorum ſubſcriptiones ad idem confirmandum adhibet Miranda cap. 5. primæ impreſſ. eorumque meminit Petrus de Salazar lib. 6. ſuæ Hiſtoriæ Prouinciæ Caſtellanæ, cap. 1. Quibus & ego eò libentiùs aſſentior, quò clariùs ipſimet Pontifices, ad Legiſlatoris mentem, ita declararunt. Vide vltimum caput huius Regulæ à Nicolao IV. Conſtit. *Supra montem* inſerta, & Conſtit. Nicolai V. *Apoſtolicæ*, Leonis X. *Inter cetera* c. 10. Proœmium Regulæ, quam ex varijs Pontificum indultis, ex antiquis Regulis Nicolai IV. & Leonis X. ac Conſtitutionibus ipſius Religionis, concinnauit Bonauentura à Vincentia pro Tertiarijs Regularibus Italiæ, Congregationis Lombardiæ, & literas eiuſdem datas ad ſuos fratres anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo primo affixas eidẽ Regulæ. Similem habent declarationem Tertiarij D. Dominici cap. 21. ſuæ Regulæ, videlicet ſe ad nullam culpam obligari, ſed ad pœnam ex vi ſuæ Profeſſionis. Conſule diuum Thomam 2. 2. q. 186. art. 9. & eius Commentatorem Caietanum ibidem.

12. PER MANVM PVBLICAM INSCRIPTIS, &c.] Moris fuiſſe apud antiquos, vt Profeſſionis fidem facerent publicis teſtimonijs Notarij, colligitur ex B. Iſidoro in Regula Monachorum c. 14. ex Conc. Toletano X. c. 4. ex Anſelmo Epiſt. 4. & docet Claudius Spencæus lib. 4. de Contin. c. 13. & 16. In Regula etiam proximè citata Tertiariorum Regularium Italiæ c. 9. iubetur, vt *profeſſionem publicus Notarius, vel Prælatus ipſe (ſi maluerit) cum ſui officij ſigno, & ſcribat, & conficiat.* Copiam verò inſtrumenti, & modum quo teſtimonium hoc factæ inter Tertiarios ſæculares Profeſſionis antiquitus exhiberi ſolebat, offendi in libello quodam à Dominico Farri denuò excuſo Venetijs anno Domini milleſimo ſexcenteſimo tertio, in quo Regula, Conſtitutiones, ritus, indulgentiæ, & alia quæ ad Tertiarios ſpectant, collecta Lectori offerebantur. Eam deſiderantibus ſubijcio. *Publicum fiebat antiquitus Profeſsionis inſtrumentum.*

EXEMPLAR INSTRVMENTI PROFESSIONIS TERTIARIORVM.

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem milleſimo, &c. Pontificatus Domini noſtri Papæ, &c. In ciuitate, & loco, &c. præſentibus, &c. teſtibus ad hoc vocatis, ſpecialiter rogatis, N. &c. perſonaliter conſtitutus coram honeſto viro, &c. Miniſtro Fratrum & Sororum de pœnitentia, ſiue continentium, qui communiter vocantur tertij Ordinis ſancti Franciſci, dixit, expoſuit, ac ſponte confeſſus eſt ſe legiſſe, ſeu legi audiuiſſe Regulam dicti tertij Ordinis, & ſe habere ſufficientem notitiam de omnibus & ſingulis in ea contentis, ac modum viuendi per beatum Franciſcum in ipſa Regula traditum, quem iam per annum expertus eſt, ſibi valdè placere, & ſe velle libenter ipſum viuendi modum aſſumere, ac in obſeruantia ipſius firmiter iuxta poſſe perſeuerare. Ideò dictum Miniſtrum cum inſtantia poſtulauit, ſe ad Profeſſionem dicti Ordinis ab ipſo Miniſtro recipi, admitti, ac ſe per eum Fratribus & Sororibus ipſius Ordinis aggregari. Qui Miniſter, audita petitione dicti N. & Fratrum prælibati Ordinis fide dignorum relata de ſua fama, honeſta conuerſatione, & laudabili vita, bona informatione præhabita, præmiſſa quoque debita examinatione de omnibus neceſſarijs, ſecundùm formam Regulæ prælibatæ, ac per ipſum Miniſtrum eidem N. diligenter expoſitis cunctis oneribus per dictam Regulã exponendis, nec non dicti N. conditione, & inſtantia, maturè conſideratione penſatis, ac omnibus & ſingulis alijs peractis, quæ de neceſſitate Regula ipſa requirit, deuoto & laudabili deſiderio ipſius N. humiliter flexis genibus, vt moris eſt, ac iunctis manibus inter manus Miniſtri recipientis, diuino motu, proprio conſenſu, & ex certa ſcientia, libera & viua voce profeſſus eſt, ac promiſit Deo omnipotenti, beatæ Mariæ, beato Franciſco, & omnibus Sanctis, & dicto N. Miniſtro, ſe toto tempore vitæ ſuæ Regulam Fratrum de pœnitentia per Dominum Nicolaum Papam Quartum confirmatam, & diuina præcepta ſeruaturum, ac ſatisfacturum de omnibus tranſgreſſionibus quas committet contra hunc viuendi modum, cùm interpellatus ad Viſitatoris extiterit voluntatem. Quam profeſſionem dictus Miniſter admiſit, & dictum N. profitentem, & promittentem, vt ſuprà, Fratribus & Sororibus dicti Ordinis aggregauit, volens & mandans quatenus dictus N. & tunc, & deinceps, vti & gaudere poſsit omnibus & ſingulis illis beneficijs, priuilegijs, immunitatibus, & generaliter quibuſcumq; alijs gratijs, quibus alij de Ordine Fratrum de pœnitentia, ſiue continentium in ipſo Ordine vti & gaudere poſſe noſcuntur, &c.

Nunc verò obtinuit apud Religioſos conſuetudo, vt ipſe Prælatus Monaſterij, & alius quiſpiam ex dignioribus cum Magiſtro Nouitiorum ſuis ſyngraphis teſtentur emiſſam Profeſſionem, ipſeque qui profeſſus eſt, ſubſcribat in libro ipſius Domus diſciplinaris, vel tyrocinij; vt ſemper affirmet ſubſcripta Profeſſio, quod aliquando diabolica velit negare pœnitudo.

In

In aliquibus regionibus Tertiarij ſæculares, iuxta Regulæ præſcriptum, ad ſuam Profeſſionem Notarium publicum & teſtes adhibent: in alijs ſubſcribunt eorum Profeſſionibus in libro Fraternitatis Miniſter & Viſitator huius Sodalitij.

13. AD SÆCVLVM REVERSVRVS.] Qui Dei militiæ ſe adſcripſit, & ſæculi vanitatibus renuntiauit, meritò prohibetur tertiæ Regulæ profeſſor ad eaſdem redire. Vt ſæculum fugeret, ſæculi habitum depoſuit: vt ſæculi iniquitates in ſe reprehenderet, pœnitentium veſtem aſſumpſit. Nihil vult commune cum ſæculo, qui nec ſæculi exuuias vult retinere. Mundum ſibi diſplicere, mundanaſq; ſordere iniquitates oſtendit, qui cum Deo pactum init, eiuſque ſpondet præcepta ſe ſemper obſeruaturum. At ſi ad ſæculum denuò redeat, ſi iterùm cum ſæculo gratiam ineat, datam violat fidem; & cuius anteà ſe ſpopondit amicum, modò ſe probat aduerſarium. Mundus Deum

Ioan. 15. v. 18. odio habuit, vt ipſe ſuis intimauerat: ſi ergo ad Dei inimicum redieris, Deum te dereliquiſſe de-

Chryſoſt. ſer. 1. de Martyrib. in fin. Tom. 3. monſtras. *Amici ſui inimicum*, inquit Chryſoſtomus, *nemo in amicitiam ſumit. Hoſti Domini ſui ſeruus numquam famulatur. Nemo miles ab Imperatore extraneo ſtipendium accipit; ſin autem, illum cui militat lædit. Quid agis ſi Domini hoſtem amicum habueris? Quid agis, inquam, ſi dilexeris ſæculum, Saluatoris Chriſti hoſtem pariter & inimicum? Quid agis, inquam, ſi amaueris mundum, qui Deum tuum inimica crudelitate peremit? Aut enim eris ſeruus acceptus, ſi Domini tui inimicum fueris deteſtatus; aut ſi eius amaueris inimicum, eris ipſe à Domino alienus. Quare aut oderis inimicum neceſſe eſt, ſi Domini tui volueris eſſe chariſſimus: aut ſi eius amaueris inimicum, cum eodem in die iudicij mulctaberis. Fuge, Chriſtiane, fuge quod Dominus non amat; deteſtare & horre, quæ Dominus tibi deteſtanda mandauit. Fuge quod iam fugiſti, non redames quod iam deſpexiſti.* Qui Dei obſequio te dedicaueris, ne te rurſum vile mancipium ſæculo tradideris. *Eſto firmus* Eccle. 5. v. 12.
in via Domini. Bonum principium bono corona fine. *Non ſufficit bona incipere, niſi etiam quiſque ſtudeat, ea quæ benè inchoauit, vſque ad finem vitæ perducere; quia melius eſt viam iuſtitiæ non cognoſcere, quàm poſt cognitionem retrorſum conuerti.* Pſeudo-Bern. l. de Modo benè viuendi, c. 20. Modum, quo per iuſtitiæ ſemitas tendendum ſit, myſterioſa illa Prophetæ animalia docuerunt. *Non reuertebantur*, in- Ezech. 1. v. 9.
quit Ezechiel, *cùm ambularent.* *Pennata animalia*, explicat Gregorius, *cùm incedunt, minimè reuertuntur; quia Dei ſerui ſic à terrenis actibus ad ſpiritualia pertranſeunt, vt ad ea quæ reliquerunt, vlteriùs nullatenus reflectantur. Quaſi enim per quamdam viam eis incedere, eſt mente ſemper ire ad meliora. Quo contrà de reprobis dicitur, quia reuerſi ſunt corde in Ægyptum. Per* Greg. l. 1. in Ezech. Ho. 3 & habetur de Pœnit. diſt. 2. c. Pennata.
ſemetipſum Veritas dicit: Nemo Luc. 9. v. 62.
mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt Regno Dei. Manum quippe in aratrum mittere, eſt quaſi per quemdã compunctionis vomerẽ ad proferendos fructus terram ſui cordis aperire. Sed retrò poſt aratrũ reſpicit, qui poſt exordia boni operis

ris ad mala reuertitur quæ reliquit. Voluit Dominus à retrogrado hoc curſu homines terrere, dum in memoriam reuocauit in montem tendĕtis, ſed à tergo reſpicientis, miſerę feminæ ſuppliciũ. *Memores eſtote,* inquit, *vxoris Lot; quæ* (vt declarat Ambroſius) *ideò quia reſpexit retrò, perdidit naturæ ſuæ munus. Retro enim ſatanas, retrò Sodoma.* Retrò mundus, retrò poſt nos temporalia & caduca; ante nos cælum; ante æterna, & bona ineffabilia. Meritò ergo hæc faſtidientis, & ad illa reſpicientis immodica fatuitas pungente ſale condîtur; & iuſtè naturæ munus perdidit, quæ contra naturam vera bona deſpicit, & ad deteriora ſuſpirat. Quàm aliter ſe feciſſe Paulus teſtatur. *Quæ retrò ſunt*, ait, *obliuiſcens, ad anteriora me extendens deſtinatum perſequor brauium: quia temporalia contemnens*, ſubiungit Gregorius, *ſola quæ ſunt æterna, quærebat.* Tales vult Dominus, qui ſibi militant, qui perſeuerant in bono, qui quæ aſſumpſerunt arma pœnitentiæ, & loricam iuſtitiæ, non ſtatim vel ad ſatanæ moleſtias aut ſæculi blanditias facilè deponant. *Die ac nocte,* inquit Deus tabernaculi miniſtris, *manebitis in tabernaculo. Diem ac noctem* (exponit Radulphus) *proſperitatem & aduerſitatem intellige. Sunt quidam, qui per diem de loco ſancto exeunt, quia nimia rerum temporalium abundantia aut extolluntur, aut intemperanter vtentes corrumpuntur. Per noctem verò de tabernaculo exit, qui inimici tentatationibus fatigatus à iuſtitia recedit. Sed die ac nocte manendum in tabernaculo Lex præcipit, vt ſcilicet nec proſperitas nos corrumpat, nec aduerſitas frangat.* Multa de perſeuerantia in Dei obſequio, qui videre voluerit, conſulat Gregorium & Auctorem lib. de Modo viuendi apud Bern. citatos, Pſeudo-Aug. Serm. 8. ad Fratres in Eremo, To. 10. Aug. ipſum lib. de Dono perſeuerantiæ, Tom. 7. Ambroſ. in c. 10. ad Hebræos ad illa verba, *Patientia vobis neceſſaria eſt*, Tom. 3. & Serm. 1. de Reſurrect. Tom. 5. Bernar. Epiſt. 119. ad Ianuenſes, ad med.

Lucæ 17. v. 32. Ambroſ. l. 7. in Lucam, Tom. 3. Philipp. 3 v. 14. Greg. citatus. Leuit. 8. v. 35. Radulp. Flauiac. lib. 6. in Leuit. c. 5.

14. AD RELIGIONEM ALIAM APPROBATAM.] Videntur hęc verba ſupponere, ſanctam hanc ſocietatem Religionem eſſe vocandâm, quod & viſus eſt probare B. Ioan. à Capiſtr. in ſuo Defenſorio huius tertij Ordinis, argumento primo. Cui ſubſcribunt alij ſex Iuriſprudentiæ Doctores, quorum rationes videre eſt ad finẽ eiuſdem Defenſorij, & apud Bernardinum de Buſtis in Roſario, Tom. 2. ſerm. 27. par. 2. Idem ſub illo tempore tenuerunt alij, quando in quæſtionem vertebatur, an huius Regulæ ſectatores dicendi erant perſonæ Eccleſiaſticæ, & gaudebant priuilegio Clericali; quo gauiſos fuiſſe ſuo tempore in aliquibus locis per literas Alex. IV. & Cæleſt. V. & præcipuè Mediolani ex repetita Iudicum ſententia ait Capiſt. citatus, & ad finem Defen. de quo videndi D. Antoninus 3. p. Hiſt. tit. 23. c. 5. §. 4. Collector Compend. priuileg. §. Inſuper circa Tertiarios, Sixtus IV. Conſtit. *Sacroſancta Romana Eccleſia*, edita an. 3. ſui Pontificatus, relata ab Ant. Sillen. To. 2. pag. 49. Ludou. Miran. c. 9. in Expoſit. eiuſdem Regulæ, & Cõſtitutiones Reuerendiſsimi Patris Archan-

An tertius hic Ordo vocandus Religio, & an gaudeat priuilegio Clericali.

changeli de Meſſina pro Tertiarijs editæ anno 1609. ad ſinem. Attamen poſt deciſionem Leonis X. in Concil. Lateran. Seſſ. 11. dubium in hac re amotum eſt; nec Eccleſiaſticorum gaudent immunitate, aut propriè Religioſi dicũtur Tertiarij, nec approbatus eſt hic Ordo pro propria aut vera Religione, ſed pro laudabili & benè inſtituta Societate; aut bono ordine & modo viuendi, in quo commodiùs quis pœniteat de commiſſis delictis, & faciliùs caueat committenda. Ita docuit B. Tho. 2. 2. q. 186. art. 4. ad 3. in vniuerſum de illis Ordinibus aut modis viuendi, in quibus non fiunt tria vota eſſentialia, & perpetua continentia non obſeruatur. Eſſe tamen ait Religiones ſecundùm quid, in quantum ſcilicet in aliquo participant quædam quæ ad ſtatum Religionis pertinent. Quo ſenſu Anton. Bonfinius Decad. 2. l. 7. Rerum Hungaricarum B. Eliſabetham ait Religioni ſe aſſeruiſſe; alijque dicunt, Religioſum habitum induiſſe. Et in eodem ſenſu æquiuoco aut lato hos voluit dici Religioſos Capiſtr. citatus. ipſe namque argumento 15. eos negat eſſe propriè Religioſos, ſub his verbis: *Fratres, & Sorores tertij Ordinis retinentes proprium, & coniugium ex Regula ſibi data, quamuis cum effectu* (id eſt propriè, aut in rigore) *Religioſi cenſeri non poſſint, quia non profitentur tria vota ſubſtantialia*, &c. Idem habet Nauar. l. 3. Conſil. de regular. conſil. 35. n. 1. & conſil. 54. num. 1. Roder. Tom. 2. qq. Regul. q. 66. ar. 5. & Tom. 3. q. 72. ar. 1. & q. 74. ar. 11. Emanuel Sà in Aphoriſ. verbo Religio, n. 41. Bart. in L. Semper. §. Quibuſdam. ff. de Iure immun. Baldus Conſil. 272. volum. 1. & Gloſ. in Clement. Cùm de quibuſdam, de Religioſ. dom. verbo Obedientiã. Et in Clem. Cùm ex eo. de Sent. excom. verbo Tertio. Idemque voluit ipſe Legiſlator, cùm indiſcriminatim dixit liberum eſſe tranſitum ad quamcumque Religionem approbatam, abſque eo quòd exciperet laxiores, aut minùs perfectas, ſupponens quamcumque Religionem, quæ verè Religio ſit, hoc Ordine eſſe perfectiorem, & propterea ab hac Societate ad illam poſſe aſcendi, iux. c. Licet. de Regular. & varias Pontificum Conſtitutiones. Quòd autem dixerit, *aliam Religionem*, non obinde ſuppoſuit hanc verè dici Religionem: nec enim particula *alia* ſemper refert aut ſignificat res eiuſdem omnino ſpeciei aut conditionis, vt notarunt plures ad illum locum Ioan. 19. *Et crucifixerunt cum eo alios duos*, &c. ſed in aliquo ſimiles, licet in alijs diſſimiles, vt habet Gloſ. in L. Fugitiui. C. de Seruis fugitiuis; & docuit Afflic. deciſ. 244. col. 2. Aret. & Iaſon in L. Quicumque. & Bart. in L. Sed & reprobi. in prin. de Execut. tut. Et ſimiliter intelligẽda veniunt illa verba cap. 5. eiuſdem Regulæ, *Cum Religioſis ceteris*, &c. Quando verò & à quibus hic Ordo fuerit approbatus, qui ſcire voluerit, legat Capiſtr. citatum, parum ante finem, & Anton. à Sillis To. 2. de Tertiarijs, in principio, vbi varias Honor. III. Greg. IX. Innoc. & Nicolai IV. hanc Societatem approbantium & confirmantium literas refert.

15. Nisi de ipsorvm licentia.] Similiter prohibuit in Regula

la 3.c.2. ne ad ſecundum Ordinem à ſe inſtitutum admitterentur, niſi quæ ſolutæ erant à lege viri per eius mortem aut conſenſum. Et in Regula 2. cap. 2. ad Fratrum Minorum Sodalitium iuſſit eos dumtaxat recipi, qui vxores non habebant, vel qui earum conſenſu Religionis vinculis ſe poterant adſtringere. Non ignorauit etenim à Paulo daclaratum, quòd *mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* Vnde conſequenter adiunxit: *Nolite fraudare inuicem, niſi forte ex conſenſu. Quid hoc est?* (interrogat Chryſoſtomus.) *Ne contineat, inquit, mulier inuito marito, neque maritus nolente vxore. Et rectè dixit,* (ſubiungit paucis interpoſitis) *Nolite fraudare. Fraudationem hic, & debitum ſuperius appellans, vt dominij oſtenderet incrementum. Altero enim inuito continere, eſt alterum priuare, volente autem minimè. Non enim ſi me perſuaſo ex meis aliquid acceperis, dico me fraudari aut priuari.* Iuſtè proinde ſtatutum eſt in Iure Canonico, ne alteruter coniugum Religionis habitum aſſumat vel retineat altero renuente; vel numquam conſentiente. Vide c. Cùm ſis, c. Vxoratus, & c. Placet, de Conuerſ. coniug. & 27. q. 2. c. Sunt qui, c. Multorũ, c. Agathoſa, c. Si quis, & c. Quia Agatho. Facit & c. Si tu abſtines, ibidem & c. Secundùm verba 33. q. 5. & plures textus ſparſim in Iure pro eodem. Conſule Scotum in 4. d. 32. q. vn. Egregia certè ſimilitudine Chryſoſtomus matrimonij arctiſſimum hoc vinculum explicauit ad illa verba Pauli: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit. Nam quemadmodum,* inquit, *ſeruus fugitiuus etiamſi dominum heriilem relinquant, catenam ſecum trahunt attrahentem: ita & mulieres etiamſi viros relinquant, legem habent pro catena ſe perſequentem, & accuſantem.* Imò dixerim, nec ſi velint, eas poſſe totaliter à maritis renuentibus ſemet retrahere, aut ad fugitiuorum morem ſe totas ab eis ſeparare. Nam poſtquam copulatione coniugij viri atque mulieris vnum corpus efficitur, vt ad primos mundi ſponſos & coniugum primarios in ipſis ſponſalitijs dixit Deus, in renuente coniuge media remanet pars recedentis. Cuius indiuiduæ ſocietatis cõſideratio mouit ſanctum Antiſtitem Gregorium, vt cuidam Agethoſæ ſuum maritum, iam Monachum tonſuratum, reddi præciperet, dummodò abſque eius culpa aut conſenſu ab ea receſſerit ad Religionem. *Nam non poteſt,* inquit, *quiſpiam coniugum ex parte ad Religionem conuerti, & ex parte in ſæculo remanere.* Licet autem in hac Societate ineunda non occurrant hæ rationes, nec à toro ſeparatio per aliquos dies præcipiatur in Regula, vt falſò autumarunt Federic. de Sen. Laurentius Doctor antiquus, & Ioan. Andre. in gloſ. c. Cùm ex eo, de Sent. excom. verbo Continentes: attamen nec ad hæc ipſa pœnitentiæ opera & charitatis exercitia ſub proprijs tectis abſque coniugij & optatæ Societatis præiudicio obſeruatu facillima, voluit vir ſanctus mulieres accedere, vel admitti, ſine virorum licentia. *Vir enim caput eſt mulieris;* & abſque capite nullum ſanum erit conſilium. Subiectas proinde iubet

Vxores non admittendæ abſque maritorũ licentia.

1. Cor. 7. v. 4.

Chryſoſt. Hom. 19. in c. 7. 1. ad Corin. Tom 4.

1. Cor. 7. v. 39.

Chryſoſt. ſerm. de Libell. repud. Tom. 4.

Gen. 2. v. 24.

Gregor. ep 44. ad Adrian. Notar. & hab. 27. q. 2. c. Agathoſa.

Federic. de Sen. cõſil. 145 Laur. citatus à Capiſtr. in Defenſor. § Sic aliqui.

Epheſ. 5. v. 23.

bet Apoſtolus eſſe maritis ſuis in omnibus, ita vt & in bonis operibus obeundis viri exploranda ſit voluntas, & humiliter imploranda facultas. Vnde vehementer obiurgat Auguſtinus Religioſam feminam Ediciam, quòd facultates ſuas, mariti non petita licentia, duobus Monachis pauperibus erogandas donauerit. *Mulierem*, inquit, *coniugatam non licet dicere, Facio quod volo de meo; cùm & ipſa non ſit ſua, ſed capitis ſui, hoc eſt viri ſui.* Subiungit: *In his diſponendis atque faciendis, ſi quod tibi fortè melius videretur, ſuggereres viro reuerenter, eiuſdemque auctoritatem, tamquam tui capitis, ſequereris obedienter, vt omnes qui ſanum ſapiunt, ad quos poſſet hoc bonum veſtrum fama perferre, de domus veſtra fructu ac pace gauderent, & aduerſarius reuereretur, nihil habens dicere de vobis prauí. Etiamſi de faciendis eleemoſynis, & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere & magno tam euidentia præcepta ſunt Domini, cum viro tuo fideli conſilium communicare deberes, eiuſdemque non ſpernere voluntatem.* Plura in hanc ſententiam ibidem ſubnectit, & in qq. ſuper Numeros q. 59. vbi ad illa verba, *Uxor in domo viri ſui ſi vouerit & iuramento ſe obſtrinxerit, vt per ieiunium, vel ceterarum rerum abſtinentiam affligat animam ſuam, in arbitrio viri erit, vt faciat, ſiue non faciat*; docet, omnes vxoris actiones & vota ad viri iudicium eſſe regulanda. Et ſi dubitaueris quare noſter hic Legiſlator præcipiat ſolis vxoribus, & non è regione viris etiam, conſortis expetere veniam; ab hoc dubio ſua egregia doctrina, & humili ponderatione te expediet Auguſtinus ibidem. Pro debita mulierum ſubiectione vide Hieron l. 3 in c 5. Ep. ad Epheſ. ad illa verba, *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint*; & lib. 1. in c. 3. Epiſt ad Titum, ibi, *Anus ſimiliter*, &c. To. 6. Chryſoſt. citatum, & Hom. 34 in cap. 15. 1. ad Corinth. ante med. To. 4.

Auguſt. Epiſt. 199 poſt. med. To. 2.

Num. 30. v. 11.

16. Et colore, &c.] Voluit vt ſecundùm ſui Ordinis inſtitutum Fratres pœnitentes etiam in ipſo habitu & habitus colore pœnitentiam prætendant. Humilem & vilem voluit habitus materiam; variegatum & vanum noluit veſtis colorem. Medium ſtatuit, vt eſſet inter album & nigrum, quem berretinum vocant Itali, alij griſeum, alij cinereum. Hunc magis ſpectare ad humilitatem, exemplaritatem, & congruentiam ſtatus Tertiariorum, ait Dionyſ. Carthuſ. Griſeus etenim aut cineraceus, deſpectior & vilior ceteris coloribus medijs, congruit vilitati veſtis, humilitati ſtatus, pœnitentiam repræſentat, & ad mortis excitat memoriam. Ad pœnitentiam quippe priſci cinerem adhibebant; & ſancta mater Eccleſia ſparſis in capite cineribus filios ſuos admonet, meminerint ſe eſſe mortales. Colorem hunc ſatis extollit Bernar. à Buſtis, & eiuſdem fuiſſe veſtem Chriſti inconſutilem, probat ex teſtimonio Baptiſtæ de Leuanto, qui præſtito Mediolani ex publico ſuggeſtu iuramento, ſe eam vidiſſe aſſeruit, idque obſeruaſſe. Sub hoc colore incedunt Tertiarij communiter, nec alium admittunt, quos vidi ex Hiſpanis, qui ſe publicè hanc Regulam ſectari profitentur, vel in ipſis pileis aut calceis, ita vt ſe totos pœnitentiæ,

Carthuſ. ar. 14.

Quis Tertiarios color deceat.

Buſt. 2. p. Roſar. ſerm. 27. par. 2.

nitentiæ, & mundi contemptui obſtrinxiſſe iudicentur. Quas obſeruaui Sorores huius Ordinis in ipſo oppido Canarij, Aſſiſij, per Vallem Spoletanam, & in Vrbe, portant exteriùs etiam mantellum griſeum: quod prohibuit Hiſpanis Archangelus à Meſſina in ſuis Conſtitutionibus. Italæ humiliùs, & magis ad Legiſlatoris & Pontificum mentem accedunt. Hiſpanarum plurimas quis curioſitatis redarguet, dum pœnitentiæ habitum curioſiùs adornant, & ſericis excolunt, vt eum potiùs ad decorem quàm ad pœnitentiam geſtari non immeritò contendas. Eas optimo iure verbis illis increpes Bernardi: *Quæritur ad induendum non quod vtilius, ſed quod ſubtilius inuenitur; non quod repellat frigus, ſed quod ſuperbiæ compellat: non denique iuxta Regulam, quod vilius comparari poteſt, ſed quod venuſtiùs, imò vaniùs oſtentari.* Non improbare velim iuxta Regulæ indulgentiam diſpenſari in habitus pretio & colore (ſicut ſtatuit Reuerendiſſimus Pater Petrus Gonzales de Mendoça Madriti an. 1606. tunc Commiſſarius Generalis Hiſpaniarum, nunc digniſſimus Archiepiſcopus (Cæſarauguſtanus, in Adnotatiunculis ad hunc locum) cum nobilioribus Heroïnis, è quarum numero etiam ſunt in Hiſpania pleræque, quæ ad hanc Regulam ſuam vitam adaptent, inter quas primas ducunt Sereniſsimæ DD. Eliſabetha Henrici IV. Gallorum Regis filia, in matrimonium collocata Philippo IV. Herminigildo, Hiſpaniarum Principi, Philippi III. in Regno heredi, & Maria eiuſdem Philippi III. præclariſſima filia, quæ ann. 1620. aſtantibus vtroque Philippo & Regni Optimatibus, è manibus Reuerendiſſimi Patris Ioannis Venido huius Sodalitij habitum ſuſceperunt. Legitima namque & aperta (quam Regula deſiderat) eſt cauſa cum huiuſmodi vel harum ſimilibus diſpenſandi; nec par debet eſſe in obſeruantia rigor, vbi diſpar eſt Sororum conditio. Diſpenſare communiter & leuiter cum quibuſcumque in colore, valdè obiurgat Carthuſ. qui vel ipſa mulierum velamina, & capitia quæ vocat, vel capitis velum velit eſſe cinereum. Idque ipſum voluiſſe Legiſlatorem contendit, & probat ex teſtimonio cuiuſdam grauiſſimi viri ex Minoribus, laudatque proinde Sorores Traiectenſis Diœceſis in Belgio, & Colonienſes Agrippinates, quas ſic ſuo tempore ait inceſſiſſe. Fratres etiam Regulares Italiæ ex mente Legiſlatoris & Nicolai IV. hunc ſibi præſcripſerunt colorem in ſuis Conſtitutionibus, vel Regula ex eiſdem concinnata c. 11. Sed in Capitulo Generali Minorum Valliſoleti, ſub Iulio II. & Ferdinando Hiſpaniæ Rege anno 1508. celebrato, ſtatutum eſt, vt ad diſcernendos Tertiarios Fratres à primi Ordinis ſectatoribus, illorum cuculli color tenderet ad nigrum, quod à Iulio II. dato Diplomate confirmatum eſt eodem anno, atq; à Clemente VII. Ad vberes fructus, anno 1526. Et Clemens VIII. decretum Illuſtriſſimi Cardinalis Matthæi Ordinis Protectoris circa colorem habitus Fratrum Tertiariorum Regni Portugalliæ, videlicet, quòd omnino tenderet ad nigredinem, & textura pan-

Bernar. in Apolog. ad Guliel. Abbat. poſt med.

Quando vel cum quibus diſpenſandum in colore habitus.

panni fieret ex quatuor partibus lanæ naturaliter nigræ, & vna naturaliter candidæ, confirmauit anno 1600. & 9. ſui Pontificatus. Quod certè omnino exequendum erat: nam ex promiſcua confuſione, & parum diſpari habitus forma & colore, quæ iuxta ſuæ Regulæ vel Conſtitutionum amplitudinem, aut liberiorem viuendi licentiam, Fratribus Tertij Ordinis licent, & agunt, Minoribus aliquando imputantur; ob quæ aliquando ſcandalizantur populi, dum norunt illa his eſſe interdicta. Plures circa hæc querelas vidi delatas ad R. Patrem Didacum Ordoñez, in Vltramontanis partibus Commiſſariũ Generalem, poſteà digniſſimum Salmantinum Epiſcopum, ex Prouincia Bætica, & per ipſos Luſitanię Patres, dum inter eos Vlyſſipone Prouincialibus præſideret Comitiis, ad annum 1609. quibus obuiandum iudicauit per ſupradicti Decreti executionem; licet per id temporis huic determinationi ſuperſederit, & opportuniori tempori rem reſeruauerit. Nicolaus V. Conſtit. *Apoſtolicæ Sedis benignitas*, anno 4. ſui Pontificatus conceſſit Patribus Diœceſis Leodienſis in Belgio, quòd ad modum Fratrum Zelandiæ & Hollandię, nec non Diœceſis Maurienſis, portare poſſent ſuper mantellum caputium paruum, & ſcapularium, vt diſcernerentur à Minoribus. Diſcrimen conſtituendum inter vtriuſque Ordinis Profeſſorum cucullos cordati quique deſiderant, & ſuadet obnixè eruditus vir Emanuel Rodericus Tom. 3. qq. Regul. q. 72. ar. 4. ad finem. Hactenus de colore ſatis ſuperq; dictum. De forma verò vel figura habitus huius Regulæ Profeſſorum non eſt quòd multis immoremur; cùm qualis eſſe debeat, ex ipſa Regula conſtet, licet variis vtantur in diuerſis regionibus. Illa Tertiariorum Italorum, præcipuè Vmbrorum & Hiſpanorum, Regulæ conformior, tunica ſcilicet exterior vſque ad genua demiſſa, ſimplex, abſque artificioſis ſciſſuris, ſimpliciter affibulata; pallium eiuſdem cum tunica cinerei coloris, & chorda aliquantum pendens ad tunicæ fimbrias: licet hanc eis prohiberi per Regulam abſque vllo fundamento dixerint, Collector Compend. Priuil. §. Quoad primum gradum. & ex illo Rodericus citatus, & Ludouic. Miranda Tom. 1. Manuale Præl. q. 36. ar. 5. concl. 1. de quo vide inferiùs n. 21. Habitum autem ſic formatum, multùm congruere ait Dionyſ. Carthuſ. citatus eorũ inſtituto: nam ſicut eorum ſtatus, inquit, eſt medium inter ſtatum omnino ſæcularem, & inter ſtatum Religioſum; ita & figura illius habitus velut media eſt inter formam veſtitus ſæcularium, & inter figuram habitus omnino Religioſorum; eſtque decens & humilis.

17. GVARNELLVM.] Verbum eſt Italicum, quo ſignificatur integra quædam feminarum tunica interior, vt plurimùm alba, ex lino & goſſipio, aut xylino contexta, qua ad miniſteria domeſtica vtuntur, & quã domo exeuntes aliis tunicis exterioribus contegunt. Italis, præcipuè ruſticis & famulabus, communis eſt huius veſtimenti vſus. Hiſpanicè reddidit vocabulum hoc Laurentius Franciosinus *Quid ſignificet Guarnellum.*

Florentinus in ſuo Dictionario Italico Hiſpanico *Vazquina*. Sed propriè non ſignificat hoc genus ſemicinctæ veſtis Hiſpanarum mulierum, quæ pars eſt ſolùm inferior, & veluti è cingulo propendẽtes fimbriæ. Magis propriè tranſlatio illa Hiſpanica huius Regulæ, quæ intermixtas affert R^mi Petri Gonzales de Mendoza Conſtitutiones, habet *habito blanco*, &c. ad modum etenim integri habitus, ablatis dumtaxat manicis, operiendo toti corpori inſeruit. Idem eſt fermè ſenſus vocabuli *Placentinum*.

Quid Paludellum. 18. PALVDELLVM.] Vox eſt Italis rarò, Latinis numquam in vſus: indicare tamen vult veſtem amplam manicatam, & completam muliebrem, quam Hiſpani *ſayo*, Itali *robba* denominant. Hoc genus, paludamentum vocat Plin. l. 33. c. 3. *Nos vidimus*, inquit, *Agrippinam Claudij Principis, edente eo naualis prælij ſpectaculum, aſsidentem ei, indutam paludamento*, &c. Veſtem hanc ſuperinduunt communiter feminæ aliis interioribus, & veluti extremã, præter mantellum, adiiciunt, cùm vel in publicum prodeunt, vel ſe liberè domi proſpiciendas obiiciunt. Paludamenta varium habent ſignificatum; ſed propterea, inquit Varro de Lat. ling. l. 6. dicuntur, quòd qui ea habent, conſpiciũtur ac fiunt palàm.

Quid Pellitio. 19. PELLITIONES.] Quidã Codices habẽt *Pellirones*. Firmam. Cherubinus, Sillen. & alij. Secuti ſumus Cod. M.S. Aſſiſienſ. Dionyſ. Carthuſ. art. 14. in hunc locum. Quid autem per hoc verbum ſignificetur, non ſatis cõſtat ex varia Interpretum declaratione. Horatius Diola Bononien. in ſua Italica Chronicorum tranſlatione p. 1. l. 9. c. 4. totam periodum malè & diminutè interpretatur, nec huius verbi vel meminit. Quædam Hiſpanorum editiones vertunt, *enfermero de las hermanas*, aliæ *Zamarro*; verſiones aliæ longè aliter. Ego autumem idem ſignificare ac pellicium vel pelliciam, ſeu quod vocant Itali *pellicione*, & ab hoc nomine efformatam ſeu Latinam factam dictionem hanc noſtram. Pellicium autẽ ſeu pellitionem, ait Franciſcus Alumnus Ferrarienſ. in ſua illa mundi Fabrica ſub n. 1541. eſſe veſtimentum quoddam ex pelle confectũ, aut pellibus molliuſculis & villoſis interiùs compaginatum, ſeu contectum. Apud Legisperitos, & in Iure ciuili veſtium pellitarum, ſeu ex pellibus factarum non eſt obſcura memoria; dicunturque pelles indutoriæ. Conſule Paulũ l. 3. Sent. tit. 60. de quibus & in L. 25. §. final. & L. ſeq. ff. de Aur. & arg. leg. A Pelaſgo, ait Ludouic. Cælius Tom. 2 Lect. antiq. l. 16. c. 3 primitus excogitata ex pellibus indumenta: ſed multò antiquiorem ex ipſis primis parentibus iam ſuam nuditatem deprehendentibus & erubeſcentibus; vel à primo pelliũ ſartore, & optimo mundi ſatore nudos & probroſos tunicis pelliceis contegente, duxerunt originem. Italæ certè feminæ, præcipuè in Vmbria, vbi hoc cœpit Sodalitiũ, in Prouincia Marchiæ, in Calabria & Brutio, tegmina pellità habent in vſum, arcendi frigoris ergô, quędam lautiora & nobiliora, quædam viliora & magis obuia, prout cuiuſque ſors patitur, quæ ab humeris ſub exte-

exterioribus veſtibus vſque ad tibias ſuis vittis & fibulis præcincta dependent. Hiſpanæ, & ad earum exemplar nobiliores Parthenopęæ ſeu Neapolitanę, in hieme ſuperiori veſte ad humeros ſolùm & pectus, pelliculas quaſdam varicolores, ſeu quoddam ſuperhumerale ſuperinducunt gauſapinum, ſed ſolutum & liberum, ita vt aliquando à tergo pendeat, aliquando ſub dextero brachio circumducatur ad pectus, aliquando à collo æqualiter ad vtrumq; humerum demittatur. Frequens eſt in hoc capite pelliũ memoria, quia & frequens in Italis illis regionibus earum vſus. Vnde & primæui Tertiarij communiter eas geſtabant ſiſyras vel ſiſyrnas, hoc eſt, villoſas vel villis renudatas, & penulas, vel prominentiores, aut contractiores, affibulatas ad pectus, dum vel Sanctorum limina, vel loca quæ pronior hominum veneratio celebraret, inuiſebant, aut dum Eremitarum vitas, in ſaltibus, & locis Religioni ſacris vel commodis degebant. Hinc frequens mentio in antiquorum ſanctorum Tertiariorum vitis huiuſmodi pellium. Ea mihi occurrit in Vitis beatorum Thomæ Suſij, Iuonis, & B. Ludouici Gallorum Regis, ante ducentos annos manu exaratis. Hinc frequenter Tertiariorum habitus dicitur Eremiticus à pluribus Pontificibus, à Nicolao V. *Paſtoralis officy*. Alexandro IV. *Sedes Apoſtolica*. à Iulio II. *Decet Romanum Pontificem*. Clem. VII. *Ad vberes fructus*. & aliis. Imò communem & ſolitum hunc Eremiticum eorum habitum eſſe docet Nicolaus citatus. Tertiarij etiam Regulares Italiæ in ſua Regula c. 11. fatentur maiores ſuos voluiſſe vt in Eremitico habitu degerent Hinc demum orta conſuetudo & deuotio peregrinorum, habitum cinereum ad crura demiſſum, funem nodatum, & palliolum ſuperhumerale pelliceum, ſeu penulam ſcorteam paruam geſtandi: tum quia acceptus à à Fratribus de pœnitentia habitus, repræſentat commodiùs pœnitentiam piaculorum, ad quæ expianda ſolemnioris cultus loca, quæ Sanctorum buſta, aut celebrior ſacrauit memoria, non ſine itineris moleſtia & incommodis, reſipiſcentes petunt; tum quia ad perambulanda ſanctuaria expeditior hæc veſtis, & ſcortea penula protegit à ſuperuenientibus nimbis. Vnde ſagaciter Galba (vt habet Quintilianus) penulam roganti amico, reſpondit, Si non pluet, non opus tibi; ſi pluet, ipſe vtar. Et Martialis iter arripientibus, vt ſcorteam deferant ſemper penulam, conſuluit hoc diſticho:

Vnde dictus eſt Tertiariorum habitus Eremiticus.

Vnde ſumpſit originem habitus peregrinorum.

Quint. lib. 6. c. 4.

Ingrediare viam cælo licet vſque ſereno,
Ad ſubitas numquam ſcortea deſit aquas.

Martial. l. 14.

20. BINDIS ET LIGATVRIS.] Varius eſt horum etiam nominũ apud interpretes ſenſus. Per *Bindas* intelligit Carthuſ. citatus *Zonas*. Pro *bindis* & *ligaturis* tranſtulit Horatius Diola *Cordoni è bottoni*, cui concordant quędam verſiones Hiſpanæ. Sed *binda* nomen eſt Latinitate donatum ab illo Italico *Benda*, ſicut & fermè omnia huius capituli nomina, quæ ad cultum & veſtitum attinent, tenui Minerua ſanctus & ſimplex Legiſlator abſque elegantiæ fuco Latina reddidit.

Quid ſignificet Binda.

dit. *Benda* autem, vt explicat Franciſcus Alumnus citatus n. 1544. eſt faſcia ſeu vitta, aut ligamentum capitis, quod Hiſpanæ vocant *venda*, & quod ad frontem aliquando vel ad tempora pro dolore capitis releuando vel ad ornatum circumcingunt. Eo antiquitus tam viri quàm mulieres crines, flores, aut ſerta circa capita adaptabant vel componebant. *Ligatura* eſt quodcumque ligaculum, vel ligamen, quo veſtes aut corporis ornatus conſtringuntur vel colligantur. Nihil autem horum vult Legiſlator apparere vanum, curioſum, aut ſericis variegatum. *Talia etenim* (ait Carthuſ.) *ad mundanum ſpectant ornatum, & ad laſciuiam prouocant, nec pœnitentium Ordini congruunt.*

Quid Ligatura?

Profanæ veſtes Tertiariis dedecent.

Inter cetera quæ in Iudaici populi feminarum luxu, & nimio corporis ornatu Deus reprehendit, & cum dedecore ſe penitùs exterminaturum minatus eſt, recenſet diſcriminalia, & periſcelides, & acus, & ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra. Per hæc & ſimilia corporis ornamenta efficiebantur Hebrææ in ſe procaciores, & aliis fiebant in laqueum & in ſcandalum. *Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus ſuis, & compoſito gradu incedebant*; ideò prædixit Dominus ſe monilia, vittas, faſcias, & quæ exundanti luxui potiùs quàm neceſſario vſui præparantur & adaptantur ornamenta, ab eiſdem ablaturum. Quaſi nullum excogitaret aptius remedium, vt eas à laſciuiis ad continentiam, à petulantia ad caſtimoniam reuocaret, quàm ſi laſciuiæ fomenta & concupiſcentiæ incitamenta, faſciolas, ſerica ligamina, byſſinas vittas, & quæ impudicis oculis parantur illecebræ, à corpore tollat, & talia præſcribat veſtimenta, quibus pellatur frigus, non quibus libidinis incendatur ardor; quibus corpora tegantur, non quibus animæ diſpereant. In Chriſtianis feminis (quid præſcribam de pœnitentibus?) Chriſtiana in veſte relucet honeſtas, in nitido & culto habitu nitet cultus ipſe ſine cultu. Cauent ab his laſciui oculi, à modeſta veſte impudica diuertunt lumina, non audent inſolentes animi quidquam ſuum repetere, nec inquinamenti iudicare, vbi palàm corporis in habitu mentis apparet munditia. Aſella virgo, vt ſe à procorum lenociniis & parentum moleſtiis expediret, bonum excogitauit conſilium, vt tunicam fuſciorem, quam à matre impetrare non poterat, induta, *pro negotiationis auſpicio, ſe repente Domino conſecraret, vt intelligeret vniuerſa cognatio, non poſſe aliud ei extorqueri, quæ iam ſæculum damnaſſet in veſtibus.* Magna mentis cuſtodia eſt, in ipſa veſte modeſtia. Vide plura de his apud Hieron. Ep. 7. ad Lætam de inſtit. filię, apud Auguſt. Epiſt. 109. in Reg. Monachar. & Auctorem Modi viuendi apud Bern. Serm. 9. Expendo tamen, eas quæ ſub lege viri ſunt, communiter ſtudere quomodo placeant viris ſuis, & ad eorum deſiderium neceſſe eſſe, vt curioſiùs, quàm aliquando mallent, ſe componant; ne mariti propter cultus vilitatem aut ſingularitatem, ad illicitos comptarum mulierculārum

Iſa. 3. v. 16.

Hieron. epiſt 15. ad Marcel. To. 1.

rum prolabantur amplexus.

21. PELLES DVMTAXAT AGNINAS, &c.] Quidam ita explicant hunc locum, vt velint præſcribi his verbis crumenarũ materiam, quaſi dicat: Habeant burſas de pellibus agninis. Sed magis arrident quædam Hiſpanæ atq; Italæ tranſlationes, quæ innuant declarari conditionem & qualitatem pellium, quarum deferendarum licentiam Legiſlator conceſſit ſuperiùs tam Fratribus quàm Sororibus. Eas vult ſiue villoſas, ſiue abſque villis, ex agninis melotis conſuendas, vt curioſitati & luxui viam præcludat. Nam tot ferarum varicolores, viſu delectabiles, & pretio inæſtimabiles, ex remotiſſimis terræ plagis, abditiſſimis ſaltuum ſpecubus, & inacceſſis ferarum cauernis, inexplebilis hominum mollities aduexit, vt plus videantur modò luxuriari in animalium pellibus, quàm calefieri ſub hominum veſtimentis. Iam anterioribus ſæculis hic luxus graſſabatur, & in ipſis nuptiarum deliciis plus gaudebant ſponſi ſub pellicea tunica, quàm ſub ſerica veſte. Inter cetera D. Ludouici Gallorum Regis elogia, illud adnectit Surius ad 25. Auguſti, quòd pellibus variis & magni pretij nolebat vti. Hoc feciſſe crediderim ſanctum virum & ſua humilitate & huius Regulæ obſeruantia, vt aliàs latiùs obſeruabo.

Burſarum etiam ſeu crumenarum materiam aſſignat hac periodo, ſimplex ſcilicet corium, quarum corrigias excidi vult ex eodem, abſque intertextura, aut floſculis bombyceis, vel auri in fila lenteſcentis, aut alius cuiuſuis pretioſi ornatus vana varietate. Sed Legiſlatorẽ loqui hîc de cingulis, aut corrigiis veſticinctoriis putauit Alfonſus à Caſarubio in Compend. priuil. citatus num. 16. Vnde deduxit, non licere Tertiariis funiculis aut chordis præcingi. Ex quo eumdem errorem hauſerunt Roder. & Miran. ibidem citati. Sed errorem deprehendiſſe Miranda viſus eſt ipſo eodem artic. concl. 2. qui deceptum in hoc credit Auctorem Compendij, licet ipſe ſubiungat, licere Tertiariis tam Regularibus quàm ſæcularibus funem geſtare nodoſum, non tam ex Regula, quàm ex conceſſione Iulij II. confirmata poſtmodum per Clementem V. in Bulla *Ad vberes fructus*, quam extare ait in Monum. Ord. In quo certè non omnem ſe exuiſſe deceptionem oſtendit, nam non tam aliunde, quàm ex ipſa inſtitutione primæua chordam hi cingunt. Nec quæ habentur Iulij II. literæ in Monum. Ord. chordæ mentionem continent, prout ſingula percurrenti patebit. Circa habitum verò quædã ſtatuta (quæ nullatenus chordæ, ſed cinguli ſub generico nomine meminerunt) in Capitulo Generali Valliſoletano an. 1508. ſub Raynaldo de Cotignola Miniſtro Generali, & Martiale Boulier Vicario Generali Obſeruantiæ, celebrato, vt ſuperius adnotauimus num. 16. confirmauit Iulius, quæ demum reualidauit Clemens VII. in ijs literis, quas præfatus citat Miranda, & refert Ant. Sillen. Tom. 2. de Rebus Tertiariorum, in quibus æquiuocũ in Diplomate Iulij cinguli vocabulum expreſſit Clemens per chordam; quam ipſe adnotat conſueuiſſe

An ex Regula liceat Tertiariis chordulam geſtare.

uiſſe omnes Fratres & Sorores de pœnitentia ante Iulium eatenus ſeu ſemper geſtare. Idque palàm, & mihi indubium ex Vitis primorum Fratrum & Sororum de pœnitentia, circa id temporis conſcriptis, & antiquis effigiebus ac iconibus ſtatim ab eorum morte exaratis. Adhuc Panormi in Montis regalis cathedrali æde, D. Ludouici imago ab eo tempore, quo eius corpus, quod ſecum ex Africanæ Carthaginis portu detulit, in ea condidit Carolus Siciliæ Rex, cui ſuper cineream veſtem chordula depicta eſt. Et in ignota peregrini veſte ac chorda venit Peruſium, B. Ægidium Minoritam inuiſurus. In magna D. Franciſci æde & egregio Clariſſarum D. Georgij Cœnobio Aſſiſij ſeruantur inter ceteras, eius chordæ reliquiæ. Chordam etiam geſtaſſe beatam Eliſabetham inter Hungaras Principem, Diuorum albo inſcriptam, apud omnes in confeſſo eſt, tum quòd in variis partibus ipſę eiuſdem particulæ in pretio & veneratione habitæ id atteſtentur, tum quòd & ab eis, qui exactiùs eius acta retulerint, id fuerit obſeruatum. Vide Henrici Sedulij Notas ad c. 21. Vitæ eiuſdem. Tam Ludouicus verò ille quàm hæc Eliſabetha ad initium huius Ordinis floruere. Perperàm proinde graues hi viri, quos aliàs reuerenter ſuſpicio, è præſcripta hac norma viuendi eius ſectatoribus interdictum putant nodoſum funiculum, ſeu præſcriptam corrigiã. Corrigias autem hoc loco interpretandas eſſe ad ſenſum hunc noſtrum, comprobant tam Italicæ quàm Hiſpanæ tranſcriptiones, quas vidi. Illa, qua Mendozius ſupranominatus eos inſtrui & erudiri voluit, & quam vel ipſe Miranda tranſcripſit in ſuum libellum, in eamdem Regulam c. 2. habet: *Las bolſas de cuero y correa ſimplemente.* Italæ plures: *Habbi.o borſe de corio, & correggi ſimplecemente fatte.* His etiam concordant Regulæ Gallicè conſcriptæ.

Vide Florentum c. 33.

22. IVXTA B. PETRI, &c.] Qui feminas hortatur, vt earum *non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus; ſed qui abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Sed obſtabit forſan huic Apoſtoli conſilio, quòd viris ſubiectæ ſint ex his Sororibus plurimæ, & quòd excuſare cultus ſuos ſoleant per maritum. At ego credã, circumſpectis viris plus placere modeſtã, quàm vanam vxorem. Plus amauit Rebeccam ſponſus Iſaac velum pulchritudini ſuę obducentem, quàm ſpeciem ſuam venumdantem, aut adrectis monilibus vel vario ornatu ſe laſciuè comentem; pluris habuit eius pudorem, quàm decorem. Caueant vani mariti, ne adſcititia forma, & ornamento venuſto, non tam ſibi vxores ornent, quàm aliis exponant. Si etenim velint, vt *ſe ſumptuoſiùs comant, & per publicum notabiliter incedant, oculos in ſe iuuentutis alliciunt, ſuſpiria adoleſcentum poſt ſe trahunt, concupiſcendi libidinem nutriunt.* Quam licentioſi vident iuuenes, aut impudicorum deprehendit laſciuia, externis fucis ſibi formam aduehere, non temerè iudicant ſpectantibus velle placere. Hinc à multis appetitur, hinc anxiè deſidera-

1. Pet. 3. v. 3.

Culta & compta vxores periculoſa.

Gen. 24. v. 65.

Cyprian. de Diſcip. & hab. virg. c. 5.

dera-

deratur, hinc monſtrantium digitis frons eius obduratur, hinc pudor atteritur, hinc fama violatur, hinc impudica cenſetur. Huic malo Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum iuſto fine moderandum, ſua voce præſcribit. Sint *mulieres*, inquit, *in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis vel veſte pretioſa; ſed vt decet mulieres, promittentes caſtitatem* (ita legit Cypr. citatus) *per bonã conuerſionẽ*. Quaſi velit ipſum mulieris habitum, ipſum in ornamentis inceſſum, vel caſtitatem promittere, vel pudicitiam proſtituere. *Ornamentorum ac veſtium inſignia & lenocinia formarum, non niſi proſtitutis & impudicis feminis congruunt: & nullarum fere pretioſior eſt cultus, quàm quarum pudor eſt vilis.* Quæ ſub libera ſolùm eſt mariti ſeruitute, & libertate gaudet Chriſtiana, nullum ſibi imprimit mundanæ ſeruitutis veſtigium, non vilis captiuitatis eminet ſignis, non aures habet perforatas, non catenis circumligatur, non vinclis aureis aut argenteis conſtringitur; non ei circulus in collo, non ei armillæ in brachiis; non margaritis, non gemmis, etſi leuibus ſuo pondere, grauibus mercium quantitate, vt aliorum inſeruiat videndi libidini, ſeruilis oneratur. Hæc ſeruilia non reputantur, non captiuitatis præbent omnibus ſpecimen, quia rara; proinde non nocentibus affligendis deputantur, ſed nobilioribus inſigniendis ſeruantur. Hinc pretium, hinc æſtimatio, quia rarum. Catenæ ferreæ captiuitatis præferunt opprobrium, quia ex abundanti metallo compactæ. Semper enim abundãtia in ſemetipſa contumelioſa. *At apud barbaros quoſdam*, inquit Tertullianus, *quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent, & diuitiis malos onerant, tanto locupletiores, quantò nocentiores.* Apud barbaros reuerà captiui auro tenentur, & inuiti onerantur; apud Chriſtianos falſa opinio catenis circumdatos liberos iudicant. At ſi Prætoris aut Magiſtratus non tenentur ſub carcere, eos ſic liberos feralibus tenet aliquando dæmon ſub vinculis. Timeat ergo Chriſtiana femina nexus hos & grauia onera ſibi ad falſam circumducere pulchritudinem; timeat & maximè opus Dei & plaſticam adulterare adhibitis coloribus, ad ſpeculum ſpeciem mentiri, aut quolibet lineamenta natiua corrũpere medicamine. Quam Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creauit, quis non timeat mutare? aut deſtruere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt. Audaci conatu vincere volunt Dei vocem, dicentem, *Non potes facere capillum vnum album aut nigrum*, quæ ſacrilego contemptu crines ſuos inficiunt, & malo præſagio futurorum capillos iam ſibi flammeos auſpicantur. Inter cetera quæ præſcripſit Lętæ Hieronymus pro filiæ inſtitutione, adiecit: *Caue ne aures eius perfores, ne ceruſſa & purpuriſſo Chriſto conſecrata ora depingas, ne collum auro aut margaritis premas, ne caput gemmis oneres, ne capillum irrufes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris.* Et vt eam deterre-

ret

[Margin notes:]
1. Tim. 2. v. 9.
Cypr. cit. c. 6.
Chriſtianæ mulieres dedecent catenæ & vincla aurea.
Tertul. lib. de Habitu mulier. c. 7. To. 2
Adulterinus fucus timendus in Chriſtiana.
Gen. 1. v. 27.
Matth. 5. v. 36.
Hieron. Ep. 7. ad Lætam, Tom. 1.

ret ab huiuſmodi adulterinis in filia figmentis, aut impuris in puro corpore compoſitionibus, horrendum ei propoſuit exemplum, quo teſtatum voluit Deus, quantum ſibi diſpliceat huiuſmodi calamiſtratio, & falſa ſpecies, in eis quæ ſibi dedicantur. Licet aliquantò longior fiam, illud, quia egregium, ſubiiciam: *Prætextata, nobiliſſima,* inquit, *femina, iubente viro Hymettio, qui patruus Euſtochij virginis fuit, habitum eius cultumque mutauit, & neglectum crinem mundano more texuit ſibi, vincere cupiens, & virginis propoſitū, & matris deſiderium. Et ecce tibi, eadem nocte cernit in ſomnis veniſſe ad ſe Angelum, terribili voce minitantem pœnas, & hæc verba frangentem: Tune auſa es viri imperium præferre Chriſto? tu caput virginis Dei tuis ſacrilegis attrectare manibus? quæ iam nunc areſcent, vt ſentias excruciata quid feceris, & finito menſe quinto ad inferna duceris. Sin autem perſeueraueris in ſcelere, & marito ſimul orbaberis & filiis. Omnia per ordinem expleta ſunt, & ſeram miſera pœnitentiam velox ſignauit interitus. Sic vlciſcitur Chriſtus violatores templi ſui, ſic gemmas & pretioſiſſima ornamenta defendit.* Graui & horribili hoc Prætextatæ periculo caueant ſibi virgines, quæ ſe Deo in hoc Sodalitio conſecrarunt; timeant matres hæc Chriſti templa idolis polluere. Videant & maritatæ pœnitentes, ne, quæ in pœnitentiſ ſuſceptione veſtis ſæcularibus pompis renuntiarunt, colorem potiùs in veſte mutaſſe, quàm ſeculi ornamenta depoſuiſſe videantur; & contradicant habitus pœnitens, & monilia pretioſa. Vide Tertullianum citatum.

23. ACCESSVS PENITVS INTERDICTVS.] Perſpectū habuit, quanti ſit ponderis ab inhoneſtis locis, vel ſpectaculis impudicis abſtinere; & qualem incurrat iacturam, qui ſcenis aut choreis velit intereſſe. *Quàm fugienda ſpectacula inhoneſta.* Nouit inhoneſta ſpectacula, comicorum mendaces inſanias, proſtibulum eſſe pudoris, theatrum impudicitiæ, vitiorum nundinas, libidinis ſcholam, adulterium naturæ, ſuggeſtum ſpurcitiæ, conſiſtorium immunditiæ, auctoramentum denique malorum; vnde virtutes in exilium pelluntur, vnde boni mores, non tam eneruantur, quàm eradicantur; *vbi nihil probatur, quàm quod alibi non probatur; cuius ſumma gratia de ſpurcitia plurimùm concinnata eſt, quam vanus geſticulator, quam mimus etiam per mulieres repræſentat, ſexum pudoris exterminans, vt faciliùs domi quàm in ſcena erubeſcant; quam denique Pantominus à pueritia patitur in corpore, vt artifex eſſe poſſit.* Tertul. lib. de Spectac. c. 16. Tom. 2. Hic ſtruitur publicæ modeſtiæ lupanarium, obſcœnitatis magiſterium, patrimoniorum grauis iactura, ſed grauior morum: vbi libido diſcitur, continentia dediſcitur; fama ſternitur, pudor remouetur. Hic ipſa proſtibula, publicæ libidinis hoſtiæ, in publicum proferuntur; hic miſeræ, quæ ſolùm ſuis lenonibus patebant, omnibus prædicantur, perque omnis ætatis omniſque conditionis ora tranſducuntur; hic etiam quæ tempus ſepeliit, *quæ etiam ætas abſconderat, ſub oculorum memoriam reducuntur: non eſt libidini ſatis malis ſuis vti præſentibus; niſi ſuum de ſpectaculo faciat, in quo ſuperior ætas erra-* Cyprian. l. de Spectac. c. 5. Tom. 3.

errauerat. Hîc erumpunt cogitationes prauę, hîc commouetur ſuis gaudens obiectis libido, prouocatur hîc titillationis ardor ſecretus. Hinc ex feminis multæ domum impudicæ, ambiguæ plures redeunt, caſtior autem nulla: quæ enim ſub propriis tectis ab omni ſpurco verbo aures tuentur, quomodo ad illas theatri voces geſticulationeſque non inardeſcent? quomodo *ipſe ille mulierum & virorum accuratior cultus, ipſa conſenſio, ipſa in fauoribus aut conſpiratio aut diſſenſio inter ſe de commercio, ſcintillas libidinum non conflabellent?* Quomodo eas non inficiat vel ipſe aër, qui deſuper incubat, ſceleſtis vocibus conſtupratus? Spectaculum nullum ſine concuſſione ſpiritus videtur, nemo ad theatri voluptates venit ſine affectu, nemo affectum ſine caſibus ſuis patitur. Ipſi ludorum caſus incitamenta ſunt affectus. Si *enim militaris viri, in media pace iam togati, aures tuba ſuſcitat, equoſque caſtrenſes erigit crepitus armorum; ſi Alexandrum aiunt, Xenophanto Dorium & bellicum canente, manum ad arma miſiſſe*; quid faciles ad libidinem animos, quid pronos ad voluptatem ſenſus putes ſubituros, dum agentiũ ſtrophas, adulterorum fallacias, mulierum impudicitias, ſcurriles iocos, amaſiarum blanditias, lenonum dulcia figmenta oculi ipſi percipiunt, qui ſordidas ſpecies ad interiora trãſmittant? Multum mali auribus inuehitur, ſed multò plus oculis; his quaſi feneſtris bipatentibus in animam mors dulciter irrumpit. Nihil potentiùs in memoriã deſcendit, quàm quod viſu ſubit; facilè audita præteruolant, conſpectarum imagines rerum hęrent, etiam inuitis; nec ſe tamen niſi volentibus ingerunt, niſi perrarò, atque ocyùs abituræ, ipſam ſui hoſpitij ſedem, facilem & imbellem animam ſupplantaturæ. *Mens hominis ad vitia ſeipsã ducitur; ſibi quid faciet, ſi habuerit coram exempla naturæ lubricæ, turpia corporis oblectamenta? Quæ ſponte corruit, quid faciet ſi fuerit impulſa?* Ad vitium prona non vrgenda, vtique frenanda; fugienda lapſus occaſio; caſtigandi ſenſus, non inſtigandi; aures obſcœnis non pateant; oculi à turpibus abſtineant. Dum Chriſtiani efficimur, diabolo & eius pompis renuntiamus: ſæculi proinde has vanitates mortiferas par erat odiſſe; quæ Chriſtianorum ſunt propria, æquum erat ſectari. *Deprehenderis enim & detegeris, Chriſtiane, quãdo aliud agis, & aliud profiteris. Fidelis in nomine, aliud demonſtrans in opere, non tenens promiſſionis tuæ fidem: modò ingrediens Eccleſiam orationes fundere, poſt modicum in ſpectaculis cum hiſtrionibus impudicè clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiaſti? Vt quid claudicatis ambobus inguinibus? Si Deus eſt, ite poſt illum: ſi mundus eſt, ite poſt illum. Si Deus eligitur, ſeruiatur illi ſecundùm ipſius voluntatem: ſi mundus eligitur, vt quid fictum cor quaſi Deo accommodatur?* Huius verò Sodalitij viri, qui denuò ſæculi valedixerunt ſolatiis, & ipſo habitu hæc ſe contempſiſſe præferunt, plus ceteris ab huiuſmodi malorum apothecis procul debent abeſſe; ne quod ore profeſſi ſunt, opere deteſtentur; & quod habitu

Tertul. cit. c. 25.

Seneca l. 2. de Ira, c. 2.

Cyprian. cit. c. 6.

Auguſt. l. 4. de Symbolo ad Catechum. c. 1. To. 9.

ſpondent, factis negent. Hem! decens eſt locus pœnitenti Sorori vel Fratri theatrum? æqua ſolatia, impudicitiæ? Tam ridiculum ſe exhibet in geſticulationibus vel vanis figmentis Pantomimus, quàm huius Ordinis Fratres inter obſcœnas infamias. Ille ſexum, hic pœnitentiam habitu fingit; ille perſonam, hic conditionem veſte mentitur. Quiſquis es vel Frater, aut Soror, qui his ſpectaculis abſque rubore aſſides, te orem, te deprecer, *conſidera pactum, conditionem attende, militiam noſce; pactum quod ſpopondiſti, conditionem qua acceſſiſti, militiam cui nomen dediſti*: erubeſce in te vanitatem tuo ſtatui contrariã; voluptatem contemne, qui cum voluptate mori deſideres. Vellem mihi liceret latiùs per hæc euagari, illorumque refellere & peſſumdare ſenſum, qui præſtant his vitiorum ſeminariis auctoritatem, & veluti voluptatum aſſertores blandi, vel recreationum indulgentes patroni, cenſuram Scripturarum cæleſtium in aduocationem criminum conuertunt: nam, proh dolor! eouſque eneruatus eſt Eccleſiaſticæ diſciplinæ vigor, vt iam non vitiis excuſatio, ſed auctoritas detur; & obſcœnæ ſcenæ habeant non reprehenſores, ſed tutelares. Videat qui velit plura apud duos Afros citatos, apud Chryſoſt. Homil. 2. 6. & 9. in Matth. & Homil. de Kalendis; apud Auguſt. lib. 1. de Cõſenſu Euangeliſt. c. 37. & lib. 2. de Ciuit. Dei, a c. 4. ad 14. apud Valer. Maximum l. 2. c. 4. & librum Obſeruat. diu. & hum. iuris, ſub Auctore incerto. Et de hiſtrionibus, quibus hoc eodem loco prohibet Franciſcus quidquam donari, conſulat Auguſt. Enarrat. in Pſal. 50. & in Pſal. 102. in illa verba, *Faciens miſericordias Dominus.* & Petrum Creſpet. in Sum. Cath. fidei, verbo Hiſtrio.

Chryſoſt. Serm. de Martyrib. imitan dis. To. 3.

24. MINVTIS VERO PER TRIDVVM CARNES.] Non omnes Interpretes capiunt verbum hoc, nec quid per vocem *minutus* intelligendum ſit, percipiunt. Hiſpana ſuperiùs citata tranſlatio, atq; tres aliæ, quas conſului, Italæ, explicant ceteris meliùs, de iis, qui phlebotomiam adhibent, vel inciſis venis ſanguinem mittunt: eumdemq; ſenſum inſinuat Carthuſ. in hunc locum, cui libenter ſubſcribo. Familiare etenim, tempus minutionis vocare, noui veris ſalubriores dies, in quibus in multis Regionibus, & maximè in Italia, venam ſecant, vt ſanguinem ferueſcentem & excreſcentem minuant. De quo peculiarem libellum ſcripſit Beda, & habetur Tomo 1. Operũ eiuſdem, in editione Colonien. Frequenter detractio fit ſanguinis, vel vt morbi præcaueantur aut effugiantur, vel putridi aut infecti humores extenuentur, vel vt ſcabies deſiccentur, aut muliebres defectus, ſeu ſecretæ miſeriæ auertantur. Sanguinem mitti, inquit Cornelius Celſus, iunioribus, & feminis vterum non gerẽtibus, vetus & familiare. Videndus Plin. l. 32. c. 9. Miſſo ergo ſanguine, minuitur, & corpus extenuatur, vel minus redditur. Vnde non immeritò Legiſlator minutos vocat hos, qui ſanguinem mittunt. Licet cultiores Latini phraſim hanc minùs habeant in vſu. Minui nihilominùs corpora ſiccis & aridis ait Plinius, & minui ex febre Celſ. l. 3. c. 3.

Celſus l. 2. c. 10.

Plin. l. 22. c. 14.

c.3.Corpore ergo vel ſanguine, ob eius miſſionem, minutis, nec vlteriori morbo grauatis, tres dies indulget exleges, primum ſcilicet minutionis diem, cum ſequẽtibus binis, vt interpretatur Carthuſ. niſi ex præcepto Eccleſiæ eſſet aliquo illorum dierum ab interdictis eſcis abſtinendum. Corpore etenim vndequaq; ſanis prohibuit die Lunæ, Mercurij, Veneris, & Sabbato carnibus veſci. Circa diẽ Lunæ diſpenſauit Clem. VII. *Ad vberes fructus* an. 4. ſui Pontif. cum Fratribus, Sororibus, Monialibus, ac Eremitis, & quibuſuis aliis Ordinis huiuſmodi. Die Veneris in memoriam Dominicæ paſſionis à primis exorientis Eccleſiæ ſæculis Chriſtiani celebrem habent hanc abſtinentiam. Eamdem coluerunt in Eccleſia Latina ab Apoſtolorum tempore die Sabbati ob ſubtractum & ſepultum eo die ſponſum, vt docet Gar. Loayſa in Notis ad c.26. Concil. Eliberitani, & Binius in Notis ad Can. 56. Apoſtol. Alij propenſiores in B. Virginem, ad recolendam eius in hoc die mæſtitiam, voluntarium ſibi indixerunt ieiunium. De quo vide Vber. de Caſali l.4.c.27. in fine. Die Mercurij ob venditũ illo die Seruatorem, vt habet Clem. Rom. l.7.c.24. multi fideles à carnibus ſe continent, præcipuè in vniuerſo Hiberniæ Regno, vbi à ſæculo D. Patritij, illius regionis Catholicæ fidei tenaciſſimæ Patriarchæ, graue ducunt piaculum, carnem iſthoc die in cibum admittere. Idem etiam erat mos priſcis & primæuis Chriſtianis in Eccleſiis Orientalibus. Quomodo autem aboleuerit fermè in Occidentalibus, vide Baron.

Vnde Feria. ſexta ieiunium.

Vnde Sabbati abſtinentia.

Vnde diei Mercurij in quibuſdã regionibus.

anno Chriſti 57. n. 199. Bellar. de Bonis oper. l.2. c.17. Binium citatum. Die Lunæ verò indixit Legiſlator abſtinentiam, quia à multis ſanctis Patribus Feria illa pœnitentiæ deputabatur: nam & illa ipſâ legitur Matth. 12. Chriſtus Dominus eſuriiſſe; & Religioſi quidam, qui carnibus numquam veſcuntur, abſtinentiùs viuunt Feria ſecunda quàm tertia.

Vnde etiam diei Lunæ.

Indixit autem ſanctus & pœnitens vir tot abſtinentiæ dies hominibus, etſi in ſæculo degentibus, quia nihil tam in ſæculo nocet, quàm crapula & luxus; nec tam hominibus prodeſt, quàm abſtinentia, & carnis maceratio. E feliciſſimo illo deliciarum hortò Protoparentes ſaturitas expulit, ad eumdẽ abſtinentia reducit. *Beatitudo paradiſi abſque cibi abſtinentia non potuit diu durare. Quamdiu ieiunauit Adam, in paradiſo fuit; comedit, & eiectus eſt. Nos autem per ieiunium redire poſſumus in paradiſum, vnde per ſaturitatem fuimus eiecti.* Id ſuò exemplo nos docuit prodigus ille ſuæ ſubſtantiæ dilapidator, paternæ prouidentiæ pertæſus: qui dum eſurire cœpit, ad patrem properanter acceſſit. *Ego*, inquit, *hic fame pereo; ſurgam, & ibo ad patrem meum.* Optimè Chryſologus: *Fames reuocat, quem ſaturitas exulárat; fames illi patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem. Et ſi tantum præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit conferre ieiunium.* Proinde Chriſtus ſeruator, cuius verba citat hic noſter Legiſlator, cauere iuſſit à *crapula & ebrietate, ne corda grauentur*: nam *oneratus venter ad vitia cor deponit, premit*

Quare Tertiarius tot abſtinẽtiæ dies indixit.

Ieiunij commendatio. Hieron. l.2. con. Iouin.

Lucæ 15. v.17.

Chryſol. Serm. 2.

Lucæ 21. v.34. Chryſol. cit.

mentem, ne ſupernam valeat ſentire pietatem. Vacuandus ergo venter moderatione ieiunij, vt exoneratus animus poßit ad alta pertendere, conſcendere ad virtutes, poßit ad ipſum virtutis auctorem totus aliger pernoctare: quod probauit Elias, qui Dominici continuatione ieiunij defæcatus, à carnali pondere mortis victor euolauit ad cælum. Qui vitiorum pondus deponere, terrenas fæces detergere, & peccatorum ſordes excutere ſecum cogitauit; qui ad Deum accedere, & veterem vitam in meliorem commutare decreuit, in ventrem & ingluuiem, vitiorum fomitem, animaduertat, pabula calcitranti & animam aggrauanti corpori ſubducat; qui ſe in pœnitentiæ holocauſtum obtulit,
Leuit. 3. 12. adipem etiam ventris adoleat. *Si capra,* inquit, ſacra Lex, *fuerit eius oblatio, tollet ex ea in paſtum ignis Dominici, adipem qui operit vẽtrem.* quem locum egregiè ad noſtrum ſenſum interpretatur Flauiacen.
Radulphus Flauiac. l. 2. in c. 3. Leuit. Abbas. *Quicumque,* inquit, *veteris vitæ immunditiam, in capra immundo & fœtido animali ſignificatam, derelinquit, ſi non vult ad ea relabi quæ deſerit, in primis neceſſe eſt ventrem reſtringat, ne fortè dominante gulæ vitio per carnis illecebrã, quidquid fortiter aggreſſus eſt, perdat.* Regius Vates dum commiſſi criminis veniæ inhiaret, & potiori vitæ generi ſemet accingeret, contra periculoſos hoſtium inſultus ieiu-
Pſal. 68. v. 11. nij armis mentem contexit. *Operui,* inquit, *in ieiunio animam meam.*
Amb. l. de Elia & ieiun. c. 8. Prudens certè conſilium, ædepol *bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur.*
Ier. 32. v. 24. Non caret myſterio, quòd expugnante Nabuchodonoſore Rege ciuitatem Ieruſalem, dicatur Nabuzardan, coquorum princeps, muros ſanctæ ciuitatis deſtruxiſſe, domum Dei incendiſſe, pretioſa & ſacra omnia vaſa atque ornamenta à templo abſtuliſſe. Illud mihi myſticè ſignificare videtur, quod licet dæmon animam ſupplantet, illud tamen præcipuè præſtare per ventris ingluuiem, ciborum abundantiam, eſcarum delicias, quas coqui præparant & excogitant; per quas animæ muros, Dei mandatorum obſeruantiam euertat, conſcientiam vitiorum incendat ardore, & pretioſas quaſque virtutes, animæ ornamenta,
ab eadem abradat, *quia venter cui à coquis multa cura ſeruitur, virtutes animæ, dum non reſtringitur, perdit omnino.* Radul. cit. Præcingat ergo ſe abſtinentiæ fortitudine, qui à veteri vita ad Deum reuertitur, ne ſaginati corporis pondere preſſus, miſerè ſuccumbat. De ieiunij vtilitate & neceſſitate in pœnitentibus, vel ad Deum accedentibus, vide Ambroſ. lib. citato; Chryſol. vbi ſuprà, & per plures Sermones de Filio prodigo; Tertul. l. aduer. Pſychicos, Cyprian. l. de Ieiun. Leonem pluribus Serm. de eodem, Athanaſ. Serm. de Virgin. Chryſ. Hom. de Pœnitentia, & Serm. de Ieiun. Baſil. Hom. de Laude eiuſdem, & de Conſecr. c. Ieiunia. d. 3. & c. Ieiunium. d. 5. Plures ſunt qui hoc argumentum egregiè proſequantur. Quæ autem ad totum hoc caput attinent, rectè explicant Dionyſ. Carthuſ. in hunc locum, art. 16. & 17. & Anton. Sillen. in c. 13. ſuæ Regulæ.

25. QVALIBET VERO SEXTA FERIA.] Adnotauimus n. precedenti

Legi-

Legiſlatorem abſtinentiam ceteris Chriſtianis communem indixiſſe in ſexta Feria, & tribus ampliùs diebus in hebdomade; modò ieiunare iubet in Proſabbato totius anni, niſi quando ſolemne redditur Natiuitatis Dominicæ feſtiuitate: qua exceptione oſtendimus n. 16. in Regulam Clariſſarum, eum non voluiſſe gaudere Minores aut Sanctimoniales. Religioſis fermè omnibus commune eſt huius diei ieiunium. Illud obſeruarunt Monachi Fontis Auellanæ, & Caſſineſes, exhortante B. Petro Damiano, vt teſtatur Ioannes Monach. c. 13. Vitæ eiuſdem; Camaldulenſes, teſte Andrea Magnotio l. 1. de Erem. Camald & ipſorum Conſtit. lib. 1. c. 41. Carthuſienſes, vt habetur in in 2 p. Statutorum eorúdem, c. 10. nu. 1. Præmonſtratenſes, vt refert Seruat. in Opt. ſpec. 15. §. Dico quintò; Brigittianus Ordo, vt habet Regula à Chriſto dictata c. 9. Predicatores, vt videre eſt d. 1. ſuarum Conſtitutionum c. 4. §. 1. & 2. & ceteræ fermè omnes Religiones. Sed & ipſis ſæcularibus in multis regionibus familiare eſt hoc ieiunium. Theodoſium Iuniorem quot hebdomadibus Feria 4. & 6. ieiunaſſe, auctor eſt Nicephorus l. 14. c. 3. Iſidorus etiam l. 1. Offic. Eccl. c. 42. & Beda l. de Offic. c. vlt. Et in Vita Cuthberti Epiſc. cap. 5. teſtantur ſua ætate hoc die propter Dominicam paſſionem plures ſe afflixiſſe ieiunio. Damianus ſuprà nominatus *ſacram hanc inediam*, (vt loquitur Hieronymus Rubeus l. 5. Hiſt. Rauen.) *& ciborum ieiunitatem die Veneris in honorem Crucis induxit; aut potiùs antiquitus*, inquit, *inſtitutam, & iam ferè obliteratam, reuocauit in magnam Italiæ partem.* In illo Tuſciæ Emporio Anton. Florentinus Præſul, vt refert in eius Vita Vinc. Mainardus, cum tota familia in necis Chriſti memoriam die Veneris abſtinebat: & in Hiſpania in Concil. Coyacen. in Diœceſi Ouetenſi ſub Ferdinãdo Primo, cognomento Magno, Caſtellæ Rege, celebrato Æra 1088. & Chriſti anno 1050. quod videre licet in Tom. 3. p. 2. Concil. edit. Colon. ſtatutum eſt, *vt Chriſtiani per omnes ſextas Ferias ieiunarent.* Vniuerſos verò fideles Concilium Trid. ſeſſ. 2. non tam cogit quàm hortatur, vt ieiunent *ſaltem*, inquit, *ſingulis ſextis Ferijs in memoriam paſſionis Domini.* Cum quanta verò animi promptitudine, & virtutum cumulo, obſeruantia hæc emicuerit in quibuſdam Monaſterijs, & diuerſis regionibus, teſtatum voluit Monachis Caſſinenſ. D. Petrus Damianus his verbis: *Obſeruatio ſextæ Feriæ, dilectiſſimi, cui veſtra ſancta deuotio ſe dicauit, & ieiunij ſalutaris inedia & Apoſtolorum diſciplina, quot hominum multitudines ad exemplum ſalutis attraxerit, & tamquam nouella diuinæ plantationis oliua in exuberantium germinum propagines pullulauerit, teſtes ſunt non modò Monaſteria veſtra, hoc eſt, quæ ſuorum gaudent imitari veſtigia Magiſtrorum; ſed & multitudines vrbium atque villarum, quæ ſe communiter ingerentes, atque latantes idipſum plauſibiliter arripiunt inſtitutum. Adeò vt pleriq; præ deuotionis ardore concepto, niſi quantocyùs huius obſeruantiæ ſuſcipiant Regulam, non leuem ſe reputent propriæ ſalutis perferre iacturam.* Nec mirum, cùm & memoria Domini-

Diei Veneris ieiunium Regularibus cõmune.

Et plerisq; ſæcularibus.

Damian. Ep. 89. ad Monach. Caſſin.

Bern. in Ser. Fer. 4 Maioris hebdom. poſt med. Baſilius Ho. 1. de Laud. ieiun.

Dominicæ paſſionis, quã ad mentem hæc reuocat dies, *ſit potentiſſima ad exhaurienda omnia genera peccatorum*; & ieiunij tanta ſit virtus, *vt potentibus addat robur, legumlatoribus ſubminiſtret ſapientiam, bona ſit animæ cuſtodia, corpori tutus conuictor, armatura fortiter belligerantibus, athletis exercitium, tentationes depellat, vngat ad pietatem, vigiliæ ſit familiaris comes, ſobrietatis architectus, in bellis addat fortitudinem, in pace doceat quietem.* Non ergo oneroſum putabunt, qui ſe pœnitentiæ ſacrarunt, eamdem exercere ieiunio iſthoc die, quo dolores noſtros Chriſtus portauit. Ieiunaſſe ſingulis ſextis Ferijs B. Elzearium ſpõte, ait Auctor eius Vitæ apud Sur. ad 27. Sept. ſed non tam ex libera deuotione, quàm ex ſuſcepto inſtituto & laudabili cõſuetudine Tertij Ordinis, cui ſe addixiſſe idem ſcribit Auctor c. 36. id feciſſe indicarim. Vide num. 24. Adnot. in hanc Regulam, & 16. in Reg Clariſſ.

26. VSQVE AD FESTIVITATEM B. MICHAELIS.] Indulgentiam hanc vel licentiam propter laboris tædium in æſtiuis, & longioribus diebus ter reficiendi protendit Nicolaus Pontifex, vt videre eſt in Codicibus excuſis, vſque ad feſtiuitatem D. Franciſci.

27. ET SORORVM.] Quidam Codices habent *Sororum ipſorum*, correctiores carent hoc pronomine; nec enim quidquam explicat, ſed orationem magis reddit obſcuram.

28. RECONCILIANDO SE PROXIMIS. Superiùs c. 2. ad ingreſſum Religionis præponendam ſtatuit cum proximo reconciliationem, & alienorum reſtitutionem: vtramque inculcat hìc præmittendam ſacræ Synaxi, Iure quidem optimo; qui enim pacem cum proximo non habet, inuerecundè ad pacis Auctorem accedet, cuius cor corrodit liuor in fratrem, *Si ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis.* Pacem venit mittere in terram Chriſtus, in terra ſuum reliquit Corpus in pacis ſymbolum, vnitatis & concordiæ eſt Sacramentum. *In hoc ipſo Sacramento*, inquit Hilarius, *quod numeroſis tritici granis confici nouimus, vnitatem conſtat aſſignari populorum.* Quod & eodem argumento probarunt Auguſt tract. 27. in Ioan. ex Aug. Beda in Commen. ad c. 6. Ioan. D. Thomas ibidem in Catena aurea. Eademque vtitur ſimilitudine S. Gaudentius tract. de Neophyt. Vniuntur in hoc Sacramento ſub vno capite, vniuerſæ Chriſtianorum nationes, dum eodem cibo veſcuntur: & multos ſibi compaginat Chriſtus populos ſui corporis eſcâ, vt multos populos vnũ efficiat arctiſſimo vinculo charitatis, *Concorporei cum Chriſto efficimur, & Chriſti conſanguinei*, vt ait Cyril. Ieroſol. cùm eius Corpus manducamus, & Sanguinem potamus; & eam obtinemus vnitatem ſecundùm Cyprianum, *quæ progreditur vſque ad ſocietatem germaniſſimam*: nam iuxta ipſius Seruatoris verba, *& manemus in eo, & ipſe in nobis*, cuius verum Corpus noſtro inſerimus, & ſubſtantiam cum noſtra miſcemus. Quod egregio expreſſit exemplo Cyrillus Alexand. *Si quis*, inquit, *liquefacta cera aliam infuderit, alteram cum altera per totum commi-*

Euchariſtia pacis ſymbolũ.

Leuit. 7. v. 20.

Cyril. Catecheſi myſtagog. 4.

Cypria. Serm. de Cœna Domini.

Ioa. 6, 57

Cyrill. Alex. l. 4. in Ioan. c. 17.

ſceat

ſceat neceſſe eſt; ſic qui Carnem & Sanguinem Domini ſumpſit, cum ipſo ita coniungitur, vt Chriſtus in ipſo, & ipſe in Chriſto inueniatur. Vbi ergo tanta cum Chriſto ſocietas, non debet interuenire cum Chriſtiano diſſidium. Non ineffabilis obtinetur cum capite vnitas, niſi ſincera præcedat erga membra dilectio. Si vis eſſe membrum Chriſti, noli diuidi à membris Chriſti; ſi vis Chriſto ſociari, noli à Chriſtianis ſeparari. Charitatē cum proximo ſequitur vnitas cum Chriſto, non præcedit. *Vt ſimus membra eius*, inquit Auguſtinus, *vnitas nos compaginat: vt compaginet vnitas, quid facit niſi charitas?* Fideles omnes *vnum corpus ſumus, & membra ex carne Chriſti, & ex oſſibus eius, & propterea ſemetipſum nobis immiſcuit, & Corpus ſuum in nos contemperauit,* vt vnum quid effecti, tamquam corpus capiti coaptemur. Vt ergo ad hanc menſam accedamus, coaptati & concordes, tamquam vnius corporis membra, venire debemus, vt à pacifico capite in pacifica membra gratiarum fluenta deſcendant; & vnanimes in Sacro conuiuio cæleſtes ſumamus delicias, non diſcordes letale hauriamus venenum. Benè obſeruauit deuotus iuxtà ac doctus vir Vbertinus de Caſali in l. 4. Arboris vitæ Crucifixi, ſub titulo *Ieſus panis ſacratus*, in explicatione verborum quæ proferuntur in Miſſa, ad communionem præmitti à Sacerdote orationem & largitionē pacis: *Præparatur enim*, inquit, *populus ad ſumptionem, per pacem quæ datur, cùm dicitur, Pax vobis; eſt enim hoc ſacramentum vnitatis ac pacis.* Proinde ſi liuore vel *ira nos corripi viderimus, cogitemus,* *quibus facti ſumus digni, & ſit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.* Conſilium eſt Auguſtini: *Antequam ad altare accedas, attende quod dicas: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si dimittis, dimittetur tibi;* ſi non dimittis, peribis: quod alijs proderit ad vitam, tibi ſine dubio nocebit ad mortem; & vnde illi in menſa hauriunt iucunditatem, tu æternum tibi manducas & bibis iudicium. Vide Chryſt. Hom. de Proditione Iudæ ante fin. To. 3.

Obſeruanda vnitas pacis.

Auguſt. Tract. 27 in Ioan. an. med.

Chryſoſt. Hom. 61. ad popul. Antioch.

Chryſoſt. citatus.

Auguſt. tract. 26. in Ioan. circa med.

Reſtitutionem etiam alienorum communicanti commendat: nam raptores, crudeles, auaros, qui res detinent alienas, hæc menſa non ſuſcipit. *Nullus itaque Iudas aſſiſtat, nullus auarus & inhumanus accedat, nemo crudelis & immiſericors.* Non eſt hac menſa dignus Iudas, qui Sanctorum eleemoſynas proprios conſeruat in vſus; nec auarus, qui rebus inhiat alienis; nec inhumanus, qui ſua non reddit egentibus; nec crudelis, qui aliena miſeris rapit; nec immiſericors, qui miſericordiam non præſtat in pauperes. *Si myſterium hoc*, teſte Chryſoſt. ibidem, *pecunias acquirere non permittit*, an illas rapere, an furari, an iniuſtè obtentas, iniuſtè & fraudulenter retinere probabit? Si conuiuium parat benignus, miſericors, humanus, omnia ſua in aliena commoda profundens; qua fronte aſſidebunt conuiuæ crudeles, immiſericordes, auaritiæ ſtudentes, propria retinentes, aliena in ſuum vſum cōuertentes? *Si Chriſtus ſanctis ſuis carnibus nos dedit impleri, ſi ſemetipſum appoſuit immolatum; quænam erit nobis excuſatio, cùm talibus paſti,*

Reſtituenda aliena.

Chryſoſt. Hom. 60. ad Antioch. ante med. Tom. 5.

Ibidem ad med.

ſti, talia peccemus, cùm lupi fiamus agnum comedentes, cùm tamquam oues paſti more leonum diripiamus? A lupina autem inuaſione fermè non differt alienorum retentio; & rapina eſt, iniuſtè retenta non reſtituere. *Quod inueniſti, & non reddidiſti,* inquit Auguſtinus, *rapuiſti; quantum potuiſti, feciſti; quia non plus potuiſti, ideò nō plus feciſti. Qui alienum negat, ſi potuit, tolliſt.* Reſtitutio, vt docet D. Thomas, actus eſt Iuſtitiæ commutatiuæ, quia nihil aliud videtur eſſe, quàm aliquem ſtatuere in poſſeſſionem rei ſuæ. In Iuſtitiam ergo peccat, rapit, poſſeſſione priuat, qui quod ſuum eſt, alteri non reddit. Quantum habet, quantum valet, quantum eſt, tibi Chriſtus apponit in menſa; tu verò quod iniuſtè acquiſiuiſti, quod violenter retines, quod tuum non eſt, cuius alienum dominium, tibi cuſtodies? A nobis Chriſtus carnem aſſumpſit, & ſanguinem, *vt homines Deos faceret, factus homo; & hoc inſuper, quod de noſtro aſſumpſit, totum nobis contulit ad ſalutem* in hoc conuiuio. Tu quod in damnum proximi tibi accumulaſti, quod in eius detrimentum tibi conſeruas, huius menſæ factus conuiua retinebis? Diuina liberalitas tuam condemnat auaritiam, Chriſti prodigalitas (ita liceat appellare) tuam abhorret cupiditatem. Vis miſer accumulare humanis diuina? Terrena iniuſtè detines, diuina ſacrilegè adiungere præſumes? Scito, nec te alieno ditiorem, nec Chriſti Corpore meliorem. Redde quod debes, & manduca ſicut oportet; præmitte, iuxta Franciſci magiſterium, iuſtam reſtitutionem ſanctiſſimi Chriſti Corporis communioni.

Auguſt. Ser. 8. de verbis Apoſt.
D. Tho. 2. 2. q. 62.
Idem Opuſc. 57. Tom. 17.

29. IMPVGNATIONIS ARMA, &c] Habitum cinereum, vel virum pœnitentiæ legibus mortificandum, non decent arma quibus alios mortificet, aut violenter impugnet. Aliæ vanos & furioſos ſæculares, aliæ ſpirituales Chriſtianos, & ſobrios viros, qui pœnitentum Ordini nomen dederunt, circumcingunt armaturæ. *Horum armatura Chriſtus eſt. Et Apoſtoli Pauli inſtitutio, qui ſcribit ad Epheſios: Aſſumite arma Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo. Et rurſum: State ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, ſuper omnia accipientes ſcutum fidei, in quo poſſitis vniuerſa tela maligni ignita extinguere; & galeam ſalutis accipite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. His quondam telis Rex Dauid armatus procedebat ad prælium; & quinque lapides de torrente accipiens læuigatos, nihil aſperitatis & ſordium inter huius ſæculi turbines, in ſenſibus ſuis eſſe monſtrabat; bibens de torrente in via, & idcircò exaltatus, caput ſuperbiſſimum Goliæ ſuo potiſſimùm mucrone truncauit, percutiens in fronte blaſphemum.* Qui ad Deum accedit, mundi arma deponat. Non eſt cur ſplendentibus armis orneris, qui Deum tuum elegiſti protectorem. Suos non vult Dominus gladiatores: illa namque fecit Chriſtus prodigia, vt inter veriores Chriſtianos *abſtulerit bella vſque ad fines terræ, arcum contriuerit, confregerit arma, ſcuta combuſſerit igni.* Violentam impugnationem, & vanam præſumptionem ſuæ protectionis, in iuſtis hominibus Deus igne conſumpſit,

Tertiarios dedecent arma.
Hieron. Ep. 89. ad Aug. ad princip. Tom. 2.
Epheſ. 6. v. 11.
Ibidem v. 14.
1. Reg. 17 v. 40.
Pſal. 109. v. 7.
Pſal. 45. v. 10.

ſumpſit; hi enim nec alios volunt impugnare, nec ab alijs cupiunt ſuis armis defendi, ſed à Deo protectore muniri. Sub cinere ſolet ignis foueri, ſub cinereo habitu debet iſta fauilla nutriri. *Ignis quo iſta comburuntur, eſt de quo Dominus ait: Ignem veni mittere in terram. de quo igne dicit Pſalmus: Et non eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Feruente igne iſto, nulla in nobis impietatis arma remanebunt; neceſſe eſt vt omnia confringantur, conterantur, comburantur: remaneas inermis, non habens nullum adiutorium tuum: & quantò magis infirmus es, nulla tua arma habens, tantò magis te ſuſcipit, de quo dictum eſt: Suſceptor noſter Deus Iacob. Valebas enim quaſi per te, conturbaris in te. Perde arma quibus præſumebas; audi Dominum dicentem: Sufficit tibi gratia mea.* Paucis interpoſitis: *Quando autem nos Dominus ſuſcipit, numquid inermes dimittit? Armat nos, ſed alijs armis Euangelicis, veritatis, continentiæ, ſalutis, ſpei, fidei, charitatis. Hæc arma habebimus, ſed non à nobis. Arma autem, quæ à nobis habuimus, arſerunt; ſi tamen igne illo Spiritus ſancti accenſi ſumus, de quo dicitur: Et ſcuta comburet igni.*

Aug. in Pſal. 45. Tom. 8. Luc. 11. v. 49. Pſal. 18. v. 7. Pſal. 45. v. 8. 2 Cor. 12 v. 9.

Quare aliquando ferenda ſunt arma.

Nec his contradicit, quòd Chriſtus Seruator in ipſo limine ſuæ Paſſionis Apoſtolos admonuerit ſibi gladios cõparare. *Qui non habet gladium*, inquit, *vendat tunicam, & emat illum.* Non iubet enſes acquiri ad inferendas iniurias, ſed ad extollendam iuſti patientiam; non ad feriendos ſatellites, ſed ad inſtruendos Chriſtianos. Petrus gladio percuſſit, ſed obiurgatur à Chriſto, qui vult in comitatu gladios haberi, ſed non in homines diſtringi. Quis ergo gladij vſus? *Cur*, interrogat Ambroſius Petri nomine, *emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi?* Et reſpondet: *Vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria; & videar potuiſſe vindicare, & noluiſſe.* Habeant homines pij, & Chriſtum ad volũtariam ſequentes paſſionem, arma, non quibus alios impugnent, ſed quibus ſemetexpugnent; non quibus offendant, ſed quibus defendant; non quibus paſſionum motibus agitati in alios irruant, ſed quibus quantũ Chriſtiana patientia valeat oſtendant. Sit eis gladius teſtis patientiæ, non vltor paſſionis; ferant, non inferant, imò nec referant iniurias; nec tam euaginato gladio ictum repellãt, quàm impenetrabili patientiæ clypeo ferrum obtundant. *Omnis iniuria, ſeu linguâ ſeu manu incuſſa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu diſpungetur, quo telum aliquod in petra conſtantiſſimæ duritiæ libratum, & obtuſum. Concidet enim ibidem irrita opera & infructuoſa, & nonnumquam repercuſſum in eum qui emiſit, reciproco impetu ſæuiet. Nempe idcircò quis te lædit, vt doleas, quia fructus lædentis in dolore læſi eſt. Ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipſe doleat neceſſe eſt amiſſione fructus ſui: tunc tu non modò illæſus ibis, quod etiam ſolum tibi ſufficit; ſed inſuper aduerſarij tui, & fruſtratione oblectatus, & dolore defenſus.* Magna vis patientiæ, magna vtilitas, magna potentia: plus præſtas patientiâ, quàm gladio; plus aduerſarium cædis ſuſtinendo, quàm repercutiendo. Hæc itaque propria eſt pœnitentum armatura, qui iam non paſſiones fouere,

Lucæ 22. v. 36.

Ambroſ. l. 10. in cap. 22. Lucæ To. 3.

Tert. l. de Patient. c. 7. To. 2.

uere, ſed extinguere; non aliis bellum, ſed ſibi vim inferre ipſa pœnitentiæ voce declarant. Non ferant ergo impugnationis arma ex Legiſlatoris ſtatuto, niſi dum fidem aut Romanæ Eccleſiæ vel proprias terras oporteat defendere; vel ij, quibuſcum diſpenſatum eſt in exteriori habitu, & in ijs regionibus, in quibus gladius eſt communis ornatus.

Symbolũ Apoſtolicum maius & minus.

30. Minorem Symbolvm.] Apoſtolicum intelligit, quem Apoſtoli confecerunt, quaſi quoddam totius fidei noſtræ breuiariũ, quo veluti quadam teſſera pſeudoapoſtoli à veris diſcernerentur. Quando verò, quo alio fine; ſi verbo, ſi ſcripto, traditus, qui ſcire cupierit, docebit venerabilis Dei ſeruus Angelus à Paz l. 1. de Præambulis ad Symbolum. Minorem autem vocat ad diſtinctionem Nicæni, quod communiter & ſtatutis diebus in Miſſa cantatur, in quo propter varia hæreticorum deliria oportuit plura verba adiungi, clariori addita quorumdam myſteriorum, de quibus dubitabant, declaratione.

Procuranda pax.

31. De pace vero inter Fratres.] Magnũ certè opus, diſcordes inter ſe conciliare Fratres, per quod & Chriſti exercebis officiũ, & filij Dei obtinebis nomenclaturam. *Cùm nos hoc facimus*, inquit Chryſoſtomus, *Chriſtus facit ſuo nos vocabulo nuncupari. Beati*, inquit, *pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Hoc enim facis quod Dei Filius fecit, ſi & tibi & aliis pacis volueris auctor exiſtere.* Et alibi inquit: *Filij Dei vocantur, qui pacem efficiunt; nam Filius Dei ad hoc in terram venit.* Diſſidentes ergo fratres compone, ſi filiationis diuinæ *pia participatione conſors eſſe deſideras; ſi Patris heres eſſe cupis, ſi filius Dei exiſtere*, impacatis mentibus tranquillandis intende. *Quærite pacem ciuitatis*, inquit Dominus per Ieremiam, *ad quam tranſmigrare vos feci, & orate pro ea ad Deum, quia in pace illius erit pax vobis.* Qui de mundi deſerto ad hanc piam Societatem, & de ſæculi periculis ad huius ſanctæ ciuitatis refugium ſe receperunt, pacem inter ſe habere, & fouere in aliis conentur, nec permittant vt in benè inſtituto Ordine dominentur diſſidia, per quæ & Societatis bonus odor depereat, & alumni plus ſibi lacerandis quàm ædificandis, plus odio quàm virtuti incumbant. *Ordines*, inquit Lyra, *ciuitates ſunt, vel ciuium vnitates: nam omnis Religio habet ortum ab eo quod dicitur Act. 4. Multitudinis credentium erat cor vnũ, & anima vna. Turbata autem Religione, turbatur quilibet habitans in ea.* Ne ergo & tu turberis, & ad te perueniat diſcordiæ peſtis, quæ ſecundũ affectus qualitatem cor hominum facilè obrepit & inficit; ſtatim vt diſcordes ſenſeris Fratres, ad pacem & vnitatem inuita: fac vt quod pulchrũ, quod ſublime in Perſonarum diuinarum Trinitate relucet, in Fratrum pœnitentum Societate refulgeat. Pulchrum certè, ſublime profectò bonum, in tribus Perſonis vnum velle, vnum nolle, vnam omnino eſſe voluntatem, reciprocum amorem, vnicum cõſenſum. *Concordia bonum*, inquit Nazianzenus, *à Trinitate quidem exortum, cui nihil æquè proprium eſt, ac natura vnitas & concordia.* Vnde cùm

Ora-

Chryſoſt. de Proditione Iudæ an. fin. Tom 3. Matth. 5. v. 9. Item Hom. 3. in Epiſt. ad Coloſ. Tom. 4.

Greg. in Reg. l. 7. Indic. 2. c. 6.

Ier 29. v. 7.

Lyra in c. 29. Ier. in Exp. mor.

Act. 4. v. 32.

Nazianz. Orat. 14. quæ eſt 3. de Pace num 27. Tom. 1.

Oratione 2. de Pace, quam iam ſtabilitam inter Nazianzenos vidit, voluiſſet extollere magnum inter eos pacis vinculum, & fidei vnitatem, dixit: *Nam quod ad Diuinitatem attinet, non minùs quàm ipſa ſecum Diuinitas (niſi magnum hoc dictu ſit) inter nos conſentimus atque concordamus, labiumque vnum & vox vna ſumus.* Paucis interpoſitis: *Nos ob pulcherrima quæque concordiam colimus, vt vnanimes atque vno ore Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum glorificemus; idque de nobis prædicetur, quod verè in nobis ſit Deus, eos, à quibus vnitur* (id eſt, creditur eiuſdem eſſentiæ vnitas) *vniens; & eos, à quibus gloriâ afficitur, gloriâ afficiens; nec tantùm prædicetur, ſed etiam credatur.* Et Oratione 1. de Pace, cùm eamdem in Angelis commendaret, addidit: *Dignitatis Angelicæ primum illud eſt, quòd pacati ſunt, ac diſſidij expertes; quippe qui à ſancta & laudanda Trinitate hoc acceperint, vt vnum ſint, quemadmodum & ab eadem illuminationem acceperunt: nam & illa Deus vnus eſt & eſſe creditur, non minùs propter concordiam, quam propter eamdem eſſentiam.* Appoſitè proinde ſtatim infert: *Itaque omnes ij qui pacis bonum amplectuntur, eique contrariam diſcordiam & ſeditionem infensè oderunt, ad Deum & diuinas mentes accedunt; contrà, qui iis ſunt moribus, vt pugnis gaudeant, ac nouitate famam captent, atque in ignominia ſua glorientur, aduerſæ partis ſunt.* In hoc vltimo, Gregorio Naziãzeno Gregorius accinit Romanus. Poſtquam ex Chriſti Domini verbis, à nobis ſuprà relatis, probauit Dei filios eſſe, qui pacis ſunt auctores, ſubiunxit: *Si Filij Dei vocantur qui pacem faciunt, proculdubiò ſatanæ ſunt filij, qui confundunt.* Et ſtatim diſcordiæ mala adnectit: *Omnes autem qui per diſcordiam ſeparantur, à viriditate dilectionis areſcunt: qui etſi boni operis fructus in ſuis actionibus proferunt, profectò nulli ſunt, quia non ex vnitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant ſeminantes iurgia, quàm multipliciter peccant, qui dum vnam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas ſimul virtutes eradicant: in vno enim malo innumera peragunt, quia ſeminando diſcordiam, charitatem, quæ nimirum virtutum omnium mater eſt, extinguunt. Quia autem nihil pretioſius eſt Deo virtute dilectionis, nihil eſt delectabilius diabolo extinctione charitatis.* Pacem ergo, quam Dei, & cuius Deum, & quam Deum eſſe credimus, ſecundùm illa Apoſtoli verba, *Pax Dei, & Deus pacis, & ipſe eſt pax noſtra;* qui ſibi Deum per pœnitentiam volunt propitium, Fratribus ingerant: diſſidium & contentiones longiùs ſedulò depellant. Vide Nazianzenũ tribus Orationibus de Pace; Bonauent. l. 4. Pharetræ c. 16. Aug. Serm. 57. de Diuerſis; Auctorem Sermonis 2. ad Fratres in eremo; Bernardum Serm. 29. in Cant. ad medium; Chryſologum Serm 53 & Bernard. Senenſ. Tomo 3. Serm. 8.

[Margin: Idem Orat. 13. num. 6. — Gen. 11. v. 1. — Idem Orat. 12. num. 30. & 31. — Greg. in Paſt. par. 3. admonit. 24. — Philip. 4. v. 7. — 2. Cor. 13 v. 13. — Epheſ. 2. v. 14.]

32. Vel eorvm privilegia.] Ex hoc loco forſan putabit aliquis confirmari illorum aſſertum, qui volunt hanc Regulam non eſſe Franciſci; nam non videtur Ordinem hunc ante Inſtitutoris mortem priuilegiis fuiſſe gauiſum; vel ex eo maximè, quòd Franciſcus nolue-

[Margin: *An gaudebant priuilegiis Tertiarij Franciſci ætate.*]

Ll 2

noluerit ſuos ſectatores priuilegiis, ſed virtuti inniti; & deſideraueriteos potiùs vita inculpabili, quàm indultis Pontificiis defendi, vt Teſtamento legauit Fratribus Minoribus, & nos n. 31. ad eiuſdem Teſtamentum adnotauimus. Sed ſcrupulum hunc abiiciet, qui legerit literas Gregorij IX. incipientes *Nimis patenter*, quas ex Ioannis Capiſtrani Defenſorio inter Apoſtolica priuilegia huius Ordinis tranſcripſit Anton. Sillen. & habentur in Firmamento trium Ordinum tract. 1. p. 2. fol. 12. & Hiſpanicè apud Petrum de Salazar l. 6. Chron. Prou. Caſtel. c. 4 In ijs quippe clarè oſtendit, Honorium III. quibuſdam Ordinem hunc priuilegiis condecoraſſe. Et Capiſtranus in fine ſui Defenſorij ait hoc Inſtitutum ab eodem approbatum. Quod & temporum ratio confirmat: nam, vt diximus in huius Regulæ argumento, Franciſcus decimoquarto anno à ſua conuerſione & ſexto ante Honorij obitum hoc viuendi genus præſcripſit, & Honorius propenſior erat in Franciſcum, & in peccatorum pœnitentiam probandam, quàm vt benè inſtitutam hanc normam reprobaret, aut iniuſtis exactionibus, aut grauaminibus moleſtari permitteret.

33. In casibvs per indvlgentiam.] Caſus hos excepit Gregorius IX. an. 2. ſui Pontificatus, in Bulla *Deteſtanda humani hoſtis*, vt habent Monu. Ord. fol. 3. pag. 2. & Compen. priuilegiorũ, verbo Tertiarij Fratres, §. 1. Hos ergo caſus expreſſit hîc Nicolaus IV. quando Regulam ſuis literis inſeruit.

34. In commvni qvoqve loqvela vitent.] Quot quibuſque modis iuramentum præſtetur, & licitum eſſe laudabileque, docent Doctores Scholaſtici in 3. d 39. & in 2. 2. q. 89. ar. 3. & Canonici 22. q 1 2 4. & 5. per varia capita, & Extra. de Iureiur. c. Et ſi Chriſtus, modò adſint veritas, iuſtitia, & iudicium; quibus adiunctis conditionibus, & non aliter, voluit Deus Deuteron. 6. nomen ſanctum ſuum in veritatis teſtimonium compellari. Si verò paſſim & in communi loquela, vt loquitur Legiſlator, adhibeatur, vitio carere non poteſt. *Iurationi*, inquit Eccleſiaſticus, *non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in ea*. Et infrà: *Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non diſcedet à domo eius plaga*. Quare ſtrictè cauit Apoſtolus Iacobus, ne fideles iurarent: *Ante omnia*, inquit, *fratres, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt; Non, non: vt non ſub iudicio decidatis.* Modum ſermonis Apoſtolici ponderat Auguſtinus, ſenſumque illius ſerię cautionis examinat. *Quare, inquit, ait, Ante omnia, nolite iurare? An iurare peius eſt quã furari, quàm adulterare, quàm hominẽ occidere? Abſit. Iſto verbo quod ait, Ante omnia, cautos nos facit aduerſus linguam noſtrã. Ante omnia, ait, vt attẽdatis præ ceteris ne ſubrepat vobis cõſuetudo iurandi. Cùm tibi creditur iuras, & cùm nemo exigit iuras*, certè aliquando periurabis. Id vitiũ frequens frequenter iurantium, vt ſceleſtè etiam peierent. Nam, teſte eodem Auguſtino, *iurando ad facilitatem iurandi venitur, ex facilitate ad conſuetudinem, ex conſuetudine*

Conſuetudo iurandi, praua.

Eccli. 23. v. 9.

Iacob. 5. v. 12.

Auguſt. ſer. 30. de verb. Apoſt.

Idem l. de Mẽdacio c. 15. Tomo 4.

in periurium deciditur. Hinc tandem eueniet, vt cui aliquando ob iuramentum crederetur, nullatenus, etſi vera aſſerat, & inſuper quàm ſolemniter iuret, fides adhibeatur. Fatuos huiuſmodi iuramenti vilificatores vocat Philo Hebræus, qui omnibus voculis ſacramentum adiungunt: *Quaſi*, inquit, *euicturi ſint crebris deierationibus, vt ſibi credatur; fatui, qui non intelligunt conſuetudinem crebrò iurandi, argumentum eſſe perfidiæ, non fidei dumtaxat, prudentiorum iudicio.* Vnde putant fidem ſuis dictis conciliare, inde detrahunt; & quod alijs cedit in teſtimonium, illis vertitur in opprobrium. Viro bono & probo ſat eſſe aſſeruiſſe, vel negaſſe; impoſtori & mēdaci, nec iurare nec ſacramentis conteſtari ſufficiet. Lepidè populus Romanus Carboni, leui & facilis iuramenti viro, quidpiam pollicenti, & iuſiurandū cum execratione addenti, viciſſim & confeſtim iurauit, ſe illi non credere. Nec mirum: nam & ſi probis viris etiam iniuratis habenda ſit fides; leuibus, nec iuratis quidem. Ipſi hominis mores iuramentum vel excuſant, vel exigunt. Rectè Solon (vt habet Maximus) tantam morum probitatem ineſſe hominibus oportere dicebat, vt non opus eſſet aſſertum vel promiſſum ligare iuramento. Tam ratum erat apud Eſſenos iuramentum, tantamque probis hominibus ſimplicibuſque eorum verbis fidem adhibebant, vt mendacij ſtatim condemnatum arbitrarentur, cui ſine Deo non crederetur. Vnde appoſitè aſſeruit Baſilius, *turpe eſſe, & omnino ſtultum, quempiam ſeſe vt indignum fide accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere.* Nam, vt optimè Hebræus ille Philoſophus ait, *quidquid vir bonus aſſeuerat, perinde ac iurato credi debet, cùm verbum eius firmum ſit ac rigidum, nullo mendacio flexile, veritate, in qua fundatur, ſubnixum.* Vitent ergo conſuetudinem iurandi, qui pœnitentem & probam profitentur vitam, ne fidem quam ipſa vita meretur, iurandi ſubtrahat conſuetudo; caueantque illius, cuius nomen in vanum & leuiter aſſumunt, indignationem, qui ſui nominis vilipendium non patitur inultum. *Nec enim habebit inſontem Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtrà: & non erit impunitus, qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit.* maximè ſi falſitati velit patrocinari, aut, quod conſuetudinarij ſolent iuratores, peierauerit. Benè Vates:

Frequenter iurantes nequaquam credendi.

Philo l. de Spec. legibus.

Eraſmus l 6 Apophthe g.

Maxim. ſer. 33.

Ioſeph. de Bell. Iud. c. 7.

Baſil. in Pſal. 14.

Philo cit.

Exod. 20. v. 7.

Deut. 5. v. 11.

> *Ah miſer! Et ſi quis primò periuria celat,*
> *Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.*

Tibull. l. 1. Eleg. 9.

Cui accinit alius nō inferior Poëta:

> *Nullàne periuri capitis fraudiſque nefandæ*
> *Pœna erit? abreptum crede hunc grauiore catena.*

Iuuen. Satyr. 13.

Qui horum pœnas, pœnarumque aliquot exempla, & longiorem de iuramentis ſermonem deſiderat, adeat Bernar. Senenſ. To. 1. ſer. 45. & Ioannem Chryſoſtomum To. 5. Hom. 5. vſque ad 16. & Hom. 26. vſque ad 29.

35. CVM DEBET RECOGITARE QVID FECERIT.] Nihil tam commendant ſancti Patres, quàm frequentem vitæ diſcuſſionem. Eam ſepties in die examinandam voluit, ſui non indiligens ſcrutator, Bona-

Frequenter examinanda conſcientia.

Bonauentura in Epiſt. de ſpirituali vita, memoriali 24 Manè & veſperi iudicat Bernardus, ſiue quis alius Auctor lib. ad Fratres de Monte Dei, ſubeundum hoc iudicium. Bernard. lib. ad Fratres de Monte Dei. *Manè*, inquit, *præteritæ noctis fac à temetipſo exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito canonem. Veſpere præteritæ diei rationem exige, & ſuperuenientis noctis fac indictionem; ſic diſtricto numquam aliunde laſciuire vacabit.* Serò ſaltem examinandam conſcientiam, cum Legiſlatore noſtro, conueniunt ceteri vitæ ſpiritualis Magiſtri: tunc enim in cubiculi tui ſecreto, liber à ſæculi negotijs, & conciuium occurſibus, quid illo die egeris, erecto in te aduerſum te tribunali, iudicare poteris, qui tuæ vitæ profectui incumbis. Et ſi alibi commodè coram iudice te ſiſtere non poſſis, ſaltem in lecto proſtratus, Deo conſcientiam proſterne; & vbi alij iacent in vitijs, tu te purga à peccatis. Chryſoſt. apud Bon l 4. Phar. c. 7. *Quando accubueris ſuper ſtratum tuum, & neminem infeſtum pateris, antequam veniat tibi ſomnus, profer in medium codicem, conſcientiam tuam, & reminiſcere peccata tua, ſi quid in verbo ſeu in facto vel in cogitatione peccaſti.* Recordare mala vt tollas, bona vt conſerues: quæ fœda corrige, quæ pulchra conſolida. Ab anima tua contritionis ſcopis euerte, quæ Deo inhabitare volenti noueris diſplicitura: licet in tenebris verras, benè videbis quid eijcias; licet in nocte ſcruteris, benè apprehendes quid debeas condemnare. Pſal. 76. v. 7. *Meditatus ſum* (inquit Pſaltes) *nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum.* Bonau. lib. de Perfect. vitæ c. 1. Tom. 7. *Meditabatur ille cum corde ſuo,* (inquit Bonauentura ad Sororem Religioſam) *meditare & tu cum corde tuo. Scopebat ille ſpiritum ſuum, ſcope & tu ſpiritum tuum, exerce agrum iſtum*; vide quos proferat fructus, attende quas producat & ſpinas: fructus foue, tribulos combure, ſpinas euelle; fac in iſto agello quod bonum decet agricolam. *Nihil eſt, quod ſic cogitare debeas, niſi vt in temetipſum oculos conuertas, te diſcas, te diſcutias, te inſpicias, te quæras, & te inuenias: quod diſplicet, neces; & quod placet, optes & plantes.* Auguſt. ſerm. 7. de verb. Dom. Ingredere ſecretum cordis tui, rimare penetralia conſcientiæ, attentè examina quid egeris, diligentiùs perpende quid cogitaueris; multa forſan ſic inuenies corrigenda, quę aliàs in ſuperficie & leuiter diſcuſſa putaueris approbanda. Non quod foris appareat, ſed quod interiùs diſcuſſeris, laudes vel condemnes. Quod in ſuperficie probaueris, excoriatum, euiſceratū fortaſſe damnaueris. *Detracta pelle hoſtiæ,* (inquit Hebraici populi Legiſlator) Leuit. 1. v. 6. *artus in fruſta concident.* In quæ verba aptè Radulphus Abbas: Radulph. Flau. l. 1. in Leuit. c. 1. *Hoſtiæ noſtræ pellem detrahimus, cùm minimè vitæ noſtræ ſuperficie contenti, interiora illius ſubtiliùs perſcrutamur. Multa enim videntur bona, quæ non ſunt. Vnde & artus illius in fruſta concidendi ſunt, vt ſcilicet conuerſationis noſtræ actiones ſingulas examinantes, ne ſub virtutum ſpecie vitia lateant, ſolicitè diſcutiamus. Plerumque enim timor humilitatem ſe ſimulat, ſuperbia confidentiam. Solicita ergo in examine vitæ diſcretio habenda eſt, & ab hoſtia noſtra ſuperficies remouenda.* Quæ ſub ſuperficie latent, producenda in medium, ſiſtenda Iudici, tradenda conſcientiæ examini;

quod

Philo lib. de Mundi opif. paulò poſt med. *quod inſitum in anima, tamquam Iudex obiurgare non veretur, alijs intentando minas, alios admonendo modeſtiùs; eos quidem, qui ſponte ſua contumaces ſunt, minùs territans; eos verò, qui peccant inuiti per prudentiam, ciuiliter admonens, ne poſt hac labantur ſimiliter* Omnibus & ſingulis ſuus conſtitutus eſt Iudex, qui ſegnem moneat, prauum obiurget, probum laudet, qui ſemper in tribunali ſedeat, qui errantem animam pungat & cruciet. Hinc ille Senecæ, licet Stoici, clamor: Sen. Epiſt. 35. *Clamo*, inquit, *mecum ipſe, numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueras puer. Hoc denique, hoc tandem tibi circa mortis diem præſta, moriantur ante te vitia tua.* Quòd ſi Ethnici ſuos habent ſtimulos, ſi peccatores habent à quo redarguantur; qualem iudicas Chriſtianum, cui abſque conſcientiæ remorſu dies hilares fluant, & abſque interiori examine vita in luxu prætereat? Bona. l. de 7. itiner. æter. ar. 2. Roboratæ & proficientis charitatis primum ſignum iudicat Bonauentura ab hoc Iudice ſæpiùs iudicari & examinari; & electos dicit Gregorius, Gregor. lib. 25. Mor. c. 6. *qui intra ſinum cordis aduerſum ſe quidquid ſe impugnat, enumerant; ibi ante oculos ſuos, omne quod defleant, concernunt; ibi, quidquid per iram diſtricti Iudicis diſcerni poſſit, intuentur: qui ibi tot patiuntur ſupplicia, quot pati timent. Neque enim deeſt in hoc iudicio, mente concepto, omne miniſterium, quod punire reos ſuos pleniùs debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat.* Sed mitius hoc iudiciũ, quàm finale diuinum; humaniùs accuſat conſcientia, quàm dæmones; flexibilior rationis, quã diuina ſentẽtia; leuiora vincula timoris, quàm gehennæ; minùs cruciat dolor, quàm ignis. Si ſeuerum horreas iudicium, vel ipſo tuo te iudica, præuenias ſententiam: in te ſi animaduertas, Deus non te corripiet; tuo, licet mitiori, ſupplicio æternum poteris declinare furorem. *Diſce* Bern. cit. proinde *temet iudicare, & temetipſum apud temetipſum accuſare, ſæpè etiam condemnare, nec impunitum dimittere: ſedeat iudicans iuſtitia, ſtet rea & temetipſum accuſans conſcientia; nemo te plus diligit, nemo fideliùs iudicabit.* Vide huius argumenti plura, ſi placeat, apud Henricum Sedulium in Cõment. ad c. 5. Vitæ D. Franc. §. 7. & apud Bonauenturam citatum, & in Soliloq. c. 1. in Opuſculo de Paruo bono, cap. 1. in Meditat. Vitæ Chriſti, in Fer. 5. c. 14. & in Pharetra l. 4. c. 7.

36. FAMILIAM PROPRIAM EXHORTETVR.] Admonuit Deus per Iſaiam, *Ne quis domeſticos ſanguinis ſui* (ita legit Chryſoſtomus) *deſpiciat.* Iſai 58. v. 7. Et Apoſtolus ad Timotheum dicit, quòd *ſi quis ſuorum, maximè domeſticorum, curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.* Chryſoſt. Ho 14. in c. 5. primæ ad Timoth. 1. Tim. 5. v. 8. Intelligendum tamen, adnotauit Chryſoſtomus, *cura nomine prouidentiam non ſolùm corporis, ſed etiam animæ ſignificari.* Chriſ. cit. Nam patresfamilias non ſolùm ſuos paſcunt, ſed & regunt; non tam cibum miniſtrant, quàm vitam dirigunt. *Sanctè gubernanda familia.* Acutiùs ſanè, quàm conformiùs ad textum, adnotauit doctus ille Hebræorum Philoſophus, Ioſephum *fratres ſuos quærentem* non rogaſſe ſimpliciter, *Vbi paſcunt?* ſed *vbi* ποιμαίνουσιν, *id eſt regunt. Nam qui paſcunt, alimenta iſta ſenſibilia omnia præbent bruto* Gen. 37. v. 16. Philo l. Quòd det potiori inſid.

&

& inſatiabili ſenſuum pecori, per quæ fit, vt impotes noſtri, & infortunati ſiamus; & qui regunt, principum & moderatorum vtendo potentia, quidquid efferatum eſt, manſuefaciunt, ſedantes cupiditatum magnitudinem. Paſtores ſuorum domeſticorum ſunt patresfamilias, qui curant ne concreditus ſibi grex inuadatur à lupis, ne noxia digrediatur ad paſcua vitiorum, ne frigore algeat aridæ vel extinctæ deuotiotionis, ne calore areſiat libidinis; ſed ſoliciti & vigiles ducunt & reducunt. Si quando domo exire neceſſe, attendunt quò pergit, inquirunt quos flectit in vicos, inueſtigant quas petit & domos, in ſua quid agat examinant; extrà vagari non patiuntur, obſeruantiam diuinæ legis inceſſanter inculcant. Atqui ſolùm cogitant de veſtienda & ſaginanda familia, qui domeſticis *affatim præbent quidquid deſiderant, pecuarios vocabimus; è diuerſo paſtores dicemus illos, qui delectu rerum neceſſariarum habito, quæ commodiſſimæ ſunt, has eis præbent; reſciſſa & amputata inutili ſuperfluaque copia, quæ non minùs nocet quàm inopia; quique modis omnibus prouident, ne grex neglectus in morbos incidat: imò vota etiam faciunt, ne qua externa calamitas ingruat, ne grex vagabundus diſpergatur, metum iniiciendo non obtemperantibus rationi, & animaduerſione vtendo continua, mediocri quidem in errata ſanabilia, ſeuera autem ſi his accedat contumacia.* Diligenter etiam ſtudent vt omnia ſint pacata, vt vnius domus ſit vna voluntas, vt acceſſum non habeat filius diſcordiæ. *Si quis autem in domo per inobedientiam domeſticæ paci aduerſatur, corripitur ſeu verbo, ſeu verbere, ſeu quolibet alio genere pœnæ iuſto atque licito, quantum ſocietas humana concedit, pro eius qui corripitur vtilitate, vt paci, vnde diſſiluerat, coaptetur.* Nec hanc pacem aut ſpiritualem profectum ſolùm filiis deſiderant, ſed & ſeruis & ancillis: nam licet *ſecundùm hæc temporalia bona filiorum ſortem à ſeruorum conditione diſtinguant; ad Deum autem colendum, in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari conſulunt dilectione.* Filiorum licet ſint genitores, ceterorum etiam ſunt patres, vt vel ipſa monet patrumfamilias nomenclatura. *A maiore* proinde *vſque ad minimum, amorem & dulcedinem regni cæleſtis, amaritudinem & timorem gehennæ annunties, & de eorum ſalute ſolicitus ac peruigil exiſtas, quia pro omnibus tibi ſubiectis, qui in domo tua ſunt, rationem Domino reddes. Annuntia, præcipe, impera, ſuade eis vt caueant ſe à ſuperbia & detractione, ab ebrietate & fornicatione, à luxuria & ira, à periurio, à cupiditate,* & ſi quibus aliis, quæ militant aduerſus animam. Hinc tibi erit ſerenitas mentis, & tranquillitas pacis: hinc Deum honoras, & laudas: *Laus enim Domini, vbi munda poſſeſſio, & innocens familiæ diſciplina.*

Idem lib. de Agricul. aliquantum à princ.

Aug. l. 19 de Ciuit. cap. 16. Tom. 5.

Indidem.

Auctor lib. de Salutar. docum. apud Aug. c. 29. in Append. To. 4.

Amb. l. 1. de Offic. cap. 50. Tom. 4.

37 Massario.] Id eſt collectori vel receptori pecuniæ, ſeu ei apud quem maſſa vel ſumma collectæ pecuniæ reponitur.

38. Inter Fratres et Sorores pavpertate gravatos, &c.] Pecunia quam Chriſtiana charitas, & Fratrum compaſſio adcumulauit, non diſpergat mundana vanitas, aut infidelis diſtributio.

Eleemoſyna fideliter diſtribuenda.

Col-

Collecta eſt in pios vſus,non diſtribuatur in profanos. Quem in genuina miſericordiæ opera Frater aut Soror erogauit nummum, dolebit ſi in adulterina conuertatur miniſteria. Huiuſmodi erat in exordio naſcentis Eccleſiæ laudabilis pecuniæ erogatio, ſed multò laudabilior fidelis diſpenſatio. Antiquum affero teſtem Tertullianum. *Si quod*, inquit, loquens de fidelium congregationibus, *arcæ genus eſt, non de ordinaria ſumma, quaſi redempta Religionis, congregatur: modicam vnuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cùm velit, & ſi modò velit, & ſi modò poſſit, apponit: nam nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi depoſita pietatis ſunt: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis diſpenſatur, ſed egenis alendis humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, iam quæ domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis, vel in cuſtodiis, duntaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni confeſſionis ſuæ fiunt.* Qui ergo Fratrum apud te habes repoſitam pecuniam, & quem illi voluerunt ſuæ charitatis executorem, ſuæque ſtipis diſpenſatorem, indigenti largire, egeno diſtribue, tui non deglutiant neceſſarij. Æquum te erga omnes oſtende facultatis acceptæ œconomum, nec ob affectum huic indigenti vltra neceſſitatem largiaris, quod alterius poſteà curandæ miſeriæ deficiat. *Præter victum & veſtitum, & manifeſtas neceſſitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant. Verum Chriſti templum anima credentis eſt, illam exorna, illam veſti, illi offer donaria, in illa Chriſtum ſuſcipe. Iam non ſunt tua quæ poſsides; ſed diſpenſatio, quæ tibi credita eſt. Memento Ananiæ & Saphiræ. Illi ſua timidè ſeruauerunt: tu conſidera, ne Chriſti ſubſtantiam imprudenter effundas; id eſt, ne immoderato iudicio rem pauperum tribuas non pauperibus, & ſecundùm dictum prudentiſſimi viri, liberalitate liberalitas pereat.* Prudenter, & cum circumſpectione adminiſtrandum, quod ſpontaneè & ex charitate largitur: accipiant pauperes, quod pro pauperibus impenditur.

Tertul. Apolog. adu.Gen. cap. 39. To.1.

Hieron. Epiſt.13. ad Paulinum poſt med. To.1.

Mat.15.

Act.5.

Cic.l.2. de Off.

39. VIRVM RELIGIOSVM, ET IN VERBO DEI, &c.] Alios docturus, vita & doctrina præſtet, vt doctrinam vita confirmet; & quod vitâ obſeruat, verbis inculcet. Si prauè viuat, docere non proderit: plus ſuadent facta, quàm verba, inquit ipſe hic noſter Legiſlator. *Prauita, te deſtruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ*: imò & alios timebit reprehendere, in quibus ipſe ſit reprehenſibilis. Propterea & ipſe Franciſcus, qui ſui gregis factus eſt forma, & cuius vita, perfecta erat norma diſciplinæ, *quoniam primò ſibi ſuaſerat opere, quod aliis ſuadebat ſermone, reprehenſorem non timens, veritatem fidentiſſimè prædicabat.* Voluit ergo hoc in loco, ait Carthuſianus, vt Fratribus & Sororibus concionaturus, *vita, fama, atque ſcientia ſit ad prædicandum idoneus.* Electus & dilectus Legiſlatoris diſcipulus Antonius Patauinus, *lucidos* ait *debere eſſe prædicatores per exemplum, famam, & doctrinam; proptereaque dictum: Vos eſtis lux mundi: &, Sic luceat lux veſtra coram hominibus.* Nam ad aliorum inſtructionem vitæ exemplum non ſufficit ſine bona fama.

Virtus & doctrina in Magiſtris neceſſaria.

Frã apud Bonau.in Legend. c.8. ad med.

Bonau. ibidem c.12.

Carthuſ. art.23.

Ant. Patau.Ser.3 de Euangeliſt.in fine.

Matth.5. v.14.

Ibidem v.16.

Philo l.de Tranim. Abrah. ma. *Sicut enim bonum atque honeſtum eſſe, ita & videri prodeſt:* & vitæ probitas ac fama peculiare tantùm eſt bonum abſque eruditione dicendi. Quales alios vult, ſciat docere; quod in ſe bonum, linguâ communicet. *Sed fortè dices, vt Chriſtianam philoſophiam vitæ doceat exemplo. Friuola*, inquit Chryſoſtomus, *hæc ſunt; eſt enim neceſſarium verborum quoque magiſterium.* Idq; non inefficaciter, nec paucis, ex Pauli probat doctrina, qui cùm ad Timotheum ſcriberet, quales vellet in populorum magiſtro conditiones, poſtquam dixit oportere *eſſe continentem, manſuetum, irreprehenſibilem, iſtud quoque connumerat, additque, Doctorem. Vt quid autem*, interrogat Chryſoſtomus, *Doctor appellatur, niſi vt doceat?* Curent ergo huius Ordinis Fratres, vt quem volunt Magiſtrũ, doctrina polleat, & vita coruſcet. Archangelus à Meſſina in Conſtitutionibus citatis n. 14 ſtatuit, vt Guardiani in illis locis, in quibus Tertiariorũ eſt congregatio, vnum aſſignent ex Religioſis, qui huiuſmodi Societati inſtruendæ, & in ſpiritualibus adiuuandæ totus incumbat.

Chryſoſt. Hom. 15. in c. 5. Ep. 1. ad Timoth. To. 4.

1. Tim. 3. v. 2.

40. NON RECEDANT.] Similiter ſtatuit Concil. Mediolan. primum an. Domini 1565. ſub Carolo Borromæo, tit. De funeribus & exequiis. *Nec prius*, inquit, *diſcedant, quam corpus in ſepulchrum illatum fuerit.* Quod vtrobique ſtatutum arbitror, ad tollendam parum humanam conſuetudinem illarum regionum, in alias Italiæ plagas extenſam, in quibus finita breui pſalmodia, linquitur ſeu derelinquitur corpus exanime inhonorum, & ſine cereis, in feretro patulum, vel in pauimẽto proſtratum; indignè poſteà tractandum à veſpillonibus, vel à cupidis heredibus, ijs quibus rigida teguntur membra, veſtibus ſpoliandum. Vidi, in quibuſdam nobilium funeribus, recedentibus parentibus, proiecta humi abſque honore & irreuerenter iacuiſſe per multas horas illorum cadauera, quorum dum viuerent tanta erat apud omnes æſtimatio; & ferali modo ab his ſpoliari, à quibus anteà nec dignarentur veſtiri. Deinde patebant membra, vel ipſa nuditate horrida; quæ dum animâ agebantur, ſub ſerica veſte populis placebant: ac tantumnon miſellis negatum terræ tegumentum, dum inter crudeles ſpoliatores de cadaueris contendebatur exuuiis. Dignum certè erat, vt propinqui aſſiſterent, vt fratres adeſſent, vt heredes in terram vſque comitarentur, à quibus terræ acceperunt poſſeſſiones, & in *ſepulchrum mortus aſylum* ferrent, vel ferri viderent, per quos ſuæ vitæ potiuntur refugio. Non ob id hanc curam velim obeundam, nec feſtinam proinde ſuadeo ſepulturam, quòd cum fabuloſis vatibus vel leuiter iudicauerim, quod apud Maronem legitur, & ab Auguſtino refellitur, inſepultos à nauigandô atque tranſeundo inferni amne prohiberi, quia ſcilicet

Aſsiſtendum mortuorum funeribus

Tertul. in Apolog. c. 37. To. 1

Nec ripas datur horrendas nec rauca fluenta

Tranſportare priùs quàm ſedibus oſſa quierunt.

Aug. lib. de Cura pro mor. agen. c. 2. Tom 4. Virgil. Aen. 6.

Quem etiam errorem confinxit Homerus, vt habet Tertullianus: *Creditum eſt*, inquit, *inſepultos non antè ad inferos redigi, quàm iuſta*

Homer. Iliad. Tertull. lib. de Anima, cap. 55. Tom. 2.

per-

perceperint; *ſecundùm Homericum Patroclum, funus in ſomnis de Achille flagitantem, quòd non alias adire portas inferûm poſſet, arcentibus eum longè animabus ſepultorum.* Nec meæ perſuaſionis eſt cauſa, quòd corpori nihil ſentienti, quaſi de perpeſſa pœna condoleam; vel ad corporis iniurias animarum minui felicitatem, ſeu augeri tormenta defendam. Non efficiunt miſeros cadauerum opprobria in occultis ſedibus iam duraturos, nec aliquid obeſt fidelibus negata eorum corporibus ſepultura; nec aliquid, ſi exhibeatur, infidelibus prodeſt. *Neque ideò tamen contemnenda & abiicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque iuſtorum ac fidelium, quibus tamquam organis & vaſis ad omnia bona opera ſanctus vſus eſt Spiritus. Si enim paterna veſtis, & anulus, ac ſi quid huiuſmodi, tanto charius eſt poſteris, quantò erga parentes maior exiſtit affectus: nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ vtique multò familiariùs atque coniunctiùs, quam qualibet indumenta geſtamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent.* Probantur certè, & laudantur Sacro eloquio, qui parentibus, & proximis, animā agentibus aſtiterunt, mortuoſque ad ſepulchra parentalibus & vltimis pietatis officiis affecerunt, Laudabilis eſt illorum commemoratio, qui Chriſtum de cruce depoſuerunt, & honorificè tectum in ſepulchro poſuerunt. Cōmendatur mulieris obſequium, quæ pretioſo vnguento ſuper Seruatoris membra profuſo ſepulchrale præuenit officium; & à frigido corpore, amoris igne ſuccenſa, non potuit diuelli, nec *à monumento Domini, etiam diſcipulis recedentibus, recedebat.* Honorificè nominantur Patriarcharum filij, qui mortuis patribus ea reddiderunt obſequia, quæ ipſi cùm viuerent, de ſepeliendis vel etiam transferendis ſuis corporibus, filiis mandauerunt. Præclara Tobiæ memoria, quem Deum promeruiſſe Angelus teſtatur, propterea quòd *dum conuiuia accerſitur, nuntiatis inſepulti corporis reliquiis cibum deſeruit, nec putauit pium vt ipſe cibum ſumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam ſi viuentes operire nudos lex præcipit, quantò magis debemus operire defunctos? Si viantes ad longiora in domum deducere ſolemus, quantò magis in illam terram profectos, vnde iam non reuertuntur?* Deducēdi in domum vltimam, quos ſpiritus vel caro fecit eſſe propinquos; quibus ſi nouiſſima negaueris humanitatis officia, dicēris iure longinquus. Oſtende mortuo, quem viuo præferebas, affectum: comitare, vide, oculis inſequere dum licet, donec terram terra tegat, & à te diuidat, quæ ſola debuit diuidere. Quæ facilè derelinquimus, verè numquam amauimus; quæ ſeriò diligimus, ægrè patimur auelli. Non permittas patere contemptui, qui te habuit honori; deduc in commune domicilium, qui te recipiebat in ſuum. *Ratio autem pietatis iſtius non eſt reliquus animæ adulatrix, ſed crudelitatis etiam corporis nomine auerſatrix*; quòd & ipſe amicus, vel proximus, non vtique mereatur vilis in exitu æſtimari.

August. lib. 1. De Ciuit. Dei c. 13. Tom. 3. & de Cura mor. c. 3.

Ioan. 19. v. 38.

Mat. 26. v. 10.

Gregor. Hom. 21 in Euang.

Tob. 2. 5. & 12. Ambr. l. de Tobia c. 1. To. 2

Isa. 58. v. 7.

Tertul. cit. c. 51.

Abhorrere debes in proximi funere, quod nolles in tuo: fac fratribus, quod à fratribus velis rependi. *Diligentiùs facit hæc quiſque pro neceſſarijs ſuis, quod pro illo fiat ſimiliter à ſuis. Corpori autem humando quidquid impenditur, eſt humanitatis officium, ſecundùm affectum, quo nemo vmquam carnem ſuam odio habuit. Vnde oportet, vt quam poteſt pro carne proximi curam gerat, cùm ille inde receſſerit, qui regebat.* Abijt. qui regebat ſpiritus; adſit, qui regat amicus; & ſi eiuſdem eſt Sodalitij frater, fidum in funeralibus obſequijs ſe probet ſodalem, & generoſum in morte ſe oſtendat amicum. Ei libenter conferat, qui ſibi iam nō poſſit reddere; & ei tribuat, cui non licebit rependere. Vide Notas Garçiæ Loayſæ in cap. 4. Concilij Valentini Hiſpani, ſub Ioan. I. & Conc. Tol. III. c. 22. ſub Pelagio II.

Aug. de Cura mort. c. vltimo.

Epheſ. 5. v. 29.

Commendatur fidelitas in Officijs.

41. CVRETQVE FIDELITER EXERCERE.] Id eſt, vt explicat Carthuſianus, *Dum aliquis eligitur in miniſtrum, vel in collectorem, aut erogatorem pecuniæ pro pauperibus contribuendæ, debet humiliter & charitatiuè iniunctum onus accipere, proſequi, & implere, non quærendo propria commoda, ſed pauperum releuamen, atque vtilitatem communem.* Non propterea cuipiam confertur miniſterium, aut commendatur officium, vt ſua curet, ſed vt proſpiciat alienis; non ſeligitur ex multis, vt vnius res agat, ſed vt multorum curas aſſumat. Qui officio præeſt, neceſſe eſt, vt opere proſit. *Officium ab efficiendo dictum putamus, quaſi efficium; ſed propter decorem ſermonis, vna mutata litera officium nuncupari; vel certè, vt ea agas, quæ nulli officiant, omnibus proſint.* Omnibus prodeſſe debet, qui pro omnibus eſt conſtitutus, & peculiares profectus non tam proprios cenſere, quàm reddere communes. Statim vt fideles Sociæ, Salomonis Sponſam ſibique præfectam audierunt, dicentem, *Introduxit me Rex in cellaria ſua;* ſubiunxerunt: *Exultabimus, & lætabimur in te.* Quaſi intellexerint ſuperiori conceſſos honores, ſuos fore profectus; & quæ animarum figurabatur curatrix, non tam de ſuis acturam ſolatijs, quàm de ſubditarum curaturam remedijs. Id vel ipſius ſponſæ verbis ſpondet Bernardus, *Sola,* inquit, *introducta videor, ſed ſoli non proderit, veſtrûm omnium eſt omnis meus profectus.* Bonus miniſter eſt, qui nobiliùs de benè perfuncto, quàm de ſibi conceſſo gloriatur officio; plus ſtudet alienis commodis, quàm proprijs emolumentis, & ſua negligit, vt curet aliena. Ipſa eadem Sponſa dum cuſtos efficitur alienæ hereditatis, ſuam non cuſtodiuit. *Poſuerūt me cuſtodē,* inquit, *in vineis, vineam meam non cuſtodiui,* quaſi æquius & fidelius iudicauerit ſuis rebus abeſſe, & alienis adeſſe; quàm ſi ſua curaret, & negligeret aliena. *A ſponſa,* inquit idem Bernardus, *diſcamus vineas proprias non vtiliter cuſtodire, præſertim nos, qui videmur deputati cuſtodes in vineis ſponſi Eccleſiæ.* Dum aliorū eſt commendata cuſtodia, dum deputātur aliorum præfecti, potiorē perfecti viri curam impendunt ſubditorum negotijs, quā domeſticis incrementis, & damnum ſibi volunt potiùs inferri, quàm ſubiectis euenire iacturam. Oppoſuit ſe Moyſes, Prælatorum exemplar, murum pro populo: & licet

Ambroſ. l. 1. de Off. c. 8. Tom. 4.

Cant. 1, 4.

Bernard. ſer 23. in Cant.

Cant. 1. v. 6.

Bern. Ser. 30. in Cant. in fin.

Exod. 32.

licet oblatum eſſet à Domino, quòd fieret in gentem magnam, ſi præuaricatorem populum dimitteret, & exponeret diuinæ vltioni; conſtanter tamen renuit, boni Prælati fideliter exercens officium. Populo multo ob præfecturam, etſi à Deo conceſſam, fortiter deuinctus tenebatur; noluit proinde quod ſibi vtile foret, ſed quod multis. Hoc eſt iniunctum fideliter exercere officium, vel commendatum adimplere miniſterium, in bonis proſpicere, in aduerſis non deficere: & ſi cura ſibi animarum, eas non negligere, in viam rectam omnes dirigere, & à recto tramite deuiantes verbo, & verbere, ſi opus fuerit, in viam bonam, per quam ambulent, reuocare. *Non omnes fideliter hoc agunt* (inquit Auctor Commentariorum in Epiſtolas Pauli apud Anſelmum) *ſed plerique fraudem faciunt, dum quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, & cæleſte miniſterium in vſum terreni lucri conuertunt, nec ſalutem ſubiectorum, ſed propria commoda quærunt.* Alij ſunt infideles miniſtri, qui *accepta diſpenſatione, aut verecundia, aut certè commendationis ſuæ cauſa conſtanter arguere trepidant ſubditorum aut malos ſenſus, aut mores.* Multi ſunt in magna hac domo Patrisfamilias canes; ſed muti, & latrare non valent: fiunt domeſtici vitijs in prædam, & tamen tacent; timent quempiam irritare, volunt in ſubditorum damnum ſubditis placere; plus cupiunt mites dici, & impiè miſericordes videri, quàm vbi pro fidelitate tenentur, eſſe ſeueri. Huiuſmodi *multi viri miſericordes vocantur. Virum autem fidelem quis inueniet?* Crudelitas eſt, non miſericordia, miſericordem eſſe vbi ſeueritas eſt neceſſaria. Homicidium eſt, mitem eſſe vel ſegnem, vbi in ſuam animam ſubditum vides eſſe crudelem. Multum derogat fidelitati officij huiuſmodi conniuentia delicti. Ideò *quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur;* qui officium ſuæ diſpenſationis fideliter exerceat, qui ſecundùm præſcriptam ſibi ſeriem, iuxta traditam ſibi normam, prout conſcientia dictat, velut ſui inſtituti Regula, vel editæ à maioribus Conſtitutiones præſcribunt, commiſſum gregem gubernet. Volunt huius temporis Prælati hominibus placere, non Deo. Certum paciſcendi genus eſt, mala impunita relinquere, vt ſuis placeant, vt malis boni videantur, vt iterùm eligantur in Præſules, vel in diuturniora ſpatia protendant officium. Magna certè & præclara Præſulatus *eſt ſarcina, ſed benè portari maiorem gloriam comparat. Infideliter autem geſta ad immaniſſimam præcipitat pœnam.* Vide quid ſatius ducas; ad maiorem Dei gloriam & tuam, determinatam, ſed fidelem exercere diſpenſationem, quàm protracta infideliter in longum, immaniſſimum tibi accumulare ſupplicium. Orem te, iniunctum deuotè ſuſcipito miniſterium, & qua poteris fidelitate exerceto ſuſceptum. Crede mihi, ſubditis proderis, tuæ animæ cauebis.

Pſeudo-Anſelm. in c.4. 1. ad Corin.

Philipp. 2 v. 21.

Ambr. in c.4. prim. ad Corin. Tom. 3.

Prou. 20. v. 6.

1. Cor. 4. v. 2.

Auguſt. Hom. 25. de anniuerſ. Epiſc. Ordin. c. 1. Tom. 10.

42. NVLLVS MINISTER INSTITVATVR AD VITAM.] Non vult vt Miniſtri per totam vitam perſeuerent in officio, ſed eorum miniſteria certus terminus comprehendat. *Aliqui enim videntes*, inquit Carthuſianus, *ſe confirmatos in ſuis officijs*,

Non conferenda in perpetuum Officia.

Carthuſ. cit.

officiis, cornua ſibi aſſumunt, & propria commoda quærunt ſuperflua, immoderanter quoque ſecuri ſunt & negligentiùs agunt, aut quoſdam præ aliis vel affligunt, vel palpant, vtpote perſonarum acceptores effecti. Nihil timet, ſemper ſuperior: ei licet quidquid libet; facilè præcipit multa, ſegniter obſeruat pauca: inconſideratè iubet, quæ nec ipſe valuit aut voluit portare: faciliter imperat, qui longo dominatu iam obliuiſcitur quanti conſtet obedire. Chriſtus Dominus didicit *ex eis, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Quidam Præſules longa Præfectura dediſcunt etiam ſuis Inſtitutis obedire. Multos videbis ſub aliorum obedientia humiles, ſuo iam imperio tumentes; & quos timor regularis diſciplinæ mites ſeruauit, in Prælaturæ faſtigio euaſiſſe ſuperbos. Horum animi faſtum præuenit Sapiens ſano conſilio: *Rectorem te poſuerunt, noli extolli: eſto in illis, quaſi vnus ex ipſis.* Benè ad inſolentes huiuſmodi Prælatorum mores corripiendos & corrigendos aduertit Bernardin. Senenſ. dixiſſe, *Rectorem, non raptorem; rectorem, non deſtructorem; & quaſi patrem, non carnificem; quaſi miniſtrum, non tyrannum; quaſi diſpenſatorem, non diſſipatorem vel vſurpatorem; vt paſtorem, non mercenarium, & corruptorem; vt tutorem, non deuoratorem* debere eſſe Prælatum. Quot verò inuenies, qui ex quo vident ſolium ſuum erectum, firmatum, & confirmatum ſuper Fratres ſuos, ſtatim contra Sapientis conſilium, animo extolluntur, & ſe Fratres eſſe obliuiſcuntur, nec in illis ſunt ex illis, vt alterius putes Inſtituti ſubditos, diuerſi Prælatos? *Et cùm propter obſeruantiam Regulæ, tamquam propter finem principalem, ſint Prælati in Religionibus instituti*, nihil minùs videbis huiuſmodi curare viros, quàm ne ſancta negligantur Inſtituta. Quòd ſi regularem diſciplinam aliquando zelant in ſubditis, eam relaxant in ſe ipſis, & plus ſuo nocẽt exemplo, quàm proſunt ſermone. Noluit proinde ſanctus Legiſlator Officia dari in perpetuum, ſed ad determinatum tempus, vt cautiùs & circumſpectiùs adminiſtrarentur, & expleto curriculo dominandi, vitam viuant aliorum; & qui præfuit, etiam ſubſit; & qui timeri voluit, alios ſciat reuereri. Licet autem omnes fermè triũ Franciſcanorum Inſtitutorum, aliarumque Religionum honores aut officia ſuis terminis claudantur; non obinde condemnem aliquorum Ordinum conſuetudinem, qui ſupremos ſuos Rectores habent, vt vocant, perpetuos; eos ſolùm accuſem, qui ex diuturnitate officij, omnino abutuntur officio. Vide Extra. de Sta. mon. c. Cùm ad monaſterium. §. Tales.

Heb. 5. v. 8.

Eccli. 32. v. 1.

Ber. Sen. Tom. 3. Serm. de Rect. ir. in princ.

Idem in Diſp. de Obe. ar. 3 limite 3. Tom. 3.

43. Alicvivs approbatæ Religionis.] Liberam reliquit Tertiariis optionem Viſitatoris, dummodò Sacerdos, & Religioſus ex approbato Inſtituto eligeretur. At Nicolaus IV. cùm æquum putaret vt à Patribus Minoribus huiuſmodi Ordo viſitaretur, addidit poſt illa verba, *Viſitationis officium exhibere*; hæc quæ ſequuntur: *Quia verò præſens viuendi forma inſtitutionem à B. Franciſco ſuſcepit, conſulimus, vt Viſitatores & Informatores de Fratrum Minorum Ordine aſſumãtur, quos Cuſtodes vel Guardiani*

Vnde aſſumendus Viſitator Tertiariorum.

diani eiuſdem Ordinis, cùm ſuper hoc requiſiti fuerint, duxerint aſſignandos. Nolumus tamen Congregationem huiuſmodi à laico viſitari. Illa autem à ſe addita, fatetur ipſe Nicolaus in Bulla *Vnigenitus*, quæ habetur in Monum. Ord. in Firmam. trium Ord. Speculo Minorum; apud Anton. Sillen. Tom. 2. conceſſione 1. ſub Nicolao IV. (licet debuerit eſſe ſecunda; præpoſtero etenim ordine præponitur diplomati *Super montem*, emiſſo ſecundo anno Pontific. Nicolai, hæc verò Bulla data eſt anno 3.) cuius etiam plures meminerunt. Cùm etenim Tertiariorum Regulam approbaret, in eaque conſuleret, non verò præciperet, vt Viſitatores aſſumerentur ex Ordine Minorum, non defuerunt ex ipſis Tertiariis, qui id renuerent, & ignoranter dicerent id ſibi non licere, inſolentiuſque adiicerent non poſſe ſaluari in hoc Ordine, qui contra conceſſam in Regula à D. Franciſco libertatẽ quemcumque approbatæ Religionis Sacerdotem eligendi, ſe adſtringerent iuxta Pontificis conſilium ſolùm Ordini Minorum. Quod ægrè ferens Pontifex, dicit ſe ordinationes nonnullas ſalutaris perſuaſionis ſuis literis voluiſſe obſeruandas; inter ceteras huius Ordinis Fratribus paterno conſulens affectu, & huiuſmodi viuendi normam (quam ſuperiùs dixit à Franciſco traditã) ſequerentur. *Et cùm naturalis*, inquit, *perſuadeat ratio, & rationi æquitas acquieſcat, vt prædicti Ordinis Profeſſores ob ipſius Cõfeſſoris reuerentiam dilectorum filiorum noſtrorũ Ordinis Minorũ dirigantur & regulentur doctrina, qui vtriuſque almus extitit inſtitutor, de Ordine ſupradicto Fratrum Minorum Viſitatores & Procuratores aſſumere procurent.* Et ſtatim condemnat temerarios ſupradictos aſſertores, gratiaſque & priuilegia concedit ſuo obſequentibus conſilio. Obſeruarunt hoc Catillo pluribus in locis ſuæ Expoſitionis in hanc Regulam, Miranda c. 3. in eamdem, & Illuſt. Gonzales in Adnotationibus ad c. 16. Adnotauit etiam Carthuſianus in hunc locum ar. 25. conſilium tantùm fuiſſe hoc Pontificis. *Nec Regula*, inquit, *præcepit quòd Viſitator ſit Frater Minorum*; idque mihi confirmauit Codex M. S. Aſſiſienſ. ſæpiùs citatus, in quibus verba Nicolai ſuperiùs poſita non inueni; proindeque tamquam poſteà inſerta omittenda putaui. Qualis verò & quàm probus eſſe debeat Viſitator, quo etiam modo ſua ætate viſitabantur Tertiarij Leodienſis Diœceſis, qui videre voluerit, conſulat citatum Carthuſianum.

Incorrigibiles expellendi.

44. EXPELLANTVR OMNINO DE CONSILIO DISCRETORVM.] Ne ſodales ſuos inficiant, vult expelli contumaces, de quorum reſipiſcentia deſperatur. At ſecundùm Euangelicam doctrinam præmittendam ait trinam monitionem, nec hac præmiſſa voluit ſtatim expelli, abſque ponderoſo & graui Diſcretorum conſilio. Nouit enim quanto pretio fidelium animas Christus redemerit, & quàm irreparabile eſt damnum dummodò perdantur. Probabiliter autem in perditionem abeunt, qui à Sanctorum conſortio ſeparantur. Proinde admonendi multoties, corrigendi leniter, corripiendi etiam aſperiùs, & mo-

&c, modò opus fuerit, plectendi ſeueriùs, in publicum etiam producendi, coram omnibus reprehendendi, vt quod mite conſilium non præſtat, extorqueat ſupplicium; & quod ſupplicium non valet, efficiat, modò ingenui ſint, publica verecundia. Nihil non intentandum, nullum non excogitandum infirmę mentis remedium, vt ad ſe redeat, vt tandem reſipiſcat, quantumcumque eius contumacia omnem reſpuat diſciplinam. *Conandum eſt, vt etiam certò perdendos à ſuis vitiis ſeruemus, quantum poſſumus, imitando bonos Medicos, qui quamuis videant haud poſſe ægrum à ſe ſeruari, tamen libenter omnem curationem admonent, ne per ipſorum negligentiam videatur res non ſucceſſiſſe ex ſententia.* Quòd ſi iam nulla ſalutis ſuperſit ſpes, omniaque iudicauerint diſcreti & pij viri remedia inutilia, abſcindatur de ouili pecus morbidum, ne ſanum inficiat.

Philo l. de Sacrif. Abel & Cain.

Cuncta priùs tentanda, ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Ouid. 1. Metam.

Miſericordiæ genus tunc eſt eſſe crudelem. *Non eſt crudelitas pro Deo crimina punire, ſed pietas.* Miſericordia eſt amputare membrũ, ne corpus pereat, in vnius pœna cauere multorum damna, in vno expulſo multa profligare flagitia. Commiſerandum eſt naturæ, ſed non parcendum eſt culpæ; non intenditur hominis ruina, ſed Religionis integritas; non peccantis interitus, ſed benè viuentium ſecuritas. *Num quis membra ſua odit, tunc cum abſcindit? non eſt illa ira, ſed miſera curatio. Rabidos affligimus canes, trucem atque immanſuetum bouem cædimus, & morbidis pecoribus, ne gregem polluant, ferrum demittimus; portentoſos fetus extinguimus, liberos quoque, ſi monſtroſi editi ſunt, mergimus. Non ira, ſed ratio eſt, à ſanis inutilia ſecernere. Tollantur è cœtu mortalium facturi peiora quæ contingunt*, quæ ſcilicet aliis contagione nocitura ſunt, *& quo vno modo poſſunt, deſinant mali eſſe: ſed hoc ſine odio.* Hanc putridorum membrorum à ſanis abſciſſionem præcipui Religioſorum Legiſlatores, Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus & Benedictus ſuaſerunt: quorum verba ſubiicio. Baſilius in Regulis fuſiùs diſputatis reſpondit ad Interrog. 28. *Si frater,* inquit, *poſtquam admonitus ſæpiùs fuerit, nihilominùs tamen inuerecundè in vitio perſeuerare, neq; ſubeundis alacriter laboribus ſegnitiẽ ſuam emendare, contendere animaduerſus ſit, hunc perinde vt ipſum ſuimetipſius corruptorem (vt eſt in prouerbio) non ſine multis quidem lacrymis lamentationibuſque, vt membrum tamen penitùs vitiatum inutileque more Medicorũ à reliquo corpore præcidere conuenit.* Quod ibidem latiùs proſequitur, & Reſpoſione ad Interrog. 47. Auguſtinus in Regula ad ſeruos Dei, monendum ſecretò & corrigendum iubet errantem, commiſſúmque crimen negantem, nec emendantem, à duobus vel tribus teſtibus conuincendum ſtatuit, & addidit: *Conuictus verò, ſecundùm Præpoſiti, vel etiam Preſbyteri, ad cuius diſpenſationem pertinet, arbitrium, debet emendatoriam ſubire vindictam: quam ſi ferre recuſauerit, etiam ſi ipſe non abſceſſerit, de veſtra ſocietate proiciatur.*

Regul. Monach. apud Hieron. Tom. 9. c. de Correct.

Sen. l. 1. de Ira, c. 15

Baſil. in Regul.

Aug. in Reg. ad med. To. 1

tur. Non enim & hoc fit crudeliter, ſed miſericorditer, ne contagione peſtifera plurimos perdat. In quæ verba Hugo à ſancto Victore: *Non eſt crudele quod incorrigibilis abiiciatur; quoniam melius eſt vt pro multorum ſaluatione vnus damnetur, quàm per vnius exemplum plures periclitentur.* Hieron. vel qui Auctor eſt Regulæ Monacharũ, idem ſtatuit de Monialibus: *Contumax,* inquit, *præſumptuoſa, ac ſuperba mulier in ſancto veſtro conſortio, quæ dedignatur eſſe ſubiecta, ac ſuis litibus & iurgiis ſcandalum præbet quieti Sororum, & eis inobedientiæ demonſtrat exemplum, arduis crebriſque ieiuniis caſtigetur, cùm reſiſtit mandatis impoſitis: ſi ieiunia non caſtigant ſuperbam, edometur verberibus, contumeliis, & grauibus diſciplinis, vt iam diſcat cum Petro, quòd niſi Prælato, imò Chriſto in eo obediat, partem cum Chriſto in Regno Chriſti & Dei non habebit: quamquam impoſita videantur extranea, nec conſona rationi. Sed ſi nec ſic indomita ſuperbia ſtuduerit obedire, cum apoſtatis angelis expellatur, quæ partem non habebit in Regno.* Magnus ille Monachorum Occidentalium Pater, Benedictus, *Si quis,* inquit, *Frater contumax, aut inobediens, aut ſuperbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius Regulæ, & præcepta ſuorum Superiorum contemnens extiterit, hic ſecundùm præceptum Domini noſtri admoneatur ſemel & ſecundò ſecretè à ſenioribus ſuis; ſi non emendauerit ſe, obiurgetur publicè coram omnibus. Quod ſi nec ita correxerit ſe, excõmunicationi ſubiaceat. Verumtamen cum omni ſollicitudine Abbas ſit diligens circa delinquentes, quia non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Ideò tamquam ſapiens medicus dirigere debet quaſi occultè. Seniores, ſapientes Fratres, ſeorſim conſolentur & inſtruant Fratrem fluctuantem, & ad humilem ſatisfactionem reuocent eum, ne abundantiori abſorbeatur triſtitia; ſed, vt ait Apoſtolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim ſollicitudinem gerere debet qui præeſt, & omni ſagacitate atque induſtria prouidere, ne aliquã de ouibus ſibi creditis perdat, ſciens ſe infirmorum ſuſcepiſſe curam, ac regimen animarum, non ſuper ſanas tyrannidem: metuatque quod Dominus ait per Ezechielem, Quod debile erat, proiiciebatis. Sicque boni paſtoris imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem in montibus, abiit quærere vnam quæ errauit: cuius infirmitati in tantum compaſſus eſt, vt eam ſacris humeris ſuis dignaretur imponere, & reportare ad gregem. Si autem nec ſic emendauerit ſe qui exceſſit, acriter diſciplinetur verberibus; & ſi nec ita emendat ſe, oretur pro eo ab omnibus. Et ſi nec ita curatur, tunc tandem abiiciatur, & expellatur.* Communis eſt inter ſacros Legiſlatores doctrina, eamque præ ceteris obſeruant religioſi Patres Societatis Ieſu, qui eò integriorem ſuum conſeruant ſplendorem, quò accuratiùs triticum à palea emundant, & indigniores vitæ homines à ſuo conſortio diſiungunt. Faciliùs malus bonos corrumpit, quàm corrigatur à bonis; abſcindatur ergo à bonis, ne bonos malos efficiat. Vide huius Regulæ c. 19. in quo iterùm noſter Legiſlator incorrigibilium abſciſionem inculcat. Vide Bonauent. qu. 14.

[Margin notes: Hugo Victor in Expoſit. Reg. Auguſt. — Hieron. in Reg. Mon. c. 4 To. 9. — Ioan. 13. v. 8. — Bened. in Regula, c. 15. — 2 Cor. 2. v. 8. — Ezech. 34 — Lucæ 15. v. 4.]

circa Regul. Fratrum Minorum.

Redarguendi manifeſtè, inuerecundè peccantes.

45. MANIFESTAS FRATRVM ET SORORVM CVLPAS VISITATORI DENVNTIENT.] Qui manifeſtè peccat, manifeſtam ſubeat verecundiam; & qui nec occultum timet conſcientiæ teſtem, nec publicè veretur peccare, publica meretur increpatione feriri. Inuerecundi huiuſmodi peccatores plus aliis nocent in ſancto Religioſorum conſortio: nam occultus peccator ſuæ deſtructor eſt animæ, publicus etiam corruptor eſt alienæ; dum quæ coram multis committit, ſi non corrigantur, peccata, culpabilis licentia peccandi faciet communia.

Greg. l. 13 Mor. c. 8.

Manifeſta peccata, ait Gregorius, *non ſunt occulta correctione purganda, ſed palam ſunt arguendi qui palàm nocent; & dum aperta obiurgatione ſanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corriguntur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur; & melius eſt vt pro multorum ſalute vnus cōdemnetur, quàm vt per vnius licentiam multi periclitentur.*

Hieron. cit.

Proſpiciatur multis in vnius accuſatione, & *liceat vnicuique manifeſtum propalare crimen alterius, vt nullatenus radices peccata in ſancto hortulo arripiant, non euellendas de facili.* Id incumbit oneris Miniſtris, vt effrontes peccatores ſibi commiſſi Sodalitij, ſi correctionis fraternę ordinem ſeruare non poſſunt,

Carthuſ. ar. 28.

per ſe aut per alium, per verba aut per ſcripta ſignificent Viſitatori ſuæ Congregationis, quatenus Viſitator iuxta menſuram & grauitatem peccati imponat pœnam ſeu diſciplinam eis, qui taliter peccauerunt. Sed ſunt qui ab huiuſmodi denuntiatione abſtineant vana ſuperſtitione, in charitatem peccare timentes, impietatis dicentes crimen, ſi fratris crimen accuſent. Quatuor illuſtres produco teſtes, qui te ab hoc liberent piaculo, & cōſtanter doceant, pietatem non eſſe, erga huiuſmodi peccatores pietate teneri. Primus & antiquior eſto Baſilius.

Baſil. in Reg. fuſiùs diſp. ad Interrog. 46.

Quidquid eſt, inquit, *in quo peccetur, id referri ad Antiſtitem debet ab ijs qui peccati conſcij ſint, ſi illud ipſi curare non poſſunt, & mederi eo modo quo præceptum eſt à Domino, quando vitium diſſimulatum morbus eſt in animo obliteſcens, & ſupputris, qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum autem illum nullo modo de nobis benemeritum diceremus, qui quæ peſtifera eſſent, ea in corpore nobis includeret; ſed eum potiùs, qui cum dolorifico cruciatu & cruoris etiam miſſione per lancinationem ea in apertum extraheret: quò videlicet, aut quod noxium eſſet, per vomitum repelleret atque extunderet à corpore, aut in vniuerſum per morbi cognitionem eius quoque curandi ratio faciliùs cognoſceretur: ita nimirum peccatum occultare nihil eſt aliud, quam ægrum ſua ſponte ad mortem impellere, & mentem ad malum procliuiorem reddere. Stimulus enim peccati mors eſt.*

1. Cor. 15. v. 59.

Secundus teſtis exceptione maior eſt Auguſtinus.

Aug. cit.

Nec vos, ait, *iudicetis eſſe maleuolos, quando incorrigibilis peccatum indicatis. Magis quippe innocentes non eſtis, ſi fratres veſtros, quos indicando corrigere poteſtis, tacendo perire permittitis. Si enim Frater tuus vulnus haberet in corpore, quod vellet occultari, cùm timeret ſecari, nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifeſtare, ne*

r?, ne deteriùs putreſcat in corde? Tertius Chryſoſtomus. *Nulla culpa eius eſt, qui detulit, ſed totum crimen iure in eum, qui pertinax in malignitate fuit, reücitur.* Quartus Gregorius Magnus huiuſmodi peccata diſſimulantium pietatem inordinatam vocat, & errare demonſtrat: *Sæpè*, inquit, *pietas per inordinatam miſericordiam errare ſolet, ſi fortaſſe pepercerit, quæ parcenda non ſunt. Peccata etenim quæ feriri gehennæ ignibus poſſunt, diſciplinæ verbere ſunt corrigenda. Sed inordinata pietas cùm temporaliter parcit, ad æternum ſupplicium pertrahit.* Pius ergo erit in peccatorem, & beneficus in ſuum Inſtitutum, qui contumaci aut publico peccatori curando, ſuæque Congregationi à ſcandalis liberandæ prudentem & ſedulam impenderit curam, & Prælato zelosè denuntiat, quæ peccator inuerecundè committit.

Chryſoſt. Hom. 61. in c. 18. Matth. To. 2.

Greg. l. 2. in Ezech. Hom. 19.

46. NVLLVM IPSORVM AD MORTALEM CVLPAM VOLVMVS OBLIGARI.] Sufficienter ſuprà de his verbis actum eſt Adnotatione 11. in hanc Regulam, vbi largiùs oſtendimus, nullũ huius Regulę Profeſſorem ob eiuſdẽ tranſgreſſionẽ mortaliter delinquere, ſed tantùm ad pœnam obligari.

B. P.
FRANCISCI
OPVSCVLORVM
TOMVS TERTIVS.

TERTIO hoc Tomo ſancti Franciſci Opuſcula claudo. Diuerſa habet argumenta, nullum contemnendum. Pro ſuo genio & ingenio inuenient multi multa quæ placeant, plurima quæ apprehendant, nihil quod reijciant. Monachi in Monaſticis Collationibus videbunt quid domi curent, quid foris agant. In eiſdem perſpicient Monachorum Magiſtri, boni notas regiminis; ſubditi, quomodo ad ſuas Regulas ſuas vitas componant. Qui amore, non inſano, ducuntur, ſinceras legant amoris blanditias, & amatoria carmina, quibus Franciſcus Chriſto colludebat amico. Qui deuotè Saluatoris paſſionem recolunt, pias habent & doctas precum formulas ſuis horis diſtributas, quibus ad ſalutarem hanc contemplationem frequentiùs & feruentiùs excitentur. Qui faceta, ſed modeſta, acuta, ſed ſalutaria, velit in promptu habere reſponſa, ad pleraſque Chriſtianæ & Religioſæ conuerſationis materias hîc inueniet apophthegmata. Nullius fermè erit conditionis, modò Chriſtianæ, vir, qui in tam vberi ſententiarum delectu non probet multa ad ſolatium, plurima
Iob 34. v. 3. ad profectum. *Sicut guttur eſcas guſtu dijudicat*, ita & hominum ſors mentis propenſione doctrinas diſcernit. Ex multiplici inſtructione, quæ ſibi accomoda ſeligit Religioſæ vitæ ſectator, illa eadem minùs laudabit ſæculi ſolatijs addictus; & quæ ſupernarum rerum contemplator affectat, hæc terreni lucri vilis meditator abhorret. Sed vel vno *eruditus in verbo reperiet bona*, in
Prou. 16. v. 20. tot bonis Franciſci verbis quid non bonum inueniet? Certè
Eccl. 12 v. 10. *quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſſimos, ac veri-*

tate

tate plenos. Rarò, vel *numquam fruſtrà aperuit os ſuum, nec abſque* Iob 35.
ſcientia verba multiplicauit. Non, vt perperàm oneroſus conſola- v. 16.
tor Heliu Iobo improperauit, *ſtultè locutus eſt, ſed verba illius* Iob 34.
ſonant diſciplinam. Indigna proinde iudicaui quæ perirent, ex v. 35.
multis locis omnia quæ potui in vnum collegi: quæ dum legeris, quàm meo, vel maiori digna ſint labore, iudicabis.

COLLATIONES MONASTICÆ SIVE AD FRATRES, BEATI PATRIS FRANCISCI.

FRANCISCVM *frequentem cum ſuis habuiſſe ſermonẽ de Regula, quam ſuſceperant, ſeruanda, de vitæ perfectione ſectanda, de vitiis cauendis, & de quibuſuis alijs, in quibus noui tyrones ad Euangelicæ doctrinæ culmen aſpirantes, erant inſtruendi, ipſa, qua ad hoc tenebatur, Magiſtri ratio facilè perſuadebit, docetq́ Bonauentura ſæpiùs in eius Vita, Bartholomæus Piſanus paſsim in ſuis Conformitatibus, Marianus Florentinus lib. 1. cap. 18. Marcus Vlyſsipponen. 1. p. Chron. l. 1. c. 10. 19. 20. & ſæpè alibi, & ipſe Franciſcus clariùs expreſſit Collat. 25. vt & ego adnotaui in eamdem n. 4. Pauca ex frequentibus & ſalutaribus conſilijs, quibus diſcipulos erudiuit, diuerſi ſignarunt Auctores. Piſanus, Speculum Vitæ Franciſci, & Codiculus quidam vetuſtus M. S. Italico idiomate exaratus, mihi à Fano Piceni vrbe, ad Metaurum amnem extructa, tranſmiſſus, plus ceteris præſtiterunt. Quam ab vnoquoque Collationem accepi, ad ſingulas notabo. Placuit ea ſub Collationum Monaſticarum titulo offerre, tum quia accommodum hoc nomen, tum quia eodem inſignierunt Bonau. c. 4. Leg. Marianus citat. & Floretum fol. mihi 54. ſanctas ac ſalutares Franciſci exhortationes ad Socios. Ad ſui Patris exemplum ipſe Bonauentura, præter illas 91. quas in Ioannis Euangelium edidit, octo habuit Collationes breuiores ad Fratres Conuentus Toloſani, his Franciſci perſimiles: quas Bonauenturæ eſſe doctè defendit Conſtantinus Caietanus contra Heribertum Roſ-weydum in Concertatione præfixa libello de Imitatione Chriſti, à ſe nouiter excuſo; & ego aliàs, Deo annuente, largiùs probabo.*

[1] COLLATIO PRIMA CONSOLATORIA.

De puſillo grege multiplicando.

[2] CONFORTAMINI chariſſimi, & gaudete in Domino: nec quia pauci eſtis, efficiamini triſtes, nec vos terreat mea vel veſtra ſimplicitas; quoniam ſicut à Domino [3] mihi in veritate oſtenſum eſt, in magnam multitudinem faciet vos creſcere Deus, ſuæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit. [4] Multi conuertentur ad Dominum, & per vniuerſum mundum multiplicabit Deus familiam ſuam & augebit. [5] Ad veſtrum quoque profectum cogor dicere quod vidi; quod vtique magis ſilere liberet, ſi charitas me non cogeret vobis referre. [6] Vidi multitudinem magnam hominum ad nos venientium, & in habitu ſanctæ conuerſationis nobiſcum volentium cõuerſari. Et ecce adhuc ſonitus eorum in auribus meis euntium & redeuntium ſecundùm obedientiæ ſanctæ mandatum. [7] Vidi quaſi vias ipſorum multitudine plenas ex omni ferè natione in his partibus conuenire. Veniunt Francigenæ, feſtinant Hiſpani, Teutonici & Anglici currunt, & aliarum diuerſarum linguarum accelerat maxima multitudo.

ADNOTATIONES IN I. COLLAT.

1. COLLATIO PRIMA CONSOLATORIA, &c.] Titulum ego fermè ſingulis præfixi, omnes per numeros diſtribui. Collationem autem hanc habent Bonauentura c. 3. Leg. ad med. Piſanus l. 2. Conf. 6. Rodulph. l. 2. Hiſt. Seraph. in c. 2. Regulæ Minor. Lyra in Geſtis B. Franciſci, in Expoſ. Pſal. 1. Marianus l. 5. c. 4. Eam habuiſſe Franciſcum ad primos quatuor Socios, ait Piſanus: ſed eos iam tum ad ſex perueniſſe, docet Bonauentura.

2. CONFORTAMINI, &c.] Similiter Chriſtus Dominus Lucæ 12. ſuos diſcipulos conſolatus eſt, nec de ſua ſimplicitate aut paucitate timendum eſſe præmonuit. *Quoniam*, inquit Ianſenius, *timere ſibi poterant ob ſuam paucitatem & imbecillitatem ab egeſtate, aliiſque huius mundi malis, tamquam impares, qui illis omnibus malis ſuperiores eſſe poſſent,* Ianſ. c. 86 Concord. Euang.

poſſent, maximè ſollicitudine rerum temporalium illis prohibita; proinde inquit, Nolite timere puſillus grex. Erigendi erant itidem & firmandi puſilli Franciſcani gregis, ſex ſimplicium virorum animi, ne de ſua paucitate aut imbecillitate diffidentes, quem extra mundum poſuerunt pedem, denuò retraherēt. Hæc iterùm inculcat Auctor Collatione ſequenti: hîc vt augmentum prædiceret, ibi vt prædicandi fiduciam augeret.

3. MIHI IN VERITATE OSTENSVM EST.] Huius reuelationis admirandam ſeriem referunt Bonauentura citatus, & Chronica Minorum 1.p.l.1.c.9.ad fin.

4. MVLTI CONVERTENTVR, &c.] Periodum hanc ſolus habet Rodulphus. Prædixit autem hîc Franciſcus ſuæ Religionis amplitudinem, quæ pertingens à fine vſque ad finem, ad vltimos terminos orbis terrarum ſe extendit; quaſi cum Iſaia prophetaſſet, quòd grex ille *minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam.* Puſillus erat tunc hic Franciſcanorum grex, ſed *puſillus mundo, magnus Deo; puſillus, quia cum inſtituit ad omnium innocentiam & manſuetudinem Chriſtianam; puſillus grex, qui non de magno minuitur, ſed creſcit de puſillo.*

Iſa. 60. v.22.

Chryſol. ſer. 22.

5. AD VESTRVM, &c.] Ab hoc loco ad finem habet Marianus.

6. VIDI MVLTITVDINEM MAGNAM HOMINVM AD NOS VENIENTIVM, &c. ET ECCE ADHVC SONITVS EORVM IN AVRIBVS MEIS EVNTIVM ET REDEVNTIVM, &c.] Propalauit his verbis ad conſolationem Fratrum, quod non tam carnis quàm mentis oculis proſpexit, breuî videlicet Religionem multiplicandam. Quo etiam loquendi genere Iſaias prędixit multitudinem illam hoſtium breui ſuperuenturam Babyloni. *Vox,* inquit, *multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium: vox ſonitus Regum, gentium congregatarum,* &c. Solent enim Prophetæ res breuî futuras, quas ipſi velut præſentes cernunt, quaſi iam imminentes denuntiare. Iſa. 13. v. 3.

7. VIDI QVASI VIAS, &c.] Vltima hæc verba inueni apud Legendam trium Sociorum & Celani repetita ad octo priores Socios, ſub abſoluta prophetiæ forma, eaque proinde iterùm ſub Prophetia ſexta repoſui.

[1] COLLATIO SECVNDA

De vocatione Fratrū Minorum, & de prædicando verbo Dei.

CONSIDEREMVS, Fratres chariſſimi, [2] vocationem noſtram, qua vocauit nos miſericorditer Deus, non tantùm pro noſtra, ſed pro multorum etiam ſalute, vt eamus per mundum exhortando omnes [3] plus exemplo quàm verbo, ad agendam pœnitentiam de peccatis ſuis, & ad habendam memoriam man-

mandatorũ Dei. Nolite timere, quia puſilli & inſipientes videmur, ſed ſecuri annuntiate ſimpliciter pœnitentiam, confidentes in Domino, qui vicit mundum, quòd Spiritu ſuo loquetur per vos & in vobis, ad exhortandum omnes, vt conuertantur ad ipſum, & eius mandata obſeruent. [4] Caueamus, qui reliquimus omnia, ne pro modico Regnum cælorum perdamus; [5] & ſi pecuniam in aliquo loco inueniamus, non curemus de illa plus quàm de puluere quem calcamus. [6] Non iudicemus neque deſpiciamus illos qui delicatè viuunt, & curiosè ac ſuperfluè induuntur. Deus eſt noſter, ac ipſorum Dominus, potens illos ad ſe vocare, & vocatos iuſtificare. Tales ergo reuereamur, vt Fratres & Dominos noſtros. Fratres enim ſunt, in quantum ab vno Creatore creati; Domini verò ſunt, in quantum bonos adiuuant ad pœnitentiam faciendam, eis neceſſaria corporis miniſtrantes. [7] Ite ergo annuntiantes hominibus pacem, prædicantes pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Inuenietis quoſdam homines fideles, manſuetos & benignos, qui cum gaudio vos & verba veſtra recipient; at per oppoſitum alios infideles, ſuperbos, blaſphemos, qui exprobrantes reſiſtent vobis, & his quæ dicetis. Ponite ergo in cordibus veſtris patienter & humiliter omnia tolerare. Nolite tamen timere: quoniam non poſt multum tempus venient ad vos multi ſapientes & nobiles, eruntque vobiſcum prædicantes Regibus, & Principibus, & populis multis. Eſtote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus ſtrenui, in ſermonibus modeſti, in moribus graues, & in beneficiis grati: quia pro his omnibus vobis Regnum Dei præparatur æternum: [8] quod nobis concedat ille, qui viuit & regnat trinus & vnus; & abſque dubio concedet, ſi emiſſa ſeruauerimus vota noſtra, quæ illi voluntariè ſpopondimus.

Ioan. 16. v. 33.
Mat. 10. v. 20.

ADNO-

ADNOTATIONES IN COLLAT. II.

1. COLLATIO SECVNDA. [Hanc obſeruarunt Cod. MS. Fanen. tres diui Franciſci Socij, & Thomas Celanus in ſuis Legendis. Varias eius partes transcripſerunt Piſan. l. 1. Conform. 11. & 12. c. 22. & c. 28. & lib. 2. Conf. 6. Rodul. l. 2. fol. 161. pag. 2. Firm. 1. p. & Bonau. c. 3. Leg. poſt med. Verba hæc dixiſſe Franciſcum Sociis, ait Piſanus, cùm ad numerum ſenarium, Bonauentura ſeptenarium, excreuiſſent.

2. VOCATIONEM NOSTRAM, &c.] Ad id vocatos ait Minores, vt aliis ſint in profectum, omnibus in exemplum. Illum cogita Fratrem Minorem, & à Deo vocatum, qui proximis adeſt, ſibi non deeſt: qui ſancta conuerſatione, laudabili exemplo, & ſalutari doctrina exteriùs lucet in populo, & virtutum cumulis interiùs fulget in Monaſterio. *Ordo Minorum*, inquit Bonauentura, *datus eſt Eccleſiæ ad ædificationem fidelium in fide & moribus, per verba doctrinæ, & exempla bonæ conuerſationis; quibus & fideles erudiantur ad imitandum, & fides muniatur contra prauitatem hæreticam, ſicut lucerna fugans in domo tenebras, & operantes promouens.* Alias rationes vide vocationis Minorum ſpeciali de hac re Opuſculo in Appendice.

Bonau. in procœmio Determinat. ſuper Regul.

3. PLVS EXEMPLO QVAM VERBO.] Rectè in conuerſionis negotio exempla præfert verbis: nam *mentes audientium plus exempla fidelium, quàm docentium verba conuertunt.* Proinde benè admonuit Stoicus, quòd in grauioribus diſciplinis, *quid faciendum ſit, à faciente diſcendum eſt.* Malè certè & infructuoſè ad cæleſtia vocabit, qui terrenis inhiat; & ridiculoſè ſuperna commendat, qui ipſa electione inferiora præponit. Ad locum, vbi eſt qui vocat, non ad regionem ex aduerſo poſitam aptè vocare dicetur; qui in valle verſatur, non facilè ei credetur, etſi magna ad montes voce cōpellat. *Super montem excelſum aſcende*, inquit Vates, *qui euangelizas Sion.* In quem locum optimè Gregorius: *Vt videlicet, qui cæleſti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur; tantoque faciliùs auditores ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de ſupernis clamat.* Vide quæ ego dixi Adnot. 39. in Regul. Tertiar. Tom. 2.

Gregor. Hom. 38 in Euāg. poſt med. Sen. Epiſt. 9.

Iſa. 40. v. 9.

Greg. in Paſt. par. 2. c. 3.

4. CAVEAMVS, QVI RELIQVIMVS OMNIA, NE PRO MODICO, &c.] Terrena omnia cælo commutaſti? prudens negotiatio. Cælum denuò nugarum modulo alienaſti? Egregia fatuitas. O decorum mercatorem! vendidit vna, quod rebus omnibus emit. Conſidera quale in emptione lucrum, vide quanta in venditione iactura. Hæc verba habet etiam Auctor in 1. Reg. c. 8.

4. ET SI PECVNIAM IN ALIQVO LOCO, &c.] Idem cauit in Reg. 1. c. 8. & Reg. 2. c. 4. vide meas Notas in Reg. 1. num. 27.

6. NON IVDICEMVS, NEQVE DESPICIAMVS, &c.] Hoc ipſum admonuit in Reg. 2. c. 2. Breuiter aliqua ibidem adnotaui num. 12.

7. ITE ERGO ANNVNTIANTES.] Quæ ſequuntur ſub hoc numero, omiſit Piſan. Conform. 11. ſed adpoſuit

poſuit Conform. 12. & habet ſimiliter Cod. MS. Fanen. c. 29. Alij habent ab antecedẽtibus diſtincta.

8. QVOD NOBIS CONCEDAT.] Hæc habet ſolus Rodulphus citatus.

[1]COLLATIO TERTIA.

De Religioſa habitatione in eremitoriis.

ILLI, qui religiosè volunt [2] ſtare in eremitoriis, ſint tres aut quatuor ad plus. [3] Duo ex ipſis ſint Matres, & habeant duos filios, vel vnum ad minus. Illi duo teneant vitam Marthæ, & alij duo vitam Mariæ Magdalenæ. Illi autem, qui tenent vitam Mariæ, habeant vnum clauſtrum, & quilibet habeat locũ ſuum, ita quòd neque habitent ſimul, neque cubent. Et ſemper dicant Completorium de die, quando ſol reuertitur ad occaſum. Studeant tenere ſilentium, & dicant Horas

Matth. 6. v. 33. ſuas. Surgant ad Matutinum, & primùm quærant Regnum Dei, & iuſtitiam eius. Hora congrua dicant Primam, & Tertiam, & poſt horam Tertiam ſoluant ſilentium, & poſſint loqui, & ire ad Matres ſuas, & quando placuerit, poſſint petere ab eis eleëmoſynam propter amorem Domini Dei, ſicut pauperes pauperculi. Poſteà dicant Sextam, Nonam, & Veſperas tempore debito. In Clauſtro, vbi morantur, [4] non permittant aliquam perſonam introire, ſed neque vllus ibi comedat. Illi Fratres, qui ſunt Matres, ſtudeant manere remotè ab omni perſona, vt nemo poſſit eis loqui. Et iſti filij non loquantur cum aliqua perſona, niſi cum Matribus ſuis, & Cuſtode ſuo, quando placebit ei viſitare ipſos cum benedictione Dei. [5] Filij verò quandoque officium Matrum aſſumant, ſicut viciſſitudinaliter pro tempore viſum fuerit eis diſponendum. Qui omnia ſupradicta ſtudiosè & ſollicitè ſtudeant obſeruare.

A D-

ADNOTATIONES IN COLLAT. III.

1. COLLATIO TERTIA.] Hanc habent primus Codex MS. Aſſiſ. & Piſan. l. 1. Confor. 12. ſub eodẽ titulo, quem præfixi; at Cod. MS. Fanen. c. 31. ſub hoc Italico: *Della vita, la quale debbero tenere quelli Frati, li quali vogliono ſtar ſolitarij, in vita heremitica.*

Solitudo libera à ſcãdalis. 2. STARE IN EREMITORIIS.] In Religionis exordiis frequenter petiiſſe deſertum Minores, ait Portuenſis Antiſtes in ſuis Chronicis 1. p. l. 1. c. 80. ibique ſecundùm ſtatutas à Franciſco leges liberiùs vacaſſe ſpiritui ſub paupere tugurio, & humili eremitorio. In mediis vrbibus, in numeroſo populo frequentiora ſcandala, facilior mentis diſtractio, tumultuoſior ſpiritus ſuffocatio. *Aug. in Pſal. 54.* *Unde putatis ſeruis Dei impleta eſſe deſerta? ſi benè illis eſſet inter homines, recederent ab hominibus? Et tamen quid faciunt ipſi? Ecce elongant fugientes, manent in ſolitudine.* Hinc illud Dauidis deſiderium, hinc illa magnorum virorum quotidiana ſuſpiria: *Pſal. 54. v. 7.* *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo? Quò autem volabunt?* interrogat Auguſtinus. *Aug. in Pſal. 121.* *De mediis ſcandalis, vbi gemebant; de mediis ſcandalis, ac commixtione malorum hominum.* Frequenter igitur oriebatur in primæuis illis Minoribus ſolitudinis deſiderium, non ob aliud, niſi propter turbam tribulationũ, & popularium ſcãdalorum, à quibus liberari volebant. Hominum fugerunt commercium, vt Dei haberent conſortium; homines noluerunt amicos, vt Angelos haberent familiares.

3. DVO EX IPSIS SINT MATRES.] Noluit eos ſolos in vaſtis degere ſolitudinibus; quia ſolius durior conflictus, facilior ruina. *Societatis emolumentum.* Vnum facilè hoſtis circumuenit, & doloſè proſternit: ſi plures inſimul habitent, *Frater adiuuatur à Fratre, & habent emolumentum ſocietatis ſuæ.* *Prou. 18. v. 19. Eccl. 4. v. 9.* Id vel in ipſis curauit Apoſtolus Chriſtus, vt bini præirent faciem ſuam, *ne deſtituta ſingularitas, aut negaret vt Petrus, aut fugeret vt Ioannes.* *Lucæ 10. v. 1. Chryſol. Ser. 170.* Si in comitatu eſſent Ioannes & Petrus, gladiatoria Petri fortitudo Ioannis temperaret puſillanimitatem, ne fugeret; & flammea Ioannis erga Chriſtum dilectio frigidum Petri calefaceret pectus, ne negaret. Ita comites inſignem reportarent victoriam, qui ſoli abierunt hoſtis in prædam. *Si præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei.* *Eccl. 4. v. 12. Chryſol. citatus.* Certè citò *cadit fragilitas humana, quæ de ſe ſuperbè confiſa ſocios deſpicit, non vult habere collegam.* Franciſcus ergo eremiticam culturis vitam ſocios dedit, ſignauit & Matres, voluit eos habere à quibus materna ſollicitudine fouerentur, alerentur, cuſtodirentur, & aſſidua protectione confirmarentur; vt qui his auxiliis deſtituti poterant deficere, tanto adiutorio firmati vellẽt in ſancta vita durare.

4. NON PERMITTANT ALIQVAM PERSONAM INTROIRE.] Vt ferinam declinarent hominum conuerſationem, ferarum inter cauernas vitam eremi ciues degebant. *Sæcularium conuerſatio Religioſis timenda.* A viris exules voluntarij, imperterriti facti ſunt ferarum conſortes; & qui homines timuerunt prędítos ratione, fidenter ſe credebant irrationabilibus creaturis. Plus la-

borat inter homines virtus, quàm inter fera animantia. Hinc illa Hieronymi vox: *Mihi oppidum carcer, & ſolitudo Paradiſus eſt. Quid deſideramus virorum frequentiam, qui de ſingularitate cenſemur?* Qui ergo à ſæculo ſecedebant, noluit Franciſcus, vt extra ſæculum cum ſæculo quidquam haberent commune. In ſæculo nocebat ſæcularis conuerſatio; vetuit proinde intra tuguriola eremi admitti, qui vel ipſas ſæculi ſpecies in eremi puritatem inferrent. *Forum, & vrbes, & tumultus platearum fugientes Eremitæ, in montibus viuere maluerunt, vbi nihil ſibi cum his ſæcularibus rebus commune eſt, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœſtitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non inſidiæ, non liuor, non turpis amor, non aliud huiuſmodi; ſed quæ ſunt futuri Regni iam meditantur. In ſolitudine ac tranquillitate habitantes, cum Deo ipſo colloquuntur.* Iubet ergo Franciſcus, ne diuinum mutent humano colloquiũ, nec interturbet Angelicam conuerſationem, mundanorum periculoſa præſentia. Adhuc hoc noſtro æuo vidi certè in Luſitania, & aliis Hiſpaniæ regionibus, in deſertis locis quoſdam ex noſtris ſub pauperculis tuguriolis cæleſtem ducere vitam, nihilo inferiorem admirabili illorum Thebaide Monachorum, & per integra luſtra mundanam faſtidientes conuerſationem, in ſæculo extra ſæculum poſitos, quid in mundo agatur, & ſi mundus ſit, ignorantes; vt verè dixeris hos mundo mortuos, eorumque in cælis eſſe conuerſationem.

Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſtic. an.med.

Chryſoſt. Hom 49. in c. 21. Matth. Tom. 2.

5. FILII VERÒ QVANDOQVE OFFICIVM MATRVM ASSVMANT.] Vt laborem & requiem alternẽt, dum viciſſim Matres Magdalenæ contemplantis tranquillitate potiuntur; & filij Marthæ laborantis & agentis curam experiantur, vt ſic hinc inde vitæ actiuæ & contemplatiuæ munia poſſint obire Benigni filij in conſolationis partem Matres admittunt, & maternum laborem, ſi non communem, volunt alternum.

[1] COLLATIO QVARTA.

De vera obedientia.

FRATRES chariſſimi, [2] verbum primò præceptum implete; nec expectetis iterari, quod dicitur vobis. Nihil etiam impoſſibilitatis cauſemini ſiue iudicetis eſſe in præcepto; quia [3] etſi ſupra vires ego vobis mandarem, ſancta obedientia viribus non carebit. Nec conſiderare debetis quis vel qualis ſit qui vobis facienda præcipit, ſed ſolùm quòd ſit Prælatus. [4] Inter alia, quæ dignanter diuina pietas mihi conceſſit, hanc gratiã contulit, quòd ita diligenter Nouitio vnius

horæ

horæ obedirem, ſi mihi Guardianus daretur, ſicut antiquiſsimo & diſcretiſſimo Fratri? [5] Subditus Prælatum ſuum non hominem conſiderare debet, ſed illum, pro cuius amore eſt ſubiectus. Quantò enim contemptibilior præſidet, tantò magis humilitas obedientis placet.

ADNOTATIONES IN COL'LAT. IV.

1. COLLATIO QVARTA.] Hanc habent Cod. MS. Fanenſ. Legenda antiqua Celani, Piſanus citatus c. 12. licet hinc inde in partes diſſectam Eius meminit Aluar. Pelag. l. 2. de Planct. Eccl. c. 69. ant. fin. quaſdamque ex ea auctoritates citat. Alij alia referunt ex ea fragmenta, quos ſtatim indicabo.

Obedientia debet eſſe prompta.

2. VERBVM PRIMO PRÆCEPTVM IMPLETE.] Illa laudabilis obedientia, quando eodem momento procedunt, & imperantis imperium, & obſequentis obſequium. *Obediens non eſt*, inquit Bonauentura conformiter ad ſui Patris doctrinam, *ſed negligens, qui ſecundum exſpectat mandatũ*. Claudicantibus & recalcitrantibus Iudæis, laudauit Deus ſimplicis ſed ignoti populi Gentilium obedientiam, quia feſtinam. *In auditu*, inquit, *auris obediuit mihi*: quaſi ille dumtaxat laudabiliter obedire dicatur, qui confeſtim, vt verbum aure excipit, manus ad opus componit. Velociter peruenit præceptum ad aures, ſed veri obedientis feſtinum & feſtiuum obſequium. In Prælati imperio *velociter currit ſermo Dei, & velocem habere deſiderat ſequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille, qui dicit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens neſcit moras, fugit craſtinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos viſui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum ſe colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Audi ex Bonauentura citato, veræ obedientiæ, & Deo acceptabilis, conditiones: *Vt obedientia Religioſi Deo ſit acceptabilis, debet eſſe prompta ſine dilatione, deuota ſine dedignatione, voluntaria ſine contradictione, ſimplex ſine diſcuſſione, perſeuerans ſine ceſſatione, ordinata ſine deuiatione, iucunda ſine turbatione, ſtrenua ſine puſillanimitate, & vniuerſalis ſine exceptione.* Vide Bernard. Senenſ. Tom. 3. Serm. 1. de Obed ar. 3. c. 4. & noſtrum Auctorem Tom. 3. Exemplo 2.

Bonau. Collat. 3. Tom. 7. 1. p.

Pſal. 17. v. 45.

Pſal. 147. v. 15.

Pſal. 118. v. 32.

Bernard. vel Auctor Ser. de Obedientia.

3. ETSI SVPRA VIRES EGO VOBIS MANDAREM, &c.] Quis in Prelato mandat? an non Deus? Cogita ergo Deum præcipientem, eumdem & adiuuantem. Qui velle iubet, *dabit & velle, & perficere*. Nihil tam ſupra vires humanas, quod Dei vires in obedientia non ſuperent; nihil tam arduum in præcepto, quod Dei gratia non vincat. *Omnia*, inquit Paulus, *poſſum in eo, qui me confortat Chriſtus*. Nihil præcipit in Prælato Deus, quod proficuu non ſit, & quod facile non reddat. *Iubendo facile facit quidquid iubere voluerit, de quo metuendum non eſt, ne non profutura præcipiat.*

Philip. 2. v. 13.

Philip. 4. v. 13.

Proſper. lib. Sent. c. 286.

4. INTER ALIA, &c.] Ab hoc loco

vſque ad finem habet Bonau. c. 6. Legendæ ante med.

5. SVBDITVS PRÆLATVM SVVM NON HOMINEM CONSIDERARE DEBET, &c.] Non diſſimile, & æquè bonum illius conſilium, qui dixit:
Bern. cit. *Non te moueat Magiſter imperitus, indiſcreta poteſtas; ſed memento, quia*
Rom. 13. v. 2. *non eſt poteſtas niſi à Deo, & qui reſiſtit poteſtati, reſiſtit Dei ordinationi. Hæc eſt propria hominis obedientia, quam homini debemus, qui homini ſubditi ſumus. Cõmunis eſt iſta inter Deum & hominem: quia quidquid*
Luc. 10. v. 16. *obedientiæ Prælatis exhibetur, ei exhibetur, qui dicit, Qui vos audit, me audit.* Hinc leuior & ſuauior redditur obedientia, ſi Deo ipſi ad Prælati imperium nos obſequi cogitamus. *Vt meliùs ergo valeas eſſe obediens, cogita ſemper, quando vox* Bonau. Collat. 3.
præcipientis ſonat in auribus tuis, quòd vocem iſtam non tamquam ab homine audias, ſed tamquam ab ipſo Deo. Vide etiam eumdem in Speculi Diſc. p. 1. c. 4. & beatum Dauidum de Auguſta in Formula Nouitiorum de exterioris hominis reformatione, cap. 4. Tom. 13. Biblioth. vet. Pat. à Colonien. editæ, vbi locum hunc citat ex diuo Franciſco.

[1] COLLATIO QVINTA.

De ſancta paupertate.

PAVPERTATEM noueritis, fratres chariſſimi, virtutum eſſe Reginam: quia in Rege Regum, & in Regina matre ipſius tam præſtanter effulſit. [2] Paupertatem ſcitote, fratres, ſpecialem viam eſſe ſalutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectioniſque radicem, cuius eſt fructus multiplex, ſed occultus. [3] Hæc enim eſt Euangelici agri theſaurus abſconditus, pro quo emendo vendenda ſunt omnia, & quę vendi non poſſunt, illius comparatione ſpernenda. Ad huius culmen qui cupit attingere, [4] non ſolùm mundanæ prudentiæ, verùm etiam literarum peritiæ renuntiare quodammodò de-
Pſal. 70. v. 15. bet, vt tali expropriatus poſſeſſione, introëat in potentias Domini, & nudum ſe offerat brachijs Crucifixi. Nequaquam enim ſæculo perfectè renuntiat, qui proprij ſenſus loculos intra cordis arcana reſeruat. In omnibus ergo reluceat inter vos ſancta paupertas, & præcipuè [5] in domibus quas ædificaueritis, conſiderantes illud Euangelicũ,
Matth. 8. v. 20. quòd vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, Filius

lius autem hominis non habuit vbi caput ſuum reclinaret. Propter quod pauperum more pauperculas caſulas erigite, quas non habitare debetis vt proprias, ſed [6] ſicut peregrini & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorum ſunt, ſub alieno colligi tecto, ſitire ad patriam, pacificè pertranſire. Euangelica hæc paupertas [7] noſtri Ordinis eſt fundamentum; cui ſubſtrato primariè, ſic omnis ſtructura Religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur. Quantum itaque Fratres declinabunt à paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, & quærent, & non inuenient. Si [8] Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem. [9] Commercium eſt inter mundum & Fratres. Debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus prouiſionem neceſſitatum; quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentita, retrahet mundus manum iuſta cenſura.

ADNOTATIONES IN COLLAT. V.

1. COLLATIO QVINTA.] Hanc accepi ex Legenda Celani cap. De perfectione paupertatis, ex Bonauenturæ Legenda maiori c.7. & Piſano l.1. Confor. 12. c.15.

2. PAVPERTATEM SCITOTE, &c.] Periodum hanc citat etiam in Meditat. Vitæ Chriſti Bonauentura c.7. ante med. Eſſe autem paupertatem ſpecialem viam ſalutis, ipſe Chriſtus dixit, cùm docuit, contemptores terrenorum iam poſſeſ-
Matth. 5. v. 3. ſores eſſe cælorum: *Beati, inquit, pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum*
Laurent. Iuſt. in Ligno vitæ c. 2. de Paup. *eſt Regnum cælorum.* Optimè in hunc locum magnus ille Venetorum Protopatriarcha *Ibi* inquit *incipit beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna exiſtimatur humano. Omnis virtutis Magiſtra eſt & index inopia.* Verè eſt ſpecialis via virtutis, quæ animam, vt ait Franciſci Diſcipulus, *virtutibus veſtit*, quæ eli- Ant. Pad.
minat, & veluti caminus purgat Serm.
ſordes vitiorum, iuxta illud Iſaiæ, Dom. 5.
Elegi te in camino paupertatis, quæ poſt Trinit.
eſt *tutum aſylum, portus tranquil-* Iſai. 48.
lus, perpetua ſecuritas, deliciæ peri- v. 10.
culorum expertes, voluptas ſincera, Chryſoſt.
vita turbationum neſcia, vita flu- Hom. in
ctuum ignara, copia inexpugnabi- Sartonini exilio,
lis, Philoſophiæ parens, frenum in- Tom. 5.
temperantiæ, ſupplicij ſublatio, radix modeſtiæ. Vide Adnot. in Reg. 2. num. 24. & 25. Bonauent. 5. par. Breuiloquij c.6. & in Apolog. pauper. Reſponſ. 3. partic. 1. ar. 1. & 2.

3. HÆC ENIM EST EVANGE-

LICI

LICI AGRI THESAVRVS ABSCONDITVS.] Ad hunc locum alludens Bonauentura dixit: *Hæc eſt illa Euangelica margarita, pro qua emenda, omnia ſunt vendenda.* Pretium etiam paupertatis inæſtimabile, ſed incognitum, dixit Bernardus. *Abundabat in terris*, ait, *hæc ſpecies, & neſciebat homo pretium eius. Hanc itaque Dei Filius concupiſcens deſcendit, vt eam eligat ſibi & nobis, quam ſua æſtimatione faciat pretioſam.* Vis ſcire quàm ingens theſaurus paupertas? *vis cognoſcere quàm locuples ſit? Cælum emit. Quibus theſauris conferri poteſt, quod paupertati videmus indultum? vt ad Regnum cælorum veniret diues, poſſeſſione ſua obtinere non potuit; nunc pauper obtinet, vt perueniat.* O benigniſſimum Deum, qui ad beatiſſimas cæli ſedes admittit, cui nulla ſedes in terra; qui eò ditiorem facit in cælo, quò pauperiorem videt in terra; qui paupertatis theſaurum inuentu facilem, conſtituit pretium impretiabilis Regni, vt nullus excludatur à Regno, dum omnes ad manum habent quod ſoluant.

Bonau. in Medit. Vitæ Chriſti c.7.

Bernard. Serm. in Vigil. Natiuit. Domin. Laur. Iuſt. cit. c.2. & Auguſt. Ser. 10. de Diuer. in Append. Tom. 10.

Mundana ſcientia abijcienda.

4. NON SOLVM MVNDANÆ PRVDENTIÆ, VERVM ETIAM LITERARVM PERITIÆ RENVNTIARE, &c.] Omnibus renuntiandum eſſe debere ait, vt paupertatis ad culmen quis valeat pertingere; ne dum diuitias aut argenti abdicamus theſauros, ſenſuum in loculis noſtros abſcondamus affectus. *Nequaquam enim*, vt ipſe ait, *ſæculo perfectè renuntiat, qui proprij ſenſus loculos intra cordis arcana reſeruat.* Theſaurus vanæ & tumidæ ſcientiæ plus paupertatem impedit ſpiritus, quàm collectæ diuitiæ. Illæ foris hominem circumdant, hæc intus ſpiritum extollit; hæc inflat rebus humilem, cogitatione facit ſublimem. *Perfectam nobis abrenuntiationis formam tribuit Petrus, dum non ſolùm lucra reliquit vectigalium, ſed & pericula contempſit. Tanta enim cupiditate ſequendi Dominum ductus eſt, vt nullo prorſus huius vitæ reſpectu, vel cogitationem ſibimet reſeruauerit.* Nec cogitationem, inquit, vllam ſibi reſeruauit, qui Chriſtum nudum, nudus ſectari decreuit. Omnem etiam ſcientiam Paulus abiecit, vt omnia ſcientem ſequeretur; vt paupere potiretur Chriſto, nullum non abſterſit cogitatum. *Non enim*, inquit, *iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.* O quàm abundè ſcit, qui hoc ſolum ſcit. Dum mundi abijcit Paulus ſcientiam, factus eſt mundi Magiſter. Si ergo terrena, ſi mundana tua eſt ſcientia, eam dediſce; ſi pauper ſpiritu, ſi cælorum fieri cupis poſſeſſor, quod mundi eſt abſcinde: nec enim cælum cum terra quidpiam velit commune. *Iſta eſt ſumma ſapientia, per contemptum mundi tendere ad cæleſtia Regna. Quid prodeſt tibi, alta de Trinitate diſputare, ſi careas humilitate, vnde diſpliceas Trinitati? Verè alta verba non faciunt ſanctum & iuſtum, ſed virtuoſa vita efficit Deo charum.* Magna Dauidis, literarum ignari, confidentia. *Quia non cognoui*, inquit, *literaturam, introibo in potentias Domini.* Vide, ſi iuuat, ad Franciſci conſilium vanam abdicare ſcientiam.

Beda in cap. 1. Marci.

1. Cor. 2. v. 2.

Ioan. Gerſen l. 1. de Imitat. Chriſti c. 1.

Pſal. 70. v. 15.

5. IN DOMIBVS QVAS ÆDIFICAVERITIS.] Idem circa ædificiorum paupertatem & humilitatem commen-

mendauit Fratribus in Teſtamento. Vide Tom. 3. Colloquium 3. & 16.

6. SICVT PEREGRINI ET ADVENÆ.] Idem præcepit in Reg. 2. c. 6. Vide meas Notas ad eamdē, n. 21.

Bonau. in Legen. c. 3.
Paupertas fundamentū Ordinis Minorum.

7. NOSTRI ORDINIS EST FVNDAMENTVM.] Illinc enim noſtræ vitæ ratio cœpit, quòd *dum deuote vir ſanctus audiret Euangelium illud, in quo Chriſtus diſcipulis, ad prædicandum mittendis, formam tribuit Euangelicam in viuendo; ne videlicet poſſideant aurum vel argentum, nec in zonis pecuniam, nec peram in via, &c. indicibili perfuſus lætitia, Hoc, inquit, eſt quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupiſco.* Et in hoc primario lapide vnicuiq; ad Ordinem accedenti ſuperædificandum eſſe, *reuelatione mox didicit, & ſacra Religionis ingreſſum ab illo fore inchoandum Euangelico verbo, Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Proinde in Regula c. 2. illud idem intimari iuſſit ad hanc vitam aſpirantibus. Similia his noſtri Auctoris, ſuique parentis, verba habet Bonauentura in Regulis Nouitiorū c. 14. & in Meditationibus Vitæ Chriſti cap. 21. curioſiùs expendit, quòd Dominus egregium illū ſermonem, quē habuit in Monte, & in quo de beatitudinibus & præcipuis egit virtutibus, *à paupertate incepit, dans intelligere, quod paupertas eſt totius ſpiritualis exercitij primarium fundamentum: non enim expedite poteſt ſequi Chriſtum, paupertatis ſpeculum, qui oneratus eſt temporalibus rebus. Nec eſt liber, ſed ſeruus, qui animi affectionem ſubijcit iſtis rebus tranſeuntibus; eius enim rei, quam affectuoſè diligo, me ſeruū ſponte constituo: nam amor eſt animi*

Bonau. c. 7.

Mat. 19. v. 21.

pondus, portans eam quocumque ipſe fertur. Optimè ad rem noſtram Ambroſius: *Paupertas ordine prima eſt, & quaſi parens aliarum virtutum.* Vide Hieron. Platum l. 1. de Bono ſtatus Religioſi, cap. 9. & lib. 5. cap. 8. Ambr. l. 5 in Luc.

8. DOMINAM MEAM PAVPERTATEM.] Quare Dominam vocet paupertatem, vide Adnotationes meas in Orationem pro obtin. pauper. num. 5. & in Opuſc. de Virtutibus num. 3.

8. COMMERCIVM EST INTER MVNDVM ET FRATRES, &c.] Certè etſi in alijs fallax, etſi mendax communiter mundus dicatur, attamen in hoc ſuo pacto ſeruando fidelem ſe oſtendit; veraciter adimplet quod promiſit. Vbi enim veros aliquando Minoritas vidiſti egere? vbi fame tabeſcere? etſi *mittantur ſine ſacculo & pera, nūquid eis deficit in via?* numquid neceſſarijs indigent in Monaſterio? Vidi certè in publica inopia, cuncta apud Chriſti pauperes abundare; & multoties euenit, vt in fame & peſte ad ſtipem venirent ad Franciſcanorum Cœnobiola, qui largiſſimas anteà eis erogabant eleemoſynas. Erga alios parcus, erga alios miſer & mendax mundus, erga Franciſcanos liberalis & verax, pactum fideliſſimè complet. Priùs Minor eſt malus, quàm mundus auarus; priùs deficit Frāciſcanus exemplo, quàm mundus alimento; priùs irreligioſè fide mentita deficit Frater in vita, quàm *retrahat mundus manum iuſta cenſura.* Eſto Minor religioſus in facto; erit, me fideiuſſore, verax mundus in verbo. Commercium hoc refert Sedul. in Comment. ad c. 14. Vitæ diui Franciſci,

Mundi cum Minoribus commercium.

Luc. 22. v. 35.

numero 7. Alius commercij, vel pacti inter Deum & Minores huic perſimilis meminit Platus l. 3. c. 8. Vetuſtum & lacerum habeo apud me Tractatulum, inſcriptum *Sacrum commercium D. Franciſci cum Domina paupertate*, à beato Ioanne de Parma, vt creditur, concinnatum; in quo Auctor egregiè & piè ſancti Patris, & primorum Minoridarum erga ſanctam paupertatem affectum expreſſit.

[1] COLLATIO SEXTA.

De vitando mulierum aſpectu & conuerſatione.

MVLIERVM familiaritates, colloquia, & aſpectus, quæ multis occaſio ſunt ruinæ, eò ſollicitiùs euitare debemus, fratres chariſſimi, quò ſæpiùs per huiuſmodi [2] videmus debilem frangi, & fortem ſpiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuerſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum, [3] tam facile iudico, quàm iuxta Scripturam in igne ambulare, & non comburere plantas. [4] Non enim ſecurum puto, earum formarum introrſus haurire imagines, quę poſſunt, aut edomitæ carnis reſuſcitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Friuolum profectò eſt quodcumque mulieris colloquium, excepta ſola confeſſione, vel inſtructione breuiſſima, iuxta quod ſaluti expedit, vel congruit honeſtati. Quæ ſunt, quæſo, cum muliere Religioſo tractanda negotia, niſi cùm ſanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ conſilium Religioſa petitione depoſcit? [5] Ex nimia ſecuritate minùs cauetur hoſtis, & [6] diabolus, ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, citò excreſcere facit in trabem. Nec enim ſolùm mortificari debent vitia carnis, aut eius incentiua frænari; [7] verumetiam exteriores ſenſus, per quos mors intrat ad animam, ſumma vigilantia decet cuſtodiri.

Prou. 6. v. 28.

Ier 9. v. 21.

ADNOTATIONES IN COLLAT. VI.

1. COLLATIO SEXTA.] Omnia fermè huius Collationis verba referunt, ſed diuiſim, Bonauentura c. 5. Legend. ante med. Piſan. l. 1. Conf. 12. cap. 13. & l. 2. Conf. 8. Marc. 1. p. l. 1. c. 23. Rod.

l. 2.

l. 2. de Oracul. beati Franciſci, & alij. Integram tamen habent Legenda antiqua, & Floret. c. De Caſtitate.

2. VIDEMVS DEBILEM FRANGI, ET FORTEM SPIRITVM INFIRMARI.] Debiles confodi *acutiſſimo diaboli telo*, non admirer, ſi & fortiſſimi athletæ hoc cadunt in bello. Qui armatis audent occurrere hominibus, qui carniuora non timent animantia, qui aliàs multoties, deuicto dæmone, triumpharunt, miſeri & molles ad vnius pereunt mulieris occurſum. *Vis ſcire ita eſſe vt diximus? accipe exempla. Samſon leone fortior, & ſaxo durior, qui & vnus, & nudus mille perſecutus eſt armatos, in Dalila molleſcit amplexibus. David, ſecundùm cor Domini electus, & qui venturum Chriſtum ſancto ſæpè ore cantauerat, poſtquam deambulans ſuper tectũ domus ſuæ, Bethſabeæ captus eſt nuditate, adulterio iunxit homicidium. Vbi & illud breuiter attende, quòd nullus ſit etiam in domo tutus aſpectus. Salomon, per quem ſe cecinit ipſa Sapientia, qui diſputauit à cedro Libani vſque ad byſſopum quæ exiit per parietem, receſſit à Domino, quia amator mulierum fuit. Et ne quis ſibi de ſanguinis propinquitate confideret, in illicitum Thamar ſororis Ammon frater exarſit incendium.* Heu! non eſt fortitudo, quæ huic fragilitati reſiſtat; nec durities, quæ contra naturę ordinem, huic mollitiei non cedat cum opprobrio.

(Chryſoſt. Hom. 15 ex variis in Matth. ant. med. Tom. 2. Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtoch. ante med. Tom. 1. Iudic. 16. 2. Reg. 11 3. Reg. 4. 2. Reg. 13)

3. TAM FACILE IVDICO, QVAM IVXTA SCRIPTVRAM, &c.] Hanc eamdem Salomonis comparationem pro hac re vrget Hieronymus citatus. *Iſtiuſmodi*, inquit, *homines Salomon in Prouerbiis ſpernit, dicẽs: Alligabit quis in ſinu ignem, & veſtimenta eius non comburentur? aut ambulabit ſuper carbones ignis, & pedes illius non ardebunt?* Et Auguſt. Serm. 249. de Tempore, & Ser. 250. c. 3. Vide Bonauenturam Opuſculo de Puritate conſcientiæ, cap. 14.

(Prou. 6. v. 28.)

4. NON ENIM SECVRVM PVTO EARVM FORMARVM INTRORSVS HAVRIRE IMAGINES, &c.] Nam mulierum ſpecies dulciter oculos inuadunt, faciliter in animam deſcendunt, & ſuauiter hominem occidunt. Matrem ſuam ita Ruſticum Monachum videre iuſſit Hieronymus, *ne per illam alias videre cogeretur, quarum vultus eius cordi hærerent, & tacitum viuat ſub pectore vulnus.* Et inferiùs: *Nolo te habitare cum matre, ne inter frequentiam puellarum per diem videas, quod nocte cogites.* Similiter Monachos hortatus eſt Magnus Gregorius. *Qui corpus*, inquit, *ſuum continentiæ dedicant, habitare cum feminis non præſumant, ne ruina mentem tantò repentina ſurripiat, quantò ad hoc, quod malè cõcupiſcitur, etiam præſentia concupitæ formæ famulatur.* Egregio hoc ibi probat Gregorius exemplo de Andrea Fundanæ ciuitatis Epiſcopo, quod attentiùs perlegere neminem credo pœnitebit. Contendant quantum velint quidam Philoſophi, accidẽtia non generare ſubſtãtias; at, proh dolor! è contrario interire formarum accidentibus, blandientibus his ſpeciebus, etiam ipſas ſpirituales quotidie experimur ſubſtantias, dum ſubdolè & dulciter ad peccatum alliciunt, per quod animæ depereunt, dum vitâ gratiæ tam miſerè quàm fœdè ſpoliantur.

(*Mulieris ſpecies periculoſa.* Hieron. Epiſt. 4. ad Ruſtic. Greg. l. 3. Dialog. c. 7.)

5. EX NIMIA SECVRITATE MI-

NVS CAVETVR HOSTIS.] Securitatem hanc in re omnium periculoſiſſima condemnabat Auguſtinus, qui etiam ad ſororem ſecurum non putabat acceſſum. *Quia,* inquit, *quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.* Ad quæ verba ſubiungit de Auguſtino Gregorius: *Docti ergo viri cautela, magna nobis debet eſſe inſtructio. Nam incautæ præſumptionis eſt, quod fortis pauet, minùs validum non timere.* Conſilium ergo eſt eiuſdem Auguſtini, *quod nemo ſe falſa ſecuritate decipiat, nemo de ſuis viribus periculosè præſumat, ſed audiat Apoſtolum dicentem, Fugite fornicationem.* In quem ſenſum rectè expendit, quòd cùm Apoſtolus Paulus *omnibus vitiis prædicauerit reſiſtendum, dum contra libidinem loqueretur, non dixit, Reſiſtite; ſed, Fugite fornicationem: ac ſi contra reliqua vitia, Deo auxiliante, debeamus in præſenti reſiſtere, libidinem verò fugiendo ſuperare.* Vide Aluar. Pelag. l. 2. c. 73. egregiè de his diſſerentem.

Securitas inter mulieres periculoſa. Aug. relat. à Greg. Vide Poſſid. in Vita c. 26. Greg. in Regiſt. l. 7 Indict. 2. c. 39. Auguſt. Ser. 250. de Tempore, c. 3. Tom. 10. 1. Cor. 6. v. 18. Indidem c. 1.

6. DIABOLVS, SI DE SVO CAPILLVM POTEST HABERE IN HOMINE, CITO, &c.] Eamdem repetit veram & egregiam ſententiam Collatione 11. Capillus eſt cogitatio, ſicut ſuperiùs adnotaui n. 7. in Regulam Clariſſarum: trabes eſt peccatum, vel deſiderium carnale; ſubtilis etenim eſt ad modum capilli cogitatio, trabes autem peccatum; quia ſub vitio, quaſi ſub trabe gemit peccator, & omnem ei exprimit deuotionis ſuccum carnale deſiderium, quod ad ſolam de femina cogitationem repentè exoritur. Vnde ſanctus Abbas Arſenius cùm rogaretur à nobili & pudica virgine Romana, ad ſuos pedes proſtrata, vt pro ea preces funderet Deo, reſpondit: *Orabo Deum meum, vt deleat tuam ex meo corde memoriam.* Suæ primò cauendum animæ putauit, & liberandam vel ab honeſtæ virginis cogitatione, ne virginis, etſi pudicæ, leuis cogitatio facilè & breuiter impudicum redderet ſenem. Sed forſan ex incauto viſu, aut leui feminæ cogitatione, *Quid,* inquit aliquis, *hinc mali poſſit oriri? Quid? Ex hoc amor velut ignis excitatur. Vt enim ignis, vbi fœnum aliquod aut culmum arripuerit, nihil moratur, ſed ſimul vt attigit materiam, lucidam accendit flammam: itidem & ignis concupiſcentiæ, quæ eſt in nobis, ſimul atque per oculorum intuitum elegantem ac venuſtam attigerit formam, protinus exurit animum.* Vide Nilum Abbatem magni Chryſoſtomi diſcipulum Orat. 2. de Luxuria: habetur To. 5. Biblioth. Vit. Patrũ edit. Colon. p. 2.

Ex minimo facit diabolus creſcere peccatũ. Chryſoſ. Hom. 3. de verb. Iſa. poſt med. To. 1

7. VERVM ETIAM EXTERIORES SENSVS, &c.] Nullus eſt ſenſus, qui tam animæ noceat, quàm qui præ ceteris corpori placet: nullus adeò traditor eſt animæ, quàm qui alienæ iudex eſt formæ. *Oculus meus,* inquit Ieremias, *deprædatus eſt animam meam.* Ab anima habet oculus vitam, ab oculo habet è regione anima mortem. Perpendit ſeriò Ioan. Caſſianus, quàm in Euangelio cõmendauerit Chriſtus oculorum cuſtodiã, & quàm prohibuerit viſus periculum. *Nam humani,* inquit, *generis conditor opificij ſui naturã præ omnibus emendationemque cognoſcens, illic curam adhibuit medicinæ, vnde cauſæ morbi principaliter nouerat emanare.* Quot habet corpus ſenſus, tot habet & anima hoſtes; ſed nullum tam ſentit cru-

Oculus, animæ traditor. Thren. 3. v. 51. Matth. 5. v. 9. Caſſian. lib. de Spir. fornic.

crudelem, quàm quem habet magis delicatum. In alto & frontiſpicio poſuit oculos natura cuſtodes, ſed infidós hos quotidie ſentit anima traditores. Holofernes, ſuperbus ille Dei contumeliator, ciborum ingurgitator immodicus, & vini potator anhelus, guſtu peccabat & lingua, blaſphemiarum æquè proferebat & audiebat inſanias, nec vllus erat in eo ſenſus ad offenſam infrænis: tamen non dicit ſacra Scriptura, quòd in lingua, vel in guſtu, vel in tactu, vel
Iudith 1c. in auribus, ſed *in oculis ſuis ſtatim*
v. 17. *captus eſt Holofernes.* Benè traditorum horum perſpectam habuit infidelitatem ille patientiæ Magiſter, cùm ſagaciter pactum iniit cum oculis, ne periret per oculos. *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis*
ne cogitarem quidem de virgine. Ad Iob 31.
non cogitandum de virgine, quod v. 1.
vitium eſt animæ, præuenit viſum, qui officium eſt oculi; & veluti inſidiantes morti corporis feneſtras clauſit in oculis, quos reputauit quoſdam raptores ad culpã. Nam *quiſquis per has feneſtras incautè exterius reſpicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens, rapitur, atque obligatus deſideriis incipit velle quod noluit.* (Gregor. l. 21. Mor. c. 2.) Vide multa de hac re apud Caſſianum, Nilum, Aluar. & Gregor. citatos, & in Notis meis ad Regulam Clariſſ. n. 30. 32. & 41.

[1] COLLATIO SEPTIMA.

De petenda eleëmoſyna cum fiducia.

CHARISSIMI fratres, & filioli mei, nolite verecundari ire pro eleëmoſyna; [2] quia Dominus ſe pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cuius exemplo elegimus viam veriſsimæ paupertatis. Si enim pro ſuo amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleëmoſynis ire. [3] Arrham cæleſtis hereditatis erubeſcere nequaquam conuenit Regni cælorum heredibus. [4] Hæc eſt enim hereditas noſtra, quam acquiſiuit & reliquit nobis Dominus Ieſus Chriſtus, & omnibus, qui ſuo exemplo viuere volunt in ſanctiſsima paupertate. In veritate dico vobis, quòd [5] multi ex nobilioribus & ſapientioribus huius ſæculi venient ad iſtam Congregationem, & pro magno honore & gratia habebunt ire pro eleëmoſyna. Vos ergo, qui eſtis illorum primitię, lætamini & gaudete, nec renuatis facere, quæ ſan-

ctis illis facienda tranſmittitis. Ite ergo confidenter, & animo gaudēti, pro eleëmoſyna cum benedictione Dei. Et magis liberè & gaudenter ire debetis pro eleëmoſyna,[6] quàm ille, qui de vna numata offerret centum denarios; quoniam offertis eis amorem Dei, à quibus eleëmoſynam petitis, dicentes: Amore Domini Dei faciatis nobis eleëmoſynam; cuius comparatione nihil eſt cælum & terra.

ADNOTATION. IN COLLAT. VII.

1. COLLATIO SEPTIMA.] Hanc exſcripſi Collationem ex Cod. MS. Fanen. ex Mariano l. 1. c. 4. ex Piſan. l. 1. Conſor. 6. & Conſor. 12. c. 18. ex Mar. 1. p. l. c. 34. Speculo Vitæ Fran. c. 17. & aliis. Plura habet Marcus; quæ cum citatis Auctoribus omittenda duxi. Rationem, propter quam hæc verba habuerit ad Fratres, præfigunt Marianus, Marcus, & Speculum.

2. QVIA DOMINVS SE PRO NOBIS, &c.] Rationem hanc tamquam verè efficacem inculcauit vir ſanctus in 1. Reg. c. 9. in 2. c. 6. Colloquio familiari 6. & alibi ſæpiùs. Vide in Appendice Sermonem 3.

Arrha cæli eleemoſyna.

3. ARRHAM CÆLESTIS HEREDITATIS.] Arrha datur in confirmationem contractus, de quo lege Cod. de Epiſcop. & Cleric. l. fin. & titulum de Epiſcopali audientia. Pactum autem iniit Deus cum hominibus de dando iuſtis Regno cælorum. Arrham ſuæ ſponſionis dat Deus hominibus, & arrham accipit Deus in pauperibus, qui non poteſt in ſe, bona videlicet temporalia, qui promiſit æterna. Et veluti arrha non redditur, niſi contractu completo: *ita hic quæcumque dederis, recipere non licet; illic verò cum multo rurſum honore recipies, & maiora lucraberis, & ſpiritualiora lucra. Hæc, quæ hîc erogas, illic ſunt repetitio, mutuum, & fœnus, & debitum. Nam chirographa tibi Deus facit. Ait enim: Qui miſeretur inopis, fœnerat Deo. Rurſum etiam ad maiorem firmitatem, & plenam ſecuritatem, Deus arrhabonem tibi dedit, & vades, & hac cum Deus ſit. Quem arrhabonem? Præſentis vitæ ſenſibilia, ſpiritualia futurorum primordia.* Vide Bonau. titulo 2. Diætæ ſalutis, c. 7.

Chryſoſt. Hom. 33. ad pop. Antioch. ant. fin. Tom. 5.

Prou. 19. v. 17.

4. HÆC EST ENIM HEREDITAS NOSTRA, &c.] Similia habet in Reg. 1. c. 9. & in Append. Serm. 3. vide Notas in 1. Reg. n. 29.

5. MVLTI EX NOBILIORIBVS ET SAPIENTIORIBVS HVIVS SÆCVLI, &c.] Hoc res ipſa comprobauit: ſpretis enim mundi, diuitiarum & ſcientiarū honoribus, reiectis ſceptris, contempto diademate, & relictis primis Academiarum cathedris, multi ſe adſcripſerunt huic Sodalitio, & in omni ætate habuit hæc ſancta Religio Principes ſub paupertate alacres, quos ſenſit mundus ſub poteſtate gemebundos: habuit & Doctores ſub ſimplicitate humiles, quos obſeruabant Academiæ in ſcientia ſublimes. Vide ingentem hominum numerum;

rum, ſi placet, in Annalibus Minorū, in quibus per omnes terrarum regiones, & per continuas temporū ſucceſſiones, hoc noſtri Auctoris adimpletū videbis vaticinium.

Magnum eleemoſyna lucrū. 6. QVAM ILLE, QVI DE VNA NVMATA, &c.] Inſolitum hoc verbū pro numo, vel numiſmate. Elegans eſt autem hîc ſancti viri comparatio, qua eleēmoſynæ quæſtum ſignificat, & lucri ingentem cumulum declarat. Nullus eſt enim contractus, nec mercimonium, ex quo tam abundè pecuniarum fructus multiplices, quibus non ex elargita eleēmoſyna maiorē reportes theſaurum. *Ars eſt omnium artium quæſtuoſiſſima eleēmoſyna. Si enim artis eſt proprium ad aliquam vtilitatem peruenire, eleēmoſyna verò nihil eſt vtilius; clarum eſt profectò, quòd eſt ars, & omnium eſt artium optima. Non enim nobis conficit calceamenta, neque veſtimenta contexit, nec has luteas domos ædificat; verùm & æternam miniſtrat vitam, ex mortis manibus eripit, & in vtraque vita claros exhibet, & manſiones ædificat in cælis, & æterna parat illa tabernacula.* Infrà: *Non vnum huius eſt opus, ſed multa; non alterius indigens artis, domos ædificat, texit veſtes, inabſumptos parat theſauros, facit vt mors ſuperetur, diabolum cohibet, Deo reddit ſimiles.* (Chryſoſ. citat. in princip.) Amoris Dei pretium eſt, vt ait Franciſcus: pro ea etenim mendicus, Dei offert amorem, per quem homo Deo ſimilis euadit, imò per quem vnus cum Deo efficitur; per quem *tanta fit coniunctio, tanta adhæſio, tanta dulcedinis Dei fruitio, vt vnitas ab ipſo Domino noſtro vocetur, dicente, vt ſint ipſi vnum in nobis; tanta dignitatis, tanta gloria, vt ſubſequatur, & dicat: Sicut ego & tu vnum ſumus. O gaudium, ô gloriam, ô diuitias, ô ſuperbiam!* (Bern. vel Auctor l. de Natura amoris diuini, c. 7.) (Ioan. 17. v. 21.) Vide quàm abundè, quàm plenè ſoluat mendicus eleēmoſynam.

[1] COLLATIO OCTAVA.

De diſcretione in corpore alendo.

FRATRI corpori cum diſcretione prouidendum eſt, fratres chariſſimi, ne ab eo tempeſtas acidiæ commoueatur. Seruus enim Dei in comedendo, & bibendo, & dormiendo, & alias corporis neceſſitates ſumendo, [2] debet cum diſcretione ſuo corpori ſatisfacere, vnde non tædeat ipſum vigilare, & reuerenter in oratione perſiſtere, ita quòd frater corpus non valeat murmurare, dicens: Fame deficio, tui exercitij ſarcinam ferre non valeo; non poſſum ſtare rectum, & inſiſtere orationi, nec in tribulationibus meis lætari; nec alia

bona

bona operari, quia non ſatisfacis indigẽtiæ meæ. Si enim ſeruus Dei cum diſcretione, & ſatis bono modo & honeſto, ſuo corpori ſatisfaceret, & frater corpus, ſi poſtquam ſufficientem voraſſet annonam, aliàs muſſitaret, eſſetque negligens & pigrum, vel ſomnolentum in orationibus & vigiliis, & aliis bonis operibus; ſcito pigrum iumentum calcaribus indigere, & inhærentem aſellum ſtimulum expetere; [3] tunc debet ipſum caſtigare tamquam malum & pigrum iumentum, qui vult comedere, & non lucrari, & onus non portare. Si verò propter inopiam & paupertatem frater corpus neceſſitates ſuas in ſanitate & infirmitate habere non poteſt; dum honeſtè petierit & humiliter à Prælato ſuo amore Dei, & ſibi non datur, ſuſtineat amore Domini patienter, qui etiam ſuſti-
Pſal. 68. v. 21. nuit quærens qui eum conſolaretur, & non inuenit. Et [4] hæc neceſſitas ſibi à Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit quod ſuum eſt, id eſt, quòd petijt humiliter ſuam neceſsitatem, excuſatur à peccato, etiamſi corpus inde grauiùs infirmetur.

ADNOTATIONES IN COLLAT. VIII.

Corpori diſcretè ſatisfaciendum

1. COLLATIO OCTAVA.] Habetur in Legẽda antiqua, c. De abſtinentia, & apud Piſanum l 1. Confor. cap. 11. & in Speculo Vitæ Franciſci, fol. 121.

2. DEBET CVM DISCRETIONE SVO CORPORI SATISFACERE, &c.) Corpus ſocius eſt animæ, & in diuinis ſua præſtat obſequia. Aliquando terreno ſuo pondere ad mundana inclinat ſolatia, à quibus ne & anima inquinetur & corpus, frenandus vtique luxuriantis appetitus exceſſus abſtinentiâ, vigilijs, chameunijs, & ſuperaddenda quandoque flagella. Cohibenda tamen petulantia, non mactanda natura; puniatur, non occidatur corpus; ſubijciatur animæ, non ſuffocetur ab anima caro; viuat aliquantum, vt ſeruiat; attenuetur, non omnino ſubtrahatur annona. *Corpus tibi exhibet corporale miniſterium, tu autem corpus nutris, & curas alimentis, & indumentis, & calceis; huic quoque exhibetur ſeruitus. Nam niſi tu illi tuum exhibeas miniſterium, nec illud ſuum exhibebit, & erit liberum, nec vlla lex illud coget hoc facere, niſi alatur.* (Chryſoſt. Hom. 19. in c. 5. ad Epheſ. Tom. 4.) Vide Bernard. Senen. To. 3. Ser. 3. ar. 1. c. 2.

Caſtigandum pigrum corpus.

3 TVNC DEBET IPSVM CASTIGARE, &c.] Licet vile ſit mancipium corpus, tamen ſua ei debet mi-

Caſtigā-dum pigrum corpus. miniſteria ſpiritus. Debet ei alimentum, debet & cuſtodiam, debet tandem & diſciplinam. Debet alimentum, vt cum moderato cibo viuat, quod abſque nullo periret. *Debet & cuſtodiam, vt non regnet in eo peccatum, nec membra eius arma fiant iniquitati. Debet & diſciplinam, vt dignos faciat pœnitentiæ fructus, caſtigatum, & ſubditum ſeruitutι.* Si pigrum, ſi tepidum, ſi ſomnolentum fuerit corpus, excitandũ & inſtigandum eſt ſtimulis & verbere, vt ſeruiat ſanctitati, quod iniquitati antè ſeruierat. *Diſcretio autem in hac diſtrictione tenenda eſt, ne dum nimis flagellare cupimus, ſalutem perdamus; & dũ hoſtem ſubigere quærimus, ciuẽ occidamus.* Certè in hac noſtra ſodalitate *multos vidimus ita in principijs carnẽ ſuam verberaſſe, & diſcretionis infregiſſe repagula, vt inhabiles laudum ſolemnijs redderentur, & lautioribus diuturnis fouerentur temporibus.*

Bernard. Serm. 3. de Aduen. Dom.

Auctor Serm. de 7. grad. confeſſ. apud Bernard. poſt med. Indidem.

Voluntaria paupertas, martyrium. 4 HÆC NECESSITAS SIBI A DOMINO IMPVTATVR PRO MARTYRIBVS.] Etſi multis & doctè contendat Caietanus in 2. 2. q. 124. ar. 4. pro diuo Thoma, & contra Martinum de Magiſtris, ad perfectam rationem martyrij requiri, ipſam perpeti mortem propter Chriſtum; tamen ſunt qui largiùs intelligant hoc nomen martyrij. Et certè Auctor Sermonis de Aſſumptione apud Hieronymum, pluresque alij Doctores, beatam Virginem Martyrem vocant, & Gregor. Hom. 3. in Euang. in fine ait, *quòd pax noſtra habet martyrium ſuum, quando ſpiritali gladio carnalia deſideria in mente trucidamus* & l. 2. Dial. c. 26. idem repetit, duoque diſtinguit martyrij genera, vnum in occulto, alterum in publico. & Chryſoſt. Hom. 1. in Epiſt. 2. ad Corin. in Expoſit. moral. ante med. numquam *nec in pace* ait *martyrij occaſionem deeſſe. Neque enim*, addit, *in ligno pendere, martyrem facit*: contenditq́; Iobum afflictum, qui tamen nec iudicis vocem audiuit, nec carnificem vidit, ſexcentos Martyres æquare. Vbi ad rem noſtram, egeſtatem libenter & patienter propter Chriſtum perpeſſam docet eſſe martyrium. idemque habetur in lib. Sententiarum Bernardi longè ante finem: & Bernardus ipſe in Sermone 1. omnium Sanctorum in fine ait, *quòd veri martyrij genus eſt paupertas voluntaria.* Vbi etiam piè expendit, quòd eadem promiſſio facta eſt, idemq́; præmium ſtatutum Martyribus & ſpiritu pauperibus. Vide eumdem Serm. 1. in Octaua Paſchæ, & Serm. 30. in Cantica ante finem, Chryſoſtom. Hom. in Pſal. 95. ante fin. Tom. 1. & Bonauenturam lib. 4. Pharetræ, cap. 49.

COLLATIO NONA.

De indiſcreta æmulatione in abſtinentia fugienda.

FRATRES mei, vnuſquiſque conſideret naturam ſuam: quia licet aliquis ex vobis valeat ſuſtentari pauciori cibo quàm alius; nolo tamen quòd

abundantiori cibo indigens, illum in hoc imitari nitatur. Sed [2] naturam ſuam conſiderans, exhibeat corpori ſuo neceſsitatem ſuam. Sicut enim nobis à ſuperfluitate comeſtionis, quæ obeſt corpori & animæ, tenemur nobis cauere: [3] ita à nimia abſtinentia; imò magis, quoniam Deus miſericordiam vult, & non ſacrificium. Oſeæ 6. v.7.

ADNOTATIONES IN COLLAT. IX.

1. Collatio nona.] Hanc inuenies apud Piſanum citatum, in Legen. antiqua, c. De diſcret. in abſtin. in Cod. M. S. Fanen. c. 12. & apud Marc. l. 2. c. 30. vbi etiam refert quando vel quare hæc verba habuerit Franciſcus ad Fratres.

2. Natvram svam considerans, exhibeat corpori svo necessitatem svam.] Ex hac & antecedenti Collatione facilè colligere licet, ſanctas illas Minoridarum primitias in corporis ſubeundis afflictionibus plus fræno quàm calcaribus indiguiſſe. Id generaliſſima illa Comitia, vulgò dicta Capitulũ Storarum, cõfirmant, in quo ex pio Patris præcepto coacti ſunt omnes cilicia, loricata tegmina interiora, circulos ferreos, duras catenas, & exquiſita mortificationum inſtrumenta deponere, quæ ad ſanctum Ducẽ producta, Cardinali Hugolino, multiſque Pontificiæ Curiæ Optimatibus magnæ fuerunt admirationi & deuotioni, tum ob immenſum numerum, quippe quæ quingenteſimum excedebant, tum ob peregrinas, quas ſpiritus feruor edocuit, adinuentiones. Indiſcreto multi cedebant ſpiritui, & veluti carnem non haberent quam curarent, ita eius obliuiſcebantur ad curam, ſed ſemper recordabantur ad pœnam. Hinc multi attenuatis viribus perpetuo erant oneri, plerique cedebant & vitæ. Hæc ergo ratio, cur Franciſcus, in ſuum corpuſculum rigidiſſimus exactor, toties Patribus inculcat, vt veris naturæ neceſſitatibus indulgerent; nam *contumax eſt, non poteſt vinci, ſuum poſcit.* Iuſtè poſcit ad vitam, iniuſtè poſcit ad vitium. Suum eſt, quod neceſſarium eſt; luxus eſt, quod ſuperfluum eſt. Concede neceſſaria, tolle ſuperflua. Vide Bernardinum Senenſ. proximè citatum egregiè de his diſſerentem.

Vide Annales Minorum p. 1. lib. 1. c. 51. & 53.

Sen. Epiſt. 121.

3. Ita a nimia abstinentia, &c.] Suum habet quandoq; in abſtinentia lucrum diabolus, ad ieiunium hortatur & dæmon, vt perdat confractus homo ieiunijs, quod aliàs ſanctis potuit exercere vigilijs. Non ſuadet ſalutaria dæmon ieiunia, ſed ad nimiam inſtigat abſtinentiam, vt ſpiritum tollat, vel vitam extinguat. Has proinde abſtinentias, tamquam periculoſas, prohibet Franciſcus: nam *ſi ex indiſcretionis vitio ſic agantur, vt vel deficiente ſpiritu, vel languente corpore, ſpiritualia impediantur, qui ſic eſt, corpori ſuo tollit boni operis effectum, ſpiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem: ſacrilegus eſt, & horum omnium in Deum reus. Non quòd, ſecundùm Apoſtoli ſenſum,*

Indiſcreta abſtinentia, mala.

Auctor Epiſt. de Vita ſolit. ad Fratres apud Bernard. ante medium.

Rom. 6. v 19.

ſum, non videatur humanum etiam hoc; & non deceat, & iuſtum non ſit, caput aliquando dolere in ſeruitio Dei, quod olim ſæpè vſque ad dolorem laborauit in vanitate ſæculi: eſurire ventrem vſque ad rugitum, qui ſæpe repletus eſt vſque ad vomitum: ſed modus in omnibus habendus eſt. Affligendum eſt corpus aliquando, ſed non conterendum. Nam corporalis exercitatio ad modicum quidem
1.Tim.4. *valet, & pietas ad omnia vtilis eſt. Propter quod & ad modicum, hoc eſt, non in concupiſcentijs, ſed tamen cura carnis agenda eſt. Agenda verò eſt ſobriè, & cum ſpirituali quadam diſciplina, vt neque in modo eius, neque in qualitate, neque in quantitate appareat aliquid, quod non deceat ſeruum Dei.* Non omnium eſt, admirabiles potiùs quàm imitabiles ipſius Franciſci, quorumdam ſui ſectatorum, aliorumque Monachorum & virorum pœnitentię rigores attingere; non eſt naturæ ſolùm hæc perferre, ſed magni ſpiritus inferre. Dei gratiæ & ſingularis beneficij eſt, quòd hæc animus audeat, & quòd ſimilia caro ſuſtineat. Vide Lyram de Geſtis & Vita Frãciſci c.2. in Expoſit. Pſal. ad illa verba, *Maledicti qui declinant*, &c. Bonau. tit. 4. Diætæ ſalutis, c.1. & Ioan. Climach. grad. 31.

[1] COLLATIO DECIMA.

De tolerandis quantiſper neceſſitatibus.

NECESSITAS, Fratres chariſſimi, [2] quam non ratio poſtulat, ſed voluptas oſtentat, extincti ſpiritus ſignum eſt manifeſtum. Spiritu tepide & paulatim à gratia frigeſcente, neceſſe eſt carnem, & ſanguinem quæ ſua ſunt quærere. Quid enim reſtat, quando anima caret ſpiritualibus delicijs, niſi vt caro conuertatur ad ſuas? Et tunc [3] animalis appetitus neceſſitatis articulum palliat, tunc ſenſus carnis conſcientiam format. Si adeſt Fratri meo vera neceſsitas, & ſtatim ſatisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occaſio meriti, ſed diſplicuiſſe ſibi ſtudioſè probauit: ipſas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud eſt, niſi Aegyptum repetere.

ADNOTATIONES IN COLLAT. X.

1. COLLATIO DECIMA.] Hanc tranſcripſi ex Speculo Vitę Franciſci, ex Legẽda antiqua, c. De perfectione charitatis, ex Piſano l.1. Conf. 12. c.16. & l.2. Conf. 4. & ex Cod. MS. Fanen. c 57.

2. QVAM NON RATIO POSTVLAT, SED VOLVPTAS OSTENTAT.]

Dum terrena hac mole circumdamur, quibuſdam neceſſariò indigemus ad victum, quibuſdā opus habemus ad vitam. Hæc ſi vera

Modica natura neceſsitas, plurima appetitus luxuria.

menſurentur indigentia, pauca ſunt; tamen ſi ad appetentiam regulentur, ſi moderētur ad luxum, non inuenientur in hortis quę placeant, nec in fluminibus quæ delectent, nec in campis quæ ſufficiant. Maris terræque ſpatia ampliſſima ſunt, ſi ſtadio menſures; ſed arcta nimis, vt luxuī ſatisfiat. Innumera continent, ſi ipſa ſpectes animantia; ſed pauca, ſi ad luxuriantem attendas appetitum. *Via filiorum*

Bern. Serm. 11. in Pſal. *Qui habitat*, ante med.

Adam in neceſsitate & cupiditate verſantur. Ab vtraque ducimur, & ab vtraque trahimur, niſi quod videmur magis vrgeri neceſsitate, & trahi cupiditate. Et neceſsitas quidem ſpecialiter corpori tribuenda videtur; cupiditas, & vagus appetitus, luxui animi non ſani, & mentis infirmæ. Sed Religioſi viri dum profeſſionem ſimulant, appetitus & luxus nomen euitant; neceſſitatem dicunt, quod ſuggerit appetitus. Sed ſimplex non eſt illa neceſſitas, anfractus habet plurimos; & ſi rem exactè diſcutias, in quotidiano gemitu, in continuis corporis medelis inuenies neceſſitatis parum, appetitus plurimum; non indigentiam vrgere, ſed voluptatem appetere. Vna corporis neceſſitas, vt viuat; variæ & multiplices appetitus neceſſitates, vt luxurietur. Ab his liberari deſiderans Rex Propheta, non à neceſſitate, quam Reges non

Pſal. 24. v. 17.

ſentiunt, ſed *à neceſsitatibus*, quas homines, corpori blandientes, effingunt, inquit, *meis erue me.* Sapientis huius Regis ſapiens filius, volens multos erudirę, & à multis his neceſſitatibus retrahere, non à naturæ neceſſitate, ſed à vitiata voluntate, has prurientes concupiſcentias oriri propria voce ſignauit: *Poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Eccli. 18. v. 30. Certè quæ præter ipſam corporis neceſſitatē appetuntur, neceſſitates palliatæ ſunt, voluntates infirmæ ſunt, cōcupiſcentię proprię ſunt, & vt ait Franciſcus, *extincti ſpiritus indicium ſunt manifeſtum.* Benè cum Franciſco cohæret Bernardus: *Neceſsitas quidem ex infirmitate carnis,* Bern. citatus. *cupiditas ex cordis inedia & obliuione procedit. Idcircò alienum mendicat anima, quòd oblita ſit comedere panem ſuum; propterea terrenis inhiat, quod minimè cæleſtia meditetur.*

3. ANIMALIS APPETITVS NECESSITATIS ARTICVLVM PALLIAT.]

Vnde multa in Religioſis neceſsitates.

Quàm familiare & miſerum hoc in quibuſdam Religioſis aridis ſpiritu, qui paulatim laxatis regularis diſciplinæ habenis, & rigore attenuato monaſtico, plus æquo mites in corpus, in animam euadunt crudeles? Quidquid carnis ſapientia ſuggerit, id proſequuntur; quidquid caro appetit, totum concedunt. Quidquid in cōmuni menſa apponitur, faſtidiunt; nauſeant ſuper modico Fratrum obſonio, & aſſueti peculiaribus & clanculis ingurgitationibus, vitam neſciunt viuere communem. Quod in Religionis limine, & humili tyrocinio, nullo egebat condimento, ſanè & ſobriè ſufficiebat, & ad neceſſitatem alebat, mollicellos iam factos offendit; & quod Religioſis viris honeſtum eſt corporis nutrimentum, delicatulis his imaginatium eſt ſalutis detrimentum. *Legumina, inquiunt, ventoſa ſunt, caſeus ſtomachum*

Bern. Serm. 30. in Cant. ant. med.

machum grauat, lac capiti nocet, potum aqua non ſuſtinet pectus, caules nutriunt melancholiam, choleram porri accendunt, piſces de ſtagno aut lutoſa aqua, noſtris penitùs complexionibus non congruunt. Quale eſt hoc, exclamat, ad delicatorum Monachorum ruborem, Bernardus, *vt in totis fluuiis, agris, hortis, cellariiſve reperiri vix poſſit quod comedas? Puta te, quæſo, Monachum eſſe, non Medicum; nec de complexione iudicandum, ſed de profeſſione*. Si tu te regeres ad profeſſionem, non quereris de complexione; ideò infirma complexio, quia infirmata profeſſio. Sta ſemper in gradu tuo, non aſſueſcas mollibus naturam; duriora non, niſi inaſſueta, perhorret. Corpora noſtra cibo tantùm & potu indigent. *Cibo expletur naturæ neceſſitas, frigus & fames ſimplici veſtitu & cibo expelli poteſt. Vnde & Apoſtolus: Habentes victum & veſtitum, his contenti ſumus. Deliciæ & epularum varietates luxuriæ fomenta ſunt*. Conſuetudinis mancipium eſt corpus: quod conſuetudinarium eſt, bonum reputat; abhorret viliora, quia probauit pretioſiora. *Quidquid naturam excedit, ſcias precarium eſſe, non neceſſarium. Eſurio, edendum eſt: vtrùm hic panis ſit plebeius, an ſiligineus, ad naturam nihil pertinet: illa ventrem non delectari vult, ſed impleri. Sitio: vtrùm hæc aqua ſit, quam ex lacu proximo excepero, an ea, quam multa niue eliſero, vt frigore refrigeretur alieno, ad naturam nihil pertinet. Illa hoc vnum iubet, ſitim extingui. Vtrùm ſit aureum poculum, an cryſtallinum, an vitreum, an manus concaua, nihil refert. Fames me appellat, ad proxima quæque porrigatur manus. En ipſa mihi commendabit, quodcumq; comprehendero. Nihil contemnit eſuriens*. Si eſuriat Monachus, ſi ſui Cœnobij victui & veſtitui aſſueſaciat, multis ſe liberabit neceſſitatibus; ſi corpori delicatè indulgeat, *animalis appetitus multos neceſſitatis articulos finget*.

Hieron. l.2.con. Iouiniá. ante med. Tom 2. 1.Tim.6. v.8.

Seneca Epiſt.123

[1] COLLATIO VNDECIMA.

De lætando ſpiritualiter in Domino.

SANCTAM, Fratres chariſſimi, [2] interiùs & exteriùs lætitiam Dei habete. Si enim ſeruus Dei ſtuduerit habere & conſeruare lætitiam ſpiritualem, quæ prouenit ex munditia cordis, & acquiritur per deuotionem orationis, [3] dæmones nihil poſſunt ei nocere, dicentes: Ex quo in tribulatione & proſperitate lætitiam habet ſeruus Dei, non poſſumus inuenire aditum intrandi ad ipſum, nec ſibi nocere. Sed tunc exultant dæmones, quando deuotionem & lætitiam, quæ prouenit ex munda oratione, & ex aliis operibus virtuo-

ſis, poſſunt extinguere, vel aliqualiter impedire.[4] Nam ſi diabolus in ſeruo Dei poteſt aliquid habere de ſuo, niſi fuerit ſapiens & ſollicitus delere & deſtruere illud quàm citiùs poterit, per virtutem ſanctæ orationis, contritionis, confeſsionis, & ſatisfactionis, in breui tempore de vno capillo facit vnam trabem, ſemper aliquid illi adiiciendo. Quia ergo, Fratres chariſsimi, ex munditia cordis, & puritate orationis continuæ hæc lætitia ſpiritualis oritur, circa illa duo acquirenda principaliter eſt ſtudendum, vt ipſam lætitiam, quam in me & in vobis cupio ſummo affectu, & diligo cernere & ſentire, poſsitis habere[5] interiùs & exteriùs ad ædificationem proximi, & vituperium inimici. Ad ipſum enim, & ad membra eius oportet contriſtari, ad nos autem lætari ſemper in Domino, & gaudere.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XI.

1. COLLATIO VNDECIMA.] Hãc habent Legenda antiqua, c De zelo beati Patris circa lętitiam ſpiritualem, & Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 31. Marc. 1. p L 1. c. 26. & Cod. MS. Fanen. c. 32.

2. INTERIVS ET EXTERIVS LÆTITIAM DEI HABETE.] Non alienum hoc à Pauli conſilio. [1. Theſ. 5. v. 16.] *Gaudete ſemper*, inquit ad Theſſalonicenſes, [Philip. 4. v. 4.] & ad Philippenſes, *Gaudete in Domino ſemper, iterùm dico, gaudete.* Ingeminat verba, vt ſalutarem inculcet doctrinam. [Matth. 5. v. 4. Lucæ 6. v. 25.] Sed *cùm Chriſtus dicat, Beati qui lugent, & væ ridentibus: quid nunc ſignificans Paulus ita inquit, Gaudete in Domino ſemper? Non ſanè aduerſatur Chriſto. abſit. Væ enim dixit Chriſtus ridentibus riſum mundi huius, qui ex rebus præſentibus oritur; & lugentes beatos prædicauit, non quouis modo lugentes ex familiarium & rerum ſuarum amiſsione, ſed eos qui compunguntur, qui ſua lugent mala, qui peccata ſua expendunt, aut etiam aliena. Non eſt autem huiuſmodi luctui contrarium hoc gaudium, quin imò à luctu illo gaudium hoc procreatur: nam qui ſua luget mala, & confitetur, is gaudebit. Præterea licet lugere quidem propter peccata ſua, gaudere autem Chriſti cauſa.* [Chryſoſt. Serm. 14. in c. 4. ad Philippen. To 4] [*Lætandũ ſemper in Domino.*] Similiter triſtitiam & lætitiam hanc diſtinxit Auguſtinus. [Aug. in Pſal. 42. ad med. Tom. 8.] *Cauſa*, inquit, *triſtitiæ tuæ peccatum eſt, cauſa lætitiæ tuæ iuſtitia ſit.* Nec gaudere iuſſit abſolutè Paulus, ſed *gaudere in Domino*; nec ómnem commendauit Franciſcus lętitiam, ſed *lætitiam Dei*. Sed quænam eſt hæc Dei lætitia, quodnam Domini gaudium? Vis dicam? Dei gaudium in ſua eſt bonitate, lætatur eſſentialiter & verè in ſua incomprehenſibili eſſentia, complacet ſibi in ſe; nullum eſt

extra

extra Deum obiectũ quod Deum excitet ad ſubſtantiale gaudium, malum nullum quod eius diminuat lætitiam, bonum nullum quo eius creſcat hilaritas. Hæc eſt ergo Dei lætitia, gaudere in ſe. Hoc eſt gaudere Sanctorum, gaudere in Domino, non lætari in mundo; exhilarari in rectitudine, non complacere in iniquitate; exultare in iuſtitia, non gloriari in malignitate. Alia eſt Sanctorum hilaritas, alia peccatorum lætitia. *Iuſti in Domino lætantur, iniuſti verò non nouerunt lætari niſi in ſæculo.* Non nouerunt in Deo gaudere, ignorant verum hoc gaudium, neſciunt inter vanam & veram diſtinguere lætitiam. Sed nouit Dominus vias immaculatorum, & vias peccatorum diſperdet; & bona hæc temporalia, quibus inebriantur, aliquando tollit ab eis, vt redeant præuaricatores ad cor, & in corde recti gaudij ordinem ſeruent. *Depopulata eſt regio, luxit humus, quoniam vaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum. Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores ſuper frumento & hordeo, quia periit meſſis agri: vinea confuſa eſt, & ficus elanguit: malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confuſum eſt gaudium à filiis hominum.* Vnde, quæſo, tot damna? vnde tanta iactura? *Quare depopulata eſt regio, & luxit humus? quam ob cauſam vaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, & cetera aruerunt, vel perierunt? Confeſtim cauſam reddit Propheta: Quia confuſum eſt, inquit, gaudium a filiis hominum; id eſt, quia confuderunt gaudium, ſiue non ſeruauerunt ordinem gaudij filij hominum. Primùm enim & principaliter gaudere debuerant in Domino, ſecundariè verò non in bonis, ſed de bonis Domini, ſuper frumento, vino, oleo, & ceteris quæ dantur à Domino. Hic erat rectus ordo gaudij. Hunc ordinem ita confuderunt filij hominum, vt in Domino gaudere negligerent, in bonis autem Domini gaudere cuperent.* Hinc euenit tota iactura, hoc illud confuſi gaudij ſupplicium. Vide Auguſtinum in Pſalmum 96. ante fin.

Alia Sanctorum, alia peccatorum lætitia.

Auguſt. Serm. 50. de Sanctis, c. 1. Tom. 10.

Iſa. 46. v. 8. Ioël. 1. v. 10.

Ruper. l. 1. in Ioel. Tomo 2.

3. DÆMONES NIHIL POSSVNT EI NOCERE.] Vnde tanta fortitudo, vnde contra verſutum & moleſtum hoſtem tam præclara reſiſtentia? Dicam. *Gaudium Domini eſt fortitudo noſtra.* Niſi tollant dæmones hanc lætitiam Dei, quæ ex cordis oritur munditia, non poſſunt inuenire aditum intrandi ad hominem, nec ſibi nocere. Non eſt hoc gaudium niſi rectis corde, non eſt hæc lætitia niſi viris vtique iuſtis, non eſt hæc iucunditas niſi prorſus ſinceris. *Secura mens quaſi iuge conuiuium*, & *rectis corde*, inquit Propheta, *lætitia.* Deinde: *Lætamini iuſti in Domino.* Vera lætitia ſolùm eſt piorum virorum. *Non enim iucunditas, quæ eſt ſecundùm ſæculum, vera iucunditas eſt. Audi Prophetam Iſaiam. Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus. Gaudere, quod vocant impij, non eſt gaudere.* Cum hac ergo lætitia eſt rectitudo cordis, eſt fortitudo mentis, eſt bonum regimen potentiarum, ita vt per eas non facilè inſidietur animę hoſtis; vel ſi inſidietur, non facilè mentem expugnet. Proinde cùm Regius Vates ſalutarem hanc lætitiam ſibi reddi popoſcit, rebellium potentiarum, per quas hoſtis nocet,

1. Eſdræ 8 v. 10.

Soli iuſti lætantur.

Prou. 15. v. 15.

Pſal. 99. v. 11.

Aug. in Pſal. 96. ante fin.

Spiritualis lætitia diabolo reſiſtit. cet, dominatum & principatum, quaſi ad lætitiam omnino conſequentem, in bonorum à Domino acceptorum tutelam & confirmationem adiungi rogauit. *Redde*, inquit, *mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.* Quaſi dicat: Omni animi voluptate in Deo atque hilaritate careo, qua me peccati malitia priuauit; hanc oro vt inſimul cum tua gratia reſtituas, & conſequenter *ſupplex abs te peto, vt mens mea priſtinum principatum atque imperium in turbulentas animi perturbationes recipiat. Etenim hoc loco per ſpiritum principalem, rationem, quæ principatum tenet, intellexit.* Dum ergo viget ratio, & inferioribus rectè dominatur potentiis, dæmon nocere non poteſt: ad mentis lætitiam, & potentiarum tranquillitatem, facilè tentator abſcedit, qui in Domino lætantem ſupplantare non potuit; vtique vincere non valuit, qui per potentias rectè ordinatas aditum non inuenit. Vide Laur. Iuſtin. lib. de Diſcipl. & perfect. monaſt. egregiè de his diſſerentem.

Pſal. 50. v. 14.

Chryſoſt. Ho. 2. in Pſal. 50. poſt med. Tom. 1.

4. Nam si diabolvs in servo Dei]. Rationem hanc ſuperiùs etiam inculcauit in Collat. 6. Vide Adnotationes num. 6.

5. Interivs et exterivs ad ædificationem proximi.] Iterùm inculcat, vt lætentur interiùs & exteriùs Fratres; ſed lætitia ſpiritus in ſpiritu eſt, lætitia Dei in anima eſt: gaudium in Domino, in corde eſt. *Dediſti*, ait Vates, *lætitiã in corde meo.* Interiùs ergo ſalutaris iucunditas. *Non foris*, inquit Auguſtinus, *quærenda eſt lætitia; ſed intus, vbi ſignatum eſt lumen vultus Dei. In interiore enim homine habitat Chriſtus.* Quomodo ergo interiùs & exteriùs Franciſcus vult eſſe lætitiam? Si in corde latet, non in corpore patet; ſi in ſpiritu oritur, non in carne ſeminatur. At iucunditas magna cordis prodit in corpus, hilaritas ſpiritus erumpit in carnem; & *cor gaudens exhilarat faciem* ſiue *exteriora*, vt habet Interlinealis. Id vel ipſe Rex Propheta expreſsè oſtendit cùm ait: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* quem non impropriè nec falsò locutum oſtendit Auguſt. in Pſal. 83. & in lib. Quinquaginta Homiliarum, Hom. 33. Vtique cor & caro lætatur in ſeruis Dei, in quibus à ſpiritu non diſſidet caro; anima & corpus exultat in iuſtis, qui animam & corpus Dei manciparunt obſequio. Ille totus gaudet in Domino, *qui in amorem Domini tota mente defixus eſt, & qui cum eodem Rege Propheta poteſt dicere: Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. Vide mihi aliquem abſtinentem, qui mortem carnis ſuæ putat lucrum animæ ſuæ, hic benè dicet: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Vide vel ipſum Franciſcum, *cuius caro ſpiritui præcurrere videbatur* ad excelſos actus, & obſequia diuina; benè dicet: *Dediſti lætitiam in corde meo.* & abſque falſitate addet: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Oritur in corde, ſed erumpit in corpus lætitia; & caro mancipata Dei obſequio, in eodem obſequio in Deo habet lætitiam. Vide Baſilium, & Euthym. in præfatum locum Pſal. 83. & Rutil. l. 2. in Cant. Magnificat, c. 10. dub. 12.

Duplex lætitia, interior & exterior.

Pſal. 4. v. 8.

Aug. in Pſal. 4.

Prou. 15. v. 13.

Pſal. 83. v. 3.

Hiero. in Pſal. 83.

Pſal. 62. v. 2.

Bonau. in Legend. c. 6.

COL-

[1] COLLATIO DVODECIMA.

De humilitate & pace erga Clericos ſeruanda.

[2] IN adiutorium Clericorũ miſſi ſumus, fratres chariſsimi, ad animarum ſalutem; vt quod in illis inuenitur minus, ſuppleatur à nobis. Quilibet recipiet mercedem, non ſecundùm auctoritatem, ſed ſecundùm laborem. Scitote, fratres, quòd [3] Deo eſt gratiſsimum animarum lucrum. [4] Hoc conſequi meliùs poſſumus cum pace Clericorum, quàm cum diſcordia. Si autem ipſi ſalutem impediunt, Dei eſt vltio, & ipſe retribuet eis in tempore. (Deut. 32. v. 35.) Ideoque eſtote ſubiecti Prælatis, ne quantum ex vobis eſt malus zelus conſurgat. Si filij pacis fueritis, Clerum & populum lucrabimini: & hoc acceptabilius Deo erit, quàm populum ſolum, Clero ſcandalizato, lucrari. Tegite eorum lapſus, [5] multiplices eorum ſupplete defectus; & cùm hæc feceritis, [6] humiliores eſtote.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XII.

1. COLLATIO DVODECIMA.] Ita refertur hæc Collatio in Legenda antiqua, c. De perfectione humilitatis, & in Speculo Vitæ Frãciſci, c. 54. eam habet etiam Piſan. l. 1. Confor. 11. c. 17. & l. 2. Confor. 51. & Henr. Sedul. in Cõment. ad c. 6. Vitæ Franciſci, §. 8.

Religioſi ſubſidiarij ſunt milites Clericorum ſæcularium

2. IN ADIVTORIVM CLERICORVM MISSI SVMVS.] Hoc latè probat Bonauent. in Opuſculo illo, *Quare Fratres Minores prædicent*, & iam Apoſtolorum tempore præfiguratum in ſancto Euangelio hoc ſubſidium Religioſorum, ſeu auxilium à Regularibus præſtandum Clericis ſæcularibus, oſtendit ex illo piſcatu Petri, quando Chriſtus dixit, *Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam.* (Luc. 5. v. 4.) *Concluſerunt*, inquit Euangeliſta, *piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum: & annuerunt ſocijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas.* Myſterium ita exprimit Bonauentura. *Mare eſt ſæculum.* (Bonau. citat.) *Nauicula Petri eſt Eccleſia fidelium populorum. Rete eſt Euangelica doctrina. Per iuſſum Domini tot piſcium multitudo concluditur, quòd rete rumpitur; quia tot ad fidem veniunt, quòd eam etiam hæreſibus ſcindunt. Sed cùm Petrus cum ſuis trahere non valeret, annuerunt ſo-*

ciis in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos: quia Prælati Eccleſiæ cum Clero, non ſufficientes per ſe tantam plebium multitudinem trahere ad littus vitæ perpetuæ, annuerunt, admittendo, ſocijs Religioſis, ſcilicet Iacobo & Ioanni, actiuis & contemplatiuis, vt venirent compatiendo animarum periculis, & adiuuarent eos, tam illos qui trahunt, quàm illos qui trahuntur; illorum inſufficientiam, iſtorum indigentiam releuando. Ambas autem nauiculas implent, cùm præ multitudine populi, nec Clerici, *nec Religioſi plenè ſufficiunt omnibus ſatisfacere.* Ad animarum ergo lucrum, Regulares ſæcularium Clericorum & Epiſcoporum ſubſidiarij ſunt milites. Idem confirmat Bonauentura q. 2. & q. 27. & vltima circa Regulam Fratrum Minorum in fine. Sed largiùs rem hãc comprobat Iacobus Aluarez de Paz lib 2. de Spirituali vita, par. 5. cap. 35.

Deo gratum animarum lucrum.

3. DEO EST GRATISSIMVM ANIMARVM LVCRVM.] Poſtquam bonus ille Eccleſiæ paſtor Gregorius per ſartaginem illam ferream Ezechielis, (ſpiritalis zeli de animarum

Ezech. 4. v. 3. conuerſione fortem frixuram ſignari probauit, adiunxit: *Nullum*

Gregor. Hom. 12. in Ezech. ante fin. *omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Hinc*, inquit, *Pſalmiſta ait: Zelus domus tuæ*

Pſal. 68. v. 10. *comedit me. Quantum vero frixura cordis, quæ ſpiritali zelo agitur, omnipotentem Dominum Deum placat, aperte oſtenditur, cùm offerri per Legem ſimila in ſacrificium iubetur; de qua ſcriptum eſt: In ſartagi-*

Leu. 6. v. 21. *ne, oleo conſperſa, frigetur, offeretque eam calidam in odorem ſuauiſſimum Domino ſacerdos. Nunc enim* (vt exponit ſanctus Doctor) *ſimila in ſartagine frigitur, cùm munda mens iuſti per Zelum ſancti amoris crematur. Quæ conſpergi oleo præcipitur, id eſt, charitati miſericordiæ miſceri, quæ in conſpectu omnipotentis Domini ardet, & lucet. In alia verò tranſlatione*, notat ipſe Gregorius hoc in loco, *hæc eadem ſimila, quæ in ſartagine frigitur, holocauſtum fieri iubetur.* Subiungit itaque: *Simila in ſartagine eſt munda mens iuſti in zeli ſpiritalis afflictione, quæ per ſolicitudinem animarum frigitur, & non ſolùm ſacrificium, ſed etiam holocauſtum Domino eſſe deputatur.* Vide Ambroſ. in c. 1. ad Rom. ad illa verba: *Obſecrans ſi quo modo tandem aliquando proſperum iter habeam*, &c. Tom. 3. & Bonau. l. 4. Pharet. c. 36.

4. HOC CONSEQVI MELIVS POSSVMVS CVM PACE CLERICORVM, &c.] Benè interrogauit Eccleſiaſticus: *Vnus ædificans, & vnus de-* Eccli. 34.
ſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor? v. 28.
Si quem vnus Eccleſiæ miniſter verbo aut exemplo ædificauerit ad bonum, alter diſſidiorum & diſcordiæ ſcandalis deſtruxerit ad malum; quid ſupererit, niſi labor & dolor? quis erit in animarum conuerſione profectus? *Pacifici poſſi-* Bern. in
dent non ſolum ſuam animam, ſed et- l. Sent.
iam aliorum; quia non ſolùm in ſe, ad init.
ſed in alijs pacem faciunt, ſed etiam volentes auferre diligunt; ſicut ſcri-
ptum eſt: Cum his qui oderunt pa- Pſ. 119.
cem, eram pacificus. v. 7.
Si ad eumdem finem vnanimiter tendant & Regulares & Presbyteri ſæculares, ſi inita pace & concordia incumbant animarum profectui, ingentem profectò referent ſui laboris fructum: ſin autem inter ſe diſſideant, omnino perdent,

Quàm laudabilis inter Eccleſiaſticos pax.

quod

quod lucrari debuerant. Miſerum certè eſt, inter eiuſdem Eccleſiæ viros, eiuſdem officij miniſtros, verſari diſcordias. Pudendum ſanè, ſanctam Eccleſiam plus aliquando turbari filiorum diſſidijs, quàm hæreticorum moleſtijs; & plus aliquando laborare ſub domeſticorum æmulationibus, quàm timere ſibi ab hoſtium inſidijs. Aliquando *pacem habet Eccleſia apud extraneos, ſed filij nequam, filij ſcelerati ſæuiunt in eam; qui propriam matrē euiſcerant, vt ſe pariant in honorem.* Hunc ſibi præſcribere æquum erat honorem, in hunc collimare ſcopum deberent, vt habitantes vnanimiter in domo Dei cum conſenſu, opus Dei perficerent, & errantes ad Deum reuocarent. Malum puto Monachum, qui ſæculares odit Presbyteros; & vilem iudico Clericum, qui laborantes ſecum in Euangelio Regulares, velut ſuos cooperatores, ſi quibus poteſt, non proſequatur beneficijs.

Bern. vel qui Auctor eſt Serm. ad Paſtores in Synodo, ante fin.

5. MVLTIPLICES EORVM SVPPLETE DEFECTVS.] In multis defeciſſe illius temporis Clerū, docent Anton. Patauin. Ser. 10. poſt Domin. Trinit. ad med. & Ser. 21. per totum; Bon. q. vlt. circa Regul. Minor. Lyra in Geſtis B. Franciſci, in Expoſit. Pſal. 4. ad initiū, & Aluar. Pelag. l. 2. de Planctu Eccl. c. 27.

6. HVMILIORES ESTOTE.] Piſanus citatus Confor. 12. habet *Meliores eſtote*, ſed minùs rectè.

[1] COLLATIO DECIMATERTIA.

De cognoſcendo ſeruo Dei.

HEV quàm bonum eſt, fratres, Deo ſeruire.[2] Melior eſt Dei ſeruitus, quàm mundi Principatus. Sed [3] quis eſt, qui certò cognoſcit ſe eſſe ſeruum Dei? Nihil melius eſt, quàm eſſe ſeruum Dei; nihil tamen difficilius eſt homini certò cognoſcere, quàm ſi eſt Dei ſeruus, vel amicus. Ego vobis confiteor, quòd rogaui Dominum, vt mihi dignaretur oſtendere quando ſum ſeruus Dei, & quando non. Ipſe autem Dominus benigniſſimus ſua dignatione reſpondit mihi: [4] Seruum meum veraciter te eſſe cognoſce, cùm ſancta cogitas, loqueris, & operaris. Ideò vobis prædicta inſinuaui, vt vos etiam ſciatis quando Dei ſerui eſtis, & ei placetis: & vt ego coram vobis poſſim verecundari, quando videbitis me deficere in his omnibus, vel aliquo prædictorum.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XIII.

1. COLLATIO DECIMATERTIA.] Eam habet integram Cod. M.S. Fic. ſed ex illis verbis, *Ego vobis confiteor quòd rogani Dominum*, Legend. antiqua, c. de Perfect. humil. Cod M. S. Fanen. cap. 37. & Piſan. l. 1. Confor. 12. c. 36.

2. MELIOR EST EST DEI SERVITVS, QVAM MVNDI PRINCIPATVS.] Probant ſententiam hanc optimè illa Hebræi Philoſophi verba: *Seruire Deo maxima eſt gloriatio, non modo libertate maior, ſed & diuitijs, & Principatu, & omnibus rebus, quas mortales mirantur, pretioſior.* Illam largè confirmat Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. 3. verſ. 1. & Tract. de Virginit. vbi ait: *Nulla maior eſt dignitas, quàm ſeruire Christo.* Non eſt vilis hæc ſeruitus, non ignobile mancipium. Hæc ſeruitus non obligat, ſed abſoluit; non onerat, ſed honorat; abſtergit ſeruitutis maculam, non incurrit; impletur hac ſeruitute Chriſti ſententia, qua dixit: *Qui vult eſſe dominus, ſit ſeruus.* Vis ſcire quàm ſit dominus, Dei ſeruus? Nullum in terris agnoſcit ſuperiorem, dedignatur vlli in terris ſeruire, iuxta Apoſtoli conſilium: *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* proinde à Deo emptus, *ſoli Deo ſe ſubditum nouit.* Parum autem dixi, ſeruum Dei in terris dominum adſpernari: ampliùs quidpiam addo, ipſum in cælis Deum in ſuam vendicat ſeruitutem. Nihil nouum dico, nec inauditum. Ita multis anteà ſæculis ipſa teſtata eſt Veritas, dum ſermonem habuit de Dei ſeruis, eius aduentum expectantibus. *Beati, inquit, ſunt ſerui illi, &c. Amen dico vobis, quia præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit eis.* In quibus verbis magnam Dei ſeruorum dignitatem, & immenſam Dei dignationem erga eoſdem expendit admirabundus Chryſologus. *En* (ita exclamat) *mutatio inaudita rerum, en terribilis correptio dominationis, en pauenda conuerſio ſeruitutis; quia parumper ſeruus aſſiſtit in Domini ſui expectatione ſuccinctus, & ſuſtinendi fidem breui fatigatione portauit: cui vt talionem redderet, diſſimulat ſe in ipſa diuinitate diuinitas. Diſcumbenti homini Deus aſtat, & aſtat in cæleſtibus; epulanti ſeruo adſtat Dominus, & ſeruit accinctus; pueris ſuis, miniſtris ſuis miniſterium facit Chriſtus, & facit in Patris iam gloria conſtitutus.* De dignitate, præſtantia, & libertate Dei ſeruorum, vide, ſi placet, plura apud Ambroſ. locis citatis, & li. 1. de Iacob, cap. 3. poſt med. lib. de Parad. cap. 14. ad fin. & Epiſt. 4. & Aug. l. 5. de Gen. ad lit c. 11. Tom. 3.

Philo. l. de Cherubim, ante fin. *Quàm nobilis Dei ſeruitus.*

Ambroſ. tract. de Virgin. in init. To. 4.

Mat. 20. v. 27.

1. Cor. 7. v. 23.

Ambr. in Pſal. 104 Tom. 2.

Luc. 12. v. 38.

Chryſol. Ser. 24. poſt med.

3. QVIS EST, QVI CERTO COGNOSCIT SE ESSE SERVVM DEI?] Quaſi dicat, nullus: idque magis expreſſit adiectis illis verbis: *Nihil difficilius eſt homini certò cognoſcere, quàm ſi eſt ſeruus Dei, vel amicus.* qua doctrina hæreſim reuincit Lutheri art. 10. 11. & 12. Calu. in Antid. Concil. ſeſſ. 6. & in lib. Inſtit. cap 2. §. 16. 17. & 18. Buceri in lib. Concor. in art. de Iuſtific. Kemnit. in Exam. Conc. Trid. ſeſſ. 6. & aliorum hæreticorum, dicentium, iuſtos ex ſola fide Catholica abſq; alia reuelatione credere poſſe & debere ſe eſſe iuſtos, & Dei amicos.

Nemo ſcit an odio vel amore dignus ſit apud Deum.

Qui-

Quibus ex parte aſſentiri videtur Enchiridion, ſeu Catechiſmus, qui prodijt ſub falſo nomine Capituli, vel Concilij Colonienſis, quē expunctum eſſe in Indice Romano, & in nullo Colonienſi Concilio editū, animaduertit Franciſcus Suarez Prologom 6. in libros de Gratia, c.5.9.& 11. Explodit etiam hæc Frāciſci doctrina peculiarem nec ſatis tutam Catharini ſententiam in Opuſculo de Certitudine gratiæ, aſſert. 6. dicentis, quemlibet iuſtificatum, ſine peculiari reuelatione, poſſe fide diuina, non Catholica, ſed priuata, certò credere ſe eſſe in gratia. Alij tamen recentiores Doctores, ſed Catholici, & probi viri docuerunt, de gratia ſibi inexiſtente poſſe habere interdum hominem certitudinem humanæ fidei, quæ abſque vlla peculiari reuelatione pellat omnem dubitationem, timorem, & formidinem. Ita Ruar. Tapper. art. 9. §. *Quamuis neceſſarium ſit.* Carthuſianus in 1. d. 17. q. 5. & 10. Soto l. 3. de Nat. & grat. c. 10. & in Apolog contra Cathar. c. 2. Vega l. 9. in Conc. c. 46. & 47. & Valen. To. 3. diſp. 8. q. 3. punct. 4. Attamen communior & tutior eſt ſententia, ſolùm poſſe dari in aliquibus viris ſanctioribus, familiariùs cum Deo agentibus, & perſeueranter illi famulantibus, de remiſſione peccatorū & inexiſtente gratia certitudinem quamdam moralem, non tamen quæ omnem omnino pellat formidinem de parte oppoſita. Communiter autem, & in genere, ceteri viri iuſti probabili coniectura & exiſtimatione, humano modo abſolutè poſſunt credere, & definitè iudicare ſe eſſe in ſtatu gratiæ. Et certè maiorem hac morali certitudine admittere gratiæ inexiſtentis cognitionem, omni ſemota reuelatione, dubito an cohæreat ſacræ Scripturæ verbis & Tridentinæ doctrinæ. verba ſunt Concilij: *Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deq́ue Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; ſic quilibet, dum ſe ipſum, ſuamq́ue propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Vbi apertè & datâ operâ ait, quemlibet iuſtum formidare & timere poſſe de ſua gratia. De hac difficultate videri poſſunt Caſtro lib. Aduer. hæreſ verb. Gratia, hæreſi 3. Vega, Tapperus, & alij ſuprà citati, Bell. l. 3 de Iuſtific. Stapletonus l. 7. de eadem, Vazq. in 1. 2. diſp. 200. & Suarez. l. 9 de Gratiæ certitudine, c. 9. 10. & 11.

Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 9.

4 SERVVM MEVM VERACITER TE ESSE COGNOSCE, CVM SANCTA COGITAS, LOQVERIS, ET OPERARIS.] Bonum ſerui Dei ſignum, & ſi quod eſt quo deprehendi poſſit, hoc vnum eſt. Multi dicunt ſe Dei ſeruos, ſed quàm verè id dicant, ipſi videant. *Nemo noſtrúm eſt, qui non vel in orationis ſuæ prece, vel in communium ſermonum conſuetudine ſeruum ſe eſſe Dei fateatur. Orans & pſallens dixit Propheta: Seruus tuus ſum ego. Et quid magnum Propheta fecit, ſeruum Dei ſe profitendo, quod nullus auſus ſit denegare? Sed profeſſio ceterorum fallax eſt; quæ cùm habeat conſcientiæ neceſſitatem, non habet tamen confeſſionis veritatem. Proprium hoc Prophetæ eſt, vt ſe ſeruum Dei profiteatur, in omni vitæ gene-*

Quod ſignum ſerui Dei.

Hilar. in Pſal. 118.

Pſal. 118 v. 125.

genere, famulatu conditionis ſuæ fungens, ſiue ambulans, ſiue vigilans, ſiue dormiens, in cibo etiam atque ieiuniis, Deo aut eſuriat, aut ſaturus ſit, & nullo in tempore à ſeruitutis ſuæ officiis abſiſtat. Hic liberè dicit: Seruus tuus ſum ego. Confidenter ita dicere poterit, qui in omnibus quod ſerui eſt facit, qui in nullo à Domini voluntate oberrat, qui interiùs & exteriùs ſancta operatur. Cuius puræ ſunt cogitationes, cuius verba ſemper audieris caſta, cuius opera perſpexeris ſancta, hunc iudica Dei ſeruum: non obſcurum habet in ſe Dei ſignum, verum habet indicium. Vide Ambr. Enarrat. in Pſal. 104. Tom. 2.

[1] COLLATIO DECIMAQVARTA.

Quid Deo magis placeat, orare, vel prædicare.

[2] MAGNVM mihi dubium contigit, fratres chariſſimi, vobis proponendum, & à vobis Dei adiutorio diſſoluendum. Quid fratres conſulitis? quid laudatis? [3] an quòd orationi vacem, an quòd prædicando diſcurram? Siquidem ego paruulus, ſimplex, & imperitus ſermone, maiorem orandi accepi gratiam, quàm loquendi. Videtur etiam in oratione lucrum, & cumulatio gratiarum; in prædicatione diſtributio quædam donorum cælitus acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & vnitio ad vnum verum & ſummum bonum cum vigoratione virtutis; in prædicatione ſpiritualium puluerizatio pedum, diſtractio circa multa, & relaxatio diſciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur, & audimus, & quaſi Angelicam vitam agentes, inter Angelos conuerſamur: in prædicatione multa oportet condeſcenſione vti ad homines, & humanè inter eos viuendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed vnum eſt in contrarium, quod videtur præponderare his omnibus ante Deum, quòd videlicet vnigenitus Dei Filius, qui eſt Sapientia ſumma, propter animarum ſalutem de ſinu Patris deſcendit, vt ſuo mundum informans exemplo, verbum ſalutis hominibus loqueretur, quos ſacri ſanguinis & pretio

pretio redimeret, & emundaret lauacro, & poculo ſuſtẽtaret, nihil ſibi omnino reſeruans, quod non in ſalutem noſtram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere [4] ſecundùm exemplar eorum quæ videmus in ipſo, tamquam in monte ſublimi, videtur Deo magis placitum, quòd intermiſſa quiete foras egrediar ad laborem. Quid in hac re vobis videatur, conſulite.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XIV.

1. COLLATIO DECIMAQVARTA.] Hanc exſcripſi ex Legen. Bonau. c. 12. in princ. ex Piſano l. 1. Confor. 11. membr. 1. Marco Olyſſiponen. 1. p. l. 2. c. 33. & Floreto, fol. mihi 94.

2. MAGNVM MIHI DVBIVM CONTIGIT, &c.] Habet hanc primam periodum Floret. ceteri nequaquã. His tamen verbis ſuum exorſus eſt dubium Fratribus proponere; qui aliàs per ſpiritum inſcrutabilia nouit abſoluere. Incomprehenſibile eſt Dei iudicium circa ſuos: minora aliquando eos celat, quibus aliàs maiora reuelat; vt ex occultorum & humilium ignorantia, tenuitatem ingenioli agnoſcant humani, & ſic in ſua conſeruentur humilitate, extollantque ſolicitiùs Dei beneficentiam, dum aliàs profundiora dignatur eis aperire myſteria. Hanc huius Franciſci hæſitationis rationem reddit Bonauentura proximè citatus. *Cùm enim miranda*, inquit, *noſſet per ſpiritum prophetiæ, hanc per ſeipſum quæſtionem diſſoluere non valebat ad liquidum, Deo meliùs prouidente, vt prædicationis meritum per ſupernum manifeſtaretur oraculum, & ſerui Christi humilitas ſeruaretur. Non erubeſcebat à minoribus parua quærere verus Minor, qui magna didicerat à Magiſtro ſupremo.* Bonau. c. 12. Similiter viſus eſt dubitare de prædicationis munere ſuſcipiendo Auguſtinus l. 11. Confeſſ. c. 2. Quomodo verò ab hoc dubio expeditus ſit Franciſcus per reuelationem factam ad B. virum Silueſtrum, & virginem Claram, vide, ſi placet, Bonauenturam & Marcum citatos. Huius dubij & reuelationis meminit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus Tom. 6. ſuorum Operum, (qui eſt de Concionibus habitis ad populum Louanij, quas collegit & edidit noſtri Inſtituti vir doctus Antonius Ryckius Moguntinus Theologiæ Prælector, & ipſi dicauit Cardinali) in Concione 25. quæ eſt de Oratione, in poſteriori Parte, paulò ante finem.

3. AN QVOD ORATIONI VACEM, AN QVOD PRÆDICANDO DISCVRRAM.] Dubium parit multiplex vtrimque commodum: prædicationis magni fructus, orationis non minor vtilitas. *Vis orationis vim ignis extinxit, impetum leonum cohibuit, bella compoſuit, prælia remouit, tempeſtates ſuſtulit, dæmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis diſrupit, languores eiecit, offenſ.is repreſſit, vrbes terramotu nutantes firmauit, plagas cælitus irruentes, inſidias hominum, mala denique omnia delenit* Chryſoſt. Hom. 4. de Incompr. Dei nat. ant. fin. Tom. 5. *Quæ vtilior, prædicatio an oratio.*

deleuit oratio. Mala auertit, damna profligat, ariditatem animi humectat, & dummodò ipſa non ſit arida & ſicca, ſterilem mentem vberrimo reddit fructu fecundã. *Non enim ita fontes aquarum hortos reddunt fertiliores, vt orationis plantam lacrymarum fontes irrigantes, ad maximam excreſcere faciunt altitudinem.* Multa & innumerabilia ſunt orationis bona & peculiaria, & cõmunia, quæ largiùs proſequitur Chryſoſt. citatus, & Hom. 27. in Epiſt. ad Hebr. in Expoſ. morali, Tom. 4 Prædicatio etiam ſuam habet commendationem; habet vnde laudetur, vel ex eo maximè, *quòd Patri miſericordiarum omni ſacrificio ſit acceptior, maximè ſi ſtudio fuerit perfectæ charitatis impenſa.* Infirmos ſanat, languentes curat, debiles confirmat, peccato mortuos reuocat ad vitam. *Bonus odor Chriſti eſt prædicatio veritatis, quo odore vitam capit, qui Euangelio bonis moribus ſeruit, & congruit.* Prædicatione veritas docetur, populus inſtruitur, Dei miſericordia exaltatur, iuſtitia attollitur, imbre gratiæ populus irroratur. Propterea aptiſſimè à multis Prædicatores nubes vocantur: quod dum latè probauit Auguſtinus, ſubiunxit: *Reuerà, fratres, nubes ſunt Prædicatores verbi veritatis. Quando minatur per Prædicatores Deus, tonat per nubes. Quando miracula facit per Prædicatores Deus, coruſcat per nubes, terret per nubes, & irrigat per pluuiam. Prædicatores ergo, per quos prædicatur Euangelium Dei, nubes Dei ſunt.* Si tanta ergo prædicationis vtilitas, ſi multiplex orationis commoditas, nihil mirum, ſi ſanctus vir inter vtrumque bonum fluctuet, qui nullum vellet amittere. Totus voluit orationi inſiſtere, & cum Deo liberiùs & ſolitarius confabulari; voluit etiam per ſalutaria verba ad eumdem omnes reducere. Hinc attrahit magna mentis tranquillitas, illinc allicit plurimus animarum profectus: hinc vocat religioſa ſolitudo, illinc inuitat proficua ſolicitudo: hinc vitæ actiuæ bona, illinc contemplatiuæ emolumenta. Sed vt per Dei reuelationem proximorũ vtilitati prædicationis officio incumbendum eſſe percepit, iniunctum munus exercuit, ſed orationis dulcedinem non omiſit. Prædicatio orationi ſuperuenit, non ſucceſſit; vtramque pio vinculo connexit, vt prædicationis fructus oratio multiplicaret, & orationis efficaciam prædicandi munus augeret. Hinc certè tantus euaſit prædicator, quia vtramque coniunxit, quia in ſecreto cubiculi receptaculo cum Deo iniuit ſermonem, & quæ à Deo accepit vel ex ſecreto colloquio, & ſacra Scriptura deprompſit, errabundo populo cum magno zelo & feruenter expandit. *Neque enim perfectus prædicator eſt, qui vel propter contemplationis ſtudium operanda negligit, vel propter operationis inſtantiã contemplanda poſtponit. Hinc eſt enim quòd Abraham coniugem mortuam in ſepulchro duplici ſepelit, quia nimirum perfectus quiſque prædicator extinctam à præſentis vitæ deſideriis animam ſuam ſub bonæ operationis tegmine & contemplationis abſcondit; vt à carnali concupiſcentia ſub actiua contemplatiuaque vita quaſi inſenſibilis lateat, quæ priùs mundi deſideria ſentiens, mortaliter viuebat. Hinc eſt quòd humani generis* Redem-

Idem Hom. 79. ad pop. Antioch. ad initiũ Tom. 5.

Fráciſcus Collat. 17

Proſper l. Senten. Auguſt. c. 351.

Aug. E narrat. in Pſal. 35. ad med. Tom. 8.

Adnecta da prædicationi oratio.

Greg. l. 6. Moral. c. 17. ad init.

Gen. 23.

Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis ſtudium in monte pernoctat: vt perfectis videlicet prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore ſpeculationis funditus deſerant, nec contemplationis gaudia penitùs operationis nimietate cõtemnant; ſed quieti contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos loquẽtes refundant. Speculando quippe in Dei amorẽ ſurgitur, ſed prædicando ad proximi vtilitatem reditur. Magna ergo & contemplationis & prędicationis commoda; ſed ille omne tulit pũctum, qui vtramque prudenter exercet.

4. SECVNDVM EXEMPLAR EORVM, &c.] Alludit ad illũ locum, Exodi 25. *Inſpice & fac ſecundùm exemplar, quod in monte monſtratum eſt.* Chriſtus enim *mons eſt in vertice montium.* Iſa. 2. v. 2

[1] COLLATIO DECIMAQVINTA.

De litteris incumbentibus, & Doctoribus.

FRATRES, qui ſcientiæ curioſitate ducuntur, [2] in die tribulationis inuenient manus ſuas vacuas. Ideò vellem eos magis roborari virtutibus, vt cùm tempus tribulationis venerit, ſecum haberent Dominum in anguſtia. Ventura eſt enim tribulatio, quando libri ad nihilum vtiles in feneſtris & latebris proiicientur. Nolo fratres meos cupidos eſſe ſcientię, & librorum, ſed [3] volo eos fundari ſuper ſanctam humilitatem, & imitari puram ſimplicitatem, ſanctam orationem, & Dominam paupertatem. Hæc via ſola eſt ſecura ad ſalutem propriam, & aliorum ædificationem, quoniam Chriſtus, ad cuius imitationem vocati ſunt Fratres, [4] hanc ſolam nobis oſtendit, & docuit verbo pariter & exemplo. Multi Fratres, occaſione ædificandi alios, dimittent vocationem ſuam, videlicet ſanctam humilitatem, puram ſimplicitatem, orationem, & deuotionem, atque Dominam noſtram paupertatem. Et continget illis, quòd vnde putabunt magis imbui ſeu impleri deuotione, & accendi amore, & illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturæ, inde occaſionaliter remanebunt intus frigidi & vacui, & ſic ad priſtinam vo-

cationem redire non poterunt, quia tempus viuendi ſecundùm vocationem ſuam, in vano & falſo ſtudio amiſerunt.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XV.

1. COLLATIO DECIMAQVINTA.] Hanc habent Legen. antiqua, c. de Perfect. humilitatis, Piſan. l. 1. Confor. 11. & 12. c. 20. MS. Fanen. c. 21. Rodul. eiuſdem meminit, fragmentumq́; apponit l. 2. in Solutionibus Regul. Minor. ad cap. 5.

2. IN DIE TRIBVLATIONIS INVENIENT MANVS SVAS VACVAS.] Quia in die negotiationis non apprehenderunt, non collegerunt quod ſolidũ erat & vtile, ſed quod

Scientia mundana vacua. vanum & inane. Si ventum aut aërem manu claudere velis, in vanum laboras; dum manum aperis, vacuam inuenis. Vana ſcientia, virtutibus vacua, ventus eſt & aër. Ad modum enim venti vel aëris

1. Cor. 8. v. 1. *ſcientia inflat*. Ex vtre vento inflato ſi quidpiam exprimere tentes, liquorem nullum profundet; ex anima ſæcularibus & vanis diſciplinis tumida ſi quid ſolidum requiras, totius boni vacuam inuenies. In huiuſmodi vanis ſcientiis

Hieron. Ep. 146. ad Damaſ. ante med. Tomo 3. *nulla ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur; ſtudioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeuerant*. Adiunge huic tuæ inani & vacuæ ſcientiæ charitatem, qua anima vegetatur, qua ſapientia ſolidatur, qua ſcientia completur, qua conſcientia formatur, & tunc magnum quid te in ſcientia putes aſſecutum. Inſtruatur ex

Aug. Epiſt. 119. ad Ianuar. in fine. ſcientia conſcientia, & *adhibeatur ſcientia tamquam machina quædam, per quam ſtructura charitatis adſurgat, quæ maneat in æternũ, etiam cùm ſcientia deſtruetur: quæ ad finem charitatis adhibita, multùm eſt vtilis; per ſe autem ipſam ſine tali fine, non modò ſuperflua, ſed etiam pernicioſa probata eſt*. Scias quantum velis, noſcas quantum deſideres, nihil te lateat ſcibilium; niſi charitatem diſcas, niſi Deum diligere ſcias, ſcire tuum nihil puta: in Dei conſpectu vacuus apparebis. Doctrina

eſt Apoſtoli: *Et ſi habeam prophetiam, & ſciam omnia myſteria, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt*. Quibus verbis benè ſubiunxit Ambro- 1. Cor. 13. v. 2.

ſius: *Iudæ nihil profuit fuiſſe cum Apoſtolis, & didiciſſe myſteria, cùm charitatis hoſtis tradidit Saluatorem. Et Propheta Ezechiel diabolum myſteria cæleſtia ſcire oſtendit, quando increpata voce in paradiſo illum Dei fuiſſe, & pretioſos lapides habuiſſe teſtatur; quos lapides idem Apoſtolus doctrinæ diuinæ myſteria ſignificauit; & illi nihil profuit, quia charitatis immemor in ſuperbiam proſiliuit; Denique Scribis & Phariſæis nihil profuit ſcientia, dicente Saluatore: Vos habetis clauem ſcientiæ, & neque vos intratis, neque alios ſinitis introire. Per inuidiam enim charitatem corrumpentes, ſcientiam eius ad nihilum deduxerunt. Nam & Tertullianus & Nouatianus non parua ſcientia fuerunt; ſed quia per zelum, charitatis fœdera perdiderunt, in ſchiſma verſi ad perditionem ſui hæreſes creauerunt*. Vides quàm inanis

Ambr. hîc. Matth. 28. Ezech. 28. 1. Cor. 3. v. 12. Lucæ 11. v. 52.

nis horum fuit ſcientia? O quàm vacuas habebunt manus ſuas in die tribulationis! ô quantum in illa die præſtabit ſancta ſimplicitas vniuerſæ literaturæ! ô quàm verè tunc ingeminabuntur illa Auguſtini lamenta! *Surgunt indocti, & rapiunt cælum; & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce volutati in carne & ſanguine, quomodo demergimur in profundum?*

Aug. l.8. Conf.c.8. Tom.1.

3. VOLO EOS FVNDARI SVPER SANCTAM HVMILITATEM, ET IMITARI PVRAM SIMPLICITATEM, &c.] Hæc eſt vera ſcientia, quam Deus approbat, quam præ ceteris, hominibus commendat, & quam ſibi ſignificauit acceptam. Humilitatis ſcientia, & puritatis ſapientia quàm ſibi grata ſit oſtendit, dum in Lege præcepit, quòd *ſi de auibus holocauſti oblatio fuerit Domino, de turturibus aut pullis columbæ offeret eam Sacerdos*, &c. In quem locum egregiè adnotauit Flauiacenſis Abbas, quòd *Dominus cùm aues ſibi in holocauſtum offerri iubet, non cygnū expetit, qui magnitudine corporis præſtat, qui plumarum candore nitidus, colli etiam protenſione caput in altum leuat; nec mergulo delectatur, qui frequentiùs aquis immergitur; non accipitrem, qui mortibus paſcitur alienis; ſed turturem petit, & columbam, quarum vtraque gemere, non canere ſolet. Per auium autem holocauſtum, ſcientiarum ſtudium deſignatur. Manifeſtum eſt igitur, à Domino non illam approbari ſcientiam, quæ ſibi magna videtur, iuxta illud Iſaiæ, Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris: vel quæ de eloquentiæ nitore gloriatur, vt de quibuſdam ſcriptum eſt, Poſuerunt in cælum os ſuum. Sed nec illa placet, quæ ſicut mergulus aqua, ſic carnalibus voluptatibus abſorbetur. Nec illa quoque accepta, quam accipitris inſtar, malitia comitatur: ſed turturem amat Deus, amat & columbam. Monemur ergo in auibus iſtis, illam magis ſcientiam appetendam, quæ gemitum, non extollentiam doceat, quæ miſeriam noſtram nobis aperiat. Hæc eſt enim illa vera ſcientia, de qua Salomon ait: Qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem. Vera eſt illa, quæ intelligit vbi ſit, quæ dicere cum Pſalmiſta poteſt, Tribulationem & dolorem inueni; quæ æternæ metu damnationis ſemper ſollicita eſt. Vnde ipſe ibidem præmittit, dicens: Pericula inferni inuenerunt me.* Non diſſimiliter dixit Bernardus: *Vera ſcientia eſt, ſcire nos mortales, & caducos, & fragiles eſſe, & in hoc exilio, & in hoc ergaſtulo, in hac peregrinatione, in hac valle lacrymarum dolendum & lugendum eſſe.* Abundè ſcit, qui, quàm miſer ſit, ſcire nouit. Satis vtique didicit ad ſalutem, qui dedidicit ſcire ad oſtentationem, qui viam humilitatis & puritatis apprehendit, & à ſuperbiæ & vanæ iactantiæ ſemitis longiùs recedit. Habeo apud me vnam & alteram Collationem ad ſtudioſos B. Iacobi Piceni, ſiue à Marchia; & alteram offendi in Vaticano MS. B. Ioannis à Capiſtrano, eiuſdem fermè cum hac noſtri Auctoris argumenti; in quibus nihil tam commendant ſancti viri, quàm humilitatem.

Vera ſciētia, humilitas. — Leuit. 1. v.14. — Radul. l.1. in Leuit.c.3. — Iſa.5.v.21 — Pſal.72. v.9. — Eccl.1. v.18. — Pſal.114. v.3. — Bernard. de Donis Spiritus ſancti, c.3

4 HANC SOLAM NOBIS OSTENDIT, ET DOCVIT VERBO PARITER ET EXEMPLO.] Humilitatem perfectæ & veræ ſcientiæ ſemitam & fundamentum eſſe, verbo docuit Chriſtus, cùm dixit Patrem cæleſtem

Via perfectionis humilitas

Mat. 11. v. 25. ſtem ſua diuina myſteria *abſcondiſſe à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſſe ea paruulis* ſeu humilibus, & nihil aliud tam ſonat in Euangelico eloquio quàm humilitatis encomium. Exemplum etiam ſe propoſuit huius perfectæ diſciplinæ diſcipulis imitandum. *Diſcite*, inquit, *a me, quia mitis ſum, & humilis corde.* (Mat. 11. v. 29.) Verbum Chriſti, & exemplum Chriſti, hanc ſolam veritatis æternæ indagandæ ſcholam eſſe firmauit. Verbo & exemplo hanc viam, & hanc ſolam, oſtendit. Audi, & amplectere conſonum huic doctrinæ Auguſtini conſiliũ: (Aug. Epiſt. 56. ad Dioſcorũ poſt med. Tom. 2.) *Non aliam tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuum noſtrorum tamquam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas; & quoties interrogares, hoc dicerem, non quòd alia non ſint præcepta quæ dicantur, ſed niſi humilitas omnia, quæcumque benefacimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia. Vitia quippe cetera in peccatis, ſuperbia verò etiam in rectè factis timenda eſt; ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Itaque ſicut Rhetor ille nobiliſſimus, cùm interrogatus eſſet,* (Demoſthenes.) *quid ei primum videretur in eloquentia præceptis obſeruari oportere, Pronuntiationẽ dicitur reſpondiſſe. Cùm quæreretur, quid ſecundò? eamdem pronuntiationem. Quid tertiò? nihil aliud, quàm pronuntiationem dixiſſe. Si interrogares, & quoties interrogares, de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud reſpondere, niſi humilitatem, liberet; etſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret. Hanc humilitatem ſaluberrimam vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus doceret, humiliatus eſt.* Ecce, Chriſtianæ doctrinę ſumma, humilitas. Ad humilitatem ſolam Chriſti dirigit doctrina, inuitant verba, tendit exemplum.

[1] COLLATIO DECIMASEXTA.

De vanis & tumidis Prædicatoribus.

MVLTI ſunt, Fratres, qui totum ſuum ſtudium & totam ſuam ſollicitudinem ponunt in acquirendo ſcientiam, dimittentes vocationem ſuam ſanctam, extra viam humilitatis & ſanctæ orationis mente & corpore euagando: qui cùm populo prædicauerint, & nouerint aliquos inde ædificari, vel ad pœnitentiam conuerti, inflantur, & extollunt ſe de opere & lucro alieno, [2] cùm tamen magis in condemnationem & in prẹiudicium ſuum prẹdicauerint, & nihil ibi ſecun-

cundùm veritatem operati fuerint, niſi tamquã inſtrumenta illorum, per quos verè Dominus fructũ huiuſmodi acquiſiuit. Nam quos credunt propter ſcientiam & prædicationem ſuam ædificari, & ad pœnitentiam conuerti, [3] Dominus orationibus & lacrymis ſanctorum pauperum, humilium & ſimpliciũ Fratrum ædificat & conuertit, licet ipſi ſancti Fratres vt plurimùm hoc ignorent. Sic enim eſt voluntas Dei, vt illud neſciant, ne inde valeant ſuperbire. Iſti ſunt, Fratres mei, [4] Milites tabulæ rotundæ, qui latitant in deſertis, & in locis remotis, vt diligentiùs vacent orationi & meditationi, ſua & aliorum peccata plorantes, viuentes ſimpliciter, & humiliter conuerſantes, quorum ſanctitas à Deo cognoſcitur, & aliquando Fratribus & hominibus eſt ignota. Horum animæ ab Angelis Deo pręſentabuntur: tunc Dominus oſtendet illis fructum & mercedem laborum ſuorum, videlicet, multas animas, quę ſuis exemplis, orationibus, & lacrymis ſunt ſaluatæ. Et dicet illis: Filij mei dilecti, ecce tot & tales animæ ſaluatę ſunt veſtris orationibus, lacrymis, & exemplis. Et quia ſuper pauca fuiſtis fideles, ſupra multa vos conſtituam. Alij Mat.25. v.23.
enim prædicauerunt & laborauerunt ſermonibus ſapientiæ & ſcientiæ ſuæ, & ego meritis veſtris fructum ſalutis operatus ſum. Ideò ſuſcipite laborum eorum mercedem, & fructum meritorum veſtrorum, qui eſt Regnum æternum, quod humilitatis & ſimplicitatis Mat.11.
veſtræ, atque orationum & lacrymarum veſtrarum vio- v.12.
lentia rapuiſtis. Sicque iſti portantes manipulos ſuos, id Pſal.125.
eſt, fructus & merita ſanctæ humilitatis & ſimplicitatis v.6.
ſuæ, intrabunt in gaudium Domini lętantes & exultantes. Illi verò, qui non curauerunt niſi ſcire, & alijs viam ſalutis oſtendere, nihil operantes pro ſe, ante Chriſti tribunal aſtabunt nudi & vacui, & ſolius confuſionis, &

verecundiæ, & doloris manipulos deferentes. Tunc veritas ſanctæ humilitatis & ſimplicitatis, ſanctęque orationis & paupertatis, quę eſt vocatio noſtra, exaltabitur, glorificabitur, & magnificabitur: cui veritati ipſi inflati vento ſcientiæ, detraxerunt vita, & vanis ſermonibus ſcientiæ ſuę, dicentes, ipſam veritatem eſſe falſitatem; & tamquam cęci eos qui ambulauerunt in veritate, perſequentes. Tunc error & falſitas opinionum ſuarum, per quas ambulauerunt, quas eſſe veritatem prędicauerunt, per quas in cęcitatis foueam multos pręcipitauerunt, in dolore & confuſione & verecundia terminabitur, & ipſi cum ſuis tenebroſis opinionibus in tenebras exteriores cum tenebrarum ſpiritibus demergentur.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XVI.

1. COLLATIO DECIMASEXTA.] Hanc tranſcripſi ex Legenda antiqua, c. de Perfect. humilit. ex Piſano l. 1. Confor. 11. & 12. c. 20. ex Speculo Vitæ Franciſci, c. 72. & M.S. Cod. Fanen. c. 21. ex Vbertino l. 5. Arb. Vitæ Chriſti, cap. 3. poſt med. ex Marco Olyſſipon. l. 2. c. 24. qui & quædam eiuſdem fragmenta repoſuit l. 1. c. 40.

2. CVM TAMEN MAGIS IN CONDEMNATIONEM, ET IN PRÆIVDICIVM SVVM PRÆDICAVERINT.] O periculoſum inanis gloriæ crimen, per quod etiam tunc cùm homines benè fecerint, peiores fiunt! Benè faciunt prædicatores, cùm doctè ſacri eloquij profundiora myſteria ſuis auditoribus aperiunt; benè faciunt, cùm ingenti ſtudio & quotidiano clamore ad viam ſalutis peccatores reducunt; ſed dum de compoſito ſermone aut ornata loquela popularem auram ſectantur, vel de peccatorum conuerſione inaniter gloriantur, & ſibi ipſis laudes attribuunt; quod aliàs benè fecerant; perdunt; & propter tranſitoriam laudem, ſempiternas pœnas incurrunt. Benè periculum hoc intellexit Gregorius, cùm dixit: *Eſt in doctrina verbis graue periculum, quia ſæpè ſermonem docentium fauores audientium ſequuntur: & cum Doctores ab eo quòd benè innotuerint, apparere iam minores in dictis nolunt, doctrinæ verbum, quod pro acquirendis animabus auditorum ex omnipotentis Dei amore inchoauerunt, in hoc poſtmodum pro acquirendis laudibus laborant. Et qui in verbis Dei quærebant priùs lucra ſpiritualia, temporales poſtmodum fauores ſequuntur. Vnde fit, vt ſiue recta qualibet opera, ſeu ſancta doctrinæ verba, in omnipotentis Dei iudicio pereant, cùm per hæc quiſque tranſitorijs fauoribus*

Quàm periculoſa in prædicatoribus vana gloria.

Gregor. Hom. 21. in Ezech. poſt med.

bus anhelat. Hinc etenim per Prophetam Iudaæ dicitur, quod in ſe ipſa incauta mens inuenit, ſi ſaltem poſt culpam ſuas cautè cogitationes rimetur: Ierem.11. v.16. *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea, & combuſta ſunt fruteta eius. Oliuam quippe vberem & pulchram, fructiferam & ſpecioſam Dominus vocat, cuius vel efficaciam in operatione, vel ſancta ſtudia in verbis ſcientiæ approbat. Sed ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis in ea; quia cùm laudari quis cœperit, erubeſcit forſitan minor videri quàm dicitur, & ſtudet eſſe quod dicitur. Vox enim grandis loquelæ, eſt fauor adulantis. Vnde ſcriptum eſt:* Prou.27. v.14. *Qui benedicit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens, ſimilis eſt maledicenti. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarſit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburuntur, quia ante omnipotentis Dei oculos, vel quæ benè geſta, vel quæ ſcienter ſunt dicta, depereunt, cùm iam non amore Domini, ſed intentione tranſitoriæ laudis fiunt.* Ab inſidiatore hoc occulto, & facili ſupplantatore, qui eradicat omnia genimina virtutum, Philippenſes monuit cauere Apoſtolus. Philip.2. v.3. *Ne quid*, inquit, *per contentionem, ne quid per inanem gloriam.* Ac rurſus eiſdem: *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab alijs.* Noluit enim præclara, ſi quæ erant, illorum opera, æterna mercede digna, vanæ laudis aura deperire; noluit rem magnam tam viliter commutari Qui verò de prædicationis labore laudem quærit tranſitoriam, quid aliud facit, quàm rem magnã vili pretio venumdare, imò & propter inſignem laborem æternam ſibi comparare gehennam? Caueant ergo prædicatores ne de recto ſermone, aut acquiſito animarum lucro extollantur; *ne magis in condemnationẽ, & præiudicium ſuum prædicauerint*, quàm boni operis fructus in proprio animarum ſinu ad diem venturæ iræ condiderint.

3. DOMINVS ORATIONIBVS ET LACRYMIS SANCTORVM PAVPERVM, HVMILIVM ET SIMPLICIVM FRATRVM ÆDIFICAT ET CONVERTIT.] *Ad orationem ſimplicium fit aliquando per prædicationem conuerſio peccatorum.* Prædicatores licet magna dicant, licet inſignem miniſtrent doctrinam, niſi tamen ea quæ hominibus proponunt, ſancta vita & feruenti oratione in Dei conſpectu confirment; non eorum verbis, ſed Sãctorum meritis, & ipſius Dei miſericordiæ tribuenda eſt audientis conuerſio. Verba poteſt dare prædicator, ſalutem non poteſt dare niſi Deus; *nam Domini eſt ſalus.* Pſal.3. v.8. *Verba dare poteſt auribus, corda verò aperire non poteſt; & niſi per internam gratiam ſolus omnipotens Deus prædicantium verbis ad corda audientium inuiſibiliter aditum præſtet, incaſſùm prædicatio aure audientis percipitur, quæ peruenire ad intima corde ſurdo prohibetur.* Gregor. l.29. Mor. c.13. Deus aliquando *dat viam ſonantis tonitrui*, Iob 38. v.25. cùm & prædicationis verba tribuit, & per terrorem corda compungit. Peccatoris in ſermone conuerſio, non eſt prædicantis, non eſt inſtruentis, *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Rom.9. v.16. Profectò *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor.3. v.7. Incrementum autem iuſtorum, & conuerſionem peccatorum,

rum, fieri vel adiuuari orationibus ſimplicium fidelium, vt hîc docet Franciſcus, ipſe agnouit Apoſtolus cùm Coloſſenſes rogauit: *Orantes ſimul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium verbi ad loquendum myſterium Chriſti.* Vide quàm clarè faſſus ſit, clauſum eſſe aliquando Prædicatoribus oſtium cordis, in quo verbum Chriſti ſeminandum eſt, aliorum verò precibus aperiri. Verbum habuit Paulus, ſed aperiri deſuper viam rogauit ſanctorum precibus fidelium; quos aliquando exaudit Deus ad aliorum conuerſionem, quam Prædicatoris impia facta multoties demerentur.

Coloſſ. 4. v. 3.

4. MILITES TABVLÆ ROTVNDÆ.] Alludit ad priſcum loquendi morem, quo metaphoricè & encomiaſticè ſtrenui & præſtantes in quauis arte viri dicebantur Equites aut Milites tabulæ rotundæ. Vigebat enim ab anterioribus deducta ſæculis conſuetudo, vt qui virtutis bellicæ exercendæ, aut ſuæ fortitudinis præferendæ gratia ad publica ſpectacula, & militares decurſiones (quas vulgò Torneamenta dicunt) deſcenderent, priùs inirent conuiuium, ſed in menſa circulari, ſeu orbiculari, ne quid diſcriminis inter Nobiles de locorum ordine aut primatu ex ambitione conſurgeret. Ex his menſis vnam adhuc muro appenſam ſeruari inter Belgas Britannicos in ciuitate *VVintonienſi*, à Ptolomæo & Antonino *Venta Belgarum*, ab Anglis *VVintcheſter* dicta, teſtatur Gulielmus Camdenus in ſua Britannia, in Prouincia *Hantſhire*; ſed recentioris eam eſſe ætatis admonet, quàm vt à communi hominum genere pro Arthuriana ſuſcipiatur. Sub Arthuro autem Rege huius conuictus in orbiculari menſa habuiſſe originem, multi volunt, & ab illo tempore dictos in Anglia huiuſmodi Equites *Knightes of the rovvnde table*, Latinè, *Equites* vel *Milites tabulæ rotundæ*. Vetus ſanè eſt inſtitutum, licet incertum principium. Celtas Gallos orbicularibus menſis circum aſſediſſe, armigeros eorum à tergo adſtitiſſe, pendenteſque clypeos geſtaſſe, haſtatos verò in orbem ex aduerſo ſediſſe, refert ex Poſidonio Stoico Hiſtorico Athenæus Naucratites l. 4. Deipnoſophiſtarum. De menſa rotanda lege Varron. lib. 4. de Lingua Latina, Cælium Rhodigin. l. 7. Lection. antiq. c. 12.

[1] COLLATIO DECIMASEPTIMA.

De conditionibus & laude boni Prædicatoris.

VOLO, Fratres chariſſimi, miniſtros verbi Dei tales eſſe, vt [2] ſtudijs intendentes ſpiritualibus, nullis alijs officijs impediantur. Hi enim à magno illo Rege electi ſunt ad edicta, quæ ex eius ore procedunt, populis demandanda. [3] Priùs ergo Prædicator

haurire

haurire debet ſecretis orationibus, quod poſteà ſacris oſtendat ſermonibus; priùs intus caleſcere, quàm extrà verba proferre. Reuerendum certè eſt hoc officium, & [4] qui illud adminiſtrant, ab omnibus reuerendi. Iſti vita ſunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. Laudandi ſunt Prædicatores illi, qui pro tempore ſibi ſapiunt, ſibique guſtant; illi verò malè ſciunt diuidere, qui prædicationi totum, deuotioni verò nihil impendunt. Alij etiam plangendi ſunt, qui vendunt ſæpè quod faciunt, oleo vanæ laudis. Officium prædicationis, Fratres, Patri miſericordiarum omni ſacrificio eſt acceptius, maximè ſi ſtudio fuerit charitatis impenſum, vt ad id laboret Prædicator magis exemplo quàm verbo, magis lacrymoſa prece, quàm loquaci ſermone? [5] Plangendus proinde Prædicator tamquam vera pietate priuatus, qui in prędicatione non animarũ ſalutem, ſed propriam laudem quærit; ſiue qui prauitate deſtruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic eſt Frater ſimplex & elinguis, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. [6] Donec ſterilis peperit plurimos, inquit Prophetiſſa, & quæ multos habebat filios, infirmata eſt. Sterilis eſt pauperculus Frater, qui generandi in Eccleſia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio multos, quia quos nunc priuatis orationibus conuertit ad Chriſtum, ſuæ gloriæ tunc Iudex adſcribet. Quæ multos habet filios infirmabitur, quia Prædicator vanus & loquax, qui multis nunc, quaſi ſua virtute genitis, gaudet, cognoſcet tunc ſe nihil proprij habere in eis.

1. Reg. 2. v. 5.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XVII.

1. COLLATIO DECIMASEPTIMA.] Habetur hæc Collatio in Cod. M. S. Fanen. & apud Marc. l. 1. c. 4. ſed apud Bonauent. in Legen. c. 8. in princ. ex illis verbis, *Officium prædicationis*, &c. ex quo eam tranſcripſit Piſan. lib. 1. Confor. 12. c. 21.

2. STVDIIS INTENDENTES SPIRITVALIBVS, NVLLIS ALIIS OFFI-

Tt ciis

Prædicator debet eſſe ab omnibus humanis occupationibus liber.

CIIS IMPEDIANTVR.] Præclarum hoc officium, omnibus officijs excellentius, totum hominem requirit: atque vt plures homines homo conuertat, neceſſe eſt vt vni interiori homini totus incumbat. Terrenis omnibus debet valedicere, qui ad cæleſtia vult peccatores conuocare. Dolendum eſt profectò, quoſdam proficuos, nec modicè inſtructos Prædicatores adeò inani duci ambitione in Religionibus, vt potiùs velint in humilibus oppidulis paucis Fratribus preeſſe, quàm in populoſis vrbibus numeroſæ multitudini prodeſſe. Talentum non acceperunt concionandi vt præſint, ſed vt proſint. Vbi modò magni illi verbi diuini Præcones, qui ne vni alligarentur populo, infulas aſpernabantur Pontificias; & vt iniunctam exequerentur prouinciam, anguſtas putabant vnius Europæ Prouincias?
2.Tim.2. v.9. *Verbum Domini non eſt alligatum.* Sed verbi Domini diſpenſatorem ligant non tam liberè impoſita quàm iniuſtè aliquando acquiſita Religionis officia. Verbi Dei non concionem, ſed Concionatorem ligat ambitio, ligat cupiditas, ligat aliquando marſupij deſiderium. Sed quod nobilius officium, quàm ex alto omnes docere, ex eminenti loco licere cunctos reprehendere? Quod marſupium locupletius margarita inæſtimabili? quis amplior theſaurus hoc Euangelico, quo abundè omnes
Mat.13. valeas reficere? Hæc illa eſt margarita pretioſa, pro qua emenda danda ſunt omnia, vt liberè poſſideatur. *Pretioſa porrò eſt margarita prædicatio, & infinitam ſicut theſaurus præbet opulentiam; & Prædicatores non tantùm oportet omnibus alijs exutos ſolius prædicationis ſtudijs inhærere, verùm & magno id cum gaudio præſtare opus eſt, & facultates calcare, vt qui ſciamus quæſtuoſiſſimam id mercaturam eſſe, non damnum. In prædicatione, bonorum omnium ſumma. Niſi vendideris vniuerſa, non emes. Niſi eiuſmodi animum habueris anxium, ac curioſe quærentem, non inuenies.* Nec ſolùm autem ab his temporarijs eſt abſtinendum, ſed & iugiter vigilãdum, quomodo hanc margaritam aliàs non infimi pretij valeas acquirere. In Dei conſpectu margaritæ ſunt inæſtimabiles reſipiſcentes animæ, quas ſanguine redemit impretiabili. Illuſtris ergo Prædicator vilia contemnat, vt inæſtimabiles hos theſauros dignè poſſideat, & aptè hoc præclarum munus exerceat.

Chryſoſt. in breui Enarrat. In c. 13. Matth. an. fin. Tom.2.

3. PRIVS ERGO PRÆDICATOR HAVRIRE DEBET SECRETIS ORATIONIBVS, QVOD POSTEA SACRIS OSTENDAT SERMONIBVS.] Similiter dixit Auguſtinus: *Prædicator orando pro ſe, & pro illis quos eſt allocuturus, ſit priùs orator, antequam dictor.* Præmittat orationem ſermoni, vt oratione caleat, & ſermone proficiat. Omnis feruor Prædicatoris ab intus; niſi cor caleat, verba repeſcunt. Scintillæ dicuntur verba prædicantium, quæ auditorum mentes inflammant, ſed non niſi ex igne crepitant ſcintillæ, non niſi ex flamma cordis prodeũt ignita verba docentis. *Ideò miſſus eſt Spiritus ſanctus in Apoſtolos in forma ignis, vt eos calefaceret ad alios incendendos; quia qui non ardet, non incendit.* Proinde, vt ait noſter hic Auctor, *priùs debet intus caleſcere, quam extra verba proferre;* priùs

Auguſt. l.4. de Doctr. c.15.

Præmittenda prædicationi oratio.

Anton. Patau. Serm.3. de Euangel. in fin.

Greg.l.3. in lib. 1.Reg.1. v.7. priùs neceſſe eſt, *vt qui per ſtudium ſacri eloquij eruditione fulcitur, curet vt puritate mentis, ea quæ diſponenda ſunt, contemplando cognoſcat. Dei namque debet eſſe docibilis, qui* Ioan.6. v.45. *ſuſcepto prædicationis officio docere homines cupit. Tamen ſic præſumat in officio, qui ſecreta contemplationis eruditione inſtruitur, vt nec editas per Spiritũ ſanctum Scripturas faſtidiat, nec ſequi electorum exempla dedignetur.* Scripturæ adaptet omnia quæ profert, ſed in feruenti oratione eiuſdem Scripturæ ſenſum ſibi aperiri precetur: & iuxta quod Spiritus ſuggerit, & ſancti Patres ſcripſerunt, ignita, non tepida; inflammantia, non mortua; penetrantia cordis medullas, non vano eloquentiæ fuco compoſita verba auditoribus proponat. Vide Adnot. ad Collat.14.numer.3. Chryſoſt. Hom.47.in Matth. Aug.citatum, Bernard Epiſt.101. ad Abbatem Reatini Monaſterij, & Gregor.lib.27.Moral.c.23.

4. QVI ILLVD ADMINISTRANT, AB OMNIBVS REVERENDI.] Reuerentiam ſummam ipſe Auctor ſemper Prædicatoribus viuens exhibuit, & à ſuis exhibendam moriens commendauit. Vide eius Teſtamentum.

Quantũ perdat meriti Prædicator per inanem gloriam. 5. PLANGENDVS PROINDE PRÆDICATOR, &c.] Lamentatione certè dignum eſt, quòd ob auræ bullam perdat Concionator ingentis meriti theſaurum; & dum per ſanam doctrinam multos inſtruit, ſemetipſum per inanem glorìolam penitùs deſtruit. Nilus Orat.de Inani gloria. *Laborem ſubijt, & laboris mercedem perdidit. Scopulus ſub aquis latens eſt inanis gloria: huic alliſus virtutes multas amiſit.* Dum ſolùm ad hominum laudem attendit, hanc aſſequitur, ſed diuinæ indignationis furorem grauiter incurrit. Populo per externum ſermonem ſe facit ſpectabilem; ſed per interiorem iactantiam Deo ſe reddit incognitum. Tumidus & elatus ille Dei magnalium Prædicator Eliu, dum de peritis & elatis ſermonibus ſibi blanditur, à Domino neſcitur. *Quis eſt iſte?* interrogat indignabundè Deus. Interrogando quis eſſet, hominis reprobauit iactantiam, & glorioſus quis eſſet ſe indicauit neſcire. Iob 38. v.2. *Nam, Quis eſt iſte, non dicimus, niſi de eo vtique quem neſcimus. Neſcire autem Dei reprobare eſt: vnde quibuſdam quos reprobat in fine dicturus eſt, Neſcio vos vnde ſitis, diſcedite a me omnes operarij iniquitatis. Quid eſt ergo de hoc arrogante requirere, Quis eſt iſte? niſi apertè dicere, Ego arrogantes neſcio, id eſt, eorum vitam in ſapientia mea virtute non approbo, quia laudibus humanis dum inflantur, à vera gloria æternæ retributionis inaneſcunt. Cuius dum ſententias minimè reſpuit, ſed tamen eum ipſum, qui illas protulit, reprehendit, quaſi apertè inſinuat, dicens: Noui quæ dicit, ſed ignoro qui dicit; quia veraciter prolata approbo, ſed eum, qui de bonis quæ profert extollitur, non agnoſco.* Gregor. l.23.Moral.c.1.in fine. Lucæ 13. v.25. Vide Adnot.in Collat.16. num.2.

6. DONEC STERILIS, &c.] Locum hunc Cantici Annæ ex Franciſco repetit Antonius Poſſeuin. in ſua Biblioth.l.4.c.10. & ad Franciſci mentem ita explicat. *Fiet,* inquit, *vt humilis Frater priuata oratione plures Chriſto lucrifaciat, quàm ij, qui ſummi Concionatores, Patreſque multorum habiti, rumores poſuerunt ante ſalutem.*

¹ COLLATIO DECIMAOCTAVA.

De murmuratione & detractione.

DETRACTIONIS vitium, Fratres, ² inimicum eſt fonti pietatis & gratię, & piiſſimo Deo abominabile, pro eo quòd detractor animarum ſanguine paſcitur, quas gladio linguæ necat. Tantò maior eſt detractorum impietas quàm latronum, quantò Lex Chriſti, quę in obſeruantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos aſtringit optare ſalutem. Prętereà Religioſus, qui murmurat contra Fratres vel Prælatos ſuos, quid aliud facit, quàm implere propriam matrem ſuam, id eſt Religionem, felle vituperij, & tra-
Gen. 9. ditionum? Detractores ſunt de generatione Cham, qui verenda patris non operuit, ſed diſcooperuit; ita iſti detegunt & exaggerant defectus Pręlatorum & Religionis ſuæ, propter quod Dei maledictionem merebuntur. Hi veluti porci in immunditiis volutantur, & ³ ſpurcitiis, vel defectibus, quos in Fratribus curioſè quærunt, vel fortè falsò ſe inueniſſe aut vidiſſe affirmant, ſe ingurgitant, & aluntur immundorum more animalium, in conſcientiis ſuis immundiores: & rabidorum more canum queruntur de diſciplina regulari, de correctione Religionis, de ipſo Ordine & Prælatis, aduerſus eos latrantes, & quantum poſſunt mordentes. Detrahentiū enim vox hæc eſt: Vitæ mihi perfectio deeſt, ſcientiæ vel peculiaris gratię facultas non ſuppetit, ac per hoc nec apud Deum locum inuenio, nec apud homines. Scio quid faciam: Ponam maculam in electis, & apud maiores gratiam promerebor. Scio Prælatum meum hominem eſſe, eodemque mecum quandoque vti officio, quò ſucciſis cedris, ſolus videatur ramus in via. Eia miſer, humanis corpo-

corporibus veſcere, & quia viuere aliter non potes, Fratrum viſcera corrode. ⁴ Tales boni ſtudent videri, non fieri; accuſantes vitia, nec vitia deponentes, ſolos eos laudant, quorum cupiunt auctoritate foueri, ſilentes à laudibus, quas ad laudatum non æſtimant reportari. Ieiunę faciei pallorem pernicioſis laudibus vendunt, vt ſpirituales videantur, qui diiudicent omnia, & ipſi à nemine iudicentur. Gaudent ſanctitatis opinione, non opere; Angelico nomine, non virtute.

ADNOTATION. IN COLLAT. XVIII.

1. COLLATIO DECIMAOCTAVA.] Hanc habet Legenda antiqua, c. De charitate, Cod. MS. Fanenſ. c. 27. & Mar. l. 1. c. 25. Primas huius Collationis periodos habet Bonau. c. 8. Legendæ, Piſanus l. 1. Confor. 12. cap. 26. habet partem poſteriorem.

2. INIMICVM EST FONTI PIETATIS ET GRATIÆ, ET PIISSIMO DEO ABOMINABILE.] Tamquã ſui perſecutores Deum detractores odiſſe, probat Bernardus Serm. 1. in Conuerſ. Pauli ad med. & Serm. de Triplici cuſtodia, Deo infeſtiores ipſis Chriſti carnificibus eſſe contendit. *Nec eiuſmodi*, inquit, *detractoris linguam ipſo etiam mucrone, quo Dominicum latus confoſſum eſt, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Chriſti corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo. Ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit; clauis etiam ferreis, quos ſanctiſſimis manibus illis & pedibus conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Niſi enim huius, quod nunc pungitur & trãsfoditur, corporis ſui vitam, illius vitæ corporis prætuliſſet, numquam illud pro iſto mortis iniuriæ, crucis ignominiæ tradidiſſet.* Nónne & Apoſtolus *detractores Deo odibiles* eſſe teſtatur, & Deus ipſe nõne per Vatem dixit in Pſalmo: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebar?* Quomodo non Deo odibile vitium, *quod proles eſt odij, tenuis languor, pinguis & occulta ac latens ſanguiſuga, quæ charitatis omnem conſumit ac demolitur ſanguinem, dilectionis ſimulatio, cordis ſordes ac duritiam parans, caſtitatiſque exterminatio.* Graue malum, horrendum vitium, pacis hoſtis, diſcordiæ ſeminariũ, peſtis latens, proximos depaſcens, mortuos exhumans, patens viuorum ſepultura.

Quàm odibiles Deo detractores.

Bern. Ser. de Tripl. cuſt. ad med.

Rom. 1. v. 30.

Pſal. 100. v. 5.

Climach. gradu 10.

3. SPVRCITIIS VEL DEFECTIBVS, QVOS, &c. SE INGVRGITANT, ET ALVNTVR.] Spurcitiis & immunditiis plenos detractores non immeritò comparauit Pſaltes patenti ſepulchro. *Sepulchrũ patens*, inquit, *eſt guttur eorum.* Quod optimè ad noſtrum inſtitutum explicat Bernardin. Senenſ. *Patens*, inquit, *ſepulchrum paratum eſt ad ſuſcipienda cadauera mortuorum: & licet nihil recipiat, tamen de corruptione,*

Quàm ſpurci & immundi ſunt murmuratores.

Pſal. 5. v. 11.

Bernard. Senenſ. Tom. 1. Serm. 25. art. 2. c. 3.

ne, quam habet, proximum aërem inficere ſolet. Sic vtique detractorum fœtentia ora ſuſpenſo corde, & expectanti animo, atque patula bucca continuè ſunt parata capere aliquod verbum vel factũ ex eo quem odiunt, cùm per illa fœtorem detractionis effundant. Et fœtidi detractores licet nullum malum exemplum verbo vel facto datum ſit eis, tamen eorum corda & ora corrupta ſemper in detractoria verba prorumpunt. Qui habet amaram buccam, ſpuere non poteſt dulce. Ideò Propheta ſtatim ſubiungit: Linguis ſuis doloſè agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum, id eſt, in corde; quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt. Immunda meritò & ſpurciſſima dicuntur detractorum ora, per quæ non niſi fœtida aliorum vitia, ſæpè ab ipſis detractoribus conficta, promuntur; tantò fœtidiora, quantò cordis maior eſt liuor. Ipſam *abominationem* eſſe dixit Sapiens *hominem detractorem*; cuius os ipſis (ſit in verbo modeſtia) latrinarum ſpiraculis comparauit Senenſis; necnon & ericio, cuius tantum eſſe in ore quantum à parte poſteriori dicit fœtorem; & Senecam ait dixiſſe: *Nihil refert an ſuperiùs vel inferiùs intonet detractor, magis enim ſuperiùs fœtet.* Os ſemper paratum & apertum ad conuitia, mundum eſſe non poteſt. Nónne & hoc dicit Scriptura? *Vas, quod non habet operculum, immundum erit.* Quod eſt vitiorum operculum? nónne charitas? Ita ſanè, teſtante Apoſtolo: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Qui ergo charitate fraterna neſcit proximorum culpas obtegere, neſcit vitia tacere, ſed liberè & lucidè omnia propalat, vaſculum habet immundum, os habet fœtidiſſimum, & ſpurcum.

Prou. 24. v. 9.

Seneca.

Num. 19. v. 15.

1. Petri 4. v. 8.

4. TALES BONI STVDENT VIDERI, NON FIERI, ACCVSANTES VITIA, &c.] Non vna omnium detractorum ſpecies, quidam faciem expandunt ad maledicendum, alij contrahunt vt artificioſiùs dicant, & libentiùs audiantur. *Sicuti quædam ſunt adoleſcentulæ, quæ mala ſine vllo verecundiæ rubore operantur, nonnullæ verò quæ grauiora his clàm ac verecundiùs faciunt; ita & in paſſionibus ignominiæ fieri videas.* namq; vt commodè ad hoc exemplum dixit Bernardus, *alij nudè atque irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomunt detractionis; alij autem quadam ſimulatæ verecundiæ fuco conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, & voce plangenti egredi maledictionem; & quidem tantò perſuaſibiliorem, quantò creditur ab his qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo eum ſatis, & numquam potui de hac re corrigere eum. Et aliàs, Mihi quidem, ait, benè compertum fuerat de illo iſtud, ſed per me numquam innotuiſſet: at quoniam per alterum patefacta eſt res, veritatem negare non poſſum, dolens dico, Reuera ita eſt: & addit; Grande damnum. Nam aliàs quidem in pluribus valet, ceterùm in hac parte (vt verum fateamur) excuſari minimè poteſt.* Quoſdam ex his artificioſis detractoribus, ait Climachus, ſe increpatione coërcuiſſe: qui cùm ſancto viro ſatisfacere vellent, dicendo,

Detractores ſunt doloſi.

Climac. citat.

Bernard. Serm. 24. in Cant. ad med.

cendo, Hoc ſe ex eius charitate & cura, cui detrahebant, feciſſe, inquit: *Quieſcite, atque ab huiuſmodi charitate ceſſate, ne ille iniuſtè feciſſe videatur, qui dixit; Detrahentem ſecretò proximo ſuo hunc perſequebat*. Vide Bernardin. Senenſ. citatum cap. 1.

Climach. citat. — Pſal. 100. v. 5.

[1] COLLATIO DECIMANONA.

Quòd Fratres non vocentur Magiſtri.

NE appetatis, Fratres, vocari Magiſtri, ſcientes nomen Magiſterij ſoli ipſi Chriſto conuenire, per quem omnia facta ſunt opera. Ego vellem libenter ſcire facere omnia, ſed nollem eſſe Magiſter, nec Magiſtri nomine inſigniri, ne ex tali nomine contra verbum Chriſti in Euangelio prohibentis facere viderer. Quia melius eſt eſſe humilē cum paupercula ſua ſcientia, quàm, ſi eſſet poſſibile, ſcire facere omnia mirabilia, & magnalia, & præſumere contra glorioſi Magiſtri humilia documenta. Nam [2] nomen Magiſterij nemini conuenit niſi Domino Ieſu Chriſto, cuius perfecta ſunt opera, & mandauit vt nullus ſuper terram Magiſter vocaretur, nec vocari præſumeret, quia vnus ſolus & verus abſque defectu in cælis eſt Magiſter benedictus Chriſtus, qui eſt Deus homo, & vita, conditor mundi, laudabilis, & glorioſus in ſæcula. Amen.

Mat. 23. v. 10.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XIX.

1. COLLATIO DECIMANONA.] Hanc adnotarunt Legen. antiq. c. De perfect. humilit. Speculum Vitę Franciſci, fol. 138. pag. 2. Piſan. l. 1. Confor. 12. c. 34. Cod. MS. Fanenſ. c. 35. & Marc. lib. 2. cap. 24. in fine.

2. NOMEN MAGISTERII NEMINI CONVENIT, NISI DOMINO IESV CHRISTO.] Rationem huius aſſertionis reddit inferiùs: *quia vnus ſolus verus, & abſque defectu Magiſter eſt Chriſtus.* quam eamdem reddunt illorū Chriſti verborum, *Neque vocemini Magiſtri*, Chryſoſt. Hom. 73. in Matth. & in breuioribus Enarrat. in eumdem c. 23. Auctor imperfecti, Hom. 43. Ambroſ. in Pſal. 118. in illa verba, *Iuſtificationes tuas doce me*: & Auctor Tractatus de Cognitione veræ vitæ apud Auguſt. Tom. 9. in Append. c. 36. ſolus enim Chriſtus perfectus, & conſummatus eſt Magiſter, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*; ceteri verò Doctores

Quis ſit verè Magiſter. — Mat. 23. v. 10. — Coloſſ. 2. v. 3.

ctores ſunt tamquam exigui riuuli ab hoc pleniſſimo fonte deducti. qui quod vident, vel quod ex Chriſti verbis hauriunt, poſſunt docere. Ambroſ. citat. *Ideò*, inquit Ambroſius, *Dauid iuſtificationes Dei ab ipſo Deo vult doceri, quia difficile eſt in terra Magiſtrum huiuſmodi reperire, qui ea doceat, quæ ipſe non viderit. Ad illum igitur Magiſtrum Propheta intimo contendit affectu, qui ſolus Magiſter eſt verax. Quomodo enim poteſt homo quaſi verum docere quod neſciat,* Pſal. 115. v. 11. *cùm ipſe ſit mendax? Meritoque ait Dominus, vt nemo ſuper terram vocet ſibi quemquam Magiſtrum, quia vnus eſt Magiſter omnium. Et quando Dauid poſſet alium Doctorem quærere, cùm ipſe de Deo dixerit,* Pſal. 93. 10. *Qui docet hominem ſcientiam.* Verè Deus docet ſcientiam, verè eſt Magiſter; ceteri verò, qui Magiſtrorum ſibi nomen aſſumunt, non verè Magiſtri ſunt, ſed huius Magiſtri miniſtri. An non ita docuit Paulus de ſuis Coeuangelizantibus, & de ſemetipſo, licet meritò Gentium Doctor appelletur, cùm 1. Cor. 3. v. 22. dixit: *Quid eſt enim Paulus, quid autem Apollo, quid porrò Cephas, niſi miniſtri?* Non dixit Magiſtri, non dixit Præceptores, ſed ſummi illius Præceptoris miniſtri, veri illius Magiſtri inſtrumenta. Quomodo ergo paſſim vocant ſe Magiſtros, in Theologia vel in aliis ſciẽtiis candidati? Imò & ipſum liceat interrogare Apoſtolum, quomodo 2. Tim. 1. v. 11. audet dicere quòd ipſe *Prædicator, Apoſtolus, & Magiſter eſt Gentium?* Obiecerunt etiam olim Donatiſtę, quòd cùm æqualiter Chriſtus prohibuerit vocari Patrem ac Magiſtrũ ſuper terram, quomodo idem Apoſtolus dixerit Corinthiis, *Et ſi* 1. Cor. 4. v. 15. *multos pædagogos habetis in Chriſto, ſed non multos Patres: in Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Inferebant enim, ibidem ſe vocaſſe Apoſtolum Patrem contra Chriſti inſtitutum. Sed benè reſponſum à Catholicis, ait Auguſtinus, quod & noſtro dubio ſatisfaciet, Aug. in breuic. Collat. cum Donatiſt. in Collat 3. diei, c. 7. Tom. 7. *Hoc honorificentiæ cauſæ dictum propter Euangelicum miniſterium, quod diſpenſabat Apoſtolus. Nam Patrem ad fidem ſalutemque æternam non eſſe niſi Deum. Neque enim poſſet contrarium Chriſto Apoſtolus loqui, vt cùm ille diceret, Ne vobis dicatis Patrem in terra, vnus enim Pater veſter eſt Deus: contrà Apoſtolus tamquam reſiſtens verbis Chriſti, Patrem ſe diceret eorum, quibus annuntiauerat Euangelium: niſi eſſet vtique diſtinguendum, quid diuinæ gratiæ, quid humanæ honorificentiæ cauſa diceretur.* Apta ſanè reſponſio; at ſi minùs placet, adde aliam, ſed fermè eamdem, ex Chryſoſtomo. Chryſoſt. Hom. 73. in Matth. ante fin. Tom. 2. *Non voluit Chriſtus vt neminem Patrem vocent, ſed ne ignorent quem principaliter Patrem vocare oporteat. Nam quemadmodum nemo principaliter Magiſter eſt, ſic nec Pater præter illum, qui tam Magiſtrorum quàm Patrum omnium cauſa eſt.* Honorificent modeſtè Doctores ſuum miniſterium apud homines, ſed humiliter ſcientiam ſuam referant in Chriſti magiſterium; Magiſtros ſe dicant hominum, ſed miniſtros ſe reputent Chriſti: ſe diſcipulos ita docere putent, vt & à principali Magiſtro ſe doceri non obliuiſcantur.

COL-

[1] COLLATIO VIGESIMA.

Quæ bona proueniant Ordini ex ſubiectione ad Eccleſiam?

[2] MATER omnium Eccleſiarum, Fratres, eſt Romana, & Domina omnium eſt Religionum. Vadam, & recommendabo Fratres meos ſanctæ Eccleſiæ, [3] cuius potentiæ virga percellantur maleuoli, & filij Dei in æternæ ſalutis augmentum vbique plena gaudeant libertate. Recognoſcant ex hoc filij dulcia beneficia Matris, & ſpeciali deuotione ſemper ipſius reuerenda veſtigia complectantur. [4] Non erit, ipſa protegente, in ordine malus occurſus, nec filius Belial per vineam Domini tranſibit impunis. Paupertatis noſtræ ipſa ſancta Eccleſia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per ſuperbię nubilum offuſcari non ſinet. Charitatis & pacis vincula in nobis ſeruabit illæſa, cenſura ſtrictiſſima percutiens diſſidentes. [5] Euangelicæ puritatis obſeruantia ſacra continuè in eius aſpectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.

Nahum 1 v. 15.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XX.

1. COLLATIO VIGESIMA.] Hanc exſcripſi ex Piſano l. 2. Côform. 5. & ex Speculo Vitæ Franciſci fol. 100. pag. 1. & Floreto, c. De humilitate.

2. MATER OMNIVM ECCLESIARVM EST ROMANA.] Ita eruditè, ita plenè *ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem* (vt loquitur Irenęus) *neceſſe eſſe omnem conuenire Eccleſiam, & eos qui vndique ſunt fideles*, tamquam ad matrem & caput recurrere, probarunt, qui Theologicas ſcripſerunt controuerſias, præcipuè Illuſtr. Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Rom. Pont. à c. 12. & noſter Zacharias Bouerius Tom. 1. ſuarum Demonſtrationũ Euangelicarum, vt nihil fermè ſuperſit quod addam. Vnum, & quod poſſum præcipuũ, libentiſſimè adderem (vtinam hoc mihi concederetur) pro hac firmiſſima veritate de primatu Eccleſiæ Romanæ teſtimonium, vitæ & ſanguinis profuſionem. Chara namque licet eſſe ſolet vita, chariorem duco huius articuli côſtantem profeſſionem, & expoliari hoc exteriori carnis tegumento, pro defenſione illius, per quam internis Chriſti indutus ſum veſtimentis.

Iren. l. 3. c. 3. *Magiſtra Eccleſiarum Romana.*

3. CVIVS POTENTIÆ VIRGA

Magna Eccleſia circa Minores protectio.

PERCELLANTVR MALEVOLI.] Hāc ſuæ protectionis curam oſtendit ſancta mater Eccleſia defendendo humilem hanc familiam, multoties virga oris ſui percellendo maleuolos eius hoſtes & iniquos detractores. Liberauit eam ſæpiùs à labiis iniquis, à lingua doloſa, & à verbo aſpero. Scapulis ſuis obumbrauit ei, & dedit in interitum inimicos eius in perpetuum. Gulielmum illum de Sancto amore, qui teneram plantam voluit ſtatim, vt ſuccreuit, eradicare, & Gyraldum de Abbatis villa, percuſſit ſuæ diſtrictionis virga, & impios illorum condemnauit libellos. Cum Richardo Rodulphi Armachano Antiſtite, & Hiberniæ Primate, acerrimo Mendicantium hoſte, paulò poſtquam obſtinatè cauſam vrgeret in conſeſſu Cardinalium Auinione, è viuis ſublato, iniuſtas criminationes ſepeliuit. Moleſtos & infeſtos Minorum hoſtes, vile & opprobroſum hominum genus, Fraticellos & Begardos ſuppreſſit; & tum demum ab omnibus ſuis inimicis defendit: nec aliquando pia mater ſuâ deerit tutelâ, dum humilis hic Ordo non defecerit (quod Deus auertat) in promiſſa & debita ſubiectione. Niſi membra ſupponantur capiti, vitam non hauriunt; niſi Religiones ſubiiciantur Eccleſiæ Dei, ſpiritum vnde recipient? *Quæcumque portio capiti non cohæret, vnde ei iam ſenſus aut vita? Felix membrum, quod huic adhæſerit per omnia capiti,* & eius præceptis in omnibus obedierit.

Plat. l. 1. de Bono Relig. c. 23.

Ber Ser. 1. de Ieiun. in princ.

4. NON ERIT, IPSA PROTEGENTE, IN ORDINE MALVS OCCVRSVS, NEC FILIVS BELIAL, &c.] Poteſt eſſe malus occurſus in Religione, ſed non durabit; poteſt eam turbare filius Belial, ſed non tranſibit impunis: poteſt hæc humilis ſcapha fluctibus impeti, & aduerſis vndis quaſſari, ſed periti naucleri ſolicitudine, & Romani Pontificis pia protectione non poterit ſubmergi. Non poteſt præuenire Eccleſia, vt in Religionibus ex humana miſeria non eueniant ſcandala, non oriantur diſſidia; poteſt tamen, & curat, vt abſcindantur qui eas conturbant, & inuigilat ne diſcordiarum capita præualeant. Id in ſuis tribulationibus ſemper hic Ordo comperiit, & vidit quòd Eccleſiæ curæ eſt, *vt in Monaſteriis & religioſis locis ſeruetur ordo, vigilet diſciplina, quod ſuper praua opera & dogmata cenſura vigeat Eccleſiaſtica, vt floreant vineæ honeſtate & ſanctimonia ſacerdotum.*

Bern. l. 3. de Conſider. c. 5.

5. EVANGELICÆ PVRITATIS OBSERVANTIA SACRA CONTINVE IN EIVS ASPECTV FLOREBIT.] Quando humilis Patriarcha ſumma ſubmiſſione ſuum Ordinem pedibus ſanctæ Eccleſiæ ſubiecit, ad id præcipue reſpexit, vt ſub tanta matre, & in conſpectu tanti capitis religioſiùs viuerent Fratres, & ſuam timerent puderetque violare profeſſionem. Ita ipſe expreſſit in fine Regulæ, quam præſcripſit. *Vt ſemper*, inquit, *ſubditi & ſubiecti pedibus eiuſdem ſanctæ Eccleſiæ, ſtabiles in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Euangelium Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſeruemus.*

[1] COLLATIO VIGESIMAPRIMA.

De tribulationibus Religionis, & Regulæ ſectatorum.

[2] VENIET tempus, Fratres mei, cùm malis exemplis malorum fratrum hæc Deo dilecta Religio diffamabitur, ita vt pudeat exire in publicum. Qui verò tunc temporis ad ſuſcipiendum habitum Ordinis venerint, ſola ſancti Spiritus operatione ducentur, & nullam in eis maculam caro impinget & ſanguis, eruntque verè à Domino benedicti. Et [3] licet in eis fuerint operationes meritoriæ, tamen frigeſcente charitate, quæ facit ſanctos operari feruenter, venturę ſunt illis tentationes immenſæ: & qui in tempore illo fuerint inuenti probati, erunt ſuis prædeceſſoribus meliores. [4] Væ qui de ſola ſpecie & apparentia conuerſationis Religioſæ ſibi plaudentes, & in ſua ſapientia & ſcientia confidentes, inuenti fuerint otioſi, id eſt, non exercitantes ſe in operibus virtuoſis, & in via crucis & pœnitentiæ, in pura obſeruantia Euangelij, quod ex profeſſione tenentur purè & ſimpliciter obſeruare. Iſti enim non reſiſtent conſtanter tentationibus, quæ ad probationem electorum à Deo permittentur. Qui verò probati fuerint & approbati, acipient coronam vitæ, [5] ad quam exercitat eos interim malitia perfidorum & reproborum. Iac. 1. v.12.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXI.

1. COLLATIO VIGESIMAPRIMA.] Hanc exſcripſi ex Codice M.S. Fic. ex Piſan. lib.2. Confor.6.

2. VENIET TEMPVS, &c.] Veritatem prædixiſſe oſtendit laxa vita, & infrænis libertas, cum hoc Ordine alijs Religionibus communis, poſtquam tepuit ſpiritus ardor, & regularis diſciplinæ rigor euanuit ex vniuerſali illa ſtrage, & ſæuiſſima lue, quæ ad annum 1348. per vniuerſum fermè orbem non minùs ciuitates hominibus, quàm Religiones diſciplinâ ſpoliauit. Declinabant quotidie (id vitiatæ naturæ malum) in molliorem vitam Religioſi, ita vt tandem cunctæ Religiones omnem fermè exuiſſe regularem notam viſæ ſint. Durauit hæc in- Vide Mat. Villan. 1. p. Chron. lib.1.c.1.

indiſciplinata licentia viuendi, donec religioſioris propoſiti viros Deus excitauit, quorum induſtriâ & exemplo priſcorum Patrum vita reſtaurata eſt; & languidæ res noſtræ in priſtinum morem redactæ, lenta & laborioſa annorum ſerie poſt annos mille quadringentos,& pleniùs ad annum 1450. ſub Bernardino Senenſi, Ioanne Capiſtrano,& Iacobo Piceno,egregijs ſui Inſtituti zelatoribus.

3. LICET IN EIS FVERINT, &c.] Ita Piſanus;ſed Cod. M S. Fic. *Licet in eis non fuerint*, minùs rectè.

4. VÆ QVI DE SOLA SPECIE ET APPARENTIA CONVERSATIONIS RELIGIOSÆ, &c.] Longè antè væ dixit Chriſtus huiuſmodi externæ pietatis viris, qui orationes longas orantes, amplius accipiunt iudicium; qui excolantes culicem, camelum glutiunt; qui mundantes quod deforis eſt calicis,& paropſidis, intùs pleni ſunt immunditia. Similes hos dixit optimus Magiſter *ſepulcbris dealbatis, quæ aforis apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic enim & hi aforis parent hominibus iuſti; intus autem pleni ſunt hypocriſi & iniquitate.* Comparationem ampliùs expreſſit Auctor Operis imperfecti.

Mat. 23. v. 14. *Execrandi hypocritæ.*

Ibidem v. 27.

Sicut ſepulchrum, inquit, *quamdiu clauſum eſt, pulchrum videtur aforis; ſi fuerit apertum, horribile eſt: ſic & ſimulatores bonorum, quamdiu quidem non cognoſcuntur, laudabiles ſunt; cùm autem cogniti fuerint, inueniuntur abominabiles.* Et init præclarè Doctor rationem cum huiuſmodi ſpecie tenus Religioſis, hiſque verbis interrogat: *Dicito mihi, ô hypocrita, ſi bonum eſt eſſe bonum, vt quid non vis eſſe, quod vis apparere? Si verò malum eſt eſſe malum, vt quid vis eſſe, quod non vis apparere? Nam quod turpe eſt apparere, turpius eſt eſſe; quod autem formoſum eſt apparere, formoſius eſt eſſe. Ergo aut eſto quod appares, aut appare quod es; quia manifeſtum malum à ſapientibus non facilè reprehenditur, dum inſania æſtimatur.* Quod foris oſtendis, intus habe, ne bonum externum perdas, & propter malitiam internam potenter puniaris.

Auctor. Imperf. Hom. 45. in init.

5. AD QVEM EXERCITAT EOS INTERIM MALITIA PERFIDORVM ET REPROBORVM.] Cod M.S. Fic. habet, *ad quem excitat eos inferna interim malitia reproborum.* Congruit vtraque lectio doctrinæ Auguſtini, dicentis, *Deum ideò malos permittere, aut vt corrigantur, aut vt per illos boni exerceantur.*

Aug. in Pſal. 54. ad 1. verſ.

[1] COLLATIO VIGESIMASECVNDA.

De ſancta conuerſatione inter fideles.

IN nomine Domini [2] ite bini & bini per viam humiliter & honeſtè, & maximè cum ſtricto ſilentio à manè vſque poſt tertiam, orantes Dominum in cordibus veſtris. Verba otioſa & inutilia non nomi-

nominentur in vobis: licet enim ambuletis, tamen conuerſatio veſtra ſit ita humilis & honeſta, ſicut ſi in Eremitorio aut in cella eſſetis. Nam vbicumque ſumus & ambulamus, habemus ſemper cellam nobiſcum. Frater enim corpus eſt cella noſtra, & anima eſt Eremita, quæ moratur in cella ad orandum Dominum, & meditandum de ipſo. Vnde[3] ſi anima non manſerit in quiete in cella ſua, parum prodeſt Religioſo cella manufacta.[4] Talis ſit veſtra conuerſatio inter Gentes, vt quicumque vos audiet vel videbit, glorioſum Patrem cæleſtem & Deum laudet deuotè. Pacem annuntiate omnibus, dicentes; Dominus det tibi pacem. Sed ſicut pacem annuntiatis ore, ſic in cordibus veſtris pacem & amplius habeatis. Nullus per vos prouocetur ad iram vel ſcandalum; ſed omnes per manſuetudinem veſtram ad pacem, benignitatem, & concordiam prouocentur. Nam ad hoc vocati ſumus, vt vulneratos curemus, alligemus confractos, & erroneos reuocemus. Multi enim vobis videntur eſſe membra diaboli, qui adhuc diſcipuli Chriſti erunt.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXII.

1. COLLATIO VIGESIMA SECVNDA.] Obtulerũt hanc nobis Piſanus Confor. 11. & partim Confor 12. cap. 28. Cod. MS. Fanen. c. 29. Marian. l. 1. c 12. §. 1. Eam habuiſſe ſanctũ Patriarcham an. Domini 1216. aſſerit Marianus, cùm abſolutis primis Comitijs Generalibus Fratres ad diuerſas mũdi plagas deſtinauit, qui Dei Euangeliũ & fidem omnibus propalarent.

2. ITE BINI ET BINI, &c.] Ad exemplum Apoſtolorum, quos miſit Dominus binos, *tum*, vt ait Lyra, *propter mutuam conſolationem, & propter mutuam conſeruationem, vt vnus eſſet cuſtos caſtitatis alterius, & aliorum bonorum; tum propter confirmationem veritatis prædicandæ ab ipſis, vt in ore duorum teſtium ſtaret verbum; tum in ſignum charitatis, quæ debet eſſe in Prædicatore, ſecundùm quod exponit B. Gregorius, dicens:* Binos ergo diſcipulos *in prædicationem mittit, vt per hoc nobis tacitus innuat, quod qui erga alterum charitatem non habet, prædicationis officium nullatenus ſuſcipere debet.* Alias huius miſſionis formæ rationes vide apud Bonauenturam & Didacum Stellam in c. 10. Lucæ, & Adnotationes noſtras ad Collat. 2. n. 3.

Lyra in cap. 10. Lucæ.

Matt. 19. v. 16.

Gregor. Hom. 27 in Euangel. To. 2.

3. SI ANIMA NON MANSERIT IN

IN QVIETE IN CELLA SVA, PARVM PRODEST RELIGIOSO CELLA MANVFACTA.] Duplex velum appen-
Exodi 26. & 36.
debatur ante Arcam teſtamenti, quo à popularibus tumultibus & ſecularibus atriis diuidebatur. Du-
Duplici recollectione indiget Religioſus.
plici etiã velo indiget Religioſus, quo à mundi defendatur incurſibus, & à dæmonis liberetur inſidiis. Opus habet non ſolũ corporis reclusione, ſed & animi collectione. Corporis velũ eſt cella Monaſterij, animæ velum eſt mentis ſolitudo. Nõ ſolùm claudendum eſt in cubiculo corpus, ſed etiam cohibendæ in corde cogitationes. Bis hortum concluſum dixit ſponſus
Cant. 4.
dilectam. *Hortus*, inquit, *concluſus, hortus concluſus.* nam niſi duplici ſepto circumdetur Monachus, nequaquã flores aut fructus in mẽtis hortulo producet, nequaquã *placita erit Deo anima illius.* Quid prodeſt
Tert. l. ad Mart. c. 2.
detineri corpus in clauſtro, ſi mens vagatur in foro? *Etſi corpus includitur, etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patẽt; vagatur homo ſpiritu. ſpatiatur ſpiritu; & quoties ſpiritu deambulauerit, toties in carcere nõ erit. Totum hominem animus circumfert, & quò velit transfert.* Hinc meritò dixit Auctor Sermonis tertij in Cœna Domini apud Bernardum, multos
Bernard. Serm. 3. in Cœna Domini, poſt med.
eſſe qui *corpore ſunt clauſtrales, mente vagi, & numquam ſtabiles.* Proinde Propheta in domo Dei à ſæculo corpore remotus, ſenſibus etiam compoſitis, & cogitationibus, ne ad exteriora diſfluerent, ſub cauta cuſtodia collectis, tantæ animi tranquillitatis beneficium in
Pſal. 26. v. 5.
Deum referens, dixit: *Abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.* Domino acceptum refert, & gratias habet, non ſolùm quòd eum abſconderit in tabernaculo ſuo, verùm etiam quòd in ipſius tabernaculi abſcondito protexerit à malis ſuggeſtionibus inimici, ab iniquis perſuaſionibus diaboli, qui mundi illecebras offerebat oculis mentis, quę non poterat oculis carnis. Quòd Deus hominem ad Religionem adduxerit, ingens beneficium; quòd eum intra mœnia clauſerit Monaſterij, vt iam non liceat videre quod anteà trahebat ad mortem, ſingularis eſt Dei gratia, quæ ſingulares etiam gratias meretur: ſed in eadem cuſtodia adhuc liberare ab hoſtis inſidiis, tueri ab illorum conſiliis, qui blandè dicunt, *Manifeſta te ipſum mundo, vt te laudet & admiretur;*
Ioan. 7. v. 4.
protegere in abſcondito tabernaculi ab irruentibus cogitationibus, ab illicitis deſideriis, & illecebrarum mundi memoria, excellentius eſt donum, ſingularius eſt beneficium. Nam primum beneficium, niſi adiungatur ſecundum, parum prodeſt; imò multum obeſt viuere in Monaſterio, & ſemper ſuſpirare pro ſæculo. Nónne eò condemnabiliora carnis deſideria, quò in arctiori carnis erumpunt cuſtodia? Polluit locum ſanctum, & caſtum corporis cubiculum, qui in animæ cella, ſub corporis velamine inhoneſtis turget concupiſcentiis. Qui habitat, vt decet, in domo Domini, & cuius eſt auxilium à Domi-
Pſal. 83. v. 6.
no, aſcenſiones in corde ſuo diſponit, non euagationes in anima permittit, in valle lacrymarum, in ſancto loco quem poſuit ſibi habitandum. Non ſuperatur illectus & abſtractus à concupiſcentia, ſed domat paſſiones ſuas; rationis, tamquam

quam excelſo loco dominantis, imperio gubernat & regit inferiores potentias, ne quid in corpore contra corporis hoſpitem conſpirent. Etenim *ſic prudens, & Deo deditus animus habere ſe debet in cella ſua, in conſcientia ſua, ſicut prudens paterfamilias in domo ſua. Non habeat, ſicut Salomon dicit, litigioſam carnem ſuam, ſed ad ſobrietatem moderatam, & aſſuefactam ad obedientiam, & ad laborem paratam, vbique inſtitutam & eſurire, & ſaturari, & abundare, & penuriam pati. Habeat ſenſus exteriores non duces, ſed ſeruientes; interiores ſobrios, & efficaces. Habeat omnem omnino domum vel familiam cogitationum ſuarum ſic ordinatam & diſciplinatam, vt dicat huic, Vade, & vadat; & alij, Veni, & veniat; & ſeruo corpori, Fac hoc, & abſque contradictione faciat. Qui ſic ſemetipſum ordinat & regit in conſcientia ſua, ipſi vnie ſibi credendus & committendus eſt in cella ſua.* Cuius anima ſic regitur in cella ſua, non parum proficiet in cella Monaſterij.

Bern. vel Auctor Epiſt. de Vita ſolit. poſt med.

Prou. 21. v. 9.

4. TALIS SIT VESTRA CONVERSATIO INTER GENTES, &c.] Conuerſationem etiam laudabilem, & vitam exemplarem Gentium Prædicatoribus commendauit Auctor in Regula 1. c. 16. vide Adnotat. in eamdem num. 37.

5. PACEM ANNVNTIATE OMNIBVS, DICENTES: DOMINVS DET TIBI PACEM.] Moriens in Teſtamento aperuit hanc ſalutandi formulam ſibi à Domino fuiſſe reuelatam, quam enixiùs & multoties ſuis Fratribus commendauit.

[1] COLLATIO VIGESIMATERTIA.

Quomodo procedendum ſit ad infideles.

FILIOLI mei, Deus mihi mandauit, quòd mittam vos ad terram Saracenorum ad prædicandum, & confitendum eius fidem, & legem Mahometicam impugnandam. [2] Et ego etiam ibo per aliam partem ad infideles, & Fratres alios mittam per vniuerſum mundum. Idcircò filij paretis vos ad implendum Domini voluntatem. Et, chariſſimi filij, vt meliùs Dei præceptum poſſitis adimplere pro ſalute animarum veſtrarum, videatis, quòd inter vos ſit pax & concordia, & nodus indiſſolubilis charitatis. Fugite inuidiam, [3] quæ principium fuit noſtræ perditionis. Sitis in tribulationibus patientes, & in proſperis humiles, & [4] ſic eritis in omni pugna victores. [5] Imitatores Chriſti eſtote in paupertate, obedientia, & caſtitate. Dominus enim Ieſus Chri-

Chriſtus[6] pauper natus eſt, pauper vixit, paupertatem docuit, & cum paupertate deceſſit. Et vt oſtenderet ſe diligere caſtitatem, de Virgine naſci voluit. [7] Virgines milites Innocentes præmiſit, [8] virginitatem conſuluit, & ſeruauit, [9] inter virgines ex hac vita migrauit. [10] Obedientiam etiam à ſuo ortu tenuit vſque ad mortem crucis. Spes veſtra tantùm ſit in Deo, qui vos diriget & iuuabit. Portetis vobiſcum Regulam, & Breuiarium, vt diuinum Officium perfectiſſimè recitetis, & ſitis maiori veſtro [11] Fratri Vitali omnes obedientes. Filij mei, quamuis de veſtra bona voluntate gaudeam, cor meum tamen pro veſtro receſſu, & ſeparatione à me, ſentit quamdam amaritudinem amoroſam; ſed oportet quòd Dei præceptum præferamus propriæ voluntati. Rogo vos quòd ante oculos veſtros ſemper habeatis Dominicam paſſionem, [12] quæ vos roborabit, & ad patiendum pro ipſo fortiùs animabit.

Philip. 2. v. 8.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXIII.

1. COLLATIO VIGESIMATERTIA.] Obtulerunt hanc Marianus l. 1. c. 16. ad initium, & Marc. 1. p. l. 4. c. 1. Italicę editionis. Vterque habitam ait anno 1219. ad quinque illos fidei pugiles, qui expleto ſecundo Capitulo Generali, diuino inſtinctu miſſi ſunt à B. Frâciſco ad Agarenos in fide illuminandos, & glorioſum paſſi ſunt anno ſequenti apud Marrochios martyrium.

2. ET EGO ETIAM IBO PER ALIAM PARTEM AD INFIDELES.] Ita compleuit opere, quod verbo promiſit; deſtinatis namq; his ad Occidentem, & aliis ad Septemtrionem & Meridiem, ipſe abiit in Orientem. Secum vtique perpendit, quantò facilius & alacriùs ſubditorum tendat ad ardua virtus, modò ſocios habeant in labore Prælatos, & è regione ſubditos duriora abhorrere, ſi ad proprios lares, Superiores euadant mollicelli. Id ipſe expreſſit in prima illa generali miſſione anno 1216. quando ad aliorum robur in Galliam tetendit, & dixit: *Fratres mei chariſſimi, oportet me eſſe exemplar & formam omnium Fratrum. Si ego miſi Fratres meos ad longinquas prouincias ad laborem & verecundiam, famem & ſitim, & quamplurimas alias neceſſitates ſuſtinendas; iuſtum & bonum mihi videtur, (prout humilitas ſancta requirit) vt & ego ſimiliter vadam ad aliquam remotam prouinciam, maxime vt Fratres ſuas neceſſitates & tribulationes magis patienter valeant ſuſti-*

Subditorum calcar eſt exemplũ Prælatorum.

ſuſtinere, cùm me illud idem audierint tolerare. Acer militis ſtimulus, Ducis exemplum. Facta præeuntis, calcaria ſunt ſubſequentis. De Superiorum exemplo vide Regulam Clariſſarum c. 4. & Notas in eamdem num. 21. & 22. & Apophthegma 23.

3. QVÆ PRINCIPIVM FVIT NOSTRÆ PERDITIONIS.] Alludit ad illum locum Sapientiæ: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Præmonuit ergo, vt qui Dei opus, animarum conuerſionem erant ſuſcepturi, ne inuicem inuiderent. Solent quippe eſſe inter Prædicatores vel de maiori populi applauſu, vel de inſigniori eloquentia, vel de vberiori conuerſione peſtis inuidiæ, ita vt dum alij Dei peragunt miniſterium, illi diaboli ſequantur exemplũ; & dum de diuinæ meſſis tabeſcunt augmento, non Dei, ſed diaboli ſe oſtendunt eſſe militiæ. Id ipſa Sapientia docuit diuina: dum enim præmiſit inuidiam à diabolo prouenisse, ſubiunxit: *Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Nónne ex parte illius ſunt, qui dolent per alium ei animas eripi? nónne ex illius dicentur exercitu, qui Sanctorum numero peccatores conuerſos dolent adſcribi? *Ita planè eſt*, inquit Gregorius, *quia dum ſe a liuore minime cuſtodiunt, in antiquam verſuti hoſtis nequitiam demerguntur.* Hos ergo admoneri iubet ſanctus Doctor, *vt perpendant quantæ cæcitatis ſunt, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabeſcunt. Quantæ infelicitatis ſunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt; dumque augmenta alienæ proſperitatis aſpiciunt, apud ſemetipſos anxij afflicti cordis ſui peſte moriuntur? Quid iſtis infelicius, quos dum conſpecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit?*

Sap. 2. v. 24.

Fugienda Prædicatoribus inuidia.

Sap. 2. v. 24.

Greg. in Paſtor. par. 3. admonit. 11

4. SIC ERITIS IN OMNI PVGNA VICTORES.] Magna magni viri cõfidentia. Inermes mittit, & victoriam ſpondet. Quibus armis vincent? quo gladio ſuperabunt? quo tormento bellico expugnabunt? Inuicta patientiâ, religioſâ conſtantiâ, magnâ virtute. *Virtus ac bona voluntas omnibus preſtat, ne vmquam vincantur, quoniam quidem etiam inter ſuperantia animus inuictus eſt. Ideò nemo trecentos Fabios victos dicit, ſed occiſos. Et Regulus captus eſt à Pœnis, non victus: & quiſquis alius ſæuientis fortunæ vi ac pondere oppreſſus, non ſubmittit animum.* Paulò ſuperiùs: *Id accidere viro bono non poteſt, vt vincatur, numquã enim ſuccumbet, numquam renuntiabit, ad vltimum vſque diem vitæ ſtabit paratus, & in hac ſtatione morietur.* Inuictam viri iuſti conſcientiam non flectunt proſpera, non frangunt aduerſa.

Viri iuſti inuicta conſtantia.

Seneca l. 5. de Benef. c. 3.

5. IMITATORES CHRISTI ESTOTE IN PAVPERTATE, OBEDIENTIA, ET CASTITATE.] An Chriſtus vitæ religioſæ exemplum aut normam tradiderit, vel hęc tria Religionum vota obſeruauerit aut emiſerit, vide Franciſcum Suarez Tom. 2. in 3. p. q. 40. diſput. 28. ſect. 2.

6. PAVPER NATVS EST, PAVPER VIXIT, &c.] Hanc Chriſti paupertatem in natiuitate, vita, & morte inculcauit etiam in Oratione pro Obtinenda paupertate l. 1. & Chriſti paupertatem imitandam propoſuit in Regula 1. c. 9. in 2. c. 6. in 3. c. 8. & in Collat. 5. ad princ.

7. VIRGINES MILITES INNOCEN-

TES PRÆMISIT.] Feram illam infantum trucidationem ſub Herode Rege intelligit, qui tamquam primitiæ Chriſto & Agno empti ſunt de terra, & quorum illud præcipuum in Apocal. elogium; quòd *cum mulieribus non ſunt coinquinati*; & quia *virgines ſunt, ſequuntur Agnum*. Sequuntur in gloria, præceſſerunt in morte. Milites vocat Franciſcus, quia in tenera ætate perſecutoris ſuperarunt tyrannidem, & in infantilibus membris ad mortem vſque pro ſuo Duce certarunt. O verè milites, qui in ipſo ortu milites euadunt! Dixit Tertullianus, quòd *fiunt, & non naſcũtur Chriſtiani*; illa horum Innocentum felicitas, quòd non fiunt exercitio Chriſti pugiles, ſed euadunt repentè in natiuitate triumphatores.

Apoc. 14. v. 4.

Tertull. l. de Baptiſ. c. 9. Tom. 3.

Quodnã primum in lege Euangelica de virginitate conſilium.

8. VIRGINITATEM CONSVLVIT, &c.] Primum de virginitate in lege gratiæ conſilium referunt quidam ad Apoſtolum Paulum in Epiſt. 1. ad Corinth. c. 7. vbi dixit: *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Et iterùm: *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Et quando vel vbi Chriſtus virtutem hanc conſuluerit, videntur ſubdubitare. Et certè D. Thom 2. 2. q. 152 art. 2. arg. Sed contra, & art. 4. in corpore cùm vellet probare virginitatem rectè cadere ſub conſilio, id oſtendit ſolùm ex citatis Pauli verbis. At Chriſtum etiam conſuluiſſe in Euangelio virginitatem Matth. 19. illo loco: *Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt: ſunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt; & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter Regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.* volunt (quantumcumque obganniat Petrus Martyr in lib. de Cælibatu & votis) Cyprianus lib. de Hab. virg. Hilarius, Chryſoſtomus, Beda, & Anſel. in hunc locum, Hieron. l. 1. cont. Iouin. longè à princ. & Auguſt. de Sancta virgin. c. 24. probatque latè Bellar. l. 2. de Monachis, c. 9. & 23. Et licet virtutem hanc ſolus conſuluiſſet Paulus, adhuc non impropriè loqueretur Franciſcus dicendo, Chriſtũ conſuluiſſe virginitatẽ. Neceſſe namque eſt (vt rectè inquit Hieron. citatus propiùs ad princip.) quòd *quidquid Doctor Gentium & Magiſter Eccleſiæ ſtatuerit hîc, Chriſti in eo loquentis legem putemus.* Vbi per *legem* non præceptum, ſed Legiſlatoris vtilem diſpoſitionem, & ſalutare conſilium intellexit. Hoc autem argumento, quo Franciſcus vtitur in virginitatis commendationem, videlicet quòd Chriſtus Matrem virginẽ elegerit, & quòd ipſe virginitatem ſeruarit, vtitur etiam D. Hieron. citatus, & ex eo D. Thom. poſteriori loco citatus.

9. INTER VIRGINES EX HAC VITA MIGRAVIT, &c.] Mariam intelligit matrem, & Ioannem diſcipulum: de quibus ait ipſe Ioannes, quod *ſtabant iuxta crucem Ieſu*; & ex ipſa cruce Ioanni adſtanti Chriſtus matrem virginem virgini commendauit. Confirmat autem hic locus pictorum conſuetudinem, qui medium Chriſtum crucifixum ſtatuunt, hinc inde verò Mariam & Ioannem, contra quorumdam inanem opinionem dicentium, vtrumque à leua ſtetiſſe, ex illo Pſalmi, *Conſiderabam*

Ioan. 19 v. 25.

Pſal. 141. v. 5.

ad

ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſceret me. Sed longè aliter hunc locum explicant ſacri & periti Interpretes.

10. OBEDIENTIAM ETIAM A SVO ORTV TENVIT VSQVE AD MORTEM CRVCIS.] Prioribus annis infantiæ & adoleſcentiæ Chriſtus ſubditus fuit parentibus. An
Lucæ 2. v.15. verò aliam veram & formalem compleuerit obedientiam, aut verum & proprium ei Pater impoſuerit præceptum, ad quod teneretur vitæ ſuę actus & mortis obeundæ genus regulare, vide Franciſc. Suarez To. 1. in 3. p. q. 20. diſp. 43. ſect. 3. Mihi verius, proprium habuiſſe præceptum, & non tantum inſinuationem diuinæ voluntatis, vt quidam volunt; & ita propriè intelligi, præter alia Scripturæ verba,
Ioan. 10. v.18. illa ipſius Chriſti, *Mandatum accepi à Patre*; & Pauli, *Factus obe-*
Philip. 2. v.8. *diens vſque ad mortem*: ad quæ alluſiſſe videtur noſter hic Auctor. Vide Bernard. Senenſ. Tom. 3. Ser. 1. de Obed. art. 2. cap. 2.

11. FRATRI VITALI.] Virum hunc (quem omni ſanctitate & diſcretione pręcipuum vocat Ioannes Teſerandus in horum Martyrum Vita, quam tranſcripſit Surius Tom. 1. ad 14. Ianuarij) præfecit ſanctus Pater in Prælatum huius paruuli ſed ſancti gregis. At morbo correptus in Regno Aragoniæ, qui eouſque fuit Prælatus in itinere, non potuit eſſe ſocius in martyrio.

12. QVÆ VOS ROBORABIT, ET AD PATIENDVM PRO IPSO FORTIVS
Bona armatura, Chriſti paſſio. ANIMABIT.] Egregia in conflictu armatura, memoria paſſionis Dominicæ; ſtrenuos faciunt agonothetas memorata Chriſti tormenta, omnes carnificum ictus in hoc ſcuto obtunduntur. At peregrina eſſe, mihi quiſquam reſpondebit, hæc arma, nec ferro poſſe reſiſtere, aut vulnus auertere. Quis etenim vnquam vidit hominē cogitatione armatum? quis mentis conceptu vidit corporis membra defendi? Verumtamen non alias loricas, galeas, aut caſſides, non alia contra omnes incurſus & vulnera nobis obtulit armamenta Petrus Apoſtolus. *Chriſto*, inquit, *in carne paſſo,* 1. Pet. 4.
& vos eadem cogitatione armemini. v.1.
Armemini, inquit, qui Chriſtum pro ſe paſſum cogitanti nihil euenire poteſt moleſtum, nihil quod videatur durū, nihil quod reputetur aduerſum. Materia gaudij eſt, plura pati in corpore, modò vna ſit Chriſti paſſio in mente. Proptereà ſubiunxit idem Apoſtolus: *Com-* 1 Pet. 4.
municantes Chriſti paſſionibus, gau- v.7.
dete. Nihil eſt etenim, quod dolorem incutiat, ſi ſpectetur Chriſti paſſio. *Omnia namque tormenta Chriſtus*, vt habet Gloſſa interlinearis, *degluttiuit*; omnes in corpore ſuo ſanctificauit, Deificauit paſſiones. Ideò tot genera pœnarum pertulit, vt nulla ſuos cruciaret. *Tormenta*, inquit Damaſcenus, Damaſc.
non eſt cur timeas poſt Chriſtum paſ- l. 3. de
ſum, omnia aſſumpſit vt ſanctitatem Fid. c. 20.
omnibus afferret. Benè Caietanus: *Tot paſſionum genera pertulit Chriſtus, vt omnes illas Deificaret, &* Caiet. in 3. p. q. 46.
hominibus expetendas redderet. Probè ergo hac armatura hos ſuos milites art. 8.
cinxit Franciſcus, benè dixit Chriſti paſſione roborandos, & ad patiendum pro ipſo fortiùs animandos. Ita certè hæc arma hos Chriſti pugiles ſtrenuos reddiderunt, ita animos addiderunt, vt vltrò

trò ſe tormentis obiecerint, & à paſſione repulſi, ad paſſionem redierint, atque hoſtes tormenta negantes, ad torméta inferenda concitarint. Diuina Ducis virtus ſub ſacrorum militum pectore efferbuit, & ad fugientia inſequenda tormenta compulerat, vt inſequentibus tormentis erga Ducem fides eniteat. Præclarè Seneca:

Seneca l.de Prouid.c.4.

Auida eſt periculi virtus, & quò tendat, non quid paſſura ſit, cogitat; quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt. Militares viri gloriantur vulneribus, læti fluentem meliori caſu ſanguinem oſtentant. Idem licet fecerint qui integri reuertuntur ex acie, magis ſpectatur qui ſaucius redit. Ipſis, inquam, Deus conſulit, quos eſſe quàm honeſtiſſimos cupit, quoties illis offert materiam aliquid animosè fortiterque faciendi: ad quam rem opus eſt aliqua rerum difficultate. Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas. In hac acie horum figunt cutem & carnem vngulæ; & quocumque tormentis fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit; hodierno vulnere heſternum recrudeſcit, & tamen in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina ad Chriſtum, ſuos in agone ſpectantem. Hoc teſte quanto plus tormenti, tantò fuit illis & gloriæ.

[1] COLLATIO VIGESIMAQVARTA.

De meditanda aſſiduè Chriſti paſſione.

[2] SEMPER ante oculos habete, Fratres chariſſimi, viam humilitatis, & paupertatis ſanctæ Crucis, per quam nos minauit Saluator noſter Ieſus Chriſtus; conſiderantes quòd ſi ipſius diuinam Maieſtatem oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam, quòd multò magis oportebit nos peccatores adeò enormes per viam crucis & paſſionis incedere. Et certè ſi ad tollendam crucem ſuam quilibet obligatur Chriſtianus, potiori iure ad hoc tenemur nos, qui Crucis vexillum ſequi profitemur: quam non ſolùm vult Dominus vt nos ipſi tollamus,[3] verùm & alios incitemus noſtro exemplo & doctrina ad eamdem tollendam, & nobiſcum trahamus, vt ſimul cum ipſis Chriſtum Ducem noſtrum ſequamur, præſertim cùm bona voluntas & deſiderium imitandi paſſionem noſtri Saluatoris ſit peculiare donum, quod concedit Spiritus ſanctus animę, quæ verè Deum amat, & eidem inſeruit. Quia anima, quæ propriis ſolùm inhæret

Lucæ 24. v.26.

hæret affectionibus, & ſe tantùm diligit, non amat, imò abhorret hanc Spiritus ſancti doctrinam; nec ad perfectionem conſequendam neceſſarium putat participem fieri Chriſti paſſionis. Imò maiorem ſibi promittens profectum per alias vias, quæ verę viæ non ſunt, ſed occulta pręcipitia, & fugiens à felle tribulationis per cogitationes varias, humanas & voluntarias, infixum & obcæcatum habet cor ſuum in propriis affectibus, aſſeuerans quòd in huiuſmodi libertate vitæ meliùs poterit inſeruire Deo. Nec aliquantulum curat de innumeris delectationibus, quas interiùs recipit anima, quæ tota abſorpta eſt in hac contemplatione & compaſſione Domini ſui; neque enim hæc perfectè guſtantur, niſi perpeſſa aliqua tribulatione pro Chriſto. Sed anima deſęcata, & exſpoliata propriis affectibus, ſe à Spiritu ſancto duci humiliter permittit, & vt ad ſuum beneplacitum in eadem operetur tamquam optimus Magiſter ſingularis doctrinæ, quam Dominus ſcriptam reliquit in libris ſuæ humilitatis, patientię, & paſſionis, quæ ſecuræ ſunt vię ad perfectionem Chriſtianam. Vnde illa anima, quæ purificari obtinuit à Deo, vehementer cupit transformari in illos dolores, comparans omnes alias vias & conſolationes cibis mortalibus qui pereunt, & hanc vnicam ſalutari pharmaco, cuius guſtus acerbus, ſed fructus ſuauiſſimus; quod in guſtu amarum eſt, ſed in operatione dulciſſimum. Quare poſtponens guſtum ſanitati, probat quàm admirabilis ſit dulcedo vitæ permanentis, quę deſpicit conſolationem momentaneam & mortalem, & planè probat in nulla alia re perfectiùs requieſcere amorem ſuum, quàm in compaſſione charitatiua Chriſti: & quòd [4] quantò magis illa transformatur in Chriſtum crucifixum, eò magis transformatur in Deum excelſum & glorioſum. Non enim ſeparatur humanitas à diuini-

Ioan. 17. v. 24. tate; & ipſe Chriſtus Patrem rogauit, dicens: Volo vt
vbi ego ſum, & mei ſint. Atque ita anima contemplatur
vtrumque Domini ſtatum, ad hoc vt numquam ſepare-
tur ab illo. Nam ſi fugiat in paſſione, ab illo ſeparabitur
Rom. 8. v. 17. in gloria, iuxta Pauli Apoſtoli verba: Si tamen compati-
mur, vt & conglorificemur. Contemplatur ergo anima
Chriſtum mortalem & immortalem; & horum ſtatuum
alter eſt eorum qui adhuc currunt, alter eorum qui iam
1. Cor. 9. v. 24. acceperunt brauium. Vnde ſicut non datur pallium niſi
currentibus, ita non datur cælum niſi tollentibus cru-
Lucæ 6. v. 20. cem; quia non debet eſſe ſeruus potior Domino, nec di-
ſcipulus ſuper Magiſtrū. Proinde videmus Deum com-
municare gratiam ſuam ijs, qui hoc modo eum ſequun-
tur; & è contrario auferre eam ab illis præſumptuoſis,
qui per alias chimæras dicunt ſe velle ei vniri, nec tamen
à ſemetipſis vmquam recedunt, verùm tandem miſere
abeunt in præcipitium.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXIV.

1. COLLATIO VIGESIMA QVARTA.] Habet hanc Marc. 1. p. l. 1. cap. 87. quam ab Vbertino de Caſſali ſe accepiſſe inſinuat in margine. Ego Latinam reddidi.

2 SEMPER ANTE OCVLOS HABETE, &c.] Nihil adeo iugiter Fratribus commēdabat, quàm iugem Crucis & paſſionis Chriſti memoriam. Nec immeritò: nam *nihil tam ſaluiferum eſt, quàm quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus & homo.* Omnes enim paſſiones vna Chriſti paſſio meditata reformat, omnes flammas vitiorum extinguit, & ignem deuotionis in ſuo ſinu conſeruat, qui quanta fuerit vis amoris Chriſti patientis expendit. *Semper ergo*, inquit Bonauentura ad religioſam ſororem, *oculis cordis ſui Chriſtum in cruce tanquam morientem videat, qui deuotionem in ſe vult conſeruare inextinguibilem. Propter hoc Dominus dicit in Leuitico: Ignis in altari meo ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos ſubiiciens ligna per ſingulos dies. Audi ſoror deuotiſſima. Altare Dei eſt cor tuum, in hoc Altari debet ſemper ardere ignis feruidæ deuotionis, quem ſingulis diebus debes nutrire per ligna Crucis Chriſti, & memoriam paſſionis ipſius. Et hoc eſt quod dicit Iſaias Propheta: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Ac ſi diceret: Quicumque deſiderat aquas gratiarum, aquas deuotionis, aquas lacrymarum, ille hauriat de fontibus Saluatoris, id eſt, de vulneribus Ieſu Chriſti. Accede ergo*

Margin notes: *Salutaris paſſionis Chriſti meditatio.* Auct. Serm. 32. ad Fratr. in eremo. Bonau. l. de Perfect. vitæ, cap. 6. in princ. Leuit. 6. v. 12. Iſa. 12. v. 3.

ergo tu pedibus affectionum tuarum ad Ieſum vulneratum, ad Ieſum ſpinis coronatum, ad Ieſum patibulo
Ioan. 20. *crucis affixum, & cum beato Thoma Apoſtolo non ſolum intuere in manibus eius fixuras clauorum; non mitte manum in latus eius, ſed totaliter per oſtium lateris eius ingredere vſque ad cor ipſius Ieſu, ibiq́ te ardentiſſimo amore crucifixi in Chriſtum transformata, clauis diuini amoris affixa, lancea præcordialis dilectionis transfixa, intimæ compaſſionis transuerberata, nihil aliud quæras, nihil aliud deſideres, in nullo alio velis conſolari, quàm vt Chriſto tu poſſis commori in Cruce. Et tunc cum Apoſtolo exclames, dicens:* Gal. 2. v. 19. *Chriſto confixus ſum Cruci. Viuo iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Bonus meditationis fructus: neſcit homo in homine viuere, viuit in homine Deus, & totus tranſit meditator in Deum. Vide Aug. in Pſal. 37. ad illa verba, *Amici mei, & proximi mei aduerſum me* &c.

3 VERVM ET ALIOS INCITEMVS NOSTRO EXEMPLO ET DOCTRINA, &c.] Parum putat vir ſanctus crucem Chriſti ferre, & eius communicare paſſionum, niſi et hoc alios excitemus exemplo, inuitemus & verbo. Ad hunc ſenſum explicat Gregorius illa Iobi verba: *Terra ne operias ſanguinem meum, nec inueniat in te latendi locum clamor meus.* Terra homo eſt, cui *peccanti dictum eſt, Terra es, & in terram ibis. Quæ ſcilicet terra Redemptoris noſtri ſanguinem non abſcōdit, quia vnuſquiſque peccator redemptionis ſuæ pretium ſumens, confitetur ac laudat, & quibus valet, proximis innoteſcit. Et nec inueniat, inquit, latendi locum clamor meus. Ipſe ſanguis redemptionis, cui communicamus, clamor noſtri Redemptoris eſt. Vnde etiam Paulus dicit: Et ſanguinis aſperſionem melius loquentem, quàm Abel.* Heb. 12. v. 24. *De ſanguine Abel dictum fuerat, Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Gen. 4. v. 16. *Sed ſanguis Ieſu melius loquitur quàm Abel: quia ſanguis Abel mortem fratricidæ fratris petiit, ſanguis autem Domini vitam perſecutoribus impetrauit. Vt ergo in nobis ſacramentum Dominicæ paſſionis non ſit otioſum, debemus imitari quod ſumimus, & prædicare ceteris quod veneramur. Locum enim latendi clamor eius in nobis inuenit, ſi hoc quod mens credidit, lingua tacet. Sed ne in nobis clamor eius lateat, reſtat vt vnuſquiſque iuxta modulum ſuum, viuificationis ſuæ myſterium proximis innoteſcat.*

Inculcanda aliis memoria Dominicæ paſſionis.

Iob 16. v. 19.

Greg. l. 13 Mor. c. 8.

Geneſ. 3. v. 19.

4 QVANTO MAGIS ILLA TRANSFORMATVR IN CHRISTVM CRVCIFIXVM, EO MAGIS TRANSFORMATVR IN DEVM EXCELSVM ET GLORIOSVM.] Myſticam hanc Theologiam egregie confirmat alia de eodem argumento apud diuum Bonauenturam exhortatio, vbi ad amoris cum Deo vnionem aſpirantibus cogitationem de Dominica paſſione dicit eſſe neceſſariam. Et ſtatim ſubiungit: *Vnde cogitatio de carne eſt ad ingrediendum ad diuinitatem amoris intimi: latitantis ianua: & in ſignum huius, latus ſuum ſacratiſſimum ferro lanceæ aperiri voluit, vt non niſi per plagam mens proficientis in diuinitatis intimis reduceretur, quia cogitatio de paſſione, & reflexio in eadem dignitati animæ non ſufficit ſed [illegible] ille, qui carnis velamine ſeipſum ab humanis aſpectibus*

Ad perfectam in Deum transformationem quid neceſſaria.

Bonau. de Myſtica Theolog. c. 3. part. c. 3. poſt med.

bus abſcondebat. Ideò diuinus Apoſtolus admonet, omnem animam ſuper ſe conſurgere aſpirantem. Chriſto, inquit, ſemel in carne paſſo, & vos eadem cogitatione armamini, quia iam multum diuinitati beatiſſimæ appropinquat, qui humanitati ſi vnitate per compaſſionem imitatricem paſſionis pertractando tam pretioſa vulnera interiùs conformatur, quod tunc ſine aliquo retinaculo cogitationum de carnis paſſione poterit dimittere, quia iam finem in parte aſſecutus, ſolùm in ipſo intimiùs deſiderat radicari, pro cuius obtentu de plagis oſtiariis cogitabat illud exercitij principium ſpeciale.

1. Pet. 4. v. 1.

5. SICVT NON DATVR PALLIVM NISI CVRRENTIBVS.] Imitatur locum illum Pauli 1. Cor. 9. *Neſcitis quoniam hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium.* Vterque autem alludit ad illud genus ſpectaculi apud antiquos celebre, quod ſolo curſu exercetur, & à ſtatione vel à ſtando *ſtadium* peculiari nomine dicitur. Ab Hercule ferunt D. Thomas in præfatum Pauli locum, Gellius l. 1. c. 1. Pamel. in Adnot. ad Tertull. l. de Spectaculis n. 112. & alij, duxiſſe principium, eò quòd perlongo ſpatio vno ſpiritu confecto conſtitiſſet iuxta Iouem Olympicum in ciuitate Piſarum, ibique omnium primum ſtadiũ dictum. Deinde Domitianus Romæ aliud *ſtadium* extruxit, in quo præcurrentes Iulius Firmicus l. 1. & Plinius libro 34. *ſtadiodromos* dixerunt. Ceterùm adhuc ſublatis aliis gentilitiis ſpectaculis, & ſæcularibus antiquorum Romanorum ludis (de quibus videri poſſunt Tertullianus & Cyprianus l. de Spectaculis, Iſidor. l. 18. Etymolog. c. 27. & Caſſiodor. l. 3. Variarum) ſtadium conſeruatum eſt apud Chriſtianos, & in ipſa vrbe, in qua omnis ætatis nudi curſores ſtatutum habent præmium, quod Pallium vocant, quia aliquot vlnas purpurei vel alterius coloris panni reportat, qui inſequentibus præcurrit; ita vt verum adhuc ſit quod Paulus dixit, quòd *omnes quidem currunt, vnus autem accipit brauium.* Propterea forſitan retentum inter Chriſtianos hoc ſpectaculi genus, vt piè conſiderauit Pamelius citatus num. 1. vt iuxta Apoſtolicum conſilium exemplo horum curſorum fideles ſic currerent, vt comprehenderent, & meminiſſent, quòd niſi legitimè certauerint, coronari non poterunt. Ceterùm hi ludi diſtincti ſunt à Lupercalibus, vel à Lupercis ſpectaculis: licet enim in vtriſq; nudi currebant homines, tamen in Lupercalibus ſoli iuuenes diſcurrebant: & exhibebantur primùm hi ludi in honorem Panis, qui & Lupercus dictus, ab Arcadibus; deinde à Romanis in honorem Lupæ Romuli matris: ſtadium autem obſeruabatur in Herculis memoriam, & ad agitanda curſorum membra, vel ad aſtantis populi ſpectaculum.

Stadij ſpectaculum vnde exortum.

COL-

[1] COLLATIO VIGESIMAQVINTA.

Quare, poſtquam Generalis officium depoſuit, tolerauerit Fratrum defectus.

QVIDAM ex vobis, Fratres, admirantur, & me interrogant, quare non corrigo defectus qui in Ordine fiunt. Quibus indulgeat Dominus, quoniam mihi contrarij ſunt & aduerſarij, & me implicare volunt in his quæ non pertinent ad officium meum. [2] Quouſque enim habui Prælationis officium ſuper Fratres, & ipſi permanſerunt in vocatione & profeſſione ſua, licet à principio meæ conuerſionis ſemper [3] infirmus fuerim, cum parua mea ſollicitudine [4] ſatisfaciebam eis exemplis & prædicationibus. Sed poſtquam conſideraui, quòd Dominus multiplicauit numerũ Fratrum, & ipſi [5] propter tepiditatem & inopiam ſpiritus incipiebant declinare à via recta & ſecura, per quam conſueuerant ambulare, & per ampliorem viam, quæ ducit ad mortem, incedentes, [6] non attendebant vocationem & profeſſionem ſuam, & bonum exemplum, nec volebant dimittere iter periculoſum & mortiferum, quod ceperant propter prædicationem & admonitionem meam, & exemplum meum, quod illis continuè oſtendebam; ideò recommendaui Ordinis prælationem & regimen Domino & Miniſtris. Vnde licet tempore quo [7] renunciaui officio Fratrum, excuſarem me coram Fratribus in Capitulo Generali, quòd propter infirmitates meas curam de ipſis habere non poteram; tamen ſi ſecundùm voluntatem meam Fratres [8] vellent ambulare nunc, propter ipſorum conſolationem & vtilitatem nollem quòd alium Miniſtrum haberent niſi me vſque ad diem mortis meæ. Si enim bonus & fidelis ſubditus voluntatem Prælati ſui cognoſcit & obſeruat, paruam ſollicitudinem

Matth. 7. v. 13.

nem oportet Prælatum habere de ipſo. [9] Imò tantùm gauderem de bonitate Fratrum propter lucrum ipſorum & meum: quòd ſi iacerem in lecto infirmus, non me pigeret ſatisfacere eis: [10] quia officium meum, id eſt prælationis, eſt ſpirituale tantùm, videlicet dominari vitiis, & ipſa ſpiritualiter corrigere & emendare. Poſtquam autem ipſa emendare & corrigere prædicatione, admonitione, & exemplo non poſſum, nolo carnifex fieri ad puniendum & flagellandum, ſicut Poteſtates huius ſæculi. [11] Sed confido in Domino quòd adhuc inimici inuiſibiles, qui ſunt [12] caſtaldi Domini ad puniendum in hoc ſæculo & in futuro eos qui tranſgrediuntur mandata Dei, ſument de ipſis vindictam; facientes illos corrigi ab hominibus huius ſæculi in opprobrium, & verecundiam ipſorum; & reuertentur ad profeſſionem & vocationem ſuam. Verumtamen vſque ad diem mortis meæ non ceſſabo exemplo & operatione docere Fratres ambulare per viam, quam mihi Dominus oſtendit, quam & ego iam docui & oſtendi eis verbo & exemplo, [13] vt ſint inexcuſabiles coram Domino; & ego non teneor de ipſis vlteriùs coram Domino reddere rationem.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXV.

1. COLLATIO VIGESIMA QVINTA.] Obſeruarunt hanc Thomas Celanus in Legen. antiq. Piſan. l. 1. Confor. 12. par. 2. paululum poſt princip. Marian. lib. 1. c. 28. Marc. l. 2. cap. 32. poſt med. Vbert. l. 5. c. 3. ante med. & varias eius ſententias refert Aluar. Pelag. l. 2. c. 71. Eam habuiſſe referunt in ædibus Epiſcopi Aſſiſiatis in vltima infirmitate ad circumſtantes Fratres, dum à quodam interrogaretur, quomodo ſui Ordinis curam ablegauerit. Variant tamen plurimum in lectione, quod ego ſubiectis Notulis iam admoneo.

2. QVOVSQVE ENIM HABVI PRÆLATIONIS OFFICIVM SVPER FRATRES.] Vbertinus ita legit: *Vſquequo habui officium Fratrum.*

3. INFIRMVS FVERIM.] Marian. habet: *Infirmicius fuerim.*

4. SATISFACIEBAM EIS EXEMPLIS, ET PRÆDICATIONIBVS.] Inſinuat locus hic, frequentes habuiſſe ſanctum Patrem ad ſuos filios exhorta-

hortationes: quod & inferiùs inculcat iſtis verbis, *propter prædicationem & admonitionem meam*; & iterùm, *emendare & corrigere prædicatione, admonitione, & exemplo non poſſum.* quod & ego ſuperiùs præmonui ad initium harum Collationum.

5. PROPTER TEPIDITATEM.] Vbertinus minùs rectè legit, *propter cupiditatem*, & totam hanc periodum ſatis corruptam habet.

6. NON ATTENDEBANT VOCATIONEM ET PROFESSIONEM SVAM.] Heu, quàm prona ad malum noſtra natura, quàm facilè bonum faſtidit, & quàm ſuo pondere de virtute ad vitia declinat! Non adeò admirentur homines, nec indiſcreto furore commoueantur Prælati, ſi quoſquam modò viderint Religioſos à ſua profeſſione aliquantulum deflectere, vel priſtinum ſui Inſtituti non obſeruare rigorem. Non eſt fermè Religio vlla, quæ vel in ipſo limine non haberet qui impingerent; nec fuit vllum tam ſanctum Inſtitutum, quod non etiam in feruenti ortu de quorumdam ſectatorum tepiditate doleret. Adfuit ſuis perpaucis collegis Chriſtus verbo, exemplo, & obſeruanda præſentia; tamen in conſpectu tanti Solis fuit qui cæcutiret, fuit qui de ſua fragilitate præmonitus Magiſtrum negaret, fuit qui traderet; nec fuit qui traditum non relinqueret, non fuit qui in comprehenſione non fugeret. Ecce tibi etiam hos Franciſci diſcipulos, viuo adhuc, ſuperſtite, coràm poſito tam ſancto Magiſtro, à ſua profeſſione deflexiſſe, vel in ſancta ſocietate tepuiſſe; nec potuiſſe ſanctum virum verbo, opere, exemplo, nec quino illo hiantium vulnerum ore omnes ad ſuæ diſciplinæ formare rigorem. Habent hoc homines, vt interiori auxilio aliquando excitati aſpirent ad ſancta; ſed dum inter ſanctos degunt, dum duram eorum vitam exercent, dum labores ſanctorum ſubire coguntur, ſtatim tepeſcunt, & paulatim à ſuſcepto Inſtituto declinant. Multi ſunt, qui feruidè ad perfectionem aſpirant; ſed pauci ſunt, qui perfectioni perſeueranter adhærent: accedunt ad viam ſalutis, ſed facilè, prô dolor! declinant ad viam perditionis. Anguſta eſt illa, lata eſt hæc; proinde per illam pauci ambulant, per hanc multi tripudiant. Mole carnis circumdati, quæ carnis ſunt, quidam exequuntur; & dum ad Spiritus ſancti motionem ſpiritualia apprehendunt, in ipſa apprehenſione aliquando deficiunt. Ingrediuntur Religiones, ſed in Religionibus caro, quæ carnis ſunt, concupiſcit; amplectuntur bona, ſed ad mala reuertuntur; oſtendit eis Deus viam bonam per quam ambulent, & in ipſam intrant, ſed quot ſunt quorum intraſſe pœniteat? *Et quem non pœniteat, quantũ ad carnem, intraſſe in eam? Et ne mireris quia dixi, quem non pœniteat intraſſe per eam? audi Prophetam dicentem: Mei autem panè moti ſunt pedes, panè effuſi ſunt greſſus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Ideò videntes homines hanc tribulatam & anguſtam viam, multi recedunt ab ea. Et quidam ab initio nec accedunt ad eam, nec volunt eam videre. Quidam autem concupiſcentes volunt eam videre, & accedunt ad eam; ſed dum conſiderant anguſtias & labores eius, recedunt ab ea. Alij autem audaciores,*

Facilè homines in via perfectionis tepeſcunt.

Mat. 26. v. 56.

3. Reg. 8. v. 36.

Auctor Imperfecti, Homil. 18. in Matth. in fine.

Pſal. 72. v. 3.

res,& intrant in eam, ſed poſteà dum non ſuſtinēt labores & anguſtias eius, iterùm reuerſi egrediuntur de ea.

7 RENVNTIAVI OFFICIO FRATRVM.] Renuntiationem hanc factam refert Marianus anno 1220 in Capitulo Generali, & ſancto viro ſubſtitutum fratrem Petrum Çathaneum, ſecundum eius ſocium. Cauſam autem eamdem aſſignat, quam ipſe Franciſcus hîc expreſſit, nimiam videlicet infirmi corporis debilitatem. Attamen nec hanc ſuffeciſſe fatetur vir ſanctus, dummodò ad Regulæ & ſancti Inſtituti formam ſe vellent Fratres componere, & ſalutaribus monitis obedire. Similiter inobedientum & turbulentorum Fratrum curam magnus ille Monachorū Pater Benedictus abiecit. An verò rectè id fecerit, & *deſerere Fratres debuit, quos ſemel ſuſcepit*, interrogat Petrus Diaconus: & quæſito reſpondet Gregorius: *Ibi adunati æquanimiter portandi ſunt mali, vbi inueniuntur aliqui qui adiuuentur boni. Nam vbi omnimodò de bonis fructus deeſt, ſit aliquando de malis labor vacuus; maximè ſi è vicino cauſæ ſuppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque ſanctus propter quem cuſtodiendum ſtaret, qui omnes vnanimiter ſe perſequentes cerneret? Et ſæpè agitur in animo perfectorum quod ſilentio prætereundum non eſt: quia cùm laborem ſuum ſine fructu eſſe conſiderant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant.* At D. Franciſcus etſi tepidiores habuerit multos, non tamen omnes habuit malos; imò pleroſque bonos ac ſanctos, quorum feruore excitari potuit aliorū tepiditas. Non proinde ob horum remiſſiorem vitam Prælaturam vir ſanctus depoſuit, quam Innocentius Tertius perpetuam iniunxit; ſed quia, vt in Capitulo ſe dixiſſe hîc refert, *propter infirmitates ſuas curam de ipſis habere non poterat*, nec languēte corpore valuit, prout voluit, bonorum vitam ſuo fouere exemplo, nec ex ſuperabundanti pietate placuit malorum defectus acriori coërcere ſupplicio. Debere autem & licere, *languente paſtore, ne grex inſidiatoris laniandis dentibus exponatur*, alium ſubrogare coadiutorem, vel ſucceſſorem, docet idem Gregorius in Regiſtro in Epiſt. ad Eleutherium, imò & ad preces infirmi Ariminenſis Epiſcopi alium iuſſit in eius locum aſſumi. De quo vide Ius Canonicū 7.q.1.c. Qualiter ordinati, & c. Quamuis ſit triſte. Sed quantumcumque Franciſcus voluit omnino Præfecturam abdicare, numquam permiſſum eſt in Ordine, vt dictus Cathaneus, vel Fr. Elias, qui viuentis vices ſuppleuerāt, dicerentur abſolutè Miniſtri Generales, ſed dumtaxat Vicarij, licet ipſe vir ſanctus Cathaneum Miniſtrum vocauerit in Inſcriptione Epiſtolæ octauæ, velut ex Piſano tranſcripſi.

Marian. l.1.c18. §.1.

Quare & an licitè Franciſcus renuntiauerit Generalatus officio.

Greg.l.2. Dial. c.3. & hab.7. q.1. Ibi adunati.

8. VELLENT AMBVLARE.] Vbert. legit: *Ambulaſſent, & ambularent.*

9. IMO TANTVM GAVDEREM, &c.] Totam hanc periodum ſatis mendoſam & corruptam habet Vbertinus.

10. QVIA OFFICIVM MEVM, &c.] Aluarus ita locum hunc tranſcripſit: *Officium meum eſt ſpirituale, videlicet ſuper Fratres; quia debeo emendare vitia, & eis dominari. vnde ſi vitiis Fratrum dominari & ea emendare non valeo prædicatione,*

verbo,

verbo, & exemplo, nolo carnifex fieri ad percutiendum & flagellandum,&c.

11. SED CONFIDO IN DOMINO,&c.] Solus Piſanus periodum hanc omiſit.

12. CASTALDI DOMINI.] Aluarus habet minùs rectè *caſcaldi*. Per caſtaldos autem gubernatores vel exactores ſignificari docet in ſuo Lexico P. Prateius ex Zaſ. De feud. degeneran. Itaque, inquit, erat Caſtaldio non abſimilis procuratori & actori poſſeſſionum domini, cuius fit mentio in L. vlt. C. Quod cum eo qui in aliena pot. At Aluarotus & Gloſſa iudicant, caſtaldum fuiſſe quaſi Oeconomum, cui res dominica gubernanda committebatur, inſtar Oeconomi Eccleſiaſtici. Arg. L. Iubemus nulli. C. De ſacroſ. Eccleſ. Idemq; ſignificare videtur in Leg. Lombard. l. 1. De acquir. act. re. Gloſ. in c. vnic. §. Si verò, De feud. guard. in vſib. feud. quam etiam interpretationem probat Iacobus Beluiſius ibidem; nec improbat eos, qui procuratores hoc nomine ſignificari cõtendunt. Senſit ergo hoc verbo Franciſcus, dæmones Dei eſſe veluti lictores & actores, qui debitas culpis exigant à peccatoribus pœnas, vel eaſdem tamquam Dei procuratores iuſtiſſimè infligant.

Quid ſignificet caſtaldus

13. VT SINT INEXCVSABILES CORAM DOMINO.] Excuſationem habent in omiſſionibus, qui omnino & inculpabiliter ignorant quæ agenda ſunt; quod & ipſe innuit Saluator, dum de Iſraëlitis dixit: *Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, peccatum non haberent*, incredulitatis videlicet, vt exponit Auguſt. tract. 29. in Ioan. Sed qui facienda cognoſcunt, nec tamen faciunt, quam excuſationem habebunt? Euangelica eſt & Chriſti ſententia: *Seruus qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit ſe, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis*. Non diſſimilis eſt Apoſtoli Iacobi doctrina: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum illi eſt*. quem locum per accommodam ſimilitudinem declarat Bernardus. *Sumenti*, inquit, *cibum, & non digerenti, pernicioſum eſt eis. Nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus conuerſus in prauos noxioſque humores? Et vide ne fortè in perſona talis animæ Propheta plangeret, dicens: Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo*. Tumet venter, inflatur anima ſcientiâ ventoſâ & inani, ſed cruciat & affligit animam in mortis articulo, vel in Dei iudicio, cùm non inueniatur tergiuerſandi modus, nec excuſationis adſit euaſio. Ipſa ſcientia cauſat in homine dolorem, quæ anteà præbebat animæ ducatum. Quæ tunc faciendi viam oſtendit, nunc euadendi viam præcludit. Videbit miſer & dolens peccator, non qui ſciunt & negligunt, ſed qui quæ bona ſciunt ſedulò operantur, beatos reputari. Non dixit Chriſtus, *Si hæc ſcitis, beati eſtis*; ſed, *Si hæc ſcitis, beati eſtis, ſi feceritis ipſa*. In quæ verba Cyrillus Alexandrinus: *Non magnum eſt virtutem cognoſcere; ſed ſtudioſè agere, id certè maximum eſt. Ego autem exiſtimo, melius modo quodam eſſe neſcire, quàm quod ſcias, per ignauiam negligere; & quod bonum eſſe credideris, ex deſidia præterire*. Breuiter ergo & clarè dixit Franciſcus in Regula, & ſæpè in ſuis exhortationi-

Bonum ſcientes & negligentes inexcuſabiles.

Ioan. 15. v. 22.

Lucæ 12. v. 47.

Iac. 4. v. 17.

Bernard. Ser. 36. in Cant.

Ierem. 4. v. 19.

Ioan. 13. v. 17.

Cyril. Alexand. l. 9. in Ioan. c. 9.

tionibus, quænam facienda ſunt Fratribus: egregia, & quæ duriſſimos quoſque commouere poſſent, exempla ſui Inſtituti viris dedit. Si quæ Fratrum ſunt munia, illi gnauiter non exequantur in terris, quam excuſationem habebunt in cælis? Protinus nullam. Vide Aug. Ser. 12. de Verbis Dom. & Ser. 112. de Tempore.

[1] COLLATIO VIGESIMASEXTA.

De conditionibus quibus inſigniri debet Miniſter Generalis.

TAM magni & multimodi exercitus Ducem, tam magni & dilatati gregis Paſtorem, filij mei, nullum ſufficientem intueor; ſed vnum in quo reluceat, qualis debeat eſſe iſtius familiæ Dux & Paſtor, vobis depingam. Homo iſte debet eſſe vitæ grauiſſimæ, diſcretionis magnæ, famæ laudabilis,[2] priuatis affectionibus carens, ne dum in parte plus diligit, in toto ſcandalum generet. [3] Homo qui ſanctæ orationis ſit amicus, ita tamen quòd certas horas animæ ſuæ, certas gregi ſibi commiſſo diſtribuat. Nam primo manè debet ſanctiſſimum Sacrificium Miſſæ præmittere, & ibidem longa deuotione ſeipſum & gregem diuinæ protectioni affectuoſiùs commendare. Poſt orationem verò [4] ſeipſum ſtatuat ab omnibus depilandum, omnibus reſponſurum, omnibus cum charitate, patientia & manſuetudine prouiſurum.[5] Non debet eſſe acceptator perſonarum, ita quòd non minùs curet de ſimplicibus & idiotis, quàm de ſcientibus & ſapientibus. Cui ſi donum ſcientiæ eſt conceſſum, tamen plus in moribus pietatis & ſimplicitatis, patientię & humilitatis imaginem ferat. Foueatque virtutes in ſe & in aliis, atque in practicando eas continuè ſe exerceat, [6] ad hæc alios plus exemplo quàm ſermonibus incitando. [7] Sit execrator pecuniæ, quæ noſtræ profeſſionis & perfectionis eſt præcipua corruptela: & tamquam caput & exemplar imitandum ab omnibus, nullis vmquam loculis abutatur. Sufficiant autem ſibi

pro

pro ſe habitus & libellus, pro aliis verò [8] ſcriptorium & ſigillum: non ſit aggregator librorum, nec lectioni multùm intentus; ne fortè detrahat officio, quod prærogat ſtudio.[9] Conſoletur piè afflictos, cùm ſit vltimum remedium tribulatis; ne ſi apud eum defuerint remedia ſanitatis, deſperationis morbus præualeat in infirmis. Vt proteruos flectat ad manſuetudinem, ſeipſum proſternat, & aliquid ſui iuris relaxet, vt animas Chriſto lucrifaciat. [10] Ad refugas Ordinis, velut ad oues quæ perierunt, viſcera pietatis expandat, & numquam miſericordiam neget illis, ſciens tentationes illas perualidas, quæ ad tantum caſum poſſunt impellere animam; quas ſi ipſum permitteret Dominus experiri, fortè in maius præcipitium laberetur. [11] Vellem ipſum tamquam Chriſti Vicarium ab omnibus cum deuotione & reuerentia honorari, [12] atque ſibi in omnibus & ab omnibus cum omni beneuolentia, iuxta eius neceſſitatem, & ſtatus noſtri condecentiam, prouideri. Verumtamen oportet eum nõ arridere honoribus, neque fauoribus plus quàm iniuriis delectari; ita quòd [13] propter honores non mutentur eius mores niſi in melius. Si quando verò propenſiori & meliori cibo indigeret, non in abſconſo, ſed in publico loco aſſumat,[14] vt aliis tollatur verecundia prouidendi ſibi in infirmitatibus & debilitatibus ſuis. Ad eum maximè pertinet latentes conſcientias diſtinguere, & ex occultis venis eruere veritatẽ. [15] Omnes accuſationes in principio habeat ſuſpectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam non præbeat multiloquiis, & multiloquos in accuſationibus ſpecialiter habeat ſuſpectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet eſſe [16] quòd propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam iuſtitiæ & æquitatis nullatenus inficiat vel relaxet. [17] Ita tamen quòd ex nimio

mio rigore nullius anima occidatur, & ex ſuperflua manſuetudine non naſcatur torpor, atque ex laxa indulgentia non proueniat diſſolutio diſciplinæ; ſicque ab omnibus timeatur, vt ab ipſis timentibus diligatur. [18] Officium autem Prælationis ſemper putet & ſentiat ſibi fore potiùs oneri quàm honori. [19] Vellem etiam eum habere Socios præditos honeſtate, rigidos aduerſus voluptates, fortes in anguſtijs, & compaſſiuos delinquentibus; habentes æqualem affectionem ad omnes; [20] nihil de labore ſuo recipientes niſi puram corporis neceſſitatem: & nihil appetentes niſi laudem Dei, Ordinis profectum, animæ proprię meritum, & Fratrum omnium perfectam ſalutem; omnibus conuenienter affabiles, & omnes conuenientes ad eos cum ſancta iucunditate recipientes, atque formam & exemplum obſeruantiæ Euangelij iuxta profeſſionem Regulæ in ſemetipſis purè & ſimpliciter omnibus oſtendentes. Ecce talis eſſe debet Generalis Miniſter, & tales debet habere Socios.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXVI.

1. COLLATIO VIGESIMASEXTA.] Egregiè, appoſitè, & breuiter ſanctus vir in hac Collatione præcipuas boni Præfecti notas ob oculos poſuit. Eam plurimi ex noſtris tranſcripſerunt. Auctor Monu. Ord. in 2. editione, tract. 1. Piſanus libr. 1. Confor. cap. 32. Mar. l. 2. c. 13. Specul. Vitæ Franciſci, c. 83. Cod. M.S. Fanen. c. 33. & alij. Eam ſummatim perſtrinxit Rodul. l 2. Hiſtor. Seraph. fol. 160. pag. 2. eiuſque meminit, & præcipuam partem recenſet Matthæus le Heurt in Epiſtola dedicatoria ſui Manualis Franciſcanorum ad Illuſtriſſimum Dominum Franciſcum Gonzagam, olim Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum.

2. PRIVATIS AFFECTIONIBVS CARENS, &c.] Hoc idem cauit Abbatiſſis Ordinis ſanctæ Claræ, c. 4.

3. HOMO QVI ORATIONIS SIT AMICVS.] Piſanus legit: *Debet illi orationis ſtudium eſſe amicum.* Confirmant autem qui de Prælatorum regimine ſcripſerút, noſtri Auctoris ſententiam, præcipuè Laurentius Iuſtinianus. *Expedit*, inquit, *illi, qui paſtorale gerit officium, Dei iugiter orando aſtare conſpectui, & nunc piè interuenire pro populo, nunc humiliter ſupplicare pro ſe: & ſi detur interdum Deo adhærere in ſpiritu,* *Prælatus debet orationi incumbere.* Iuſtin. lib. de Regim. Prælat. c. 11.

debet

debet ſua vota offerre, prout idem Paracletus tangendo mentem imbuerit. Rom.8. v.26. *Ipſe profectò eſt, Paulo atteſtante, qui poſtulat pro ſanctis, facitque interpellare Deum gemitibus inenarrabilibus.* Paulò inferiùs: *Rectores animarum ſummi Paſtoris Chriſti veſtigia imitentur. Interdum namq; declinent tumultus hominum, fragoresque exteriorum actionum, quæ proculdubiò diſtrahunt animum, & rapiunt per diuerſa. Redeant verò ad ſe, & ſubeant orare in monte; poſt cuius vtique orationis exercitium denuò reuertantur ad opus, quatenus pro ſpirituali conſolatione perceptam in labore ſint alacres, ſint in adminiſtratione ſolliciti, & in omni ſua exercitatione deuoti. Viciſſim quippe ſibi famulantur actio corporalis & deuotio mentis, & pariter ab Eccleſiaſticis debent Paſtoribus exhiberi.* Quæ autem in oratione debeant petere Prælati, docet idem c.10.

4. SEIPSVM STATVAT AB OMNIBVS DEPILANDVM, OMNIBVS RESPONSVRVM, OMNIBVS, &c.] *Debet ſubditorum curare neceſsitates* Neceſſaria vtique Prælatis doctrina, vt conſiderent non propterea ſe ad Prælaturas electos, vt dignitatis honore gaudeant, vt à ſubditis reſpiciantur, vt ſuis abundè ſatisfaciant deſiderijs, vt ſuam curent cutem, ſed vt commiſſi ſibi populi neceſſitatibus prouideant, vt gregi ſuo inuigilent, vt ſubditis in omnibus ſatisfaciant. Sunt ex Prælatis multi, qui quæ Prælati ſunt emolumenta, ſolicitè ſuſcipiunt, imò & exigunt; & tamen quæ Prælati ſunt onera, ſubire recuſant. Putant officium conceſſum ad otium non impoſitum ad laborem; & ita in ſuis ferientur delicijs, nec quidquam curant de ſubditorum periculis. Accedit ſæpe ſubditus vt ſuæ mentis curet vulnus, à Prælato petere ſatagit medicinam, nec tamen ad Prælati conſpectum aliquando admittetur, dum plus luxurianti otio incumbere, & curas omnes longius repellere, quàm pereuntis ſubditi calamitates velit Prælatus audire. Huiuſmodi Prælatis accomodat Gregorius verba illa Iobi: *Si fructus eius comedi abſque pecunia.* Iob 31. v.39. namque illi officij fructus comedunt abſque pecunia, qui officij commoda ad vſum corporis percipiunt, ſed vigilantiæ, ſolicitudinis, aut exhortationis miniſterium ſubditis non impendunt. Subdit ergo ſanctus vir: *Exigimus quod noſtro debetur corpori; ſed non impendimus, quod ſubiectorum debemus cordi.* Gregor. lib.22. Moral. c.16. *Hoc debet omnipotenti Deo omnis qui præeſt populo, hoc qui multis, hoc qui paucioribus præeſt, vt ſic debita miniſteria à ſubditis exigat, quatenus ſubditis ipſe etiam quid ſemper admonitionis debeat, ſolicitus attendat. Omnes namque qui ſub diſpenſatione Conditoris Vicario nobis miniſterio iungimur ſub vno ac vero Domino, quid nobis aliud, niſi inuicem ſerui ſumus? Cùm igitur is, qui ſubeſt, ſeruit ad obſequium; reſtat proculdubio, vt is qui præeſt, ſeruiat ad verbum. Cum is qui ſubeſt, iuſſis obtemperat; oportet vt is qui præeſt, curam ſolicitudinis ac pietatis impendat.* Oportet vt facilem præbeat ſubditis acceſſum, vt libenter exaudiat, vt libentiùs & faciliùs ſubditi ſuas miſerias expandant, & ſuorum vulnerum medicinas à benigno Superiore reportent. Depilandum vt ait Franciſcus, ſe ſtatuat à ſubditis, ita vt depilis euadat, vt ſubditos tegat; & quemcumque

habet rei familiaris aut terreni cõmodi pilum, non tam ſibi reſeruandum, quàm in ſubditorum neceſſitates reputet impendendum.

5. NON DEBET ESSE ACCEPTATOR PERSONARVM.] Longè aliter habent Monum. hoc modo: *Homo qui perſonarum ſordidum non faciat angulum, apud quem minorũ & ſimplicium cura vigeat, quàm ſapientũ & maiorum.* ſatis obſcurè. Quidquid autem ſit de lectionis varietate, locus hic ſalutarem continet Prælatorum doctrinam. Eugenium Tertium iam in Petri ſolio conſtitutum ſeriò monuit Bernardus, vt à graui hoc Prælatorum caueret peccato, his verbis: *Non ſit*, inquit, *in te acceptio perſonarum: non parui te reum peccati exiſtimes, ſi facies peccatorum ſumis, & non potiùs cauſas iudicas meritorum.* Multi ſunt Prælati, qui ſubditos humiles contemnunt, & abiectos fratres ab officijs repellunt; tumidos autem Prędicatores, vel qui aliquam literaturæ, vel nobilitatis, aut dignitatis præ ſe ferunt ſpeciem, ad grauiora Religionis munia ſuſcipiunt. Aliud nobis ſuo exemplo docuit Chriſtus, qui ad filium Reguli ſanandum, etſi rogatus, ire noluit; ad ſeruum verò Centurionis non inuitatus ire promittit. Quod benefaciendi, & ſanitatem impendendi diſcrimen expendens Gregorius, ait hoc à Domino factum propter noſtram doctrinam, *qui in hominibus non naturam, quæ ad imaginem Dei facti ſunt, ſed honores & diuitias veneramur. Redemptor verò noſter vt oſtenderet, quia quæ alta ſunt hominum, deſpicienda ſunt; & quæ deſpecta ſunt hominum, deſpicienda non ſunt; ad filium Reguli ire noluit, ad ſeruum Centurionis ire paratus fuit. Increpata eſt ergo ſuperbia noſtra, quæ neſcit penſare homines propter homines. Sola quæ circumſtant hominibus, penſat, naturam non aſpicit, honorem Dei in hominibus non agnoſcit.* Benè multis anteà ſæculis hanc Chriſti conditionem prædixit Iſaias, cùm dixit: *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit*: vel, vt habent Septuaginta, *Non ſecundùm gloriam iudicabit.* Prophetiam compleuit Apoſtolorum ex infima plebe electio, & Apoſtolicæ præ omnibus dignitatis collatio non Bartholomæo viro nobili, ſed Petro piſcatori. Non attendit ad honores, ſed ad homines; non ad dignitates, ſed ad merita; non ad faſtum, ſed ad virtutes: nec gloriæ gradus menſurat magnitudine pompę, ſed celſitudine meritorum. Proinde ad fideles dixit Apoſtolus Iacobus: *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.* Nec enim fides aut doctrina Chriſti perſonas perſonis præferendas, ſed merita præmijs compenſanda docet. Prælati ergo qui Dei locum ſortiuntur, non permittant ſe duci terrenis affectibus, nec vinci mundanis reſpectibus; non ſit potior huius quàm illius apud eos conditio, dummodò hunc ab illo ſua merita non diſcernant. Non detur carni aut ſanguini locus, vt vnus alteri præferatur, quia amicus, quia familiaris, quia humiliora exhibet obſequia, vel quia quæ non licent, affert munuſcula. Tanto viro dignum illud Baſilij ad Prælatos conſilium: *Adſint tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille diues; hic hoſpes, alius domeſticus: ſi iudicaueris, ne inæqualia videas,*

Marginal notes: *Non debet perſonas acceptare, ſed merita.* — Bern. 1. de Conſid. c. 14. — Ioan. 4. — Gregor. Hom 28. in Euang. — Iſai. 11. v. 3. — Iacob. 2. v. 1. — Baſil. Hom. 21. ex varijs.

videas, diuitem ſublimem, pauperem humilem, noli in diſtribuendis honoribus reſpectus habere inæquales: eſt enim diues ſæpè mendax, pauper verò iuſtus. Non igitur facies ſpectabis, ſed occulta penitioraque conſidera. Eum honora, qui pretioſa poſſidet. Vide Ambroſ. l. de Iſaac & anima, c.4. Aug. Epiſt.29. poſt princ. & Epiſtol.9. noſtri Auctoris, Notaſque in eamdem numero 2.

In Prælatis plus proficit exemplū quàm verbum. Seneca Epiſt. 6.

6. AD HÆC ALIOS PLVS EXEMPLO, QVAM SERMONIBVS INCITANDO.] Quantum ad docendum præſtent exempla ſermonibus, docuit Seneca cùm dixit: *Plus viua vox & conuictus, quàm oratio proderit*, &c. *Homines ampliùs oculis quàm auribus credunt: longum iter eſt per præcepta, breue & efficax per exempla.* In longum ſuum protrahendum deſiderium iudicauit Nabuchodonoſor Rex, ſi ſingulos populos ſingulis literis & multiplicatis hortatibus ad ſtatuam auream adorandam inuitaret. Breuiorem excogitauit viam, aduocauit vt adorarent Principes Imperij, quorum exemplo ſtatim obſequerentur & populi. Id adnotauit Hieronymus. *Principes*, inquit, *congregantur ad adorandam ſtatuam, vt per Principes ſeducantur & gentes. Seductis enim Magiſtratibus, ſubditi populi maiorum exemplo pereunt.* Quantum valeant maiorum exempla apud ſubditos, optimè indicant illa Pauli verba ad Petrum: *Cogis gentes Iudaizare:* quæ coactio non tam præcipientis imperio, quàm conuerſantis exemplo tribuenda eſt, ita vt non tam ſuadere quàm cogere ſubditos ſuis exemplis videantur Prælati. *Dicit, Cogis*, inquit D.Thomas, *quia ſecundùm quod Leo Papa dicit, validiora ſunt exempla, quàm verba.* Adeò neceſſaria duxit in Prælatis, ſuos ſubditos erudientibus, exempla Chryſoſtomus, vt niſi hæc ſermonibus adiungant, ſatius putet, vt omnino taceant. Ipſius verba & rationem ſubiungo. *Dicis*, inquit ad Prælatos ſolo verbo Magiſtros, *quòd opus eſt modeſtiam ſequi, & longum ſuper hoc trahis ſermonem, & inoffenſè fluens dicendi copiam oſtentas: ſed te melior ille, qui per opera hoc me docet; non enim diſciplinæ tam à verbis quàm à factis animæ ſolent intromitti: quoniam ſi non habueris opera, non tantùm loquens non profuiſti, ſed & potiùs læſiſti: melius eſt tacere. Quare? quoniam opus mihi reddis impoſſibile. Cogita namque quòd ſi tu tanta diſſerens, non efficis, multò magis ego veniâ dignus. Propterea Propheta dicit: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? maius enim hoc damnum, cùm aliquis benè verbis docens, per opera doctrinam impugnat.* Vide plura apud eumdem Chryſoſt. Hom.42. & 56. in Geneſ. & Hom.9. ad Popul. Lact. Firmian. lib.4. de Vera ſapien. cap. 23. & Senecam citatum, Notaſq; Mureti ad eamdem Epiſt. & Iuſtum Lipſium in eamdem, numero 15.

Dan.3. Hieron. in c.3. Danielis. Galat.2. v.14. D.Thom. in c.2. ad Galat.1. Chryſoſt. Hom.38. ad Popul. Pſal.49. v.16.

Primicerius Minorum execretur pecunias.

7. SIC EXECRATOR PECVNIÆ.] Quàm ſæpiſſimè huius Inſtituti viris pecuniæ vſus interdici, notaui ad Collationem ſecundam numero 5. Non immeritò proinde prohibetur & Rectoribus, vt membris caput cohæreat, & eiuſdem cum ſubditis ſe probet Inſtituti Prælatus. Nam ſi aggregandis pecunijs Rector attendat, & multo turgeant

ære marſupia, quis eum putabit eiuſdem Religionis cum pauperibus & ſeminudis Fratribus, qui nec à longè poſitam pecuniam reſpiciunt? Quis etiam dignum putabit pauperis gregis paſtorem locupletem; locupletem, inquam, non ad ſubleuandas ſubditorum miſerias, ſed ad ſuas explendas concupiſcentias? Quis Prælatum pecunioſum nō dixerit ſuę pœnituiſſe profeſſionis, ſtatumque mutaſſe, dum videt in ſubditi humilitate pauperculum, in præfecturæ celſitudine diteſcentem? Sub pecunioſis Prælatis tota facilè deflectet à paupertate Religio: nam quidquid contra paupertatem committitur, vel ab imperfecto Monacho admittitur, non poterit palàm à diuite Prælato reprehendi. *Nemo etenim fidenter reprehendit, in quo ſe eſſe irreprehenſibilem non confidit. Siquidem humanitatis eſt omnium, in quo ſibi quiſq; indulget, alijs non vehementer iraſci.* Et de huiuſmodi tranſgreſſionibus, vt Auctor hic noſter inquit, *non poterit abſque ſui confuſione, præiudicio & condemnatione alios admonere.*

Bern. in Apolog. ad Guliel. Abb.

Franciſc. Oracul. 6

8. SCRIPTORIVM ET SIGILLVM.] Piſanus ita habet: *Pennarolus cum calamo & pugillari, & ſigillum.*

9. CONSOLETVR PIE AFFLICTOS, CVM SIT, &c.] In Monum. ita legitur: *Homo qui conſoletur afflictos, cùm ſit refugium, vel bonum tribulatis.* Miſericordiam & compaſſionem erga fragiles & corde cōtritos frequenter in ſuis Opuſculis inculcat vir pius & miſericors, vt videre eſt Epiſt. 7. 8. & 9. in Reg. 1. cap. 5. & 6. in Reg. 2. c. 10. Idemq; hortatur circa Sanctimoniales in Reg. 3. c. 10. Conſolandos autem eſſe afflictos docuit Spiritus ſanctus ſub parabolica illa loquēdi forma: *Date*, inquit, *ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo.* In quem locum habet Gloſſa: *Pœnitentibus, ſcilicet, qui priſtinorum actuum mœrore atque triſtitia deprimuntur, ſpiritualis ſcientiæ iucunditatem, vt vinum, quod lætificat cor hominis, affluenter infundite, ne abundantiori triſtitia abſorbeantur, qui huiuſmodi ſunt.* Attenuanda eſt afflictio, non augenda: ſuaui lenimine medicanda, non aſperiori vltione peccati noua ſuperaddenda, *ne*, vt habet hîc Auctor, *deſperationis morbus præualeat in infirmis.* Afflictionem addere afflicto nihil crudelius, nec quod magis Prælatos dedeceat, nec quod Deus grauiùs vlciſcatur. Homicidam Caini volunt multi fuiſſe Lamech; Abelis autem fuit vterinus frater Cain; & tamen maior ſtatuta eſt pœna pro occidente Cainum homicidam, quàm pro ipſo Caino ſancti viri & germani fratris occiſore, vt conſtat ex illa Lege lata: *Omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur.* Vt quid quæſo grauiori pœna plectitur, qui peccatorem, nec proximo ſanguinitatis nexu cōiunctum ſuſtulit è medio, quàm qui primum patrauit in mundo homicidium, & ſceleratas manus fraterno & ſancto ſanguine fœdauit? Vt omittam varias de ſeptemplici hac punitione ſententias, vnam addo breuem, & ad rem noſtram, Oleaſtri. *Docemur*, inquit, *non addere afflicto afflictionem.* Affligebatur etenim Cain ex perpetrata cæde, & Dei increpatione: diuinam iam iram ſenſit, humana non debuit ſuperaddi; lenienda erat afflicti miſeria hominum commiſera-

Conſolandi à Prælatis ſubditi afflicti.

Prou. 31. v. 5.

Afflicto non eſt danda afflictio.

Geneſ. 4. v. 15.

Oleaſter hic.

miſeratione. Aliam addo confir-
mationē. Fugauit Deus in ore gladij
Amalechitas, & magnis adhuc mi-
nis ſuam cōteſtatus eſt indignatio-
Exod. 17. nem. *Delebo*, inquit, *memoriam Ama-*
v. 14. *lech ſub cælo*. Et ne eū propoſiti pœ-
niteret, iuramentum addidit. *Ma-
nus*, inquit, *ſolius Domini, & bellum
Domini erit contra Amalech in gene-
ratione & generationem*, hoc eſt, ſe-
cundùm vulgarem Hebraiſmum,
*Iuro per ſolium Domini, & manu
ſuper illud impoſita, ſemper mihi fore
bellum contra Amalech.* Tantæne
animis cæleſtibus iræ? tantus Dei
furor, & indignatio? vnde hæc cō-
motio? quæ tantæ ſubſannationis
cauſa? Illam reddo ex eodem O-
Oleaſter. leaſtro. *Si cauſam*, inquit, *plenam
quæras huius tam ſeueræ vltionis,
habes illam Deuter. 25. vbi Moy-
ſes dicit: Memento quæ fecerit ti-
bi Amalech in via quando egredie-
baris ex Ægypto, quomodo occurre-
rit tibi, & extremos agminis tui, qui
laſſi reſidebant, ceciderit, quando tu
eras fame & labore confectus.* Fuit
alta mente repoſtum, Amalechitas,
laſſos, fame & ſiti laborantes He-
bræos inuaſiſſe, magnamque af-
flictis inedia addidiſſe ex cæde af-
flictionem. Proinde non compa-
tientibus Hebræorum afflictioni,
noluit Dominus in perpetuum mi-
ſereri. Addam adhuc ex eodem O-
leaſtro pro hoc argumento alterius
Dei præcepti, huic, vt videtur, con-
trarij, conciliationem. In citato loco
Deuteronomij iubet Deus vt me-
minerint Hebræi acceptæ ab Ama-
lechitis iniuriæ. *Memento*, inquit,
quod fecerit tibi Amalech, &c. & ta-
Leuit. 19. men alibi præcipit: *Non quæras vl-*
v. 18. *tionem, nec memor eris iniuriæ ci-
uium tuorum.* Illic iubet vt recor-
dentur, hîc vt obliuiſcantur acce-
ptæ iniuriæ; quomodo poſſunt hæc
cohærere? Reſpondet optimè O-
leaſter: *Et ſi Dominus*, inquit, *nos* Oleaſter
vt plurimum velit malorum nobis in c. 25.
illatorum oblitos, beneficiorum verò Deuter.
*memores; eſt tamen tam magnū malū
afflicto addere afflictionē, vt in hac re
vindictæ voluerit eſſe memores.* Vi-
des quàm pius erga afflictos Deus,
quàm miſericors ergo tribulatos, &
quàm doleat afflictum afflictione
conterere? Vide tamen contra in-
diſcretam commiſerationem, & ni-
miam clementiam, quæ dixi ad E-
piſt. 7. num. 5. & ad Epiſt. 8. nu. 15.
& Gregor. l. 2. Moral. c. 8.

10. AD REFVGAS ORDINIS, VEL-
VT AD OVES, QVÆ PERIERVNT,
VISCERA PIETATIS EXPANDAT.]
Mare ingens eſt ſacra Religio; ex- *Refugæ*
ſpuit & euomit corpora mortua, nec *Ordinis*
patitur in ſe quos ad ſe videt non *benignè*
pertinere: reijcit in mundi littus, *tractādi.*
qui mundum potiùs quàm Reli-
gionem ſuis moribus ſectantur.
Nihil proinde mirum, ſi aliquos
habeat Religio apoſtatas, tepidos,
& mortuos errones, quę intra ſe no-
lit retinere niſi feruidos & viuos
ſui Inſtituti ſectatores. Hos tamen
Fratres deſertores, dummodò reſi-
piſcant, conſulit Franciſcus beni-
gnè & humaniter recipi, & ad eos
viſcera charitatis expādi. Ita D. Bo-
nauenturam in ſuo Generalatu hoc
obſeruaſſe conſilium, referunt An-
nales Minorum, vt nulli ad ſe re-
uerſo miſericordiam denegaret, ob
idque eum conueniſſe & taxaſſe
grauiores Religionis viros in Co-
mitijs generalibus. Quibus illam
huius Collationis rationem reddi-
dit: *Ideò*, inquit, *benignè miſellos* Chron. 2. par. l. 2. c. 3.
iſtos ad pœnitentiam & Religionem

recipio; quia cùm ipſe ratione officij vltimum ſim remedium tribulatis, timeo ne ſi apud me defuerint remedia ſanitatis, deſperationis morbus præualeat in infirmis; idque libentiùs obſeruo, quò clariùs doctrinam hanc beatus Pater noſter Franciſcus ſuo ad me tranſmiſit exemplo. Ipſe etiam Dominus ſua clementia Prælatos inſtruxit, vt veniam petentibus non denegarent. *Debitum,* inquit, *omne dimiſi tibi, quia tu me rogaſti.* Oportet ergo & Prælatos ſui miſereri conſerui; nec debent negare Fratri reſipiſcenti pacem, quam eidem iam pœnitentia, ſi vera eſt, & peccati confeſſionis gloria reddiderunt. Debet autem Prælati excitare clementiam, vera errabundi ſubditi pœnitentia; debet præuenire miſericordiam, quam cupit impendi *petitio modeſta, poſtulatio verecunda, humilitas neceſſaria, patientia non otioſa. Mittat legatos pro ſuis doloribus lacrymas, aduocatione fungantur ex intimo pectore prolati gemitus, dolorem probantes commiſſi criminis, & pudorem. Imò ſi dedecoris admiſſi magnitudinem perhorreſcit, ſi pectoris & conſcientiæ ſuæ letalem plagam, & ſinuoſi vulneris altos receſſus verè med(i)ca manu tractat, erubeſcat & petere; niſi quia maioris eſt rurſum & periculi & pudoris, auxilium pacis non petiiſſe.* Petat veniam, miſericordiam implorare non erubeſcat, peccatum agnoſcat, dicat cum Propheta: *Erraui ſicut ouis quæ periit.* Statim ad balantis ouiculæ vocem pius aderit Paſtor. *Veniet ſine cambus, ſine malis operariis, veniet non cum virga, ſed cum charitate, ſpirituque manſuetudinis.* Vide Cyprianum Epiſtola 3. & Chryſoſt. Sermone 2. de Filio prodigo.

Mat. 18. v. 32.

Cyprian. Epiſt. 31. c. 3. To. 1.

Pſal. 118. v. 176.

Ambroſ. hic.

11. VELLEM IPSVM TAMQVAM CHRISTI VICARIVM AB OMNIBVS CVM DEVOTIONE ET REVERENTIA HONORARI.] Chriſti vices gerunt Prælati in Religionibus, in quibus homines propter Chriſtum hominibus ſe ſubmittunt. Quos ergo propter Chriſtum, & in quibus Chriſtum venerantur, an non debent humiliter reuereri? Si in Prælato Chriſtus, ſi in Superiore Deus, vide quo honore dignus ſit. Eſſe autem in Prælatis Chriſtum, ipſum loqui in Superiore Deum, illa probant verba Pauli: *Non ego præcipio, ſed in me Dominus.* Et alibi: *An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Chriſtus?* Non immeritò dixit Bonauentura, quòd *Prælatus non eſt niſi organum, per quod Deus loquitur, vt patet in Exodo, vbi dicitur: Ego veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Paulus etiam, cùm debitum obſequium Prælatis præſtandum inculcaret ſubditis, *Quod facitis,* inquit, *ex animo operamini ſicut Domino, & non ſicut hominibus.* Huc ſpectat mira illa Magni Alexandri reſponſio. Redargutus à ſuis Principibus quòd Summum Sacerdotem Iudæorum ſicut Principem adoraſſet, reſpondit, ſe non hominem adoraſſe, ſed Deum in homine, qui ſibi in tali effigie apparuit in ſomnis, & totius orbis ei Principatum promiſit. Reges honoraturus Deus in Prælati apparet effigie, homines gubernaturus in Prælatis loquitur, in Prælatis etiam vult honorari. Eorumdem etiam honorem inculcat ſequenti Collatione Franciſcus, non tamen talem, qualem

Reuerenter ſuſpiciendi ſunt Prælati.

1. Cor. 7.
2. Cor. 13

Bonau. 3. par. Eccleſiaſ. hierarch. cap. 1.

Exod. 19.

Coloſſ. 3.

lem quidam tumidi & elati exigunt & extorquent Prælati; qui, vt ait Gregorius, *non tam propter Dominum, quam pro Domino venerari volunt. Intus enim ſe tumore cordis extollunt, cunctoſq́; ſubditos in ſui cōparatione deſpiciunt, nec condeſcendendo conſulunt, ſed dominando premunt: quia videlicet alta cogitatione ſe erigunt, & æquales ſe illis, quibus eos præeſſe contigit, non agnoſcunt.* His qui ſibi non Deo impendi volunt honorem, qui non propter Deum, nec propter animarum lucrum, ſed propter elationis iactantiam volunt præeſſe, & reſpici cupiunt ab ijs quos deſpiciunt, Deo debitus, & propter Deum exhibendus, nequaquam debet honor impendi, ſed ijs, qui non tam præeſſe auctoritate, quàm prodeſſe officio; qui non tam ſe ſuper omnes extollere, quàm Deum propter ſe honorari ſancto zelo & humili cogitatione deſiderant. Vide Aug. in Pſal. 124. ad illa verba: *Vt non extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas.*

Gregor. l.24. Moral. c.14.

12. ATQVE SIBI IN OMNIBVS, ET AB OMNIBVS, &c. PROVIDERI.] Non ſolùm honorem, verùm & corpori neceſſaria vult Prælatis exhiberi, iuxta illud Apoſtoli: *Qui benè præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur.* Videlicet, vt explicat Caietanus, *reuerentialis officij, & ſubuentionis*; ſeu, vt habet diuus Thomas, *in exhibitione reuerentiæ, & in miniſtratione neceſſariorum.* Neceſſariarum autem rerum largitionem deberi Prælatis, qui ſuos ſubditos verbo inſtruunt & officio, probat ipſe Apoſtolus vno vel altero Scripturę loco. Primò, ex veteri Inſtrumento deducta ſimilitudine: *Non alligabis os boui trituranti.* Secundò, allato ex Lucæ Euangelio illo Chriſti teſtimonio: *Dignus eſt operarius mercede ſua.* At notandum eſt, Apoſtolum voluiſſe duplicem hunc honorē impendi, non abſolutè iis qui præſunt, ſed iis qui *benè præſunt*; & hac duplici mercede, *niſi qui fuerit bos trituräs*, vt expendit Chryſoſtomus, *& contra gelu & ſpinas iugum ſuſtinens traxerit, neque ante diſceſſerit, dignus non eſt. Oportet autem bonis Prælatis neceſſarium victum affatim miniſtrari, ne deficiant, neque ſoluantur, neque minimis occupati, magnis ſe ipſos atque alios priuent, vt ſpiritualia operentur, nullam ſæcularium habentes rationem.* Sed miniſtrandi ſunt hi ſumptus ad ſatisfaciendum plenè neceſſitati, non ad luxuriandum in deliciis; ſubleuanda inopia, non implenda marſupia, vt optimè docet Hieronymus in priori editione ad illa verba Iſaiæ, *Negotiationes Tyri, & merces eius ſanctificatæ Domino, non condentur, neque reponentur: quia his qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in ſaturitatē, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem.* Vbi ait, Tyrios vel fideles ſuis Magiſtris & Doctoribus miniſtrare ſuas opes, vel ſupellectilem, non ad cumulandas Sacerdotum diuitias, ſed ad neceſſaria ſuppetenda, vt habentes victum & veſtitum, his contenti ſint. Et Chryſoſtomus citatus, poſtquam ait Leuitis ex Lege licuiſſe primitias, decimas, aurum, vota & alia poſſidere, infert: *Iſta meritò permittebantur præſentia tantùm & terrena quærentibus. Ego Eccleſiæ Præſules audenter dixerim nil præter victum & veſtitum habere oportere,*

Duplex Prælati merces. 1. Tim. 5. v.17. Caiet. D.Tho. Deut. 25 v.4. Luc. 10. v.7. Chryſoſt. Hom. 15. in 1. ad Timoth. Iſa. 23. v.18. Hieron. in Iſai. Chryſoſt. ſuprà.

tere, ne ad iſta trahantur deſiderio. Vide Claudium Eſpencæum in primam ad Timotheum Epiſt. in locum ſuperiùs citatum.

13. PROPTER HONORES NON MVTENTVR EIVS MORES, NISI IN MELIVS.] Monum. non habent hęc verba, ceteri verò item. Auctor autem alludit ad vulgare dictum ex Terentio in Adelphis deſumptum: *Honores mutant mores.*

14. VT ALIIS TOLLATVR VERECVNDIA, &c.] Ita ipſe ſanctus vir fecit: nam cùm quidam Frater *præ* Bonau. c.7. Leg. *nimietate abſtinentiæ admodum fame cruciatus, noctu nullam poſſet habere quietem, intelligeretque pius Paſtor oui ſuæ imminere periculum, vocauit Fratrem, appoſuit panem, & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipſe prior comedere, eumque ad manducandum dulciter inuitare. Depoſuit Frater verecundiam, ſumpſit cibum, gauiſus quamplurimùm, quòd per circumſpectam condeſcenſionem Paſtoris & corporis euaſiſſet diſpendium, & non modicum accepiſſet ædificationis exemplum.* Vult proinde vt Prælati coram Fratribus in triclinio vel in loco publico manducent, vt ſicut ſuis neceſſitatibus prouident, ita ſuas non erubeſcant curare inferiores. Cauendum verò eis eſt, ne ſuperabundans cibus, & lautiora fercula potiùs cedant Fratribus in ſcandalum, quàm moderata obſonia, erubeſcentium & timoratorum augeat confidentiam.

15. OMNES ACCVSATIONES IN PRINCIPIO HABEAT SVSPECTAS, &c.] Multorum nocuit innocentiæ, facilitas Prælatorum in credendo: dum enim fidem adhibent accuſanti, bona perit opinio accuſati. Ex hoc vno vitio plurima *Non facilè credendum accuſatoribus.* naſcuntur, rixæ multæ, iniuriæ non paucæ, ſuſpiciones malæ, ſententiæ iniuſtæ, multorum periclitatur innocentia, & detractorum creſcit malitia. Eò autem grauius hoc vitium, quò communius; cetera multi fugiunt Prælati, hoc vno pauci ſunt qui non valdè laborent. De ſupremis ipſis Iudicibus id auſus eſt affirmare Bernardus. *Eſt*, inquit Bern. l. 2. de Conſider. c. vlt. ad Eugenium, *vitium, cuius ſi te immunem ſentis, inter omnes quos noui ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me iudice, ſolitarius, quia veraciter ſingulariterque leuaſti te ſupra te, iuxta Prophetam.* Thren. 3. v. 28. *Facilitas credulitatis hæc eſt, cuius callidiſſima vulpecula magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo ira multa, inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes.* Non eſt boni Iudicis cuicumque accuſationi ſtatim credere, nec eſt probi viri maleuolas calumnias gaudenter admittere. Mulierem in adulterio deprehenſam accuſarunt iniqui illi Chriſti iuſtitiæ tentatores; nec tamen in eorum facies intentus, vel auribus erectis excepit accuſationem, ſed & vultum & aures dimittens *inclinauit ſe.* Ioan. 8. verſ. 6. Accommodam noſtro argumento rationem reddit Antonius Patauinus. *Inclinauit*, Ant. Pat. Serm. in abb. poſt Dom. 3. Quadrag. inquit, *ſe Ieſus, vt oſtenderet quòd accuſatio non eſt admittenda cum facilitate. Non enim ſtatim Iudex debet porrigere aures cuilibet dicto, nec etiam cum gaudio, ſed cum diſplicentia ſuſcipere.* Licet immanes fuerint voces grauium peccatorum Sodomorum & Gomorrhæorum, totque ad Deum querelæ aſcenderent, quot in illis ciuitatibus peccata perpetrabantur (habent enim &

pec-

peccata linguas ſuas, & conſtantes accuſatores) attamen noluit Deus mala hæc audita tantùm & non
Gen. 18. v.21. diſcuſſa iudicare, ſed dixit: *Clamor Sodomorum multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendam & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Quomodo, quæſo, Deus omniſcius, & in cuius conſpectu ſunt omnes qui operantur iniquitatem, de grauiſſimis & manifeſtis criminibus addubitare videtur? Nónne Dei oculis omnia ſunt nuda & aperta? nónne in cælis clariſſimo intuitu videt, quæ in terris in abditiſſimis angulis & ſine arbitris aguntur? quomodo ait ſe è cælis deſcenſurum, vt quid in terris agatur exploret? Optimè Gregorius: *Nempe vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præſumamus credere, quam probare.* Inſtructionem hanc obſeruauit bonus ille Iudex, qui dixit: *Cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam.* Voluit potiùs morari & laborare in inueſtigando, quàm temerè errare in iudicando. *Nos ſanè,* inquit citatus Gregorius, *hic locus admonet, ne ad proferendam ſententiam præcipites vnquam ſimus, ne temerè ac indiſcuſſè iudicemus, ne qualibet mala audita nos moueant, ne paſſim dicta ſine probatione credamus.* Vide ibidem Gregorium & Benedictum Perer. Tom. 3. in Geneſ. in citatum Geneſeos locum.

Gregor. l.19. Moral. c.14. — Iob 29. v.16. — Gregor. ſuprà.

Ad retinendam Præfecturam non eſt relaxanda iuſtitia.

16. QVOD PROPTER CVPIDITATEM RETINENDI HONOREM, VIRILEM FORMAM IVSTITIÆ, &c.] Virilem formam iuſtitiæ effeminati quidam Prælati remittunt, nec obſeruantiæ Regularis curas aſſumunt, ne ſubditis diſpliceant, & vt ſemet in Præfectura conſeruent. Quantus in quibuſdam appetitus dominandi! quanta honoris cupiditas! Videbis quoſdã adeò dignitatis retinendæ auidos, vt nihil ſit tam vile & Chriſtiano homine indignum, quod ſubditis non permittant, vel ipſi etiam non committant. Aaron, dum in fratris abſentia gens ingrata petit Deos qui præcedant, non reſtitit, vt debuit, impio conamini; ſed ex inauribus, quas accepit, formauit opere fuſorio, & fecit vitulum conflatilem; & ſtatuit altare coram eo, in quo adoraretur. Mirum ſanè quomodo tanto ſceleri non ſolùm conſenſerit Aaron, verùm & ſuam præſtiterit operam, qui à Deo iam erat electus in populi Doctorem, & in ſummum Dei altiſſimi Sacerdotem. Rationem reddit Caietanus: *Primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari: ſed ſtatim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad ſacrificandum ei, & præconis voce clamauit, dicens: Cras ſolemnitas Domini eſt.* Licet adhuc non fuerit vnctus in Pontificem Aaron, ſed pòſt, vt conſtat ex Leuit. c.8. attamen electus iam fuit à Domino, & à Moyſe relictus populi Vicarius; timuit proinde, ſi non Sacerdotio, ſaltem præfectura priuari, & electionem, ſi quæ erat, fratre (vt dicebant) ſublato, ſui faciendam præpedire. Grauius adhuc nefas admittunt & committunt in populo honoris auidi & ambitioſi conſeruatores; ipſum non dubitant Deum morti tradere. Nónne Pontifices & Phariſæi obinde non dimittendum Chriſtum dicebant, *Ne veniant,* in-

Exod. 32. v.3. — Caietan. hîc. — Ioan. 11. v.48.

inquiunt, *Romani, & tollant locum noſtrum, & gentem.* Sed heus! perfidi Iudæi, adeò facilè innocentem hominem morti tradendũ decernitis? quid enim mali fecit? nónne veſtros pertulit infirmos? nónne languidos curauit? nónne veſtros mortuos ad vitam reuocauit? nónne ipſi fatemini, quia *hic homo multa ſigna facit*, quibus planè teſtificatur, quod palàm dixit vobis, ſe Dei Filium eſſe? Hunc ergo factis inſontem, & ſignis mirabilem, vultis occidi? *Satius eſt*, inquit eorum nomine Rupertus, *vt vnum hominem perdamus, vt noſter locus & tota gens conſeruetur.* Pereat per Phariſæos Chriſtus, modò vna Iudæa Syriæ prouinciola potiantur, & inter ſuos dominentur. Plus curant primos in menſa accubitus, & vocari ab hominibus Rabbi, quàm quòd Chriſti innocentia curetur, & vita. Eouſque laborauit eumdem Dei Filium à morte liberare Pilatus, donec ei obiecerunt Iudæi: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Cùm autem hos audiſſet ſermones, ſedit pro tribunali, Chriſti cauſam diſcuſſurus: & cùm iterùm reſpondiſſent Pontifices, *Non habemus Regem niſi Cæſarem, tunc eis tradidit illum vt crucifigeretur.* Quomodo autem quærebat anteà Pilatus dimittere Ieſum, & audita Cæſaris mentione cruci condemnat? Superiùs dixit: *Non inuenio in eo cauſam*, & Filium Dei eſſe audiuit; nunc autem ignominiosè tradit vt crucifigatur? Optimè Auguſtinus: *Tũc Filium Dei timuit, ne occideret; nunc verò noluit contemnere Cæſarem auctorem poteſtatis ſuæ.* quaſi dicat: Magis timuit offendere Cæſarem, & ſua præſidentia ſpoliari, quàm ipſum Dei Filium, quem anteà timebat, occidere. Vide quæ dixi n. 41. & 42. in Regulam Tertiariorum.

Ruper. l. 10. in Ioan. Tom. 3.

Ioan. 19. v. 12.

Auguſt. Trac. 116 in Ioan. Tom. 9.

17. ITA TAMEN QVOD EX NIMIO RIGORE NVLLIVS ANIMA OCCIDATVR, ET EX SVPERFLVA MANSVETVDINE, &c.] Nec nimius rigor ſubditi animum frangat, nec nimia indulgentia diſſoluat. Debet Prælatus adeò vtrumque temperare, vt quantumcumque foris riguerit per iuſtitiæ ſeueritatem, intus tamen ſeruet compaſſionis ſuauitatem. Et licet virgam teneat manu iuſtæ diſtrictionis, in pectore tamen gerat vbera maternę compaſſionis. Illi Angelo, qui metiebatur templum & adorantes in eo, *datus eſt calamus ſimilis virgæ.* Non eſt data ei virga, vt adnotauit Bernard. Senenſ. ſed calamus ſimilis virgæ, *in quo*, inquit, *cum iuſtitia miſericordia denotatur.* Similiter expendit quòd poſtquam Pater Filio promiſit ſe daturum Gentes in hereditatem, adiunxit: *Reges eos in virga ferrea. Quid*, inquit Senenſis, *in ferro niſi miſericordiæ ſuſtentatio denotatur?* quaſi dicat, Peccantes virga percuties, ſed eadem virgæ ſoliditate, ne cadant animo quos percuſſeris, debita pietate fulcire curabis. Hinc Dauid à virga Dei ſe conſolari dixit. *Virga tua*, inquit, *& baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.* Virga percutimur, & baculo ſuſtentamur. Conſiderauit ergo Propheta, quòd licet propter noſtra peccata ſit in Deo diſtrictior virga quæ feriat; eſt tamen propter ſuam pietatem conſolatio baculi quę ſuſtentet. Et quidem diſciplina, vel miſericordia deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Proinde circa ſubditos

Temperet Prælatus iuſtitiæ rigorem.

Apoc. 11. v. 1.

Bernard. Senenſ. Tom. 2. Serm. 16. art. 1. c. 3.

Pſal. 2. v. 9.

Indidem.

Pſal. 22. v. 5.

ditos ſuos ineſſe Rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. *Hinc eſt*, inquit Gregorius, *quod ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur & oleum, Vt per vinum mordeantur vulnera, per oleum foueantur: quatenus vnuſquiſque, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur.* Sit itaque in Prælatis amor, ſed non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderatè ſæuiens; ſit pietas, ſed non plus quàm expediat parcens. Vide Gregor. lib. 19. c. 12. & Hom. 17. in Euang. ad 1. & c. Sunt namque. 1. diſtin. 45. Aliqua huius argumenti adnotaui in Epiſt. 7. n. 5. & in Orat. pro commend. fam. n. 4.

Gregor. lib. 2. Mor. c. 8. Luc. 10. v. 34.

18. OFFICIVM AVTEM PRÆLATIONIS SEMPER PVTET ET SENTIAT SIBI FORE POTIVS ONERI, QVAM HONORI.] Tantò grauius eſt pondus, quo maior eſt Præfectura: nam quò magis extenditur, eò ampliùs onus augetur. Quot accipit Prælatus animas gubernandas, tot ſibi imponit ſarcinas ferendas. Saul erat *electus & bonus, & non erat vir de Iſrael melior illo: ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum*; & tamen cùm ad regendos alios quæreretur, timuit, & abſcondit ſe domi, & ſuos humeros, licet robuſtos, tanto oneri noluit ſupponere. Ita qui ſuam ſalutem cum timore & tremore operantur, *abſcondũt ſe ne inueniantur: quia ſubire dignitatem refugiunt, cuius oneri ſe impares eſſe arbitrantur. Cum honoris principio, cauſa naſcitur oneris; quia vnde honor à Rectore excipitur, inde illud ſuſcipit, quo grauetur.* O quantum premit viros pios hic honor oneroſus, & quàm propriè ſibi dictum putant illud Prophetæ, *Deieciſti eos dum alleuarentur*! nam dum alleuantur honore, deijciuntur onere: nec tantum gaudent de elationis dignitate, quantum gemunt ſub ponderis magnitudine. Nónne hi ſunt illi *gigantes, qui tremunt ſub aquis?* Quid per gigantes, niſi maiores in populo; quid per aquas, niſi ipſi populi, iuxta Ioannem deſignantur? Benè Gregorius: *Gigantes ſub aquis gemere, eſt, quia quiſquis in hoc mundo, quaſi quadam corporis mole ordine poteſtatis excreuerit, tantò pondera maioris tribulationis ſentit, quantò ſuper ſe regendorum populorum curam ſuſceperit.* Vide eumdem l. 25. Moral. cap. 16. Paulinum Epiſt. ad Romanianum, quæ eſt 36. inter Auguſtinianas, & Notas meas in Epiſt. 7. numer. 2. & 3. & in Reg. Clariſſ. n. 20.

Præfectura onus eſt, non honor.

1. Reg. 9. v. 2.

Greg. l. 4. in 1. Reg. c. 5. longè ante fin.

Pſal 72. v. 18.

Iob 26. v. 5.

Apoc. 17. v. 15.

Greg l. 6. Regiſt. Indict. 15 Epiſt. 4.

19. VELLEM ETIAM EVM HABERE SOCIOS PRÆDITOS HONESTATE, &c.] Socios noſtri habent Generales Præfecti, qui tanto oneri ferendo ſint adiutorio. Tres communiter non excedunt; ex quibus duo ſunt à ſecretis, alter à ſeruilibus. Hos vult Franciſcus vndequaque laudabiles: nec enim ſatis iudicat ſpectatæ eſſe vitæ Rectorem, niſi & probi fuerint, qui ei circumſtant. Qui in ſe bonus eſt Prælatus, ſed malos habet ſocios, ſimilis eſt ei, qui ſano gaudet capite, ſed infirmis dolet lateribus. Benè dixit Bernardus iuuenem malis addictum comitibus *latera dolere*: nam dum lateribus aſſident mali, ex hac

Attendere debent Prælati, quos ſibi ſocios eligant.

Bernard. Epiſt. 91.

parte perfecta ſanitas non eſt. Ad Religionis quietem & profectum non ſufficit æquum & vigilem habere Rectorem, ſed etiam oportet vt ſocios ſibi ſeligat zelo pares, & in labore fideles. Aliàs quod æquis præceptis Prælatus ædificat, illi doloſis artibus deſtruunt; & quidquid ſanctæ pacis vel boni nominis Religioni ſuis meritis Rector acquirit, perdit alienis. Bonus erat & ſpectabilis quem Christus elegit, Eccleſiæ Prælatus Petrus; attamen

Matth. 8. v. 24. nauis, in quam Diſcipuli aſcendũt, fluctuauit, non Petri demeritis, ſed Iudæ iniquitate. Bonus Rector Petrus, malus ſocius Iudas: nauim non turbat Petri ſanctitas, ſed Iudæ malitia. Dum abſque Iuda nauigat, non periclitatur; dum cum ceteris Diſcipulis habet in nauicula maleſidum ſocium, *operitur flu-*

Luc. 5. v. 3. *ctibus:* nam quam ſanctè Prælatus intendit, perturbat ſocij ars fraudulenta quietem. Audi in hanc rem

Ambroſ. l. 4. in Luc. parum ante fin. & habetur 24 q. 1. Non turbatur. Ambroſium: *Non turbatur nauis, quæ Petrum habet; turbatur illa, quæ Iudam habet: etſi multa illic Diſcipulorum merita nauigabant, tamen eam adhuc perfidia proditoris agitabat. In vtraque Petrus; ſed qui ſuis meritis firmus eſt, turbatur alienis.* Non ſufficit Prælati virtus, dum officit ſocij malitia; plura bona ſuâ acquirit induſtriâ, ſed dolo perdit alieno.

Prælatorum ſocij non debent munera recipere.

20. NIHIL DE LABORE SVO RECIPIENTES NISI PVRAM CORPORIS NECESSITATEM.] Non ſat ſe dixiſſe putauit, dum ſuperiùs omnia, quæ neceſſitatem excedunt, interdixit Generali, niſi etiam, ne ſocij ad receptiones munerum & ſuperfluas laboris retributiones attenderent, cauere iuberet. Videbis aliquando plures Eliſeos & iuſtos Rectores, 4. Reg. 5. v. 23.
qui Naamani munera reſpuant, qui ſincerè & purè ſua exequantur officia: ſed habent apud ſe pueros Giezi, ſocios aſſumunt, qui vel conniuentibus Prælatis, ſeu illis inſcijs accipiunt auri talenta, veſtimentaque duplicia. Ex ipſo rerum euentu manifeſtè probatur, quòd *ideo Giezi ſeruiebat beato Eliſeo, vt pecuniam poſſet acquirere, & quòd propterea Iudas adhæſerat Domino Saluatori, vt fraudem faceret, & terrenas diuitias congregaret.* Ex ipſo ſeruitutis & ſocietatis genere facilè perſpicies, quid Symmyſtæ hi, ſeu Secretarij, vt vocant, intendant, ſi pecunias vndequaque colligere, ſi ad bonum regimen, debitum præſtare Prælatis auxilium. Quàm rectè omnia peragunt, quàm charitatiuè omnes ſuſcipiunt, qui ſolùm ad Dei honorem, & ad Religionis profectũ ſincerè reſpiciunt? Quam è regione tepidè, quàm moleſtè, cauſas ſuſcipiunt pauperum fratrum, quàm in longum egenorum negotia producunt illi, qui munera diligunt, qui ſequuntur retributiones. Fratrum querelæ, tardæ expeditiones, aſperæ & ſine charitate reſponſiones, quid velint, oſtendunt, nec cum Eliſeo ſe velle ſolùm propter Deum lepras mundare, ſed cum Giezi propter munera dumtaxat ſeruire. Videbis quòd *amicos non putant, niſi qui donant; quorum non os, ſed manus conſiderant, & quorum marſupia exhauriunt, ſanctos iudicant. Illis donant à quibus ſperant, illis fauent, illos extollunt, vel laudant eorum cauſam.* At ſciant Rectores non ſufficere ſibi ſuam innocentiam, & iuſtitiæ puritatem, niſi & pu-

August. ſer. 28. de Temp. in princ. To. 10. & Eucherius in hunc locum.

Gloſ. Ordin. in cap. 1. Iſai. v. 23

putam exerceant ſocij iuſtitiam; multotieſque Prælatos propter iniuſtas ſociorum aggregationes, Dei mereri ſupplicium, qui aliàs propter ſuam vitam rectè tranſactam eumdem habent propitium. In illa expugnatione Hai, & ignominioſo occaſu Iſraëlitarum, nihil profuit Ioſue ſanctitas, & inter ingentia Ierichuntina ſpolia integritas, dum in comitatu habuit auarum & ſubdolum Achanem, paſſus eſt populus exitium, & Ioſue opprobrium, propter vnius ex ſocijs cupiditatem. Quare, quæſo, vno peccante, & ex ſpolijs ſecretò accipiente, totus Iſraël ſupplicio & mœrore afficitur, & Dux optimus, integerque Rector adeò affligitur, *vt ſcindat veſtimenta ſua, & pronus cadat in terram coram arca Domini vſque ad veſperam, tam ipſe quam omnes ſenes Iſrael*, ſeque puluere ſordidarint? Rectè doctus ille vir Andreas Maſius, *Vt pro virili*, inquit, *quiſque adlaboret, ne non ſolùm ſua, verùm neque ſocij ſui culpa ſacrum illud caput offendatur*; *a quo ſoleat communis in omnia membra dolor renouari.* Videat idcircò Prælatus, ne ſuam integritatem malefidorum ſociorum polluat auaritia, taleſque apud ſe habeat, non qui ſibi congregent, ſed illi adlaborent.[1]

Ioſue 7. v.6.

Andr. Maſius in c. 7. Ioſue ver. 1.

[1] COLLATIO VIGESIMASEPTIMA.

De conditionibus Miniſtrorum Prouincialium.

VELLEM, Fratres, Prouinciales Miniſtros[2] affabiles eſſe minoribus, & tanta beneuolentia prędítos, vt eorum affectui non vereantur ſe committere delinquentes.[3] Vellem eos moderatos eſſe in pręceptis,[4] propitios in offenſis; ferre magis peccatores, quàm inferre iniurias.[5] Hoſtes vitijs, medicos vitioſis. Tales denique eſſe vellem[6] quorum vita ceteris eſſet ſpectaculum diſciplinæ. Hos tamen vellem omni honore venerari, & diligi, ſicut qui pondus portant ſollicitudinis & laboris. Summis eos pręmijs apud Deum reputarem eſſe dignos qui tali forma talique lege traditas ſibi animas gubernarent.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXVII.

1. COLLATIO VIGESIMASEPTIMA.] Signarunt hanc Floret. fol. 67. Monu. tract 2. fol. 280. pag. 2. ſed inſertam Collationi antecedenti in fine. Eam per ſe repoſuit Marc. 1. p. l. 2. c. 25. & Speculum Vitæ Franciſci, fol. 96. pag. 2.

2. AFFABILES ESSE MINORIBVS, ET

Prælati debent eſſe affabiles erga ſubditos.

ET TANTA BENEVOLENTIA PRÆDITOS, &c.] Illos abhorret Franciſcus Prælatos, qui, vt Prælatos ſe vident, homines ſe eſſe obliuiſcuntur. Statim ſupercilium erigunt, animo rument; elatis oculis, toruo vultu, ſuperbo inceſſu, inflatis buccis omnium ſibi reuerentiam extorquere procurant. Tumorem hunc Dominus per Prophetam in Paſtoribus increpans, ait: *Cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia.* Ex quibus verbis ſuperborũ horũ Prælatorum tumorẽ deſcribit Gregorius. *Ipſa bona*, inquit, *quæ ſubditis dicunt, dominando potiùs, quàm conſulendo proferunt: quia videlicet quidquam eis quaſi ex æquo dicere ſemetipſos exiſtimant detexiſſe. Singularitate enim gaudent culminis, & non æqualitate conditionis.* Superbo oculo, & inſatiabili corde ſubiectos deſpiciunt, eoſque æquales ſibi naturæ ordine non agnoſcunt: & quos ſorte poteſtatis exceſſerint, tranſcendiſſe ſe etiam vitæ meritis credunt: cunctis ſe æſtimant plus ſapere, quibus ſe vident ampliùs poſſe. In quodam quippe ſe conſtituunt culmine apud ſemetipſos; & qui æqua ceteris naturæ conditione conſtringuntur, ex æquo ceteros reſpicere dedignantur. Hi ſui tumoris ſuperbia illius aſcribuntur militiæ, de quo Iobus enuntiauit: *Omne ſublime videt, & ipſe eſt Rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ.* Illorum vultum benè Sapiens deſcripſit, dũ dixit: *Generatio, cuius excelſi ſunt oculi, & palpebræ eius in alta ſurrectæ.* Huiuſmodi Rectores timent ſubditi, nec illis ſe audent credere: ſuperbos hos Prælatorum oculos fugiunt, & tales deſiderant, quales benignus & mitis Dauid ſuos eſſe dicebat. *Non eſt*, inquit manſuetus populi Rector, *exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis.* Iſti ſunt oculi, à quibus reſpici cupiunt ſubditi, iſti ſunt qui confidentiam præbent accedendi; iſti ſunt qui placidis motibus, ſubditis amorem cordis oſtendunt: namque, vt ait Lyra, *diſpoſitio cordis magis apparet in oculis, quam alijs partibus*: affabilitas autem hæc, & *bonitas Prælati*, vt idem ſubiungit in Morali expoſitione, *cedit in bonum populi ſibi ſubiecti*: etenim, vt ait hîc Franciſcus, *eorum affectui non verebuntur ſe committere delinquentes. Si ſpirituales eſtis*, inquit Apoſtolus, *inſtruite huiuſmodi in ſpiritu lenitatis.* Aliter ſi in ſpiritu ſeueritatis, & tumore ſuperbiæ, non tam regere velint, quàm imperare, *morſus à ſerpente paruulus fugiet conſcientiam Sacerdotis, ad quem cum magis oportuerat tamquam ad ſinum recurrere matris.* Illi chirurgo ſua vulnera ſaucius libenter oſtendit, à quo ſuauem medicinam, non inutilem & duram cocturam ſe reportaturum confidit; atque illi Prælato eò faciliùs ſubditus ſuas pandit miſerias, quò certiùs expectat non duram repulſam, ſed dulce lenimen.

Ezech. 34 v.4. — *Gregor. lib. 24. Moral. c.14.* — *Iob 41. v.25.* — *Prou. 30. v.13.* — *Pſal. 130. v.1.* — *Lyra hîc.* — *Galat. 6. v.1.* — *Bernard. Ser 13. in Cant. parum à princ.*

3. VELLEM EOS MODERATOS ESSE IN PRÆCEPTIS.] Vide optimam huius rei rationem infrà Oraculo 19.

Benigni debent eſſe in correctione Prælati.

4 PROPITIOS IN OFFENSIS, FERRE MAGIS PECCATORES.] Nihil tam commendat Prælatis, quàm manſuetudinem erga delinquentes; nouit enim ad ſubditi reſipiſcentiam plus valere benignitatem, quàm rigorem. Dum per baculum ſuum Eliſeus reuocare tentat ad

vitam

vitam filium Sunamitidis, fruſtrà laborat; dum *incubuit ſuper puerum, & incuruauit ſe ſuper eum, calefacta eſt caro pueri*, & reuixit. *Eliſeus*, inquit Thaumaturgus ille Luſitanus, *eſt Prælatus, qui non virga, id eſt, aſpera diſciplina, ſed potiùs oratione & incuruatione, id eſt, benignitate, ſuſcitat mortuum; id eſt, animam ſubditi ſui reuocat a morte peccati.* Similiter dixit Petrus Damianus: *Non enim baculus mortuum iam ſubditum tam facilè ſæpè ſuſcitat, quàm lenis accommodatio & attemperatio morum, benignaque compoſitio.* Satis verum hoc eſſe, probauit illud Samaritanæ cum Chriſto colloquium: quæ enim aſperè dixit in principio, *Quomodo tu cùm Iudæus ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* poſteà blando & miti Chriſti ſermone *Dominum* vocauit, & adorauit, animoſeque à peccatis ſurrexit. Admirabitur forſan quiſpiam ſubitam vitæ ſermoniſq; mutationem: Dominum nunc veneratur, quem vt Iudæum antè contempſit: aquæ hydriam, fluxaſque carnis concupiſcentias dimittit, quæ ſe inhoneſtè ſeptem viris antè proſtituit. Benè ad rem noſtrã Caietanus: *Priùs dixerat, Tu; modò dicit, Domine: incipit enim adorare Ieſum, audita placida reſponſione eius, qua ferreum & obduratum cor emollierat.* Emolliũt cor manſueta verba, ſed aſpera multoties obdurant: & quem dulciter Prælati lenibus reuocare poſſunt ad vitam, crudeliter duris transfigunt ad mortem. Proinde dixit Bernardus: *Neque ſub ſpecie quaſi corripiendi verbo acuto & virenti transfigere audeas vllatenus animam, pro qua Chriſtus affigi cruci dignatus eſt.* Cùm Dominus diſcipulos ad prædicandum miſiſſet, illis virgas prohibuit. Cuius rei rationem reddit Ambroſius: *Quid eſt virga*, inquit, *niſi proferendæ poteſtatis inſigne, & vlciſcendi inſtrumentum doloris? Eos miſit ad ſeminandam fidem, qui non cogerent, ſed docerent, nec vim poteſtatis exercerent, ſed doctrinam humilitatis attollerent.* In tantum voluit Deus benignitatem & manſuetudinem erga peccantes exerceri, vt primùm à ſe Prælatorum creandum labi permiſerit, vt ex ſua infirmitate aliis diſceret miſereri; & quam ſibi vellet tribui veniam, aliis impartiret. *Oportebat*, inquit Rupertus, *prædeſtinato atque vocato ad tantam celſitudinem Petro Apoſtolo caſum ſubeſſe, & magnitudinem honoris eius præire, vnde illi humilitatis atque compaſſionis ſcientia iugiter poſſet accidere: idcircò labi permiſſus eſt, idcircò vſque ad triplicandam negationem derelictus eſt, pulchro & ſpectabili ordine ſapientiæ, vt rectè miremur omnes, & expedire credamus eis qui præſunt, tã propter ſemetipſos, quàm propter eos quibus præſunt, quatenus ad humilitatem vel compaſſionem eruditi ſint per magnum & memorabile præteritæ infirmitatis experimentum; aliter quippe infirmitates ſubditorum aut vix aut nullo modo ſupportare ſciunt.* Vbi Anna Propheti ſſa cecinit, *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*; Hieronymus adnotauit, propriè legi ex Hebræo: *Domini ſunt afflicti terræ, & poſuit ſuper eos orbem.* Accommodat vtramque lectionem Rupertus citatus, & interrogat: *Afflicti terræ qui ſunt, niſi humiles & contriti corde? ſuper illos planè,*

4. Reg. 4 v. 34. — Anton. à Pad. Ser. Dom 7. poſt Trinit. ant. fin. — Damian. lib. de Contem. ſæculi, c. 28. — Ioan. 4. v. 9. — Caiet. hic. — Bernard. Serm. 19. in Cant. — Mat. 10. v. 10. — Ambroſ. l. 7. in Lucam c. 10. — Mat. 26. — Ruper. lib. 1. de Sapien. c. 28. prope fin. — 1. Reg 2. v. 8. — Hieron. in verſ. Hebr. — Rupertus

planè, qui huiuſmodi ſunt, poſuit Dominus orbem, quia ſuper eos, qui præteritam infirmitatem memoriter tenentes, humilis apud ſe conſcientiæ ſunt, Dominus Eccleſiam ſuam collocauit, quia videlicet tantò clementius, tantò compatientius eumdem orbem portare poſſunt, quantò ampliùs clementis atque compatientis Dei gratia ſe indiguiſſe meminerunt. Ante dignitatem labi permittuntur Prælati, vt in dignitate, labentibus ſubditis diſcant miſereri. Vide Ambroſ. citatum, Theodoretum Serm. 7. de Prouid. & Bernardum Serm. de Magdalena.

Prælatus deſtruat vitium, non vitioſum. 5. HOSTES VITIIS, MEDICOS VITIOSIS.] Curandum vult peccatorem, non deſtruendum; tollendum quod noſtrū eſt, ſeruandum quod Dei eſt. Hæc ipſa Dei circa peccatores conditio eſt: eam prædixit Iſaias illis verbis: *Calamum* (Iſa. 42. v. 3.) *quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Quorum ſenſum ita explicuit Hieronymus: (Hieron. hic.) *Cunctis placabilis erit, & veniam dabit peccatoribus, dicens: Confide* (Matth. 9. v. 5.) *fili, dimittuntur tibi peccata. & qui vicini erant extinctioni, Domini clementia ſeruabuntur.* Seruat homines, extinguit peccata; aufert malum, bonum confirmat. Idcircò (Malach. 3 v. 3.) Chriſtum *ignem conflantem* vocauit Malachias Propheta. *Et ſedebit*, inquit, *conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum.* Ab his metallis conflatores ſcoriam tollunt, ſubſtantiam reponunt; inutilem materiam reiiciunt, pretioſam obſeruant. Ita Chriſtus Dominus ſcoriam & malitiam peccatorum abſtulit ab hominibus; tamen ipſos homines, etſi ſuos inimicos, illæſos dimiſit abire. Diuerſa eſt Rectorum terræ & cæli conditio. Pharao fugientes Iſraëlitas perſequitur ad mortem, nec naturam curat, modò expleat iram; homines promittit occidere, vt quam illatam putat, iniuriam poſſit vlciſci. *Perſequar*, inquit, *& comprehendam, diuidam ſpolia, & implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* (Exod. 15. v. 9.) At Chriſtus non modò gladio non percutit, ſed nec à ſuis in hoſtes vult gladios diſtringi. Percutit Chriſti aduerſarium Chriſti Vicarius, Petrus Malchum enſe cecîdit: ſed non tam Malchum ictus offendit, quàm Chriſti paſſionem vulnus adauxit. *Patientia Domini in* (Tertull. lib. de Patien. c. 2.) *Malcho vulnerata eſt*; & quæ homines cupit illæſos, Chriſti læſa eſt in vulnere manſuetudo. Ad ferientem ergo Petrum conuerſus, *Mitte*, ait, *gladium tuum in vaginam.* (Ioan. 18. v. 11.) quaſi dicat, inquit ille Eccleſiaſtes Moguntinus, *Aufer hinc tuum* (Ferus hic.) *illum gladium, qui homines necat. Meus gladius, quem ego tibi commiſi, vitia amputat, homines ſeruat.* Tales vult ſuorum ſucceſſorum gladios Franciſcus, qui peccata reſcindant, ſed peccantes conſeruent; qui magna diſcretione excandeſcant in vitia, & magna charitate ferantur in homines. Tollat magnâ, ſi opus fuerit, diſtrictione peccata, ſed æqua manſuetudine ferat, quem ſanat. Ferat, non feriat delinquentes; piè ferat infirmum, prudenter feriat iniquitatem. Doctrinam hanc egregia claudo Auguſtini ſententia: *Imple* (Auguſt. Ep. 158. ad Marcellin.) *Chriſtiane Iudex pij patris officium; ſic ſuccenſe iniquitati, vt conſulere humanitati memineris. Nec in pec-*

catorum atrocitatibus exerceas vlciſcendi libidinem, ſed peccatorum vulneribus curandi adhibeas voluntatem.

6. QVORVM VITA CETERIS ESSET SPECTACVLVM DISCIPLINÆ.] Quantū proficiat vel noceat ſubditis Prælatorum vita & exempla, vide in Adnot. ad Collationem pręcedentem, num. 6.

[1] COLLATIO VIGESIMAOCTAVA.

Qualiter conuerſandum ſit[2] in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis, & quòd nullatenus à Fratribus dimittatur.

VOLO, quòd iſte locus, Fratres chariſſimi, ſit ſemper[3] immediatè ſub poteſtate Generalis Miniſtri & Serui; & inde ille maiorem ſollicitudinem & curam habeat prouidendi ibidem de bona & ſancta familia. Clerici eligantur de melioribus & ſanctioribus & magis honeſtis Fratribus, & qui ſciant meliùs dicere Officium ex illis qui ſint in tota Religione; vt non ſolùm ſæculares, ſed etiam alij Fratres libenter, & cum magna deuotione, videant & audiant eos. De Fratribus etiam laicis, ſanctis hominibus, diſcretis, humilibus, & honeſtis, eligantur qui ſeruiant illis. [4] Volo etiam quòd nulla perſona, & nullus Frater intret in illum locum, niſi Generalis Miniſter, & Fratres qui ſeruiunt illis. Et ipſi non loquantur cum aliqua perſona, niſi cum Fratribus qui ſeruiunt illis, & cum Miniſtro quando viſitauerit eos. Volo ſimiliter, quòd Fratres laici, qui ſeruiunt eis, [5] teneantur numquam dicere eis verba otioſa, vel noua huius ſæculi, vel quæcumque alia, quæ non eſſent vtilia animabus eorum. Et propterea ſpecialiter volo, quòd nullus intret in illum locum, vt ipſi meliùs conſeruent puritatem & ſanctitatem ſuam; & quòd in illo loco nihil penitùs fiat vel dicatur inutiliter, ſed ipſe locus teneatur purus & ſanctus in hymnis & laudibus Domini. Et cùm aliquis ipſorum Fratrum migrauerit ad Dominum, volo quòd loco ipſius mittatur illuc alius ſanctus Frater à Generali Mini-

ſtro. Nam ſi alij Fratres declinauerint aliquando à puritate, & honeſtate, & ſanctitate vitæ, volo quòd iſte locus benedictus ſit, & permaneat ſemper ſpeculum & bonum exemplum totius Religionis, & quoddam candelabrum ante thronum Dei & beatam Virginem ſemper ardens & lucens, per quod Dominus propitietur defectibus & culpis omnium Fratrum, atque conſeruet ſemper & protegat hanc Religionem & plantulam ſuam. Videte, filij, ne vnquam hunc locum relinquatis. Si ab vna parte foras expellemini, per aliam reintrate. Nam locus iſte ſanctus eſt, & habitatio Chriſti, & Virginis Mariæ matris eius. Hîc, cùm pauci eſſemus, augmentauit nos Dominus altiſſimus. Hîc luce ſapientiæ ſuæ illuminauit animas pauperum ſuorum. Hîc igne ſui amoris noſtras voluntates accendit. Hîc qui orauerit corde deuoto, quod petierit, obtinebit; offendens, grauiùs punietur. Propter quod, ô filij, habete hunc locum omni reuerentia & honore digniſſimum, tamquam verè Dei habitaculum, ab ipſo & eius matre ſingulariter prædilectum. Atque ibidem toto corde veſtro in voce exultationis & confeſſionis confitemini Deo Patri, & eius Filio Domino Ieſu Chriſto, in Spiritus ſancti vnitate. Amen.

ADNOTATIONES IN COLLAT. XXVIII.

1. COLLATIO VIGESIMAOCTAVA.] Primam partem huius Collationis vſque ad illa verba, *Videte, filij*, &c. habet Legenda antiqua, c. 4. De perfectione humilitatis: poſteriorem verò eadem Legen. c. 5. & Piſanus l. 1. Confor. 12. c. 39. & l. 2. Confor. 16. Totam habet Marcus 1. p. l. 2. c. 16. Speculum Vitæ Franciſci, c. 55. & Marian. l. 1. c. 20. §. 4. qui ex Legenda antiqua eam paulò ante mortem ad Fratres habitam refert. Huius ſanctæ illius ædiculę commendationis meminit Bonau. c. 2. Legend. ad finem.

2. IN MONASTERIO SANCTÆ MARIÆ DE ANGELIS.] Vbi ſitum hoc ſit Monaſterium, cur diuerſis memorandum nominibus, & ſancti Patris erga illud affectum, dixi in Adnotationibus ad Epiſt. vltimam, n. 4. Nec mirum, ad ſuę mortis horam adeò affectuosè virum ſanctum huius loci reuerentiam, puritatem, & affectum Fratribus commendaſſe: egregia etenim & ſingu-

ſingularia in eo dona recepit, & domunculam ipſam magnis inſigniuit Deus priuilegiis. Illa humili & impolito carmine deuotus & vetuſtus quidam, ſed imperitus Poëta complexus eſt. Illud tranſcripſit Marianus citatus, habetque Speculum Vitæ Franciſci, c. 87. quod & ego ſubnecto.

Priuilegia ædis Portiunculæ.

Sanctus ſanctorum verè eſt locus iſte locorum.
Dignè magnorum cenſetur dignus honorum.
Felix [1] agnomen, felicius eſt ſibi [2] nomen
Et modo [3] cognomen ſortitur muneris omen.
[4] Angelicum numen hîc circumfundere lumen,
Et pernoctando ſolet hymnos voce ſonare.
Poſtquam tota ruit, Franciſcus eam reparauit.
Ex tribus vna fuit, quas ipſe Pater releuauit.
Hanc Pater elegit, cùm ſacco membra ſubegit.
Hîc corpus fregit, mentique ſubeſſe coëgit.
Hoc intra templum genitus fuit Ordo Minorum,
Dum Patris exemplum ſectatur turba virorum.
Clara Dei ſponſa fuit hîc primaria tonſa,
Pompis exuta mundi, Chriſtumque ſecuta.
Sic partum clarum Fratrum ſimul & Dominarum
Sacra [5] parens fudit, Chriſtum quibus orbe refudit.
Hîc fuit [6] arctata veteris mundi via lata,
Et dilatatą virtus in [7] gente vocata.
Regula conflata; paupertas ſancta renata.
Gloria proſtrata, [1] Crux in medium reuocata.
Sicubi turbatur Franciſcus & accidiatur,
Hîc tranquillatur, iſtîc ſita mens reuocatur.
Hîc demonſtratur verum, de quo dubitatur.
Imò donatur, quidquid Pater ipſe precatur.

[1] De Angelis. [2] Sancta Maria. [3] Portiuncula. [4] Excubiæ & pſalmodia Angelorum. [5] Quia in hoc templo vtrūque ortū Inſtitutum. [6] Tribus videlicet arctu votis. [7] In iis qui vocati ſunt ad Religionem.

[1] Excitata memoria Paſsionis Dominicæ.

Addit Marianus, fuiſſe ſancto viro ab ipſa Dei Genitrice reuelatum, ſe Eccleſiam illam inter ceteras ſibi dicatas, ſpeciali amore diligere, & patrocinio defendere. Aliis multis titulis commendatur tanta ſancti viri in hanc ædem propenſio: quoſdam ipſe ad finem Collationis recenſet. Vide Bonauent. c. 2. Legen. in fine.

3. IMMEDIATE SVB POTESTATE GENERALIS MINISTRI.] Voluit vt ſubeſſet Cœnobiolum hoc immediatè Generali, vt maiori cura incolarum exploraret & curaret virtutem, impollutamque loci ſanctitatem ſubiectis hîc à ſe mediis conſeruaret. Id factum primitus, teſtatur Thomas Celanen. in ſua Legenda, cuius ſubiicio teſtimoniū. *Seruabatur*, inquit, *ibidem rigidiſſima in omnibus diſciplina, tam in ſilentio & labore, quàm in ceteris regularibus inſtitutis. Nemini niſi Fratribus ſpecialiter deputatis illuc patebat ingreſſus, & omni ſæculari perſonæ omnis penitùs præcludebatur introitus. Non permittebatur, vt Fratres exiſtentes ibidem, qui ſub certo numero arctabantur, ad ſæcularium relationem prurirent, nec contemplatione intermiſſa cæleſtium, ad inferiorum commercia per rumigerulos*

Immediatè ſubiiciebatur hæc ædes Miniſtro Generali.

traherentur. Non licebat alicui ibidem otioſa verba proferre, nec referre prolata per alios. Sine intermiſsione diebus ac noctibus exiſtentes in loco diuinis erant laudibus occupati, & odore miro fragrantes vitam ducebant Angelicam. Sed omnia quæ ſub cælo ſunt, vetuſtate collabuntur, robuſtaque tempus tandem attenuat; ita humana inſtituta annorum diuturnitate, ab illo quo fundantur, calore tepeſcunt, nec in plura ſæcula feruorem deducunt primitiuum. Subeſt nunc ſacra hęc ædes Miniſtris Prouincię diui Frãciſci, in eaque tamquam in omnium primaria ſedem communiter figunt; ſed Generales Miniſtri non obinde omnem curam deponunt, quin pro ſui regiminis curriculo collapſum laborent reſtaurare rigorem.

4 VOLO ETIAM QVOD NVLLA PERSONA, &c.] Similiter iuſſit in Collatione ſecunda, ne in eremitoriis vlli pateret acceſſus, aut ad confabulandum quiſpiam admitteretur. Rationem vide in Notis ad eamdem n.4. In ſuæ Societatis ſilentij commendationem, hoc noſtri Auctoris ſtatutum ex Annalibus Minorum tranſcripſit Iulius Nigronius in Reg. 26. Ieſuitarum num. 14.

5. TENEANTVR NVMQVAM DICERE EIS VERBA OTIOSA, VEL NOVA HVIVS SÆCVLI.] Huius loci memini in Notis ad Regulam Clariſſarum n. 37. aliorumque confirmationes adieci; vbi quantæ ſit vtilitatis huius conſilij obſeruantia licebit videre.

Largiora forſan, quàm par erat, his Collationibus, & Regulæ Tertiariorum, quiſquam putabit nos adieciſſe Commentaria. Id conſultò factum ſciat, vt Tertiariorum Miniſtri, quibus incumbit ſtatutis diebus de Regulæ rerumque diuinarum obſeruantia ad Fratres & Sorores pœnitentes ſermocinari, habeant ad manum quid dicant; & noſtri Inſtituti Rectores, dum ſuas ad Fratres cohortationes velint ex communi noſtro Inſtitutore probare, abſque vllo labore aliorum ſanctorum Patrum ſermones adiiciant, & ad omnem fermè Regularis diſciplinæ commendationem ſuppetat aliqualis doctrina. Mihi operoſa fuit collectio; ſed grata, dummodò aliis ſit proficua.

OFFICIVM PASSIONIS DOMINICÆ.

QVANTA teneritudine ferebatur Franciſcus in Chriſtum in carne paſſum, & quàm mira compaſsionis dulcedine eius iugiter recolebat paſsionem, ſcripſit Bonau. c. 9. & 13. ſuæ Legendæ, & in principio Opuſculi de Miraculis à B. Patre patratis, quod ad eius Vitam ſubtexuit. Vt ergo haberet ſanctus vir per quod mentem ad maiorem ſacratiſsimæ Paſsionis reuerentiam religioſiùs excitaret, concinnauit ſibi quaſdam precandi formulas, ad rem compoſitis

poſitis Pſalmis, tam religioſa ſtructura, vt nihil aliunde quàm ex Dauidico Pſalterio, aliiſve ſacræ Scripturæ libris, admiſcuerit. Huius Officij meminit Auctor Vitæ ſanctæ Claræ, quam ad Alexandri Quarti imperium ſcripſit, & quam Surius tranſcripſit c. 20. his verbis: Officium Crucis, prout Crucis amator Franciſcus inſtituerat, didicit beata Virgo, & affectu ſimili frequentauit. *Primum huius Officij exemplar mihi occurrit in primo Cod. MS. Aſſiſienſi ſæpiùs à me citato. Secundum mihi ex ciuitate Bononienſi tranſmiſit Reuerendiſſimus Pater Benignus Genuenſis, ſupremus noſtri Inſtituti Rector, anno Domini 1619. Tertium obtulit Bartholomæus Cimarelli Prouinciæ Picenæ vir doctus, & Pater emeritus, mihi familiaris, in primo volumine Annalium nuper à ſe editorum l. 1. c. 8. Aliud ſe vidiſſe penes Auguſtæ memoriæ Imperatorem Maximilianum iuniorem, magnaq́; deuotione ab eodem quotidie frequentatum, mihi retulit vir æquè pius ac doctus R. Pater Henricus Sedulius in æde noſtra Salmantina, anno 1618. dum illuc cum ceteris Belgicis & Germanis Electoribus celebrandorum Comitiorum Generalium gratiâ longa confectus ætate conuenit. Non eadem horum exemplarium ſeries in diſponendo hoc Officio pro ſtatutis anni temporibus. Parui tamen eſt momenti diſcrepantia; nec vlla eſt fermè in verbis Officij. Clariorem ſequor Codicis Aſſiſiatis diſpoſitionem. Quod in verbis fuerit diſcrimen, ad marginem affigam; & libros Scripturæ, ex quibus omnia vir ſanctus decerpſit, è regione ſignabo.*

Ordo recitandi Officium Dominicæ Paſsionis ab hora Completorij Feriæ Quintæ maioris Hebdomadæ, quando Chriſtus Dominus traditus eſt, vſque ad Completorium Sabbati ſancti, & omnibus diebus ferialibus per annum.

RVBRICA.

Incipiendum eſt Officium ab Oratione Dominica, ſed eo modo, quo Tomo primo poſita eſt cum Gloſſa ſancti viri: deinde

ſubnectendæ illæ Laudes Dominicæ, Sanctus, Sanctus, *&c. quas ibidem pag.* 101. *inuenies cum ſuis Verſiculis & Oratione, quæ ad omnes Horas præponuntur: tunc abſolutè dicenda eſt Antiphona & Pſalmi, eo modo quo hîc diſponuntur.*

AD COMPLETORIVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal. 55. v. 9. DEVS vitam meam annuntiaui tibi: poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.

Pſal. 40. v. 8. * Pſal. 70 v. 10. * Omnes inimici mei aduerſum me cogitauerunt mala mihi: * conſilium fecerunt in vnum.

Pſal. 108. v. 5. Et poſuerunt aduerſum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.

Ibidem. Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam.

Pſal. 21. v. 12. Mi Pater ſancte, Rex cæli & terræ, ne diſceſſeris à me: quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet.

Pſal. 55. v. 10. Conuertentur inimici mei retrorſum, in quacumque

Pſal. 37. v. 12. die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.

Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt: & proximi mei de longè ſteterunt.

Pſal. 87. v. 9. Longè feciſti notos meos à me, poſuerunt me abominationem ſibi: traditus ſum, & non egrediebar.

Pſal. 21. v. 20. Pater ſancte ne elongaueris auxilium tuum à me: Deus meus ad auxilium meum reſpice.

Pſal. 37. v. 23. Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio, & nunc, & ſemper: & in ſæcula ſæculorum, Amen.

ANTI-

ANTIPHONA.

Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo in mulieribus, filia & ancilla altiſſimi Regis, Patris cæleſtis, mater ſanctiſſima Domini noſtri Ieſu Christi, ſponſa Spiritus ſancti: ora pro nobis cum ſancto Michaële Archangelo, & omnibus Virtutibus cælorum, & omnibus Sanctis, tuum ſanctiſſimum Filium dilectiſſimum Dominum noſtrum, & Magiſtrum. Amen.

Gloria Patri, *&c.*

AD MATVTINVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

DOmine Deus ſalutis meæ: in die clamaui & nocte coram te. Pſal. 87. v. 1.

Intret in conſpectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. Pſal. 87. v. 2.

Intende animæ meæ, & libera eam: propter inimicos meos ſuper me. Pſal. 68. v. 19.

Quoniam tu es, qui extraxiſti me de ventre, ſpes mea ab vberibus matris meæ: in te proiectus ſum ex vtero. Pſal. 21. v. 10.

De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne diſceſſeris à me. Ibidem v. 11.

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam: & reuerentiam meam. Pſal. 68. v. 20.

In conſpectu tuo ſunt omnes, qui tribulant me: improperium expectauit cor meum, & miſeriam. Ibid. v. 21

Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit: & qui conſolaretur, & non inueni.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo. Pſal. 85. v. 14.

Aeſtimatus ſum cum deſcendentibus in lacum: factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Pſal. 87. v. 5.

Tu

Pſal.45. v.5. Tu es ſanctiſſimus Pater meus: & Deus meus.
Pſal.37. v.23. Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ. Gloria Patri, &c.

Antiphona. Sancta Maria virgo non eſt tibi ſimilis nata in mundo, &c. Gloria Patri, &c.

AD PRIMAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal.56. v.1. MISERERE mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in vmbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad ſanctiſſimum Patrem meum altiſſimum: Deum qui benefecit mihi.

Miſit de cælo, & liberauit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Miſit Deus manum ſuam, & veritatem ſuam, & animam meam * eripuit de inimicis meis fortiſſimis, & ab
*Pſal.17. v.18. his qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

Pſal.56. v.7. Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.

Foderunt ante faciem meam foueam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & pſalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exſurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: & pſalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata eſt vſque ad cælos miſericordia tua: & vſque ad nubes veritas tua.

Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua. Gloria Patri, &c.

Anti-

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD TERTIAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

MISERERE mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me. Pſal. 55. v. 2.

Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduerſum me. Ibidem 3.

Omnes inimici mei aduersùm cogitabant mala mihi: verbum iniquum conſtituerunt aduerſum me. Pſal. 40. v. 8 9.

Qui cuſtodiebant animam meam: conſilium fecerunt in vnum. Pſal. 70. v. 10.

Egrediebantur foras: & loquebantur in idipſum. Pſal. 40. v. 8.

Omnes videntes me deriſerunt me: locuti ſunt labiis, & mouerunt caput. Pſal. 21. v. 8.

Ego autem ſum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ibidem v. 7.

Super omnes inimicos meos factus ſum opprobrium vicinis meis valdè: & timor notis meis. Pſal. 30. v. 12.

Pater ſancte ne elongaueris auxilium tuum à me: & ad defenſionem meam conſpice. Pſal. 21. v. 20.

Intende in adiutorium meum: Domine Deus ſalutis meæ. Gloria Patri, *&c.* Pſal. 37. v. 23.

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD SEXTAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

VOCE mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Pſal. 141. v. 2.

Effundo in conſpectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum: & tu cognouiſti ſemitas meas.

In via hac qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat, qui cognoſceret me.

Periit fuga à me: & non eſt qui requirat animam meam.

Pſal. 68 v. 8. Quoniam propter te ſuſtinui opprobrium: operuit confuſio faciem meam.

Extraneus factus ſum fratribus meis: & peregrinus filiis matris meæ.

Pater ſancte, zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.

Pſal. 34. v. 15. Et aduerſum me lætati ſunt, & conuenerunt: & congregata ſunt ſuper me flagella, & ignoraui.

Pſal. 37. v. 20. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

Pſal. 68. v. 5. Confortati ſunt, qui perſecuti ſunt me inimici iniuſtè: quæ non rapui, tunc exoluebam.

Pſal. 34. v. 11. Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me.

Ibidem v. 12. Retribuebant mihi mala pro bonis, & * detrahebant
*Pſal. 37. v. 21. mihi, quoniam ſequebar bonitatem.

Pſal. 45. v. 5. Tu es ſanctiſſimus Pater meus: Rex meus, & Deus meus.

Pſal. 37. v. 23. Intende in adiutorium meum, Domine Deus ſalutis meæ. Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.*

Gloria Patri, *&c.*

AD NONAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

O vos omnes, qui tranſitis per viam : attendite & vi- Thren.1.
dete ſi eſt dolor ſicut dolor meus. v.12.
Quoniam circumdederunt me canes multi : conſi- Pſal.21.
lium malignantium obſedit me. v.17.
Ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me : diuiſe- Ibidem
runt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſe- v.18.
runt ſortem.
Foderunt manus meas, & pedes meos : & dinumera- Ibidem
uerunt omnia oſſa mea. v.17.
Aperuerunt ſuper me os ſuum : ſicut leo rapiens & Ibidem v.14.
rugiens.
Sicut aqua effuſus ſum : & diſperſa ſunt omnia oſſa
mea.
Et factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens, in
medio ventris mei.
Aruit tamquam teſta virtus mea : & lingua mea ad-
hæſit faucibus meis.
Et dederunt in eſcam meam fel : & in ſiti mea pota- Pſal 68.
uerunt me aceto. v.22.
Et in puluerem mortis deduxerunt me: & * ſuper do- Pſal.21. v.16.
lorem vulnerum meorum addiderunt. *Pſal.68. v.27.
Ego dormiui & reſurrexi: & Pater meus ſanctiſſimus Pſal.3.
cum gloria ſuſcepit me. v.6.
Pater ſancte, tenuiſti manum dexteram meam, & in Pſal.72. v.24.
volũtate tua deduxiſti me, & cum gloria aſſumpſiſti me.
Quid enim mihi eſt in cælo : & à te quid volui ſuper Ibidem
terram? v.25.
Videte, videte, quoniam ego ſum Deus, dicit Domi- Pſal 45.
nus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. v.11.
Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui redemit animas Pſal.33.

 ſeruo- v.23.

ſeruorum ſuorum de proprio ſanctiſſimo ſanguine ſuo: & non delinquent omnes qui ſperant in eo.

Pſal. 95. v. 13. Et ſcimus quoniam venit: quoniam veniet iuſtitiam judicare. Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD VESPERAS.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal. 46. v. 2. OMNES gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis.

Ibidem v. 3. Quoniam Dominus excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.

Quia ſanctiſſimus Pater de cælo, Rex noſter ante ſæcula: miſit dilectum Filium ſuum de alto, & * operatus eſt ſalutem in medio terræ.
*Pſal. 73. v. 12.

Pſal. 95. v. 11. 12. Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Ibidem v. 1. Cantate ei canticum nouum: cantate Domino omnis terra.

Ibidem v. 4. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis eſt ſuper omnes Deos.

Ibidem v. 7. Afferte Domino patriæ gentiũ, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Ex Luc. 14. v. 27. Tollite corpora veſtra, & baiulate Crucem eius: & ſequimini vſque in finem ſanctiſſima præcepta eius.

Pſal. 95. v. 10. Commoueatur à facie eius vniuerſa terra: dicite in gentibus, Quia Dominus regnauit.

Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.*

Gloria Patri, *&c.*

RVBRICA.

Quandocumque terminatur Officium, dicuntur ſequentia verba:

Benedicamus Domino Deo viuo & vero; laudemus eum; gloriam, honorem, benedictionem, & omnia bona referamus ei ſemper. Amen, amen. Fiat, fiat.

RVBRICA.

A Completorio Sabbati ſancti, vſque ad Octauam Pentecoſtes incluſiuè, dicitur Officium vt ſequitur.

Pater noſter, *&c.* & Sanctus, Sanctus, *&c. vt ſuprà.*

AD COMPLETORIVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

DEVS in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina. Pſal. 69.

Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.

Auertantur retrorſum, & erubeſcant: qui volunt mihi mala.

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

Exultent, & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper, Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare tuum.

Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.*

Gloria Patri, *&c.*

AD MATVTINVM DOMINICÆ RESVRRECTIONIS.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal. 97. v. 1. CANTATE Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.

* Aliàs Sanctificauit — * Sacrificauit filium ſuum dextera eius, & brachium ſanctum eius.

* Aliàs Sanctū — * Notum fecit Dominus ſalutare ſuum: in conſpectu gentium reuelauit iuſtitiam ſuam.

Pſal. 39. v. 9. In illa die mandauit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum eius.

Pſal. 117. v. 24. Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

Ibidem v. 26. Benedictus qui venit in nomine Domini: Deus Dominus, & illuxit nobis.

Pſal. 95. v. 11. 12. Lætentur cæli, & exultet terra; commoueatur mare, & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis ſunt.

Ibidem v. 7. 8. Afferte Domino patriæ gentiū, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.

Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD PRIMAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Miſerere mei Deus, miſerere mei, *&c.* *vt ſuprà ad Primam in Officio de Tempore.*

AD TERTIAM, SEXTAM, ET NONAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Cantate Domino canticum nouū, *&c.* *vt ſuprà ad Matutinum in hoc Officio Paſchali.*

AD

AD VESPERAS.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Omnes Gentes plaudite manibus, *&c. vt ſuprà ad Veſperas in Officio de Tempore.*

RVBRICA.

Notandum, quòd in die Aſcenſionis adduntur ad Pſalmum Cantate, *tam in Matutino, quàm ad Tertiam, Sextam, & Nonam, ſequentes verſiculi:*

REGNA terræ cantate Deo, pſallite Domino: pſallite Deo qui aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem. Pſal. 67. v. 33. 34.

Ecce dabit voci ſuæ vocem virtutis, date gloriam Deo ſuper Iſraël: magnificentia eius & virtus eius in nubibus. Ibidem v. 35.

Mirabilis Deus in Sanctis ſuis, Deus Iſraël ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ: benedictus Deus. Ibidem v. 36.

Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria Virgo non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

RVBRICA.

Ad Veſperas etiam Aſcenſionis quotidie vſque ad Aduentum, ad Pſalmum, Omnes Gentes, *adiunguntur hi verſus:*

ET aſcendit ad cælos: & ſedet ad dexteram ſanctiſſimi Patris in cælis. Ex Symb. Apoſtol.

Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua. Pſal. 56. v. 6.

Et ſcimus quoniam venit, quoniam veniet iuſtitiam iudicare. Gloria Patri, *&c.* Pſal. 95. v. 13.

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.*

Gloria Patri, *&c.*

RVBRICA.

Ordo dicendi Officium in omnibus Feſtiuitatibus principalibus & Dominicis diebus, ab Octaua Pentecoſtes vſque ad

Aduen-

Aduentum, & ab Octaua Epiphaniæ vſque ad Completorium Feriæ Quintæ in Cœna Domini.

AD COMPLETORIVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Deus in adiutorium meum intende, *&c. vt ſuprà in Completorio tempore Paſchali.*

AD MATVTINVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Cantate Domino canticum nouum, *&c. vt ſuprà in Matutino Reſurrectionis.*

AD PRIMAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Miſerere mei Deus, miſerere mei, *&c. vt ſuprà ad Primam in Officio de Tempore.*

AD TERTIAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal.65. v.2. IVBILATE Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.

Dicite Deo, Quàm terribilia ſunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo.

Ibidem v.16. Venite, & audite, & narrabo, omnes qui timetis Deũ: quanta fecit animæ meæ.

Ibidem v.17. Ad ipſum ore meo clamaui: & exultaui ſub lingua mea.

Pſal.17. v.7. Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius.

Pſal.65. v.8. Benedicite gentes Dominum noſtrum: & auditam facite vocem laudi eius.

Pſal.71. v.17. Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

Et

Et benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra: fiat, fiat. Ibidem v. 19.

AD SEXTAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

EXAVDIAT te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob. Pſal. 19. v. 2.

Mittat tibi auxilium de ſancto: & de Sion tueatur te. Ibid. v. 3.

Tribuat tibi ſecundùm cor tuum: & omne conſilium tuum confirmet. Ibid. v. 5.

Lætentur in ſalutari tuo: & in nomine Domini Dei noſtri magnificabuntur. Ibid. v. 6.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam miſit Dominus Ieſum Chriſtum filium ſuum, & * iudicabit populos in iuſtitia. Ibid. v. 7. * Pſal. 9. v. 9.

Et factus eſt Dominus refugium pauperis, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: & ſperent in te qui nouerunt nomen tuum. Ibidem v. 10. 11.

Benedictus Dominus Deus meus: quia* factus eſt ſuſceptor meus & refugiũ meum in die tribulationis meæ. Pſal. 58. v. 17.

Adiutor meus tibi pſallam: quia Deus meus miſericordia mea. Gloria Patri, *&c.* Ibidem v. 18.

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, &c. Gloria Patri, *&c.*

AD NONAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

IN te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me, & eripe me. Pſal. 70. v. 2.

Inclina ad me aurem tuam: & ſalua me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum: vt ſaluum me facias.

Ibid. v. 5. Quoniam tu es patientia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea.

Ibid. v. 6. In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus: in te cantatio mea ſemper.

Ibid. v. 8. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam: tota die magnitudinem tuam.

Pſal. 68. v. 17. Exaudi me Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.

Ibidem v. 18. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Pſal. 58. v. 17. Benedictus Dominus Deus meus, quia * factus eſt ſuſceptor meus: & refugium meum in die tribulationis meæ.

Ibidem v. 18. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es: Deus meus miſericordia mea. Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD VESPERAS.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Omnes gentes plaudite manibus, *&c. vt ſuprà ad Veſperas in Officio feriali.*

RVBRICA.

Ordo recitandi Officium à prima Dominica Aduentus vſque ad Vigiliam Natiuitatis Domini.

AD COMPLETORIVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

Pſal. 12. VSQVEQVO Domine obliuiſcêris mei in finem: vſquequò auertis faciem tuam à me?

Quamdiu ponam conſilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?

Vſque-

Vſquequò exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte: ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi: & pſallam nomini Domini altiſſimi. Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD MATVTINVM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS.

CONFITEBOR tibi Domine ſanctiſſime Pater, Rex cæli & terræ: quoniam conſolatus es me. Iſa. 12. v. 1.

Tu es Deus Saluator meus: fiducialiter agam, & non timebo. Ibid. v. 2.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem. Ibid. v. 3.

Dextera tua Domine magnificata eſt in fortitudine, dextera tua Domine percuſſit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios meos. Exod. 15. v. 17.

Videant pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra. Pſal. 68. v. 33.

Laudent illum cæli & terra: mare, & omnia reptilia in eis. Ibidem v. 35.

Quoniam Deus ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ.

Et inhabitabunt ibi: & hereditate acquirent eam.

Et ſemen ſeruorum eius poſſidebit eam: & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea. Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

AD PRIMAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Miſerere mei Deus, miſerere mei, *&c.* *vt ſuprà in Officio feriali.*

AD TERTIAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Iubilate Deo omnis terra, *&c. vt ſuprà in Officio Feſtiuo, & Dominicali.*

AD SEXTAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Exaudiat te Dominus, *&c. vt ſuprà ibidem.*

AD NONAM.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. In te Domine ſperaui, *&c. vt ſuprà ibid.*

AD VESPERAS.

Antiphona. Sancta Maria virgo.

PSALMVS. Omnes gentes plaudite manibus, *&c. vt ſuprà ad Veſperas in feriali Officio, omiſſo ſolùm vltimo verſu,* Commoueatur à facie eius, *&c.*

RVBRICA.

Similiter celebratur Officium à die Natiuitatis Domini vſque ad Octauam Epiphaniæ, excepto quòd ad omnes Horas, incipiendo à Veſperis diei, dicatur ſequens Pſalmus:

Pſal. 80. v. 2. EXVLTATE Deo adiutori noſtro: iubilate Domino Deo viuo & vero in voce exultationis.

Pſal. 46. v. 3. Quoniam Dominus excelſus, terribilis: Rex magnus ſuper omnem terram.

•Pſal. 37. v. 12. •Ex Symbol. Apoſtol. Quia ſanctiſſimus Pater de cælo * Rex noſter ante ſæcula, miſit Filium ſuum de alto: & * natus fuit de beata virgine Maria.

Ipſe

Ipſe inuocauit me, Pater meus es tu: & ego primoge- Pſal. 88.
nitum ponam illum excelſum præ Regibus terræ. v. 27. 28.

In illa die mandauit Dominus Deus miſericordiam Pſal. 39.
ſuam: & nocte canticum eius. v. 9.

Hæc eſt dies quam fecit Dominus: exultemus, & læ- Pſal. 117.
temur in ea. v. 24.

Quia ſanctiſſimus puer dilectus datus eſt nobis, & na- Iſa. 9. v. 6.
tus fuit pro nobis in via, & * poſitus in præſepio: quia Lucæ 2.
non habebat locum in diuerſorio. v. 7.

Gloria in altiſſimis Domino Deo: & in terra pax ho- Ibidem
minibus bonæ voluntatis. v. 14.

Lætentur cæli & exultet terra, commoueatur mare & Pſal. 95.
plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis v. 11. 12.
ſunt.

Cantate ei canticum nouum: cantate Domino om- Ibid. v. 1.
nis terra.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: ter- Ibid. v. 4.
ribilis eſt ſuper omnes Deos.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino Ibid. v. 7.
gloriam & honorem: afferte gloriam nomini eius.

Tollite corpora veſtra, & baiulate ſanctam Crucem Ex Luc.
eius: & ſequimini vſque in finem præcepta eius. 14. v. 27.

Gloria Patri, *&c.*

Antiphona. Sancta Maria virgo, non eſt tibi ſimilis nata in mundo, *&c.* Gloria Patri, *&c.*

CANTICA B. FRANCISCI.

INTER *cetera Opuſcula, quædam metro ordinaſſe, ſuiſque numeris abſoluiſſe ſanctum virum, teſtantur Henricus VVillot, Antonius Poſſeuinus, Petrus Rodulphus, Marianus Florentinus, Operibus his præfixi, Bartholomæus Piſanus l. 2. Confor. 11. Marcus Olyßiponen. 1. p. l. 1. c. 92. & alij. Tria dumtaxat, quæ ſequuntur, mihi occurrerunt; vbi verò, ad ipſorum dicam ini-*

initia. Præter Marianum, ſunt qui meminerint alterum Canticorum, quæ ad beatæ Claræ eiuſq; ſectatricium ſolamen vir ſanctus modulatus eſt. Periêre hæc, & alia huius generis, temporis iniuria, vel veriùs Fratrum incuriâ.

CANTICVM FRATRIS SOLIS.

ARGVMENTVM.

PAVCIS *ante obitum annis Deus dignanter eum certum reddidit de beatitudinis gloria aſſequenda. Statim prorupit in has laudes, quibus Deum in ſuis extulit creaturis. Inter omnes potior eſt Sol tam perbello ſplendore, & productiua virtute, quàm Dei digniori ſimilitudine: quippe qui & Sol iuſtitiæ nuncupatur: propterea Solis Canticum inſcripſit. Illud cum duobus ſequentibus materno cecinit idiomate. Totum non vno compoſuit tempore. Quare quoſdam poſteà addiderit verſiculos, in ipſo Cantico afferuntur cauſæ. Rationem metri non obſeruarunt, ſed & confuderunt antiqui exſcriptores. Italico, quia hoc ſcripta ſunt, idiomate, & Latino, vt communis fiant iuris, tria hæc offero Lectori. Primum hoc habent Piſanus & Marcus citati, Rebolledo 1. p. l. 1. c. 31. & alij. Veterem, quam habet Piſanus, loquelam tranſcripſi: politam nouiorem, quam in interpretatione Italica Chronicorum obſeruauit Horatius Diola Bononienſis, ſciens neglexi.*

ALTISSIMO, omnipotente, bon Signore; tue ſon le laude, la gloria, lo honore, & ogni benedictione. A te ſolo ſe confano, & nullo homo e degno de nominarte. Laudato ſia Dio mio Signore con tute le creature, ſpecialmente meſſer lo frate Sole: il quale giorna, & illumina nui per lui, & ello è bello, e radiante con grande ſplendore: de te Signore porta ſignificatione. Laudato ſia mio Signore, per ſuor Luna, e per le Stelle: il quale in cielo le hai formate chiare e belle. Laudato ſia mio Signore per frate vento, e per laire, e nuuolo, e ſereno, e ogni tempo, per le quale dai à tute creature ſuſtentamento. Laudato ſia mio Signore per ſuor aqua, la quale è molto vtile, e humele, e precioſa, e caſta. Laudato ſia

ſia mio Signore per frate fuocho, por lo quale tu alumini la nocte, e ello è bello, e iocundo, e robuſtiſſimo, e forte. Laudato ſia mio Signore per noſtra madre terra, la quale ne ſoſtenta, e gouerna, e produci diuerſi fructi, e coloriti fiori, e herbe.

Sequentem verſiculum addidit Franciſcus præcedentibus, quando coram Epiſcopo Aſſiſij & Poteſtate fecit præfatas laudes decantari, vt ad concordiam venirent: quod & mirabiliter factum eſt.

Laudato ſia mio Signore, per que li que perdonano per lo tuo amore, e ſolteneno infirmitade, e tribulatione. Beati queli che ſoſtegnerano in pace: che de te Altiſſimo ſeranno incoronati.

Quæ ſequuntur compoſuit, quando per reuelationem de mortis tempore ſibi conſtitit.

Laudato ſia mio Signore per ſuor noſtra morte corporale: da la quale nullo homo viuente può ſcampare. Guai à queli che more in peccato mortale. Beati queli che ſe trouano nele toe ſanctiſſime voluntade, che la morte ſecunda non li pora far male. Laudate, e benedicete mio Signore, e regratiate, e ſeruite à lui con grande humilitade.

ALTISSIME, *Omnipotens, bone Domine, tuæ ſunt laudes, gloria, honor, & omnis benedictio. Tibi ſoli referendæ ſunt, & nullus homo dignus eſt te nominare. Lauderis Domine Deus meus propter omnes creaturas tuas, & ſpecialiter propter honorabilem [1] fratrem noſtrum Solem, qui dieſcere facit, & nos illuminat per lucem; pulcher eſt, & radians, & magni ſplendoris, & tui Domine ſymbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter ſororem Lunam, & Stellas, [2] quas in cælo creauit claras & bellas. Laudetur Dominus meus propter fratrem ventum, aërem, nubes, ſerenitatem, & propter omnia*

omnia tempora, per quæ omnibus creaturis miniſtrat alimentum. Laudetur Dominus meus propter ſororem aquam, quæ eſt multùm vtilis,[3] *humilis, pretioſa, & caſta. Laudetur Dominus meus propter fratrem ignem, per quem noctem illuminat; ille*[4] *roſeus eſt, rutilus, inuictus, & acer. Laudetur Donus meus*[5] *propter noſtram matrem terram, quæ nos ſuſtentat, & alit, & producit varios fructus, & varicolores flores, & herbas.*

Lauderis mi Domine propter illos qui pro tuo amore offenſas dimittunt, & patienter ſuſtinent tribulationem & infirmitatem. Beati illi, qui in pace ſuſtinuerunt, quia à te Altiſſime coronabuntur.

Lauderis mi Domine propter ſororem noſtram mortem, quam nullus viuens poteſt euadere. Væ illis, qui moriuntur in peccato mortali! Beati illi, qui in hora mortis ſuæ inueniunt ſe conformes tuæ ſanctiſsimæ voluntati, mors enim ſecunda non poterit eis nocere. Laudate, & benedicite Dominum meum, gratificamini, & ſeruite illi omnes creaturæ cum magna humilitate.

ADNOT. IN CANTICVM FRATRIS SOLIS.

1. FRATREM NOSTRVM SOLEM, &c.] In titulo etiam Cantici Solem fratrem vocat, aliaſque creaturas fratres ſororeſque hîc appellat, idque ei valdè familiare. Rationem aſſignat Bonauentura in eius Vita. *Conſideratione,* inquit, *primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet paruas fratris vel ſororis appellabat nominibus: pro eo quòd ſciebat eas vnum ſecum habere principium.* Hanc ſancti viri conſuetudinem adnotauit etiam Vincen. Beluacen. 2. p. Hiſt. l. 30. c. 106.

2. QVAS IN CÆLO CREAVIT CLARAS ET BELLAS.] Inter Auctores, qui de opere ſex dierum ſcripſerunt, controuertitur, an ſtatim vt lunæ aſtrorumque materia creata eſt, lucida euaſerit & clara, vt hîc videtur inſinuare noſter Auctor. Quidam volunt, quarto die, quo dixit Deus, *Fiant luminaria in firmamento cæli,* &c. partes cæli euaſuras in aſtra, fuiſſe à Deo denſatas, & continuò luce donatas; ita vt ſimul materiam diſpoſuerit, & lucem produxerit aſtrorum. Alij veriùs docent, materiam aſtrorum, quæ aliud non eſt quàm cælorum pars denſior, à principio factam ſimul cum ipſis cælis ſecundùm magnitudinem, figuram, & proportio-

portionem, quas modò habent. Non tamen vſq; in quartum diem denſiores hæ cæli partes, impoſitis Solis, Lunæ, & ſtellarum nominibus, à cetera cæli materia diſtinguebantur, donec luce perfuſæ ſunt, Deo partes illas ſpiſſiores luce complente. Cùm verò lux ſit forma aſtrorum, & à forma habeant res principalius eſſe: ideò dicuntur creatæ quarto die planetæ, & ſtellę, quia eo die acceperunt lucem & nomen; proinde à noſtro Auctore inſinuatur ſtatim in ſua creatione euaſiſſe, *claras & bellas*. An verò ſtellæ propriè luceant, vel ſolùm reluceant, vt vult Hugo de ſancto Victore lib. Annotationum in Geneſ. c. 6. & an omnem ſuam lucem Soli ferant acceptam, vide Auguſt. l. 2. de Geneſ. ad liter. c. 16. & Pererium lib. 1. in eamdem, in Opere quarti diei.

3. HVMILIS, PRETIOSA, ET CASTA.] Humilem vocat aquam, quia cùm ſit elementum terrâ ſuperius, non tamen toti ſuperficiei terræ ſupernatat, ſed demiſſiores ſemper petit alueos, nec vberes ſuperſtagnat campos, niſi prępedito vel ſuperato curſu, vt vi cogatur ſuperexcurrere. Familiare eſt Poëtis, ex infero ſitu res humiles vocare. Virgil. 7. Æneid. parum à principio: *Humili deſignat mœnia foſſa.* & alibi: *Humilemque videmus Italiam.* Cicero etiam 5. Tuſcul. & Colum. l. 4. c. 1. humiles vocarunt vites, quæ ſe altiùs à terra tollere non poſſunt. *Pretioſam* verò dicit Auctor, quia ob varia commoda in pretio habenda. *Caſtam* demum aquam appellare Poëticum eſt, vel propter caſtas Nymphas, quæ aquas incolere dicebantur; vel propter frigiditatem luxui aduerſariã. Ita *flumen caſtum* dixit Claudianus 3. Paneg. & Statius l. 4. Silu. in Lyrico ad Maximum Iunium cecinit, *bibendus caſtior amnis.*

4. ROSEVS EST, RVTILVS, INVICTVS, ET ACER.] His epithetis peritè, & propriè expreſſit Interpres Italicas voces, *bello, iocundo, robuſtiſſimo, & forte. Roſeum* autem dixit ignem Claudian. 5. Paneg. *Rutilum* Virg. 1 Georg. *Inuictum* Plin. l. 7. cap. 16. *Acrem* Ouid. 3. Metamorph. His autem verbis exprimere voluit Auctor magnum ignis ſplendorem, & arduum vigorem.

5. PROPTER NOSTRAM MATREM TERRAM.] Ita etiam Auguſt. terram fecundam omniũ matrem videri inquit; & Varro non ſolùm creaturarum & hominum, verùm & Deorum matrem dixit: & obinde inductos Gallos refert Auguſt. citatus l. 7. c. 24. vt eam pro magna Dea venerarẽtur. Omniparentem etiam vocauit Virg. 6. Æneid. & Lucret. l. 2. & 5. Frequenter certè, ſed metaphoricè, ab Auctoribus tellus hominum mater dicitur; à qua tamen, niſi remotè adminiſtratâ materiâ, nec corpus producitur, nec ad animæ creationem & infuſionem vllatenus concurrit, licet quidam antiquitus effinxerint mortales à terra progenitos.

Aug. l. 12 de Ciuit. Dei, c. 25

Ecce CAN-

CANTICVM SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

PARABOLICIS *& obſcuris verbis expreſsit hoc Cantico vir Dei amoris modulamine, quos cæleſtis Cupido ictus inflixit, & quos viciſsim habuit cum Chriſto acriores, ſed dulciores congreſſus, (habet enim & amor Chriſtianus ſua prælia, ſuas admittit & emittit ſagittas) quibus hinc inde amoris faces incendebantur. Amori condonanda eſt præſumptio cum Chriſto ineundi duellum, & ad pugnam velle laceſcere, quem honori vel timori debuit habere: nam* amor reuerentiam neſcit; non horret, non ſtupet, non timet, non miratur; vacant hæc omnia penes amantem; ceteros in ſe omnes traducit & captiuat affectus. Quæ amat, amat, & aliud nouit nihil. *Profectò* calix inebrians eſt amor Chriſti, *& extra ſe rapit amantem, donec plenè potiatur amato. Deſcriptionem hanc Poëticam præcipuè referendam indicarim cum Senenſi, ſtatim citando, ad ineffabiles illos in monte Aluernæ conflictus, quibus amoris pugil Franciſcus ab ipſo amore, quino ſauciatus vulnere, totus amor euaſit, intus ardens, & exteriùs ſuum amorem repræſentans. Illam habes Tomo 4. Operum Bernard. Senenſ. Serm. 4. extraordin. in fine, vbi expreſſè Franciſco tribuitur; & qui Auctor eſt Indicis eiuſdem Tomi illam ita indicauit :* Franciſci Canticum. *Latinum fecit Henricus Chifellius Antuerpienſis, qui erudito & planè heroico carmine bellum Granatenſe deſcripſit.*

Bern. 83. in Cant.

Idem Serm. 44.

IN foco l'amor mi miſe,
In foco l'amor mi miſe.
In foco d'amor mi miſe
Il mio Spoſo nouello,
Quando l'anel mi miſe
l'Agnello amoroſello.
Poiche in prigion mi miſe,
Ferimmi d'vn coltello,
Tutto il cor mi diuiſe.
In foco l'amor.
Diuiſemi lo core,
E'l corpo cadè in terra.
Quel quadrello del amore,
Che baleſtra diſſerra,
Percoſſe con ardore
Di pace fece guerra.
Moromi di dolciore.
In foco.
Moromi di dolciore.

Ne

Ne ven' marauigliate,
Che tai colpi mi ſon date
Da lancie innamorate;
E'l ferre è lungo e lato
Cento braccia ſappiate,
Che m'ha tutto paſſato.
In foco.

Poi ſi fer le lancie ſpeſſe,
Che tutto m'agnonizaro:
All' hor preſi vn paueſe,
Ei colpi più ſpeſſaro
Che niente mi difeſe;
Tutto mi fracaſſaro
Con tal forza le ſteſe.
In foco.

Diſteſele ſi forte,
Ch'io diffidai ſcontarle
Onde campai da morte.
Ti moui contra ragione,
Gridando molto forte,
Vn' trabucco rizzoe,
Che mi diede nuoue ſorte.
In foco.

Le ſorti che mandaua,
Eran pietre piombate,
Che ciaſcheduna grauaua
Mille libre peſate:
Si ſpeſſe le gittaua,
Nō le harei mai numerate,
Nulla mai mi fallaua.
In foco.

Nō m'harebbe mai fallato,
Si ben tirarre ſapeua:
In terra ero io ſternato,
Aita non mi poteua;
Tutto ero fracaſſato,
Niente più mi ſentiua,
Com' huomo ch'era paſ-
ſato.
In foco.

Paſſato non per morte,
Ma dà diletto ornato:
Poi rimeſſimi ſi forte
Dentro il corpo tornato,
Che ſegui quelle ſcorte,
Che haueano guidato
Nella ſuperna Corte.
In foco.

Poi che tornato fui,
Toſto armato mi fui;
E à Chriſto feci guerra,
Caualcai in ſua terra
Scontrandomi con lui,
Toſtamente l'afferro,
Mi vendico di lui.
In foco.

Poi che fui vendicato,
Io feci con lui patto;
Perche prima era ſtato
L'amor molto verace
Di Chriſto innamorato:
Or' ſon fatto capace,
Sempre lo cor formato
Di Chriſto conſolato
Infra l'amor mi miſe.
In foco.

VSSIT ardenti mea corda
flamma,
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.
Vßit ardenti mea corda flãma
Gratior Sponſi ſpecies nouelli,
Annulum quando dedit Agnus inſons:
Aſt vbi me carcere clauſit
arcto,
Ilicet ferro feriens acuto,
Rupit impreſſo mea corda telo.
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.
Rupit impreſſo mea corda telo,
Corpus ingẽti cecidit ſub ictu:
Lectus è pulchra calamus
pharetra,
Viribus mißus validis, quiete
Pacis excuſſa, tulit arma belli:
Torreor dulci exanimatus æſtu.
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.
Torreor dulci exanimat⁹ æſtu:
Mitte mirari, fuit hic amãtis
Impotus teli, quod acuta ferro
Cuſpis oblongo tegit atq; lato;
Percutit pectus, pedibuſque
centum
Extat infixo grauis haſta
ligno.
Vſſit ardẽti mea corda flamma
Ignis amoris.

Inde telorum ſubiere nimbi,
Et procelloſæ furit ira pugnæ:
Munior velox rutilante parma;
At magis crebro feriẽte ferro,
Lucido incaßùm tego pectus
ære,
Me nimis forti lacerante dextra.
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.
Tam potenti ardore vibrabat
ictus,
Duxerim vt vanum excipere
ingruentes,
Fugerim & certæ occubuiſſe
morti.
Bella non æqua ratione tentas,
Clamo; at is fortes iterando
pugnas,
Mouit inuicta noua bella dextra.
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.
Saxa plũbato iacit acta miſſu;
Saxa quæ põdo grauiora mille,
Sicut æſtiuæ rabies procellæ,
Denſa non vllo numeranda
ſenſu
Vndiq; expoſitũ petiere pectus,
Irrito numquã recidente niſu.
Vßit ardenti mea corda flãma
Ignis amoris.

Irrito

Irrito numquam cecidere niſu
Miſſa tam docta iaculātis arte.
Iamque proſtratos vigor omnis artus
Liquit, & corpus lacerum refracti
Fugerāt ſenſus; iacui ſupinus,
Pallida, exanguis velut umbra mortis.
Vßit ardēti mea corda flamma
Ignis amoris.
Pallui, exanguis velut vmbra mortis;
Non tamen dulci fugiēte vita,
Gaudio at cunctos inhibente ſenſus,
Fortis hinc vires reuoco priores,
Et citus veſtigia ſector alma,
Quæ viam celſi reſerant Olympi.
Vßit ardenti mea corda flāma
Ignis amoris.
Priſtinæ poſtquam rediere vires,
Armor, & Chriſto pia bella porto,
Fertiles eius peragrando campos:
Obuium amplectens auidis lacertis,
Implico numquam pereunte nexu,
Impetus tāti generoſus vltor.
Vßit ardenti mea corda flāma
Ignis amoris.
Vindice at poſtquam pia bella dextra
Ritè confeci, propero citatus
Pacis immotæ ſtabilire leges;
Namque ſinceri meus igne amoris
Arſerat Chriſtus: placida en quiete
Iam fruor, ſolamine iam perēni
Roborat mitis mea corda Chriſtus.
Vßit ardenti mea corda flāma,
Vßit ardenti mea corda flāma
Ignis amoris.

CANTICVM TERTIVM.

ARGVMENTVM.

HOC *Cantico deſcribit eleganter amoris vehementiam, quæ* deſiderio fertur, non ratione; quæ nec iudicium præſtolatur, nec conſilio temperatur; nec pudore frænatur, nec rationi ſubiicitur. *Dulciq́ue initio colloquio cum Chriſto, oſtendit nullas eſſe amoris metas, nullam menſuram; ſeq́ue totum, diſruptis rationis repagulis,*

Bernard. Serm. 9. in Cant. poſt prim.

lis, in amoris poteſtatem redactum. Poſt ſtigmatum receptionem modulatum hoc carmen iudico, ex eo quòd ſæpiùs ſe percuſſum meminerit, & clariùs ſibi iam oſtia aperta eſſe recenſeat; quod ad vulnerum hiatus retuliſſe videtur. Acceptum refero ſecundo Codici MS. Aſſiſ. & Bernardino Senenſ. dum To. 4. eius Operum, Serm. 16. extraordinario, qui eſt de diuo Franciſco, ante finem habeatur principium eiuſdem ſub eius nomine, & pro reliqua parte remittatur Lector ad Sermonem Feriæ 6. Paraſceues, vbi integrum habetur. Non me latet, in aliquibus editionibus à quibuſdam repoſitum hoc Canticum inter cetera beati Iacoponi; ſed multa habet de inflictis vulneribus, de apertis ſibi oſtiis, aliaq; id generis, quæ magis propria Franciſci videntur. Illud vario carminis genere Latinum reddidit ex ſuo in Franciſcum affectu Iacobus Lampugnanus Italus ex Societate IESV, *ita vt verba ipſa ſecutus ſit in plurimis; aliquando tamen inſtiterit ſoli ſententiæ, & pauca quædam contraxerit, vel dilatarit, ſtylumq; aliquando demiſerit, prout ad ſenſa viri amantiſſimi explicanda viſum eſt commodius. Ceterùm obſcuriſſima quædam interpretatus eſt ex ingenio, cùm neſciret quæ vis & notio ſubeſſet vocabulis illis antiquis.*

1. Quid vulneratum, &c. AMOR de caritate
Perche m'ha ſi ferito?
Lo cor tutto partito,
Et arde per amore.
Arde, & incende,
Nullo troua loco:
Non pò fugir, perche l'è ligato;
Si ſe conſuma, come la cera al foco,
Viuendo more, languiſce ſtemperato,
Domanda poter fugire vn poco,
Et in fornace trouaſe locato:
Oime eo o ſun menato!
A ſi forte languire,
Viuendo coſi morire,
Tanto monta l'ardore.

Inanzi ch'io prouaſſe, domandaua *2. Neſcius, &c.*
Amor à Chriſto, penſando pur dolzura;
In pace di dolzezza ſtar penſaua,
For d'ogni pena, & poi ſede in altura,
Prouo tormento, qual non cogitaua,
Chel cor me ſe fende per calura;

Non

Non poſſo dar figura,
De que ſoſtegno ſembláza,
Ch'io moro in dolcetanza,
Et viuo ſenza core.

3. *Mihi cordis,* &c
Hò perduto core e ſenno tutto,
Voglia e placere, e tutto ſentimento:
Ogni bellezza mi par fango brutto,
Delicie è richezze perdimento;
Vn arbore d'amor cun grã frutto
In cor plantato me dà paſcimento:
Che fè tal mutamento,
In mi ſenza demora,
Iettando tutto fora,
Voglia, e ſenno, e vigore.

4. *Mercator,* &c.
Per comperar l'amore, tutto hò dato;
Lo mondo, e mi hò tutto perbarattato:
Se tutto foſſe mio quel ch'è creato,
Darialo per amor ſenza ogni patto;
Et trouome d'amor tutto ingannato
Che tutto hò dato, e non ſo o io ſon tratto:
Per amor ſon desfatto,
Pazzo ſi ſun creduto:
Mà perche io ſun venduto?
De mi non hò valore.

5. *Dulcis amicitia,* &c.
Credeuame la gente reuocare,
Amici che ſono for de queſta via;
Mà chi è dato, plù non ſe pò dare,
Ne ſeruo fare, che fuga Signoria,
Inanzi la petra porriaſe mollare,
Che l'amore, che me ten in ſoa balia,
Tutta la voglia mia
D'amor ſi è infocata,
Vnita, transformata,
Che li torrà l'amore.

6. *Nunc mihi,* &c.
Foco ne ferro non la pò partire;
Non ſi diuide coſa tanto vnita:
Pena ne morte iam non pò ſalire
A quella altezza, doue ſtà rapita;
Sotto ſi vede tutte coſe zire,
Et ella ſopra tutte ſtà grandita.
Anima com'ei ſalita,
A poſſeder tal bene,
Chriſto da cui te venne,

Ab-

Abbrazal cun dolzore.
7. Omnia ſordent, &c. Io non poſſo veder crea-
tura,
Al Creator grida tutta mẽte,
Celo ne terra non me dì
dolz ura,
Per Chriſto amore, tutto
m'è fetente;
Luce de Sole ſi me par oſ-
cura,
Veggendo quella fazza re-
ſplendente,
Cherubin ſon niente
Belli per enſegnare,
Seraphin per amare,
Chi vede lo Signore.
8. Arguat ergo, &c. Nullo donca mai me re-
prenda,
Se tal amore mi fà pazzo
zire:
Iam non è core, che plù ſe
defenda
D'amor, ſi preſo che poſſa
fuggire:
Penſi zaſcun como cor non
ſi fenda,
Cotal fornace como poſſa
ſoffrire:
S'eo poteſſe inuenire
Anima che me intendeſſe,
De mi pietade haueſſe,
Che me ſe ſtuzze'l core.
9. Clamas æternum, &c. Che celo e terra grida,
& ſempre clama,
Et tutte coſe ch'io dibbia
amare,
Zaſcuna dice: Cun tutto
core ama,
L'amore che n'ha fatto bri-
ga d'abbrazzare;
Che quel amore perzò che
te brama,
Tutte nui hà fatte per ti à ſe
trare,
Vego tanto abundare,
Bontade & corteſia,
Da quella luce pia,
Che ſe ſpande de fore.
Amor voglio plù, ſe plù *10. Plura donarem, &c.*
podeſſe;
Mà como plù à mi lo cor
iam non troua,
Plù che me dare con ciò
che voleſſe,
Non poſſo, queſto è certo
ſenza proua:
Tutto l'hò dato, perch'io
poſſedeſſe
Quel amatore, che tanto
me renoua.
Bellezza antiqua, & noua,
Dapoi che t'hò trouata,
O luce ſmeſurata
De ſi dolce ſplendore.
Vegando tal bellezza, ſi *11. Tu rapis, &c.*
ſum tratto

For

For de mi, non ſò ò ſun portato:
Lo cor ſe ſtrugge como cera desfatto,
De Chriſto ſe retroua figurato;
Iam non ſe trouò mai tal baratto,
Per veſtir Chriſto tutto, ò ſpoliato,
Lo cor ſi transformato,
Amor grida, che ſente,
Anegata è la mente,
Tanto ſente dolzore.

12. *Dulcedo, &c.* Ligata è la mente cum dolceza,
Tutta ſe deſtende ad abbrazzare;
E quanto plù reſguarda à la beleza,
Tãto for de ſe plù fa zetare;
In Chriſto tutta poſa cum riccheza,
De ſi memoria nulla pò ſeruare:
Ormai ad ſi plù dare,
Altra coſa non cura,
Ne pò perder valura,
De ſi omne ſentore.

13. *Indutus, &c.* In Chriſto transformata quaſi è Chriſto,
Cum Dio vnita tutta ſtà diuina,
Sopra ogn'altura è ſi gran acquiſto,
De Chriſto e tutto 'l ſuo, ſtà Regina.
Or dunca io poteſſe ſtar plù triſto,
De colpa domãdando medicina:
Nulla ce plù ſentina,
Doue troui peccato;
Lo vecchio ne mozato,
Purgato ogni fetore.

In Chriſto è nata noua creatura, 14. *Chriſto innouatus, &c.*
Spogliata homo vecchio, e fato nouello;
Mà tanto l'amore monta cum ardura,
Lo cor par che ſe fẽda cum coltello,
Mente cum ſenno tolle tal calura:
Chriſto ſe me tra tutto tanto bello,
Abrazo me cum ello,
Et per amor ſi clamo,
Amor che tanto bramo,
Fà me morir d'amore.

Per ti amor me conſumo languendo, 15. *Amore victus, &c.*
Et vò ſtridendo per ti abrazare:
Quando te parti, ſi mo-

to viuendo,
Soſpiro, & plango per ti ritrouare;
Et retornando el cor ſe va ſtendendo
Che in ti ſi poſſa tutto trāſformare:
Donca plù non tardare,
Amor or me ſoueni,
Ligato ſi me tiene,
Conſumame lo core.
16. Quid ergo, &c. Reſguarda dolce amore la pena mia,
Tanto calor non poſſo ſoffrire:
L'amor m'a preſo, non sò ò io me ſia,
Que faza, ò dica, non poſſo ſentire;
Como ſmarito ſi vò per la via,
Speſſo ſtrangoſſo per forte languire;
Non sò como ſoſtegnere
Poſſa tal tormento,
Lo qual cum paſſamento
Da me fura lo core.
17. Imparque, &c. Cor me furato non poſſo vedere
Que diba fare, e que ſpeſſo faza;
Et chi me vede, dice vol ſapere,
Se amor ſenza acto à ti Chriſto plaza:
Se non te place, que poſſo valere?
De tal menſura la mente malaccia:
L'amor che ſi m'abraccia,
Tolme l'operare,
Voler, & operare;
Perdo tutto ſentore.
Sappi parlare, or ſun fatto muto: 18. Iam facūdus, &c.
Vedeua, e mò ſon ceco deuentato:
Si grande abiſſo non fù mai veduto;
Tacendo parlo, fugo e ſon ligato;
Scendendo ſalgo, tengo e ſon tenuto;
De fora ſun dentro, caccio & ſon cacciato:
Amor ſmeſurato
Perche mi fai impazzire,
Et in fornace morire
De ſi forte calore.

CHRISTO.

Ordena queſto amore, tu che m'ami; 19. Pone modum, &c.
Non è virtù ſenza ordene trouata:
Poiche trouare tanto ma brami,

Sia

Sia la mente cum virtù renouata;
Ad mi amare, voglio che tu chiami,
La caritate qual ſia ordenata:
L'arbore ſi è prouata,
Per l'ordene del frutto;
Lo qual demoſtra tutto,
Doni coſa el valore.

10. *Aſpice, &c.* Tutte le coſe che aio create,
Sun fatte cun numero & menſura,
Et al lor fin ſon tutte ordenate;
Conſeruaſe per orden tal valura,
E molto plù ãcora caritate,
E ordenata in la ſua natura:
Donca com per calura,
Anima tu ſe impazzita?
Fora d'ordene tu ſe vſcita,
Non te infreno el feruore.

ANIMA *o* FRANCESCO.

11. *Cor mihi, &c.* Chriſto lo cor tu m'hai furato,
Et dici che ad amare ordin la mente,
Como da poi che in ti ſum mutato,
De mi pò eſſer romaſo conuenente?
Si come ferro, che tutto è infocato, (te,
Et aere dal ſol fatto relucẽ-
De lor forma perdente,
Son per altra figura;
Coſi la mente pura
De ti è veſtita amore.

Mà da che perde la ſua qualitate, 12. *Quid mens, &c.*
Nõ pò la coſa da ſi oprare,
Como è formata ſi hà poteſtate, (re:
Opera cũ frutto ſi puote fa-
Donca ſi è transformata in veritate,
In te ſol Chriſto che ſe dolce amare,
A ti ſi pò imputare,
Non à mi, quel ch'io fazo:
Pero ſeo non te plazo,
Tu n'à te non placi amore.

Io ſò ben queſto che ſeo ſum impazzito,
Tu ſumma ſapienza mel' hai fatto,
Et queſto fò da ch'io fui ferito,
Et quando cum l'amor feci baratto,
Che mi ſpogliando fui da te veſtito,
A noua vita non ſò como ſui tratto,

De mi tutto disfatto:
Or ſun per amor forte,
Rotte ſon le porte,
Et iazo teco amore.

23. *In igne,*&c. A tal fornace perche me menaui,
Se tu voleui che haueſſe temperanza,
Quando ſi ſmeſurato me te daui,
Tolleui da me tutta meſuranza,
Poiche picciolello tu me baſtaui,
Tenerti grande non aggio poſſanza:
Onde ne ce fallanza,
Amor l'è tua, non mia,
Però che queſta via,
Tu la faceſti amore.

24. *Tu vulneratus,*&c. Tu dall' amor non te defendeſti,
De celo in terra el te fè venire;
Amore à tal baſſezza deſcendeſti,
Com'homo deſpetto per lo mondo zire,
Ne caſa ne terre nō voleſti,
Tal pouertate per nui arricchire:
In vita, & in morte,
Moſtraſti per certanza,
Amor deſmeſuranza,
Che ardeua in lo to core.

Com' ebrio per lo mondo ſpeſſo andaui, 25. *Ibat amore,* &c.
Amor te menaua com'homo venduto;
In tutte coſe amor ſempre moſtraui,
De ti quaſi niente percepu(to:
Che ſtando in lo templo ſi gridaui,
A beuer vegna chi hà ſoſtegnuto,
Sete d'amor hauuto,
Chel gli ſerà donato.
Amor ſmeſurato,
Che paſce con dolzore.

Con ſapienza non te conteneſti, 26. *Non ſempiterna,*&c.
Che el tuo amore ſpeſſo non verſaſſe:
D'amor, non de carne tu naſceſti
Humanato amor, che ne saluaſſe:
Per abbracciarne en croce ſi correſti;
Io credo, che però tu non parlaſti,
Ne te amor ſcuſaſti,
Dauanti à Pilato,
Per compir tal mercato,
In croce dell'amore.

La

La ſapienza vego, che ſe ce-
laua,
Et ſolo amor ſi podea ve-
dere;
Et la potenza iam non ſi
moſtraua,
Che l'era la virtute in di-
ſpiacere.
Grande era quell'amore
che ſe verſaua,
Altro che amore non po-
tendo hauere;
Nel viſo ne il volere,
Amor ſempre legando,
Et in croce abbracciando,
L'homo cum tanto amore.
27. *Ergo ſi facit, &c.* Donca Ieſu ſio ſon ſi in-
namorato,
Inebriato per ſi gran dol-
cezza,
Che me reprende, ſio vò
impazzato,
Et in mi perdo ſenno, &
ogni fortezza?
Poiche l'amore t'hà ſi liga-
to,
Quaſi priuato d'ogni tua
grandezza,
Come ſaria mai fortezza,
In me di contradire,
Ch'io non voglio impaz-
zire
Per abbracciar te amore?

Et quel' amor, chi mi fà
impazzire, 28. *Qui me deſipere, &c.*
Pari che à ti toleſſi ſapiētia;
E quell'amor che ſi me fà
languire,
A te per me ſi tolſe la po-
tentia.
Nō voglio ormai, ne poſſo
ſofferire;
D'amor ſon preſo, non faz-
zo retinentia;
Datame la ſententia,
Che d'amor io ſia morto.
Iam non volgo conforto,
Se non morir d'amore.
Amor amore, che ſi
m'hai ferito, 29. *Amoris vnū, &c.*
Altro ch'amor non poſſo
cridare:
Amor amore ſi forte m'hai
rapito,
Lo core ſempre ſpande per
amore,
Per te voglio ſpaſmare.
Amor che co reconoſcerà.
Amor per corteſia
Fame morir d'amore.
Amor amore Ieſu ſon zon-
to à porto,
Amor amore Ieſu dammi
conforto:
Amor amore Ieſu ſi m'ha
infiammato,

Ab hac ſtrophā 28. vſque ad finem ita habent codices à me in Argumēto citati, ſed diuerſ. modi, & diſtinctis ſtrophis habetur inter Iacop. Cantus.

Amor amore Ieſu io ſon morto:
Fami ſtar amor ſempre abbrazato,
Cum teco transformato
In caritate, & in ſomma veritate.
Amor, amor, amor,
Ogni coſa clama Amore:
Amor tanto ei profundo,
Che più t' abbraccia,
Tanto più ti brama.
Amor, amor, tu ei cerchio rotundo
Con tutto el core, che tencia ſempre t'ama,
Che tu ſei ſtrame, e trama per veſtire,
E coſi dolce, che ſempre crida amor, amor, amor.
Quanto tu mi fai amor, nol poſſo fare:
Amor, amor, tanto amo de ti,
Amor, amore, ben credo morire;
Amor tanto preſo m'hai,
Amor, amor, fammi in te tranſire.
Amor dolze languire,
Amor mio deſioſo,
Morir ſi dilettoſo,
Amor mio dilectoſo,
Anegami in amor.
Amor, amor, lo cor mio ſe ſpezza;
Amor, amor, tal ſéte ferita:
Amor, Ieſu, tramme a la tua belezza:
Amor, amor, per te ſonto rapita:
Amor, amor viua, non me deſpreggia:
Amor, amor, l'anima teco vnita,
Amor, tu ſei ſua vita;
Iam non ſe pò partire,
Perche la fai languire,
Tanto ſtrugendo amor.
Amor, amor, de Ieſu deſideroſo,
Amor, voglio morire,
Te abrazando,
Amor, dolze Ieſu meo ſpoſo:
Amor, amor, la morte te domando,
Amor, amor, Ieſu ſi pietoſo;
Tu me te dai in te transformato,
Péſa che eo vò ſpaſemãdo:
Non ſò ò io me ſia,
Ieſu ſperanza mia,
Ormai và, dormi in amore.

I A M-

IAMBICI TRIMETRI.

QVID vulneratum perdis ô amans amor? 1. Amor de caritate, &c.
Mihi cor reuulſum facibus æternis flagrat,
Facibus amoris. Nuſpiam tutum malè
Reperit quietem: vincla præcidunt fugam:
Vritur, & ardet; qualiter ceræ ſolet
Populante flamma mollis abſumi globus.
Et vita mors eſt: moritur, & viuens perit,
Languetque moriens: dumque meditatur fugam,
Fornace media conditum ſeſe videt.
Quò rapior ehe u, qui dolores me manent?
Tanti eſt amoris ignis: ô amor, ô amor!
Neſcius amorem, nempe inexpertum mihi, 2. Inanzi ch'io, &c.
Olim expetebam, melleum credens bonum,
Dulcediniſque pace poſcebam frui.
At pœna, quæ me torquet inſontem, inſcium?
Tantos dolores egóne ſperaui miſer?
Diræ peruſta corda diſcindunt faces.
Aperire nequeo voce, quod patior malum.
Amore morior, cordis & viduus gemo.

ANACREONTICI.

3. Ho' perduto, &c. Mihi corda vulſa nuper
Abiére, paſſa vulnus
Manibus superni amoris.
Et vino mentis expers,
Experſque ſentiendi.
Jam forma ſordet omnis,
Et pulchritudo ſordet.
Dites valete campi,
Lautæ valete menſæ,
Luxuſque delicati.
Poſthac valete gemmæ,
Aurique fulgurantis
Et fulminantis orbes.
Me ſola amoris arbor,
Plantata corde ſummo,
Fructu beat beato.
Hic me repentè totum
Jn alterum nouauit,
Reiecit & priorem
Mentem, vigorem, amorem.
Mercarer vt tenellum 4. Per cõperar, &c.
Nihil mihi reliqui.
Quin & creata cuncta,
Gazas, opes, & aurum

(Si

(Si gazam, opes, & aurum,
Et quidquid eſt bonorum
Rex ipſe poßiderem)
Darem volens libenſque,
Mercarer vt tenellum.
Sed me feſellit ille
Amore ſauciatum.
Quid ſtulte, quid querelas,
Quid vana verba fundis?
Emancipatum amori,
Diuenditumque iam me
Pretium reliquit omne.

ELEGIACI.

5. Crede-name, &c. Dulcis amicitiæ iuncti mihi fœdere quondam
Inſanis dudum vocibus vſque ſonant:
Ah greſſum reuoca, infelix, quò pergis amice?
Neſcia turba Dei eſt, turbaque amoris inops.
Parcite clamoſi me diuexare ſodales;
Nam quid ego Domini ſeruus amoris agam?
Montani antè rigor poterit molleſcere ſaxi,
Quàm rex è noſtro corde recedat amor.
Vrit amor, me torquet amor; ſum factus amori
Alter amor: noſtri eſt victor amoris amor.
6. Foco, ne ferro, &c. Hunc mihi non vndæ, non flamma, nec auferet enſis;
Non dolor hunc nexum diſſoluiſſe queat.
Quò rapior? via nulla patet, mortique, dolorique,
Et ſubtus celſo è vertice cuncta iacent.
O anime, ad culmen qui te vexere bonorum?
Chriſtus amor. Chriſti pectora dulcè tene.

ANAPAESTICI.

7. Io non poſſo veder, &c. Omnia ſordent, quidquid & æther
Magno circum ligat amplexu,
Et quidquid humus fecunda parit
Diuite vena. Dulcis Ieſu
Propter amorem nil dulce mihi eſt.
Aurea Phœbi lampas, amœnæ
Regia lucis, iubare exuta
Pænè videtur. Facit hoc Chriſti
Nitidus multo lumine vultus.
Arguat ergo nullus amãtem, 8 Nullo dõca, &c.
Si videt inopem mentis amantem:
Iam nulla valent vulnus amoris,
Nulla catenas pellere corda.

Quin

Quin age quiſquis miſerum incuſas,
Reputa tecum, quid cor poſſit
Diuina pati tela, vel ignes.
O ſi quiſquam conſcius eſſet
Vulneris huius! ſique doleret
Miſerans noſtros pectoris æſtus!

SAPPHICI.

9. Che celo, &c. *Clamat æternùm polus atque tellus;*
Omnia & clamant: Amor. O amorem,
Quiſquis es, pleno bibe cordis hauſtu.
10. Amor voglio piû, &c. *Plura donarem, modò plura poſſem*
Omnium nudus, tibi blandienti,
O vetus ſemper noua pulchritudo
Pulcher Ieſu.
Tu rapis mentem mihi: cor liqueſcit, 11. Vegando tal, &c.
Inſtar & ceræ fluit innocẽter.
Mercium quale eſt genus hoc? Ieſu
Induant vt ſe mea corda, ſemet
Exuũt? noſco genus: eſt Amoris
Aurea merces.

IAMBICI DIMETRI.

12. Ligatè, &c. *Dulcedo mentem colligat,*
Et mens in amplexus ruit.
Quantóque pulchritudinem
Magis intuetur, vritur,
Chriſtóque ſemet induit
Oblita ſemet; omnia
Exuta, ſed non indiga.
13. In Chriſto, &c. *Induta Chriſtum, numini*
Coniuncta, penè numen eſt,
Omnemque ſupra verticem
Ditata Chriſti gratiis
Regina ſceptra poſſidet.
Nunc ergo mæror diffuge,
Sentina namque eſt criminum
Exhauſta: priſcus occidit
Homo: receſſit peſtilens
Fœtor: medela conſtitit.
Chriſto innouatus exui 14. In Chriſto, &c.
Antiqua vitæ nomina.
Sed nempe tanti flammeus
Amoris ignis eſt mihi;
Cor pænè cultro finditur,
Dum mens calore abſumitur.
Me Chriſte pulcher attrahis,
Amplector illum, & clamito,
Amore da da vt occidam.
Amore victus langueo, 15 Perti amor, &c.
Et ſemiuiuus ardeo.
Tu ſi recedis, ô Amor,
Non lacrymis, non fletibus
Suſpiriis, ſingultibus
Cor inquietum temperat,

Donec redibis, ô amor.
16. Reſguarda, &c. *Quid ergo, quid moraberis*
Ah vulneratum reſpice.
Tantos dolores perpeti
Mens ſauciata pernegat.
Qui ſim, vel vbi, vel quid loquar,
Mediterque, agamque, neſcio.
Vt mentis expers compita
Pererro, ſæpè ſpiritum
Languore fractus vix traho.
Imparque iam doloribus 17. Cor me furato, &c.
Mihi cor meum furantibus,
Quæ ſint agenda, neſcio.
Quin & rogatus audio,
Num Chriſte amorem cõprobes.
Non actuoſum? ſi improbas,
Eſſe actuoſus non queo.

Asclepiadei.

18. Sappi parlare, &c. *Iam facundus eram: nunc taciturnitas*
Vocem ſurripuit. Quin vigiles modò
Conniuent oculi. Dum taceo, loquor,
Euinctus fugio. Deſilio ſimul,
Atque vnà ſalio. Deprimor, opprimor.
Prô rerum facies, monſtraque maxima,
Nullis viſa locis! Quid patior miſer?
Diuinis pereũt corda caloribus.

Ad hæc ita Chriſtus reſpondet.

Hexametri.

19. Ordena queſto, &c. *Pone modum tu quiſquis amas maleſanus amoris;*
Ordine gaudet amor, nam gaudet & ordine virtus.
Quæſitum inuenias qua me ratione, docebo.
Carpe viam virtutis amans. Comes addita virtus
Dux erit vna viæ: veterem obliuiſcere cultum,
Virtutiſque ſacram generoſior indue veſtem.
Me mulcet moderatus amor: compeſce furentem.
Sic decus arboribus præbent ſua pendula poma;
Et pretium ſobolis, frondoſæ eſt gloria matris.
20. Tutte le coſe, &c. *Aſpice cuncta manu & verbo fabricata potenti:*
Ponderibus dimenſa ſuis, numeroque modoque,
Et finem ſortita ſuum. Sic vertitur ordo
Legibus his, atque hunc ſeruat Natura tenorem.

Hunc

Hunc mage ſeruat amor. Nimiis cur ignibus ergo
Deſipis, aut quæ te dementia cepit amantem?
Comprime veſanos maleſani pectoris æſtus.

Subiicit Anima, vel ſanctus Franciſcus.

PENTAMETRI.

Cor mihi furatus cogis habere modum? 21. Chriſto lo cor, &c.
In te mutato quid ſupereſſe poteſt?
Sic igne in medio ferrea maſſa calet;
Aëre ſic veſtit ſole micante iubar.
Sic perit ipſe aër, ſic perit ipſe chalybs.
Haud aliter mentem Chriſte reſoluis amor.
Quid mens, quid faciat non potis ipſa ſui? 22. Màda che perde, &c.
Si te Chriſte refert mens mea, facta tua,
Culpa tua eſt, quidquid victus amore gero.
Deſipio? per te ſum rationis egens.
Mentis inops? Amor eſt, qui facit eſſe inopem.

ANACREONTICI.

23. A tal fornace, &c. *In igne cur locabas,*
Si temperantem amabas?
Tenelle me coquebas,
Quid grandior patrabis?
Hanc ſemitam paraſti
Amor mihi. Quòd errem
Tua omnis ergo culpa.
24. Tu dall'amor, &c. *Tu vulneratus ipſe*
Amoris es ſagittis.
Te deuocauit æthra,
Terriſque collocauit
Nudumque, pauperemque;
Non tecta, non agelli
Nouêre poſſidentem;
Vt diuites egeſtas
Tua, Chriſte, nos bearet.
Ardes amore viuens,
Et occidens amore.
Ibas amore victus 25. Com. ebrio, &c.
Ceu ebrius per orbem:
Prædaque te triumphans
Amor ſuperbiebat.
Amore nil vacabat,
Tuque ipſe te vacabas.
Et templa cùm ſubiſſes,
Sic voce perſonabas:
O qui ſitis, adeſto,
Ades huc, ſitim leuabo:
Mercede qua bibendi?
Amore, amore, amore.

HORATIANI.

26. Con ſapientia, &c. Non ſempiternæ vis ſapientiæ
Celauit ignes pectoris aureos,
Quin ſæpe verſares Amoris
Largus opes, grauidumque cornu.

Te lapſum Olympo Virginis in ſinum
Amor puellũ non caro veſtiit.
Amore captus tu ſubiſti
Quadrifidæ mala ſigna quercus.

Hæſere voces, verbaque faucibus
Amoris ergô; cùm taciturnior
Cauſam tueri denegaſti
Iudicio expoſitã profano.

Tu nempe amoris victima nobilis
Eſſe expetebas. Inſuperabilis
Sic robur immortale dextræ
Vinxit amor, latebriſque clauſit.

GLYCONICI.

27. Dõca Ieſu, &c. Ergo ſi facit ebrium,
Si mentis facit impotem,
Si vires amor eripit;
Amor te quoque perdidit,
Iniecit tibi vincula,
Ademitque potentiam.
Contrà queis ego viribus
Nitar? Quid mihi roboris,
Has vt ſuſtineam faces?
28. Et quell'amore, &c. Qui me deſipere impulit,
Hic mentem eripuit tibi.
Qui me languidulum facit,
Te imbellem quoque reddidit.
Nolo, nec queo perpeti
Amoris fera prælia.
Viciſti Pater optime.
Do manus Amor, accipe.
Iam ſententia conſtitit,
Amore vt peream breui.
Iam ſolamina reſpuo,
Amore at cupio mori.

IAMBICI TRIMETRI.

29. Amor Amore, &c. Amoris vnum nomen os & cor ſonat.
Amore cor liqueſcit. O amor, mori
Amore me permitte. Ieſu amor, ô amor!
Iam teneo portus, æquoris vici minas.
O amor Ieſus, ô amor, quantas faces!
O amor Ieſus, ô amor, vita aufugit.
Da, da beatos dulcis amplexus amor.
Muter in amorem: deſeram memet, mihi

Mor-

Mortuus, amori viuus, atque
amor nouus.
Amor, ô amor, amor, omnia
exclamant, Amor:
Magis expetitus, quo magis
amantem reples.

O circulus
Tu cordis es,
Tu veſtis es,
Et dulcis es.
O amor, amor,
O amor, amor!

I A M B I C A.

Moriar amore, moriar. O lan-
guor meus,
Beata mors, æquorque dulci-
tudinis,
Immerge memet, ingrue, pro-
fundo obrue.
Cor diſſipatur, ô amor, amor,
ô amor!
Tu vita cordis huius, ô
amor! animæ

Sponſus es Jeſu dulcis. Am-
plexu in tuo
Moriar amor mi. Si pius, ſi
dulcis es,
Fac muter in te. Moriar: ô
felix dolor!
Vbi ſum? Quid hoc eſt? ſpes
mea, ô Ieſus amor.
Quieſce amor,
Et dormi amor.

ORACVLA B.P. FRANCISCI.

COMPENDIOSA *& ſeria magnorum hominum dicta, & graues*
eruditæq; ſanctorum virorum ſententiæ, magni ſunt facien-
da, vtpote quæ ſub paucis verbis magna & ſana comprehendunt
conſilia. Etenim ſalutaria monita, gratiæ ſale condita, probis præ-
bent hominibus, vt apertè verum ſit illud Eccleſiaſtæ: Verba oris Eccl.10.
ſapientis gratia; *quia, vt inquit Lyranus*, cum reddunt Deo & v.12.
hominibus gratioſum. *Improbis verò & putridis eorum moribus* Lyra ibid.
ſalem infundunt, eoſq; non leuiter fricant & pungunt. Verba Eccl.12.
(inquit idem Præco) ſapientum ſicut ſtimuli, *qui* acriter *(explicat* v.11.
Gloſ. interlin.) pungentes pigros, & excitantes ſomnolentos, non Gloſſa interlin.
palpantes, *eos à vitiis retrahunt & reducunt. Talia autem Fran-*
ciſci fuiſſe verba & ſententias, docet D. Bonauentura, dicens: Ne-Bon. in
ſciebat aliquorum culpas palpare, ſed pungere; nec vitam foue- Leg. ma-
re peccantium, ſed aſpera increpatione ferire. *Nec vllum ex ore* iori, c.12.
eius verbum prodibat inſipidum aut inſulſum, ſed ſententioſum,
& Spiritus ſancti gratia & virtute reſperſum. Erant *(inquit Bo-* Idem c.3.

 nauen-

nauentura) ipſius eloquia non inania, nec riſu digna, ſed virtute Spiritus ſancti plena, medullas cordis penetrantia, ita vt in vehementem ſtuporem audientes conuerterent. *Vt non incommodè*
Iob 29. *ei accommodem illa Iobi modeſta de ſe encomia:* Auris audiens
v. 11. 21. beatificabat me. Qui me audiebant, expectabant ſententiam, & intenti tacebant ad conſilium meum. Verbis meis nihil addere audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium meum. Expectabant me ſicut pluuiam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum. *Ita ex ore eius pendebant ſocij, & verba eius attentè audiebant ſuæ ætatis homines, vt nullum ſine obſeruatione præterirent. Quod & nos monuit, ad aliorum exemplar, qui Philoſophorum antiquorum dicteria & ſententias collegerunt, ſollicitiùs iſta Franciſci perquirere dicta, eaq; per varia Capita ordinare. Quædam etenim ſunt breuiora, lepidioraq;, quæ ſub Apophthegmatum titulo; alia largiores confabulationes, quæ ſub Colloquiorum nomine diſpoſuimus. Alia ſunt prophetiæ, alia exempla; alia parabolæ, alia breuiores & grauiores ſententiæ: quæ ſuis appoſitis numeris faciliùs inuenientur, & commodiùs poſſunt citari. Ad finem vniuſcuiuſque, illorum qui eius mentionem faciant, vel variè referant, non tamen eorum ſeruato ſtylo, & nomina & loca ſubiunxi.*

APOPHTHEGMATA B. PATRIS FRANCISCI.

APOPHTHEGMA I.

Se Dei eſſe præconem.

PAVLO poſt conuerſionem per ſiluam iter faciente viro Dei, latronibus ex abditis in eum irruentibus, & quis eſſet interrogantibus, intrepida & prophetica voce reſpondit: Præco ſum magni Regis. *Bon. c. 2. Legendæ maioris, Rodul. l. 2. fol. 174. pag. 2. Piſan. l. 2. Conform. 6. Reboll. 1. p. l. 2. c. 16. in fine. Anton. Florent. 3. p. Hiſt. tit. 23. c. 2. §. 1. Cornel. à Lapide in 1. ad Timoth. cap. 2. num. 70.*

APO-

APOPHTHEG. II.

Laborum præmium maius & certius eſſe apud Deum, quàm apud homines.

FRATRI vterino è regione nuditatē & pauperiem eīus irridenti, & magni algoris tempore per ſocium ſuum aliquantulum ſudoris ſibi vendi petenti, ſe nolle reſpondit. Sudorem meum (inquit) cariùs Domino vendam. *Piſan.l.1.Conf.5.& 12.Rod.& Reboll.ſuprà citati, Sebaſtian. Barrad.in Exod.l.1.c.3.n.7.Ioan.Lorin.in c.2.Eccl.verſ.11.*

APOPHTHEG. III.

Paſſionem Chriſti deflendam.

IVXTA Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Angelis, non multùm à cōuerſione ſua, magno eiulatu & gemitu flebat; & interrogatus à viro quodam ſpirituali, cur tam tenero affectu & tam apertè ploraret, ait: Paſſionem Chriſti defleo, pro qua non deberem verecundari alta voce per totum orbem lacrymari. *Piſan.l.1.Conf.12.in princip.Rod. & Reboll.vbi ſuprà, D.Bernardinus To.2.Serm.60.ar.2.c.2. tract. de Octo apparit. Specul.Vitæ Franc. fol.* 118. *Marianus lib.1.Chronic.cap.3.*

APOPHTHEG. IV.

Internum Dei calorem externum depellere algorem.

INTERROGATVS quomodo veſtitu tam tenui poſſet ſe ab hiemalis algoris aſperitate tueri; reſpōdit: Si ſupernæ patriç flamma contegeremur interiùs, frigus iſtud exterius facilè portaremus. *Bon.c.5.parum poſt init.Piſan.l.1. Conf.12.c.40.& l.2.Conf.4.Rod.vbi ſuprà, Franciſ. Feuardent.l.3.Theomach.c.14.n.17.Cornel.à Lapide in c.27.Exodi, verſu* 11.

Simile quid reſpondit Br gitta vidua, vt habet Sur. in eius Vita, c.11.

APOPHTHEG. V.

Deo militaturis nihil mundanorum reſeruandum.

PROPTER querimonias paternas, ſuadēte Aſſiſij Antiſtite, vt pecunias clàm ablatas, (quas vilipendens per fene-

feneſtram Eccleſiæ ſancti Damiani proiecit, vel ad eiuſdem templi, ruinæ proximi, ſtructuram abſcondit) patri redderet, animo intrepido, & à terrenis abſoluto reſpondit: Domine, non tantùm pecuniã, quæ de rebus ſuis eſt, ei volo reddere libenti animo, verùm &, quæ mea ſunt, veſtimenta. *Piſan.l.1.Conf.12.in princ. & Rod.vbi ſuprà.*

APOPHTHEG. VI.

Parentes, & terrena omnia, propter Deum deſpicienda.

CORAM eodem Epiſcopo, patre præſente, omnibus ſe veſtibus ſpoliauit, & iuri paternæ ceſſit hereditatis, dicens ad patrẽ: Hactenus te vocaui patrem in terris, de-
Mat. 4. v. 9. inceps ſecurè & liberiùs dicam: *Pater noſter, qui es in cælis*, apud quem omnem theſaurum repoſui, & omnem ſpei fiduciam collocaui. *Bon. c. 2. ad med. Piſan. l.1. Confor.6. & 12.in princ. Marianus, Rodul. & Reboll. vbi ſuprà.*

APOPHTHEG. VII.

Dei pauperes non aſſueſaciendos inſtructis conuiuiis.

EREMITA ſancti Damiani, cùm vir Dei in Eccleſia reparanda toto conatu & magno cum labore inhiaret, menſam, & menſæ ſuperimponenda ſollicitè præparabat. Quod vt beatus Pater, & nouus Dei athleta, poſt aliquot dies ſecum conſiderauit, ſe ita reprehendit: Inuenies tu, peregrine in mundo, quocumque ieris, Sacerdotem hunc, qui tantam tibi præſtet humanitatem? Non eſt hæc vita pauperis, quam elegiſti. Modò ergo ſicut pauperem decet, vade, & porta paropſidem in manu, & oſtiatim quæ tibi cibaria pro Dei amore fideles dederint, in ea coaduna. Ita voluntariè viuere oportet, pro amore illius, qui pauper natus, pauperrimus in ſæculo vixit, nudus & pauper manſit in patibulo, ſepultuſque eſt in alieno ſepulchro. *Piſanus lib.1. Conf.6. Marianus citatus.*

APO-

APOPHTHEG. VIII.

In Dei obſequio maledictiones ſæculi non eſſe curandas.

PATRE, adhuc poſt conuerſionem, ſanctó viro, vbicumq; ei occurrebat, maledicente, hominem quemdam pauperculum & deſpectum in patrem ſibi adoptauit, & in comitem aſſumpſit, rogauitque vt quoties à patre ſuo malediceretur, ille è regione ſibi benediceret, ſignoque Crucis muniret. Dum ergo à patre malediceretur, à paupere verò benediceretur, ad patrem inquit: Credo, pater, quòd Deus poteſt mihi dare & dedit patrem, benedictiones pro tuis maledictionibus elargientem. *Piſan.l.1.Conf.5. Speculum Vitæ Franc. fol.*188.

APOPHTHEG. IX.

Bona quæcumque dominis reſtituenda.

BERNARDVS de Quintaualle, inter Aſſiſiates Proceres non vltimus, & inter ſocios beati viri primus, admiranda eius ſanctitate commotus, vt mundũ relinqueret, & Dei virũ ſequeretur, interrogauit, Si quis, Pater, à Domino ſuo pauca, vel multa in plures annos reciperet, nollétque eis ampliùs vti, quid de huiuſmodi bonis tibi meliùs faciendum videtur? Domino ſuo, inquit, à quo eadem recepit, reddenda. Quibus verbis innuit, mundum relicturum, quæ à Deo accepit bona, pauperibus debuiſſe largiri. *Piſan.l.1.Conf.8.& 12. Rodul.l.1.tract.de Moribus & vita ſociorum B.Franciſci, fol.58.pag.1.*

APOPHTHEG. X.

Sanctorum ſimplicitatem magni faciendam.

SANCTITATEM & ſimplicitatem B.Iuniperi (qui vnus ex ſancti Patris diſcipulis fuit) quantopore admirans, & ad diſcipuli nomen alludẽs, adſtantibus dicebat: Vtinam, Fratres, de huiuſmodi Iuniperis magnam ſiluam haberemus! & dico vobis, quòd ille eſt bonus frater Minor, qui peruenit ad ſimplicitatem fratris Iuniperi. *Piſan.*

ſan.l.1. Conſ.8.tract. de Prou. Romæ, Rodul.l.1.tract. de Beatis viris Ordinis Min.fol.118.pag.2.

APOPHTHEG. XI.

Abſtinentiæ rigore ſenſuales motus eſſe reprimendos.

INTERROGATVS, cur tanta diſciplinę rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, vt vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ, Difficile eſt, inquit, neceſſitati corporis ſatisfacere, & pronitati ſenſuum non parêre. *Bon. c. 5. in princ. Rodul.l.2.tract.de Oraculis B.Franc.fol.174.pag.2.Vinc. Belluac.2.p. Hiſtor.l.31.c.101.*

APOPHTHEG. XII.

Viro ſpirituali carnis tentationem ſtatim abigendum.

CIRCA conuerſionis ſuæ primordia tempore hiemali in foueam plenam glacie ſeipſum plerumq; mergebat, vt & domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubiiceret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſeruaret. Cuius veluti rationem reddens ſociis, dixit: Tolerabilius viro ſpirituali eſt, incõparabiliter magnum ſuſtinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis vel modicum ſentire in mente. *Bon.c.5.ante med.*

APOPHTHEG. XIII.

Carnis rebellionem matura in illam animaduerſione ſubiugandam.

EX dæmonis fallaci colloquio, & callida ſuggeſtione grauem carnis tentationem præſentiens, depoſita veſte, chordaq; ſe fortiſſimè verberans, corpori dicebat: Eia frater aſine, ſic te decet manere, ſic ſubire flagellum. Tunica Religioni deſeruit, ſanctitatis ſignaculum præfert, furari eam libidinoſo non licet: ſi quò vis ſic nudus pergere, perge. *Bonau. vbi ſuprà ad med. Rodul. vbi ſuprà, Piſan. l.1. Conſ.12.in princip. & Anton. Patauin. Serm.3. Dom.1. in 2. Quadrag. Quædam his ſimilia refert B.Hieronymus de S.Hilarione in eius Vita.*

APOPHTHEG. XIV.

Religioſis paupertatem pro magna dignitate & hereditate reputandam.

AD comedendum inuitantibus aiebat: Nolo dimittere regalem meam dignitatem, & hereditatem, ac profeſſionem meam & Fratrum meorum, ire ſcilicet pro eleëmoſyna oſtiatim. *Piſan. lib. 1. Conf. 6.*

APOPHTHEG. XV.

Muſcis ſimiles eſſe Religioſos otio vacantes.

FRATREM quemdam otioſum, huc illucq; vagantem, aliorumq; labores manducantem, à cõſortio Fratrum expulit, dicens: Vade viam tuam frater muſca, quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum, & otiari in operibus Dei, ſicut fucus, apis otioſa & ſterilis, quæ non operatur nec laborat, ſed comedit laborem & lucrum bonarum apum. *Piſan. l. 1. Conf. 12. in princ. & c. 22. & l. 2. Conf. 4. Bon. vbi ſuprà, ad med. Rodul. l. 2. tract. de Orac. ſancti Franc. fol. 175. pag. 1.*

APOPHTHEG. XVI.

Taciturnitatem Religioſis colendam.

COMPERIENS quemdã verbis aſſuetum inanibus, acriter redarguit, dicens: Taciturnitas modeſta, & puri cordis eſt firma cuſtodia, & inter virtutes magnas non modica: mors enim & vita ſunt in manu linguæ, non Prou. 18.
tam ratione guſtus, quàm ratione loquelæ. *Bon. vbi ſuprà.* v. 21.

APOPHTHEG. XVII.

Religionibus pernicioſum, & cunctis abominabile, detractionis vitium.

AVDIENS quemdam Fratris famã denigrantem, Vicario ſuo dixit: Surge, ſurge, diſcute diligenter, & ſi accuſatum Fratrem innocentem repereris, accuſantem dura correctione cunctis redde notabilem. Inſtant Religioni diſcrimina, niſi detractoribus obuietur; citò multorum

ſuauiſſimus odor fœtebit, niſi fœtidorum ora claudantur. Summa volo cures prouidentia, ne peſtifer iſte morbus latiùs ſe diffundat. Frater qui alium Fratrem famæ gloria ſpoliauerit, habitu eſt ſpoliandus, nec oculos ad Deum eleuare poterit, niſi priùs quod abſtulerat, reddiderit. *Bon. c. 8. ante med. Thomas Celan. in Legen. S. Franc. c. De charit. Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 26.*

APOPHTHEG. XVIII.

Dei ſeruum, licet interiùs de peccatis doleat, exteriùs tamen ſpiritualem debere præ ſe ferre lætitiam.

Ex ſociis quemdam vultu demiſſo & facie triſti incedenté corripuit, dicens: De peccatis licet te pœniteat, Frater, cur oſtendis exteriùs de tuis offenſis dolorem? Inter te & Deum habeas hanc triſtitiam, & ora ipſum, vt
*Pſal. 50. v. 141. per ſuam miſericordiam tibi parcat, & * reddat animæ tuæ lætitiam ſalutaris ſui, qua per peccatum eſt priuata. Coram me verò & aliis oſtendas te ſemper habere lætitiam; ſeruo enim Dei non conuenit exteriùs triſtitiam oſtendere, aut faciem habere turbulentam. *Legen. antiq. c. 8. de Zelo B. Franc. & Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 31.*

APOPHTHEG. XIX.

Dei gratiæ tribuendum, hominem quemcumque peccata cauiſſe.

MANDATO ipſius beati viri, & inuitus, eius indiuiduus comes beatus Leo, multis eum cõuitiis affecit, furem, blaſphemum, adulterum, homicidam, aliaque id genus appellans. Quibus auditis, patiétiſſimè tulit beatus Pater, ac ſemetipſum ob hęc omnia deplorauit. Socio verò deinde perquirente, cur illum, tot tantaque mendacia dicere in virum innocentem, cui nihil horum conueniret, compulerit, reſpondit: Nihil mentitus es, quoniam ſum peccatorum maximus, & hæc omnia eram, & multò peior futurus, niſi me diuina miſericordia ab iis malis

per

per ſuam gratiam ſeruaſſet immunem. Qui ſi maximo latroni illam gratiam feciſſet, quam mihi, is multò meliùs ea vſus fuiſſet, ſanctiorque quàm ego euaſiſſet. *Rodul. l. 1. in Vita B. Leonis. Sabellic. l. 10. Exempl. c. 1. Cornel. à Lapide in 1. ad Timoth. c. 1. num. 35.*

APOPHTHEG. XX.

In ſpirituali paupertate, non in mundana opulentia lætandum.

ITER faciente in Prouinciam Franciæ cum B. Fratre Maſſæo, in quadam ſolitudine inuenientes fontem limpidiſſimum, ad cuius oram erat lapis magnus, & latus ad modum menſæ, cui ſuperimponentes fruſtula panis, quæ in quodam pago oſtiatim pro eleëmoſynis accepêre, ſpiritu perquam hilari in tanta paupertate lætabundus, inquit B. Pater ad ſocium: Non ſumus digni tanto theſauro. Quę verba multoties repetenti ait ſocius: Quomodo poteſt dici magnus theſaurus, vbi tanta vrget paupertas? vbi famuli? vbi ancillæ? vbi cyathi? vbi phialæ? vbi vina pretioſa? vbi lautæ dapes? vbi menſæ huic lapideæ ſuperimponenda? Hoc, inquit Pater, magnum reputo theſaurum, hanc pretioſam iudico menſam, vbi nihil eſt humana induſtria elaboratum, nihil mundano effictum ingenio, ſed quidquid adeſt, totum eſt diuina prouidentia miniſtratum. *Piſan. l. 1. Conf. 8. tract. de Loco Aſſiſij, in Vita B. Maſſæi, Rodul. l. 1. tract. de Beatis viris Ord. Min. in Vita eiuſdem, Floretum cap. 12. Platus de Bono Relig. l. 3. cap. 8.*

APOPHTHEG. XXI.

Moleſtum & turbulentum, mundanas habere poſſeſſiones.

EPISCOPO Aſſiſiati durum & aſperum ſibi videri affirmanti, Religionem Minorũ nullas habere nec admittere poſſeſſiones, reſpondit: Imò moleſtum & aſperum mihi videtur eas admittere, pro quibus defendendis &

conſeruandis multa ſollicitudine opus eſt; imò & ad ſedandas quæſtiones & lites, quæ ex eis oriuntur, arma oportet in promptu habere. *Piſan.l.2.Conf.4.quæ eſt 16.in ord. Rodul.l.2.fol.169.pag.2.Mar.1.p.l.1.c.33. Lege, ſi placet, ſimilia apud Auguſt.in Enarr.ad Pſal.131.modicum poſt princ. To.8. & apud Auctorem Sermonum ad Fratres in eremo, Sermon.2. parum ante finem, in Append.To.10.*

APOPHTHEG. XXII.

Deo militaturos omnibus ſe mundanis debere expropriare.

CVIDAM Ordinis habitum petenti præcepit, vt ſua pauperibus erogaret: quæ cùm cognatis & conſanguineis diſtribuiſſet, rediiſſetque ad beatũ Patrem, & quæ fecerit narraſſet; eum repulit, dicens: Vade frater muſca,
* Act.7. v.2. nondum * exiſti de cognatione tua, & de domo patris tui. Non eſt dignus iungi pauperibus Chriſti, qui pauperes defraudauit. Incepiſti à carne, ruinoſum fundamentum ſpirituali fabricæ poſuiſti: vade viam tuam. *Bon.c.7.poſt princ. Piſan.l.1.Conf.6. & 12.in princ. Rodul, l.2.tract.de Oraculis B.Franc.fol.175.pag.1.*

APOPHTHEG. XXIII.

Prælatum laborum & virtutum ſubditis debere exempla præbere,

CVM in Galliã prædicandi gratiâ pergeret, interrogatus à Cardinali Oſtienſi Vgolino (qui poſteà in Summum Pontificem euectus eſt) cur non apud ſe (quod maximoperè optabat) in Romana Curia remanebat; Domine, maximam, inquit, mihi compararem confuſionem & verecundiam, ſi poſtquam Fratres & filios meos miſerim ad vltimas terræ prouincias, in hiſce tecum remanerem: me oportet illarum tribulationum participem fieri, quas ipſi propter Deum ſunt paſſuri. *Piſan.l.1.Conf.12.in princ. Mar.1.p.l.1.c.50.*

APO-

APOPHTHEG. XXIV.

Carnales non percipere ſpiritualia.

BREVIA & ſancta quædam verba, ſcilicet, *Dominus det tibi pacem*, ad ſalutandũ populos Fratres ſuos docuit: de quibus cùm aliqui turbarentur, & Fratres timerent, Dimittite, inquit, eos dicere de his verbis ſanctis quæ voluerint, quia * non percipiunt quæ Dei ſunt. Sed & vos nolite de his verecundari, quia adhuc modicum, multi Heroes & Principes de hac ſalutatione magnam vobis reuerentiam exhibebunt. *Piſan. l.1. Conf. 12. in princ. & l.2. Conf.6.*

*1. Cor. 2. v. 14.

APOPHTHEG. XXV.

Chriſti pauperibus nullatenus Deum victum aut veſtitum negaturum.

HONORIO III. Pontifici Maximo, beatum Patrem, vt poſſeſſiones & hereditates acciperet ſuadẽti, multaſque ærumnas paſſurum, ſi ſolùm de eleëmoſynis viueret, prędicenti, ait: Confido in Domino Ieſu, quòd qui nobis in cælo promiſit, & dabit vitam & gloriã ſempiternam, non ſubtrahet nobis in terra illa modica, quæ corporis victui & veſtitui ſunt omnino neceſſaria. *Piſan. l.2. Conf.4.*

APOPHTHEG. XXVI.

Solum Deum eſſe timendum, & ad eius arbitrium omnia perferenda.

IN oratione vir Dei multoties horribiles dæmonum pugnas ſuſtinuit, ſed armis munitus cæleſtibus, quãtò vehementiùs impetebatur ab hoſtibus, tantò fortior in virtute, & feruentior in oratione reddebatur; confidenter dicens ad Chriſtum: *Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Ad dæmones autem: Facite in me quidquid valetis maligni ſpiritus & fallaces; non enim poteſtis, niſi quantum vos manus ſuperna relaxat. Et ego ad perferendum omnia, quæ ille

Pſal. 16. v. 9.

decre-

decreuerit infligenda, cum omni iucunditate paratus aſſiſto. *Bon.c.10. poſt princ. Piſan.l. 1.Conf.7.*

APOPHTHEG. XXVII.

Corpus maximum eſſe hominis aduerſarium.

IN Eccleſia ſancti Petri de Bonario prope Treuium, cùm peractis orationibus vellet tantiſper requieſcere, non potuit; imò ſpiritus eius timere, & caro immundas ſentire cœpit ſuggeſtiones. Quo periculoſo bello tantiſper turbatus, Eccleſiá exiuit, & magna clamans voce, ait: Ex parte omnipotentis Dei dico vobis dæmones, vt exerceatis circa corpus meum, quod vobis datum & permiſſum fuerit à Domino Ieſu Chriſto; ita enim me vindicabitis de crudeli inimico, & aduerſario peſſimo, quo nullum ſentio maiorem. *Piſan.l.1. Conf.7. & 12. in princ. Anton. Floren.3. p. Hiſtor. tit.23.c.2. §.1.*

APOPHTHEG. XXVIII.

Non propalandum Dei ſecretum.

DIVINAE ſapiētię ſecreta, quę ſibi miſericorditer pandebantur, nullatenus exteriùs vulganda iudicabat, niſi quantum Chriſti charitas vrgebat, aut proximorum vtilitas exigebat. Dicebat enim: Leui mercede vanæ gloriæ aut honoris, rem impretiabilem contingit amitti; & illum qui dedit, ad non dandum iterùm, facilè prouocari. *Bon.c.10. ante med. Rodul.l.2. tract. de Orac. B. Franc.*

APOPHTHEG. XXIX.

Horas Canonicas cum magna deuotione dicendas.

FECERAT quondam ligneum vaſculum, vt minutias tēporis, ne omnino exciderent, occuparet. Quod cùm Horas Canonicas recitanti veniſſet in mentem, ipſiuſque animum paululùm diſtraxiſſet, motus feruore ſpiritus, vaſculum igni tradidit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuius ſacrificium impediuit. *Bon. ibid. poſt med.*

APO-

APOPHTHEG. XXX.

Religioſos nec cellulas debere habere proprias.

FRATREM quemdam è cellula, in qua beatus Pater habitare ſolebat, venientem interrogauit, vnde veniret. Cui reſpondenti, E cella tua, Pater; extemplò ait: Meam dixiſti, quam non meam iudicaui; alienam deinceps habitare debeo, qui nihil meum habere promiſi. *Piſan.l.2. Conf.4. Specul.Vitæ Franciſci, c.9.*

APOPHTHEG. XXXI.

Mentale lumen corporeo præponendum.

MEDICO ſuadenti vt abſtineret à lacrymis, ſi corporei viſus cæcitatem vellet euadere, reſpondit: Non eſt, frater Medice, ob amorem luminis, quod cõmune habemus cum muſcis, viſio lucis æternæ vel modicùm amouẽda; quia non ſpiritus propter carnem, ſed caro propter ſpiritum, beneficium lucis accepit. *Bon. c.5. poſt med. Piſan.l.1. Conf.12. in princ. & c.40. Rodul. l. 2. tract. de Orac. B.Franc. fol.175. pag.1.*

APOPHTHEG. XXXII.

Contemplationem curioſo ſtudio præferendam.

INTERROGATVS à quodam Fratre, quem librũ, ad maiorem ſui profectum & vtilitatem, ſibi legendum iudicaret; In libro, inquit, crucis lege: mundanæ & curioſæ ſcientiæ ne vacaueris; beatus erit, qui ab hac ſe abſtinuerit propter Deum. *Alu. Pelag.l.2. de Planctu Eccleſiæ, c.69. ante med.*

APOPHTHEG. XXXIII.

Mulierum aſpectum omnino cauendum.

PERCONTANTI ſocio, cur nõ reſpexerit virginẽ quamdam nobilem, ægrotum charitatiuè viſitantem, & humiliter in infirmitate miniſtrantem; reſpondit: Quis non debet timere ſponſam Chriſti? cui ſi oculis pudicis prædicatur, magis in ſua caſtitate confirmatur. Me in

facie illa viderit, non ego illam. *Idem ibidem c. 73. ante*
Eccl. 9. *med. Optimè certè ad Sapientis conſilium*: Noli in faciem virginis intendere, ne te ſcandalizet vultus eius. *Vide, ſi placet, Aug. Ser. 250. de Tempore, Tom. 10.*

APOPHTHEG. XXXIV.

Religioſos contra ſui ſtatus perfectionem non debere priuilegia deſiderare.

ADMONENTIBVS & orãtibus quibuſdam Fratribus, vt ad maiorem Religionis immunitaté & auctoritatem, à Summo Pontifice priuilegia impetraret, dixit: Hoc meum & Fratrum meorum eſt priuilegium, nullum habere priuilegium ſuper terram, ſed omnibus obedire, & inferiores nos omnibus reputare. *Idem ibidem c. 66. ad finem.*

APOPHTHEG. XXXV.

Abſtinentiam in Religioſis non niſi neceſſitate compellente relaxandam, & hypocriſis vitium fugiendum.

INFIRMITATE grauatus, abſtinentiæ rigorem paululũ, carnem comedẽdo, relaxauit; quod poſteà in ſe reprehendens, ait: Non decet vt populus abſtinentem me credat in publico, & ego carnaliter reficiar in occulto. Reſumptis ergo viribus, & feruore magis admirabili quàm imitabili, nudus, & fune ad collum alligato, ad forum proceſſit; vbi populo cateruatim accedenti dixit: Carnem in occulto comedi: non me ergo deinceps, fratres, ſpiritualem dicite, ſed tamquam carnalem & glutonem contemnite. *Bon. c. 6. poſt princ. D. Antonin. 3. p. Hiſt. tit. 23. c. 2. §. 4. Vinc. Beluac. 2. p. Hiſt. l. 31. c. 101. Jul. Nigronius Comment. in Reg. 6. Ieſuit. num. 4. & 7.*

APOPHTHEG. XXXVI.

In hac vita neminem eſſe laudandum.

QVIBVSDAM cum beatificantibus & ſanctum proclamãtibus, dixit: Filios & filias adhuc habere poſſum,

nolite

nolite laudare, quem non iudicatis ſecurum. Nemo laudandus, cuius incertus eſt exitus. Quacumque hora Deus theſauros ſuæ gratiæ mihi auferret, quos nunc mihi accommodauit, quid aliud apud me remaneret niſi corpus & anima, fidelibus & infidelibus communia. *Bon. vbi ſuprà, ante med. Piſan. l. 1. Conf. 6. & l. 2. Conf. 5. & Rodul. l. 2. tract. de Orac. B. Franc.*

APOPHTHEG. XXXVII.

Prælatum ſubditis virtutum exempla dare debere.

LICET innocens eius caro, quæ poſt magnam & longam pœnitentiã iam ſe ſponte ſubdebat ſpiritui, nullo egeret flagello propter offenſas, tamẽ quotidie renouabat illi pœnas & onera. Quod reprehendentibus quibuſdam ait: Propter alios * cuſtodio vias duras; multis namque datus ſum in exemplum. Si linguis enim hominum loquar & Angelorum, charitatem autem in me ipſo non habeam, & proximis virtutum exempla non monſtrem, parum proſum aliis, mihi nihil. *Bon. c. 9. ante med. Mar. 1. p. l. 1. c. 42.*

* Pſal. 16. v. 4. 1. Cor. 13 v. 2.

APOPHTHEG. XXXVIII.

Pecuniam Dei ſeruis non appetendam.

TRANSEVNTE viro Dei per Apuliam iuxta Barum, ſocius crumenã (ſeu, illius Prouinciȩ vſitato vocabulo, fundam) quaſi denariis refertam, veluti tumeſcentem offendit; quam flocci pendendam, & ibi relinquendam beatús Pater conſuluit. Sed ſocio, contra illius conſilium è terra illam eleuante, protinus ex ea ſerpens non modicus exiliens, ſimul cum ipſa euanuit. Quam diabolicam deceptionem (quæ beatum Patrem anteà non latuit) vt ſocius reipſa comprobauit, ait vir Dei: Pecunia ſeruis Dei, ô Frater, nihil aliud eſt quàm diabolus & coluber venenoſus. *Bon. c. 7. ad med. Rodul. vbi ſuprà. Mar. 1. p. l. 1.*

cap.32. Anton. Florent.3.p. Hiſt.tit.23.c.2.§.2. Iul. Nigr. in Reg.7.num.10.

APOPHTHEG. XXXIX.

De veſtitu & ſupellectili ſuperflua Religioſis verecundandũ.

PAVPERCVLVM quemdam obuiũ habuit in via, cuius cùm nuditatem aſpiceret, cõpunctus corde, lamentabili voce dixit ad ſocium: Magnam verecundiam intulit nobis huius pauperis inopia, quia nos pro magnis diuitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in iſto. *Bon. ibidem. Piſan.l.2.Conſ.4.Mar.1. p. l.1.c.33. Plat.l.2. de Statu Relig.c.3.Anton.Floren.3.p.Hiſt.tit.23.c.1.§.1. & c.2. §.2.Specul.Vitæ Franciſci,c.16.*

APOPHTHEG. XL.

Chriſti pauperes ſe pauperioribus ſubuenire debere.

ESENIS redeunti cùm pauper quidam ſeminudus occurreret, ad ſocium conuerſus, dixit: Oportet, Frater, vt mantellum hoc, quod ſuper habitũ porto, reddamus pauperculo iſti, nam ipſius eſt. Mutuò enim illud accepimus, donec pauperiorem inuenire contingeret. Socio autem propter ſancti Patris neceſſitatem reſiſtenti, iterùm ait: Pro furto mihi reputo à magno eleëmoſynario reputandum, ſi hoc quod fero, non dedero magis egenti. *Bon.c.8. ad med. Mar.1. p.Chron.l.1.c.36. Anton.citatus.*

APOPHTHEG. XLI.

Religioſis mendicantibus ſuperfluum quæſtum fugiendum.

FRATRES quantoties hortabatur, vt inanes diſcurſus, & nimias ſollicitudines in acquirendis vel colligẽdis eleëmoſynis vitarent, & omnino quæſtus ſuperfluos abhorrerent, dicens: Fratres, petite tantùm victui & veſtitui neceſſaria. Ego de me fateor, & gratias ago Deo, quòd numquam fui fur aut latro eleëmoſynarũ; ſemper enim minus accepi, quàm me contingeret, ne alij pauperes ſua ſorte fraudarentur; quia contrarium facere, ſemper furtum

tum reputaui. *Piſan.2.Conf.4.Pelag.l.2.c.64.Rodul.l.1.ſel.9. pag.2.Specul.Vitæ Franciſci,c.11.*

APOPHTHEG. XLII.

Eleēmoſynam aliquando oratione magis meritoriam.

FRATREM Petrum Cathaneū (tunc Fratrum primicerium) rogauit vt anui cuidam, duorū Fratrum Minorum matri, eleëmoſynam petenti, aliquid erogaret. Quo reſpondente, nihil domi fuiſſe quod elargiri potuiſſet, ſolumque in Eccleſia habuiſſe Teſtamentum nouum, in quo Fratres Lectiones nocturnas recitabant: Da, inquit, huic noſtræ matri (ita enim Fratrum genitrices appellabat) librum illum, vt illum vendat pro ſua neceſſitate releuanda; credo enim firmiter, plus Deo & beatæ Virgini placiturum, librum hunc huic pauperi erogare, quàm, vt in eo legamus, illum nobis reſeruare. *Piſan. ibidem. Mar. vbi ſuprà cap.37.*

APOPHTHEG. XLIII.

Propter Deum potiùs quàm propter mundum bona opera facienda.

IN ſuæ conuerſionis initio, non depoſito adhuc habitu ſæculari, ſeipſum accuſans quòd erga homines propter mundi gloriam liberaliſſimus fuerit, & firmiter proponens, ſi quæ ſibi remanebant, in pauperum vſus deinceps diſpenſurū, ait: Qui hucuſque non pepercit ſumptui, & curialis fuit erga amicos propter mundi inanem gloriā, & fauorem tranſitorium, æquum eſt vt modò propter Deum, qui liberaliſſimus eſt retributor, eadem erga pauperes vtatur liberalitate. *Piſan.l.1.Conf.6.*

APOPHTHEG. XLIV.

Sanctorum feſtiuitates non conuiuiis, ſed eorum imitatione celebrandas.

AD aduentum cuiuſdā Prouincialis Miniſtri, Fratres in Conuentu Reatino ſolito meliùs menſas parātes, & ci-

& cibos aliquantò abundantiores in die Natiuitatis Chriſti apponentes, acriter reprehendit, dicens: In die pauperis Chriſti, à paupertate deuiatis? mementote quòd hodie beata Virgo vix habuit panem ad manducandum, & mundi Dominus pro incunabulis, animalium habuit præſepe. Pauperem Matrem imitamini, vagientis Infantuli recordamini. *Piſan. l.2. Conſ.4. & 7. Specul. Vitæ Franciſci, cap.19.*

APOPHTHEG. XLV.

Magnum eſſe Sanctorum imperium, & Religioſis populi tumultum eſſe ſollicitè vitandum.

MORTVO beato Petro Cathaneo, cũ propter eius ſanctitatem & crebra miracula cateruatim in Eccleſia ſanctę Mariæ de Angelis ad eius ſepulchrũ, non ſine Fratrum incommodo, & quietis ſilentiique monaſtici detrimento, vndique populi confluerent; ad eius tumulum accedens beatus Pater, & ſuper illum ſtans, ait: Frater Petre, qui mihi in vita promptiſſimam præſtitiſti obedientiam, in morte humile non denegabis obſequium. Propter te Fratrum tuorum religioſa quies perturbatur, dum à tot tantiſque populis debitus honor tuo corpori exhibetur. Per ſanctam tibi iniungo obedientiam, ne plura deinceps perpetres miracula, ne quod in Dei & Sanctorum ordinatur honorem, in huius religioſæ ædiculæ manifeſtius vergat detrimentum. Mirabile dictu. Nullum poſteà defunctus fecit miraculum, nec populi tumultus ampliùs venit ad ſepulchrum. *Piſan. lib. 1. Conſ. 8. tract. de Prouincia S. Franc. de loco Aſſiſij, in Vita B. Petri Cath. Gonzaga de Orig. & propagat. Seraphicæ Relig. par. 2. in tract. de eadem Prouincia, & de eodem Conuentu.*

APOPHTHEG. XLVI.

De intolerabilitate & fœditate dæmonis.

BEATO Fratri Ægidio, tertio B. Patris ſocio, interroganti an aliquid in mundo adeò terribile eſſet, quod eius aſpectum ferre non poſſet aliquis tanto temporis interuallo, quanto Dominicam Orationem poſſet recitare; reſpondit: Adeò intolerabilis eſt dæmonis aſpectus (quo nihil terribilius aut infeſtius in mũdo excogitari poteſt) quòd nec tantillum temporis eum ſuſtinere quiſpiam valebit, niſi diuino fuerit illuſtratus præſidio. *Piſan. l. 1. Conf. 7. & 12. in princ. Rodul. l. 2. tract. de Orac. B. Franc.*

APOPHTHEG. XLVII.

Magis in Dei benignitate quàm pecuniæ theſauris confidendum.

PROCERES, & ſolemnes nuntios Aſſiſinates B. Patrem graui & vltima infirmitate laborantem, è Noceria, ne alibi quàm apud ipſos moreretur, reducentes Aſſiſium, & apud Dei virũ conquerentes, quòd in villa Sarthiani, in qua ad prandij tempus moram protraxerunt, nihil venale reperiebant, reprehendit, dicens: Nihil comedendum inuenitis, quia plus in muſcis veſtris (hoc nomine vocabat denarios) quàm in Domino confiditis. Sed reuertimini per domos, quas circuiſtis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleëmoſynam poſtulate. Quod ad ſancti Patris mandatum humiliter facientes, euenit, vt inopiam, quam illorum pecunia releuare non poterat, Franciſci pauperies opulenta ſuppleret. *Bon. c. 7, poſt med. Piſan. l. 1. Conf. 12. in princ. & l. 3. Conf. 4.*

APOPHTHEG. XLVIII.

Sanctos mortem non timere, & æqualiter in morte ac vita lætari.

PAVCIS diebus ante eius obitum medicũ percontatus eſt, quid ſibi de infirmitate, qua laborabat, videretur.

Cui

Cui timidè reſpondenti, Benè tibi erit per Dei miſericordiam; hilari ac intrepido animo inquit beatus Pater: Dic mihi, inquam, clarè, quid tibi videtur? noli timere, quoniam per Dei gratiam corculus non ſum, vt mortem timeam; cooperante enim Spiritus ſancti gratia, ita Domino meo vnitus adhæreo, vt nec de morte mœſtus triſtabor, nec de longiori vita magis gaudebo; æqualis mihi erit in morte ac in vita lætitia. *Piſan. l.1. Conſ.12. in princ. & l.3. Conſ.4.*

APOPHTHEG. XLIX.

Sanctos in tribulationibus Dei voluntati conformari.

CVM in eadem infirmitate ad finem vitæ grauiùs ſolito dolorum multorum vrgeretur aculeis, compatiens ei quidã ſimplex ac deuotus Frater ait: Ora Deum, Frater, vt mitiùs tecum agat, manum enim ſuam plus debito ſuper te grauare videtur. Quo audito, vir ſanctus cum eiulatu exclamans, ait: Niſi iamdudum ſimplicem in te cognouiſſem puritatem, tuum ex nunc vtique abhorrerem conſortium, qui diuina circa me auſus fueris reprehenſibilia iudicare iudicia. Maiora mereor tormenta, plura ad Dei nutum libentiſſimè patiar flagella. *Bon. c.14. in princ. Piſan. l.1. Conſ.5. & l.3. Conſ.4.*

APOPHTHEG. L.

Magna perfectis viris conſolatio ex meditatione Dominicæ paſſionis.

CVM diuturnis grauaretur languoribus, interrogatus à quodam, quare, vt ſuos releuaret dolores, non iubebat aliquando quidquam ſibi legi, quod languentem recrearet animum; reſpondit: Nihil mihi tam delectabile quàm vitæ & paſſionis Dominicæ memoria, quæ mihi frequens eſt & quotidiana; nec ad finem vſque mundi ſi vixiſſem, alia indigerem lectione. *Marc. 1.p. l.1. cap.86. Ital. excuſ.*

Apo-

APOPHTHEG. LI.

Plus eſſe lucri in vituperiis perpeſſis, quàm in oblatis honoribus.

DVM in quodam caſtro multi ſancto viro exhiberentur honores, dixit ſocio: Abeamus hinc, nihil enim hìc lucramur dum honoramur; ibi eſt noſtrum lucrum, vbi vituperamur & vilipendimur. *Leg.antiq.c.De humilit. Bonau.l.de Luminarib.Eccl.Serm.*18.

APOPHTHEG. LII.

Tentationibus Dei ſeruos reddi fortiores.

DIXIT ei quidam ex Fratribus, dęmoniacam puellam reuelaſſe, licet inuitam, multa dæmonum agmina contra eum conſpiraſſe, vt ſuo gradu & virtute deiicerent, quem infenſum ſibi dicebant hoſtem. Reſpondit intrepidus: Modò fortior ſum. *Leg. & Bonau. citati.*

APOPHTHEG. LIII.

Non facilè diſputari poſſe de fide cum Ethnicis.

CVM in Aegypto prædicaret, dixit ei Soldanus vt diſputaret de fide cum Sacerdotibus ſuis. Reſpondit, quòd ſecundùm rationem naturalem de fide diſputari non poterat, quia ſupra rationem eſt; nec per Scripturam, quia illam non recipiebant Sacerdotes. Fiat autem, inquit, rogus, & ego in fidei noſtræ teſtimonium me ardentibus tradam flammis, vt dum non lædar, fidei veritas appareat. *Bonauent.cit.Serm.*19.

APOPHTHEG. LIV.

Fugienda hypocriſis.

INFIRMVM ſtomachum dolenti ſuaſit Guardianus, vt ſub lacera tunica permitteret conſui pellem vulpinam: reſpondit, ſe ea conditione id permiſſurum, dummodò exteriùs in omnium conſpectu ſuperſueretur alia eiuſdem menſuræ pellis, quæ latentem indicaret. Vt omnibus innoteſceret aliquantula illa, quam admiſit, mollities,

ties, & ſub hiſpida veſte blandam ſcirent latuiſſe pelliculam. *Marian.l.1.c.8.§.7.*

APOPHTHEG. LV.

Aliquando neganda etiam iuſta, vt iniuſtorum ſupprimatur deſiderium.

CVIDAM imperito tironi petenti facultatem retinendi apud ſe Pſalterium, ſæpiùs negando, repulit à ſe, ſubdens hæc verba in poſtrema repulſa: Fili, Pſalterij vtendi facultate obtenta, concupiſces etiam Breuiarium & alios libros ad diſcendum; & vbi didiceris aliquid, voles in cathedra ſedere tamquam magnus Theologus aut Prælatus, & iubebis Fratrem tuum ad te deferre Breuiarium. Quibus dictis magno cum ſpiritus feruore, caput ſibi aſperſit ſæpiùs cinere, dicens: Ego Breuiarium? Ego Breuiarium? *Marc.1.par.lib.2.c.62. Julius Nigron.in Comment. ad Regul.14.Ieſuit.num.11.*

APOPHTHEG. LVI.

Perferenda patienter peccatorum ſupplicia in hoc ſæculo.

VAPVLAVIT aliquando à dæmonibus, variaſque pertulit moleſtias; quibus nihil fractus ſpiritu, vehementi dixit feruore: O Domine, tibi gratias habeo ob immenſum tuum erga me amorem & charitatem, quam & nunc clariùs manifeſtas. Punis namque peccata in hac vita, vt condones in futura. Ego, quod ad me attinet, prompto animo adſum, vt alacriter ſuſtineam quamcumque tribulationem & pœnam, quam diuinæ tuæ maieſtati mihi placuerit infligere propter mea peccata. *Floretum tractatu de Stigmatib. Conſideratione prima.*

APOPHTHEG. LVII.

Ex ſpe gloriæ ſuauis tolerantia paßionum.

INTERROGATVS, quomodo tam magnos oculorum & totius corporis cruciatus adeò hilari & conſtanti animo perferebat, reſpondit: Tanta eſt gloria quam expecto,

ſto, vt omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis. *Specul. Vitæ Franc pag. 127. Cornel. à Lapide in c. 8. Epiſt. ad Romnum. 145. Ioan. Lorin. in c. 1. Epiſt. Iacobi, verſ. 2.*

Plura erant ſancti Patris Apophthegmata, quæ temporis diuturnitate, & humanæ memoriæ fragilitate, vel penitùs exciderunt, vel apud ignotos & mihi inconſultos latent Auctores: quæ apud eos, quos præ manibus habui, inuenire licuit, collegi.

FAMILIARIA QVÆDAM COLLOQVIA BEATI FRANCISCI.

DISTINXI *ſub hoc titulo ſequentes ſententias à ſuperioribus, quia ſuccinctum Apophthegmatum modum excedunt; & ferè omnes in familiaribus collocutionibus inter amicos protulerat.*

COLLOQVIVM PRIMVM.

Manſuetudine & patientia magnorum emolliendam duritiam.

PERVENIENS quondam B. Pater ad ciuitatē Imolenſem, vrbis Epiſcopum adiit, humiliterque popoſcit vt cum illius beneplacito poſſet populū ad audiendum Dei verbum conuocare. Cui Epiſcopus durè reſpondens, ait: Sufficit, Frater, quòd ego prędicem populo meo. Inclinauit caput verus humilis, & foras egreſſus, poſt modicum tempus denuò regreſſus, Epiſcopum conuenit. A quo cùm Epiſcopus quaſi turbatus requireret, quid iteratò petere vellet; humili tam corde quàm voce reſpondit: Domine, ſi pater filium vno pepulerit oſtio, alio ſibi reintrandum eſt. Qua humilitate victus Epiſcopus, alacri vultu eum amplexus eſt, dicens: Tu & omnes Fratres tui de cetero in Epiſcopatu meo, generali mea licentia, prædicāte, quia illud humilitas tua ſancta promeruit. *Bon. c. 6. ad med. P. Jan. l. 1. Conf. 10. memb. 2. & Conf. 12. in princ. Rodul. l. 2. tract. de Orac. B. Franc.*

COLLOQVIVM II.

Minores nihil ex bonis Nouitiorum debere ſibi reſeruare.

CVM in loco S.Mariæ de Portiuncula tanta eſſet inopia, quòd non poſſet hoſpitibus ſuperuenientibus ſecundùm neceſſitatis exigentiam prouideri, adiit virum Dei Vicarius ſuus, allegans penuriam Fratrum, & petens vt intrantium Nouitiorum res aliquas reſeruare liceret, ad quas expendendas recurrere poſſent Fratres tempore opportuno. Ad quem vir ſanctus, ſuperni conſilij non ignarus, Abſit, inquit, à nobis, Frater chariſſime, vt pro quouis homine impiè agamus in Regulam. Malo te altare Virginis glorioſæ nudare, cùm neceſſitas id poſtulauerit, quàm contra paupertatis votum, & Regulæ obſeruantiam, vel Euangelij profeſſionem, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, ſancti Euangelij obſeruato perfectè conſilio, ſuum altare detegi; quàm altari ſuo ornato, Filij ſui promiſſum conſilium prætermitti. *Bon. cap. 7. ante med. Piſan. l. 1. Conf. 8. in Vita B. Petri Cathanei, & Conf. 12. in princ. c. 13. Rodul. l. 1. in Vita eiuſdem.*

COLLOQVIVM III.

Superflua ædificia non decere Fratres Minores.

IDEM ſancti Patris Vicarius Frater Petrus Cathaneus domunculam quamdam conſtrui fecit ad commodiorem diuini Officij pſalmodiam, & Fratrũ hoſpitum, in magna multitudine quotidie aduentantium, maiorem tranquillitatem & quietem. Cui beatus Pater veluti aliquantulùm ſuccenſens, ait: Frater, locus iſte forma eſt & exemplum totius Religionis. Mallem ergo quòd incolæ huius ædiculæ pro Dei amore tribulationes tolerent & incommoda, vt alij qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis, quàm quòd plura conſtruerent ædificia, ne hoſpites ad Monaſteria ſua redeuntes, ma-

gnas

gnas ædificent domos, dicentes: In loco B. Mariæ de Portiuncula, qui primus totius Ordinis eſt & caput, plura ſunt ædificia; quare ad illius exemplum nulla erit præuaricatio paupertatis, ſi talia etiam & in noſtris conſtruamus. *Speculum perfectionis paupertatis c. 2. Piſan. l. 1. Conf. 12. in princ. & l. 2. Conf. 4.*

COLLOQVIVM IV.

Bonorum omnium laudem in Deum referendam.

IN ciuitate Interamnenſi concionem, Epiſcopo præſente, habuit ad populum, quæ tanti eloquij, tantæ doctrinæ & myſteriorum Antiſtiti viſa eſt, vt poſtquam è ſuggeſto deſcenderit humilis prædicator, ad populum ſurrexit Epiſcopus, dicens: Laudate non modicùm Dominum, qui tanta bona per os deſpecti pauperis vos docuerit, ſua myſteria reuelauerit, præmium virtutum propoſuerit, & pœnas peccatis dignas ſtatuerit. Cauete vobis & à peccatis; facienda & fugienda per hunc pauperem ipſe Dominus hodie oſtendit. Ad cuius pedes procidens beatus Pater, ait: In veritate dico vobis Domine Epiſcope, nullum tantum mihi conceſſiſſe honorem, ſicut tu hodie. Alij ſanctum, alij beatum me in Dei operibus proclamant, mihi, non Deo, honorem & gloriam tribuentes; ſed tu hodie pro tua ſapientia verè me honoraſti; Deo, quæ ſua ſunt, laudem & gloriam tribuens, * pretioſum à vili ſeparaſti, Deo ſapientiam & virtutem, mihi inſcitiam & vilitatem appropriaſti. *Piſan. l. 1. Conf. 6. & 12. in princip. Marian. l. 1. c. 7.* * Ier. 15. v. 19.

COLLOQVIVM V.

Dei fatuos potiores mundi ſapientibus.

PROPTER ſuggeſtionem quorumdam Fratrum, laxioris vitæ habenas deſiderantium, Vgolinus Cardinalis Oſtienſis beatum Patrem rogauit, vt doctiorum & prudentum quorumdam ſui Ordinis Patrum conſiliis, in

Regulæ præceptis mitigandis, acquieſceret, vel vnam ex antiquis Auguſtini, Benedicti, vel Baſilij inſtitutis pro ſe & Fratribus ſuis ſeruandam eligeret. Ad quem nulla verba habuit Euangelici ſtatus zelator, ſed Fratribus ad Capitulum conuocatis, coram ipſo Cardinale, magno ſpiritus feruore, ait: Fratres mei, Fratres mei, Dominus vocauit me per viam ſimplicitatis & humilitatis, & hanc mihi pro me, & pro illis qui mihi volunt adhærere & imitari, in virtute oſtendit. Nolo igitur quòd mihi nominetis ſeruandam Regulam beati Benedicti, Baſilij, aut alîus cuiuſvis, præter illam, quam mihi diuina miſericordia donauit, & oſtendit. Ipſe Dominus dixit mihi, ſe velle me ſuum fatuellum eſſe in hoc mundo, & me meoſque nolle per aliam viam ducere ad cæleſtem patriam, quàm per iſtam, quæ licet hominibus * ſtultitia videatur, apud Deum tamen pro magna reputatur ſapientia. Timeo, ne veſtra ſapientia & ſcientia poſthac vobis conuertatur in ignorantiam & confuſionem. Quæ verba tam magnum Cardinali & Fratribus timorem incuſſerunt, vt ad eius pedes proiecti, de petitione ſua veniam humiliter implorauerint, *Piſan. l. 1. Conf. . & 12. in princ. Vbert. l. 5. c. 7. parum poſt init.*

* 1. Cor. 1 v. 27.

Colloqvivm VI.

Eleëmoſynas pauperibus Chriſti præferendas dominorum conuiuiis.

Invitatvs ab eodem Vgolino ad prandium, acquieuit; ſed dum menſa ſterneretur, clàm exiens, aliqua fruſtella panis petiit oſtiatim. Quæ, vt rediit, & ad menſam cum Cardinali ſedit, in conuiuio appoſuit. & inter aſſidentes & aſſiſtentes, tamquam ſi lautum aliquod ferculum offerret, diuiſit. Ex quibus ipſe libentiùs quàm de opiparis dapibus comedit. Ad hæc omnia nobilis hoſpes modeſto rubore perfuſus, propter diſcumbentes, &

inui-

inuitatos, conticuit. Sed vt menſa ablata eſt, ſeorſim vocans, quem palàm reprehendere erubuit, clàm ita familiariter alloqui non timuit: Quare (amabo) huiuſmodi rem perpetraſti? magnam mihi iniuriam irrogaſti; menſam, ad quam te inuitaui, micis panis hinc inde aſportatis inhonoraſti; me ita te feciſſe certè pudet. Cui beatus Pater: Imò Domiñe, magno te honore affeci, dum maiorem Dominum honoraui. Me Fratrum meorũ formam & exemplum eſſe decet, & eò magis, quò certiùs ſcio quòd in hac Religione ſunt, & erunt multi Fratres Minores nomine, & opere, qui propter amorem Domini Dei, & ex Spiritus ſancti * vnctione, quæ docebit eos, in omnibus humiliabuntur ad plenam humilitatem, ſubiectionem, & ſeruitium Fratrum ſuorum. Econtrariò alij ſunt, & erunt, qui aut propter verecundiam aut malam conſuetudinem dedignantur & nolunt ſe humiliare, aut declinare ad eleëmoſynas petendum, & huiuſmodi opera facere ſeruilia. Propter quod oportet me docere eos, qui ſunt, & erunt in Religione, vt in hoc ſæculo, & in futuro inexcuſabiles ſint coram Deo. Inuitatus itaque apud vos, aut alios quoſcumque Dominos, nolo verecundari ire pro eleëmoſynis; imò magnam hoc reputo nobilitatem, & regalem iudico eſſe dignitatem, & in honorem vergere illius, qui cùm omnium * Dominus eſſet, pro nobis fieri voluit omnium ſeruus; & cùm in glorioſa maieſtate ſua omnibus abundaret, in noſtra humanitate deſpectus & pauper cunctis indigebat. Volo ergo quòd Fratres omnes præſentes & futuri apertè ſciant, quòd pro magna corporis & animæ conſolatione habeo, quando ad pauperum menſam ſedeo, & maiori circumdor gaudio, quando ante me video poſitas in menſa pauperculas eleëmoſynas, quæ acquiruntur pro amore Dei oſtiatim, quàm cùm ad veſtram vel aliorum menſam lautis dapibus

* 1. Ioã. 2. v. 27.

* Phil. 2. v. 7.

bus & opiparis ferculis præparatam inuitatus, & quaſi inuitus diſcumbo. Panis enim eleëmoſynæ panis eſt ſanctus & benedictus, quem ſanctificat laus & amor Omnipotentis. Cùm enim Frater eleëmoſynam petit, priùs dicit: Laudatus & benedictus ſit Dominus Deus; poſteà addit: Facite nobis eleëmoſynam pro amore Domini Dei. Laus panem ſanctificat, & amor Domini benedicit. Quibus verbis in lacrymas, ex deuotione ortas, prorumpens Cardinalis, Fili, inquit, fili mi, * fac quod bonum eſt in oculis tuis, Dominus enim tecum eſt, & tu cum ipſo. *Piſan. lib. 1. Conf. 6. & 12. in princ. & l. 2. Conf. 4. Plat. de Bono ſtat. Relig. l. 2. c. 3. Specul. Vitæ Franc. c. 22.*

* 1. Reg. 14. v. 36.

COLLOQVIVM VII.

Minores in ſua vocatione humili debere manere.

EIDEM requirenti, num beato Patri placeret, quòd Fratres Minores promouerentur ad Eccleſiaſticas dignitates; magnam vniuerſæ Eccleſiæ promittenti vtilitatem, ſi homines tanta ſanctitate decoros, & virtutum decore conſpicuos, ad præcipua ſua gubernacula eueheret; Domine, ait vir Dei, Minores ideò vocati ſunt Fratres mei, vt maiores fieri non præſumant. Si vultis vt faciant fructum in Eccleſia Dei, tenete illos, & conſeruate in ſtatu ſuæ vocationis, & ad Prælationes Eccleſiaſticas nullatenus aſcendere faciatis. *Bon. c. 6. poſt med. Piſan. l. 1. Conf. 6. & 12. c. 17. Vbert. l. 5. Arboris Vitæ Chriſti, c. 3.*

COLLOQVIVM VIII.

Prælatos dedecere ventri indulgere, aut lautis vti cibis.

VNVS ex ſociis eum interrogauit, cur non mitiùs ſecum ageret, & corpus tenellum, & pœnitentiæ rigore penè mortuum, tanta rigiditate & abſtinentia affligebat; rogauitque vt deinceps permitteret meliora cibaria ſibi præparari. Ad quem verè pœnitens, & Prælatorum exemplum, ait: Benè fateor, Frater, quòd corpori meo plura

plura neceſſaria ſunt, nec omnia quibus indiget, ſemper illi miniſtro. Memini namque me poſitũ à Domino in multorum formam & exemplum. Nolo ergo lautioribus nec abundantioribus cibis vti, ſed paucis & pauperculis veſci: & in omnibus quæ ad vitam opus ſunt, iis ſolummodò gaudeo & delector, quæ ſanctam redolent paupertatem; alia verò quæcumque ſumptuoſa & delicata penitùs abhorreo. *Piſan. l. 2. Conf. 7.*

COLLOQVIVM IX.

Regulam Minorum non à B. Franciſco compoſitam, ſed à Deo deſuper eſſe conceſſam.

HONORIO Tertio Summo Pontifici, qui Regulam Minorum octauo ſui Pontificatus anno ſub Bulla confirmauit, aliqua eiuſdem Inſtituti præcepta dura nimis & humanæ infirmitati grauiora viſa ſunt. Beatum ergo Patrem hortatus eſt, vt quædam mitigaret, quædam mutaret, alia verò omnino tolleret. Cui beatus Legiſlator: Ego, beatiſſime Pater, præcepta aut verba illa in Regula non poſui, ſed Chriſtus, qui omnia vtilia & neceſſaria ſaluti animarum ac Fratrum, & bono ſtatui & conſeruationi Religionis, meliùs omnibus nouit; cuique omnia, quæ ventura ſunt in Eccleſia & Religione noſtra, præſentia ſunt & patent. Non ergo debeo nec poſſum Chriſti verba mutare, aut omnino abolere. *Piſan. lib. 1. Conf. 9. memb. 2.*

COLLOQVIVM X.

Ad magnum Eccleſiæ profectum varias in ea florere Religiones.

OBVIAM ſe habuêre in Vrbe vir Dei, & beatus Pater noſter Dominicus Prędicatorum Patriarcha & Fundator inclytus: quibus ſeria quædam ad animarum ſalutem, & plurima ad Eccleſiæ Catholicæ emolumentum & pacem ſecum proponentibus & diſponentibus, ait

Prædicatorum magnus ille decor ad ſocium & amicum ſuum Franciſcum: Frater chariſſime, propter magnam meam tecum neceſſitudinem, præcordialem erga filios tuos amorem, & pacis fraternitatiſque inter tuos & meos ſtabilitatem, vtroſque gauderem ſub vna Religione militare; vt quos Patrum firmus amor ita coniunxit, Religionis aut vitæ diſparitas non diſſoluat. Cui ſumma humilitate Franciſcus: Diuinæ eſt voluntatis, amantiſſime Frater, quod factum eſt, ab eaque ordinatum eſt diuerſas à nobis fundari Religiones, vt in vtriuſque varietate, præceptorum diuerſitate, illorum rigore, & horum lenitate, varietati ſubueniatur humanæ infirmitatis; & quibus hæc non placent, illa non diſpliceant; quibus vna dura videtur, altera lenior appareat; & ſic non vnius Religionis anguſtiis Deus animas perdat, ſed alterius capacitate lucretur. *Piſan.l.1.Conf.12.in princ.Pelbar.à Themeſ.Serm.de B.Franciſco. Cod.MS.Fan.c.2.*

COLLOQVIVM XI.

Dei ſeruos quò ſanctiores eò humiliores.

BEATVS Frater Pacificus, cùm in comitatu viri Dei eſſet, & vnà cum ipſo in Eccleſia S.Petri de Bonario prope Treuium feruenti oraret affectu, in ecſtaſi factus, vidit inter multas in cælo ſedes, vnam ceteris digniorem, pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi throni refulgentiam, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet aſſumi. Ita ſtupefactus audiuit vocem dicentem ſibi: Sedes iſta vnius de ruentibus fuit, & nunc humili ſeruatur Franciſco. Reuerſus demum Frater ad ſe ab orationis exceſſu, virum beatum Eccleſiam exeuntem ſolito fuit more ſecutus. Cumque incedentes per viam de Deo inuicem colloquerentur, Frater ille viſionis ſuæ non immemor, ſolerter ab eo quæſiuit, quid de ſeipſo ſentiret. Ad quem humi-

humiliter Chriſti ſeruus, Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cùm Frater diceret ex aduerſo, Hoc non potes, Pater, ſana conſcientia dicere, nec ſentire; ſubiunxit: Si quantumcumque ſceleratum hominem tanta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè quòd multo, quàm ego, Deo gratior eſſet. *Bon. c. 6. poſt med. Piſan. l. 1. Conſ. 6. & l. 2. Conſ. 5. Legen. antiqua c. De perfectione humil. ad med. Rod. l. 2. tract. de Orac. B. Franc. poſt med. Sedul. l. 1. Apolog. c. vlt. num. 2. Anton. 3. p. Hiſt. tit. 24. §. 2. Mayron. Serm. de B. Franc. Bern. de Buſt. Ser. 2. de eodem.*

COLLOQVIVM XII.

Omnia bona Sanctorum à Deo prouenire, in eumque eſſe referenda.

BEATVS Frater Maſſæus, vnus ex beati Patris diſcipulis, ſecum hæſitans & fluctuans, an ex honore, quo virum Dei cuncti populi & Principes proſequebantur, aliquantiſper ſuperbiret, & humilitatis paternæ experientiam faciens, exeuntem è ſilua quadã, in qua per aliquot dies orauit, magna hominum multitudine comitatum, magna voce veluti admirabundus interrogauit: Vnde hoc tibi? vnde hoc tibi? vnde hoc tibi? Reſpondit Pater: Quid? Cui ille: Quòd totus mũdus te venerari, te ſectari, imitari, & ſequi videatur: omnes te audire deſiderant, te videre cupiunt, tibi obedire feſtinant. Vnde hoc? Tu non es pulcher aut decorus, ſatis modica lucet in te ſapientia aut ſcientia, tenui viges nobilitate. Vnde ergo quòd totus mundus ad te veniat, & poſt te vadat? Quæ vt audiuit humillimus Dei ſeruus, erectis per modicum tempus oculis in cælum, & mente eleuata in Deum, & veluti ex raptu quodam in ſe reuerſus, vtroque poplite in terram defixo, & oculis iterùm ad cælum eleuatis, liberaliſſimo bonorum omnium largitori gratias agens, impetuoſo ſpiritus feruore ait ad diſcipulum: Vis ſcire vnde hoc

mihi? vis ſcire vnde hoc mihi? & certò ſcire vnde hoc mihi? Hoc mihi ex oculis illis ſanctiſſimis Dei omnipotentis, qui æquè pellucidè bonos contemplantur & malos, prouenire cognoſcas. Sanctiſſimi namque illi Dei oculi nullum viderunt me maiorem peccatorem in terris, inter homines inſipientiorem, aut in creaturis viliorem; & ideò me tamquam inſtrumentum aſſumpſit, & præ ceteris elegit ad aggrediendum & conſummandum
*1.Cor.1 v.27. mirabile opus in terris. * Stulta namque mundi ſemper elegit Deus, vt confundat ſapientes; & ignobilia & con-
2.Cor.4. v.7. temptibilia, & infirma mundi, vt firma deſtrueret, no-
1.Cor.1. v.31. biles & magnates confundat; vt ſublimitas virtutis ſit ex
1.Cor.1. v.17. Deo, non ex creatura: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur, vt ſoli Deo ſit gloria ſempiterna. Quibus auditis, ad magiſtri pedes diſcipulus procidit, & ex verborum humilitate, animi ſubmiſſionem certò comperiit. *Piſan. l.1. Conf.8. tract. de Prouincia S. Franciſci, in Vita B. Maſſei, & l. 2. Conf.5. Specul. Vitæ Franc. fol.*103. *Floretum c.9. Marianus l. 1.c.5.*

COLLOQVIVM XIII.

Prælatos ſuperiores ab inferioribus in ſuo regimine debere adiuuari.

POSTQVAM B. Pater Generalatus officio renuntiauit, Frater quidam deuotus & ſimplex, mœrens & ſentiens ſe alioſque Fratres à tanti Patris cura abſolui, & protectione deſtitui, lugubri voce illum affatus eſt, dicens: Quantum mihi & confratribus meis inſit mœroris & triſtitiæ, tu bone Pater, (ſi Patrem fas ſit vocare, qui filios à ſua cura repulerit) ipſe iudicare poteris. Vnde hoc (oro te) vt quos Deo ſollicito amore pepereris, modò tamquam alienos alteri nutriendos commiſeris? Tuorum iterum ſuſcipe curam natorum, & perfice in eis ſanctæ Religionis ſtudium, ne ſub aliorum remiſſione tepeſcat, quod

quod ſub tua ſollicitudine tantopere feruebat. Cui B. Pater reſpondit: Fili mi, ego Fratres meos quantum poſſum diligo, quos vt meos proprios natos indies magis diligerem, ſi illi Patris, non aliena ſibi proponerent imitanda veſtigia; nec alienos potero iudicare, dum illis placuerit me pro Patre ſuo reputare. Sed ſunt quidam de numero Prælatorum, qui dum antiquorum eis exempla proponunt, alia conſulunt, & aliò ducunt & trahunt, mea præcepta flocci pendunt, & ſalutaria monita contemnunt. Quæ verò modò faciunt, ſi benè, ſi perperàm conſulant, ipſarum rerum exitus & temporis decurſus comprobabunt. Væ tamen illis Prælatis qui mihi ſunt contrarij, quos Dei voluntati repugnare liquidò mihi conſtat, licet inuitus quibuſdam condeſcendam. Dolor mihi eſt, & afflictio magna, Frater, quòd ea quæ per magnum orationis & meditationis laborem à Domino per ſuam miſericordiam obtinui, & quæ in magnam totius Religionis & Fratrum præſentium & futurorũ vtilitatem redundant, quidam ex Superioribus auctoritate ſua, & mundanæ ſcientię prouidentia euertere conantur, dicentes: Iſta ſunt tenenda, quæ ego contemnenda puto; & quæ ſeruare iubeo, tamquam inania & negligenda deſpiciunt. *Vbert. l.5. Arboris Vitæ Chriſti, c.3. Piſan. l.1. Conf.12. in princ.*

COLLOQVIVM XIV.

Religioſos humilitate magis quàm potentia, Prælatorum ſibi animos conciliare, & exemplo ſanctimoniæ magis quàm immunitatis priuilegiis in Eccleſia proficere.

Ex Fratribus, quos binos in omnem terræ regionem ex Comitiis Generalibus Aſſiſij (vbi ſupra quinque millia ex omnibus Prouinciis conuenêre) ad diſſeminandum Dei verbum tranſmiſit, quidam cum mœrore redeuntes, apud eum conqueſti ſunt, quòd ab aliquibus Epiſcopis repulſi, in eorũ Diœceſibus prædicare non potuerint,

tuerint, dicentes: Pater, ad terras, quas aſſignaſti, tranſiuimus, mandatis tuis obediuimus, votis tamen non ſatiſfecimus, nec pro voto populis profecimus. Plures enim Pontifices è Diœceſibus ſuis nos pepulerunt, & quidem (vt pauperibus ſæpè contingit) tamquam ignotos & ſuſpectos non modicis iniuriis affecerunt. Impetra ergo Pater à ſummo omnium Pontifice licentiam & priuilegium, vt vbique terrarum, licet Epiſcopi contradicant, prædicare valeamus. Quos beatus Pater piè increpans, ait: O Fratres mei, Dei voluntatem ignoratis, & mihi inſipienter auferre vultis mundi victoriam. Vult etenim Dominus Ieſus Chriſtus, vt mundum in profunda ſubiectione & humilitate vincam, & magno opere omnes animas ad ipſum traham per humilitatis exemplum. Fratres mei, omnes verbo conuertetis, ſi omnibus, factis vos humiliatis. Qui vos impiè perſequuntur, veſtra probata patientia conuertentur ad Chriſtum, & veſtrorum ſatagent pedum veſtigia oſculari. Nec tantùm debeo velle deſiderare, ſub ſpe ſalutis aliorum, libertatem habere; quòd ego velim profundam humilitatem, quæ ſtatui meo competit, è medio tollere: quia in hoc & ego in virtute proficio, & populus in virtute firmatur. Decet ergo priùs per ſanctam humilitatem & reuerentiam, populorum conuertere Prælatos, vt conuerſi videant & ament vitam veſtram laudabilem, & reuerentiam ipſis exhibitam. Ipſi tunc rogabũt vos, vt populo prędicetis, & omnes veſtris intereſſe iubebunt concionibus. Plura pręſtabit humilitas, quàm poſſit elargiri priuilegium. Si vos verò humiles viderint, & omnino ab auaritia alienos iudicauerint Eccleſiarũ Prælati, populumque induxeritis, vt Eccleſiis iura ſua reddant, ipſi vos rogabũt vt ſaluti populi prouideatis, & omniũ confeſſiones audiatis, licet de hoc parum vos curare deſiderem: nam qui ad Dominum con-

conuertuntur, & ſua piacula deplorant, multos inuenient, quibus ſua peccata reuelent. Hoc modo Epiſcopos & Prælatos facilè vincetis. *Vbert. vbi ſuprà. Aluar. Pelag. l. 2. c. 66. in fine. Piſan. l. 1. Conf. 10. memb. 2.*

COLLOQVIVM XV.

Quales deceat eſſe, qui litteris & ſtudio incumbunt.

AVDIENTES quidam ex ſociis, Lutetiæ Pariſiorum Doctores quamplures, alioſq; multos in Germaniæ, Italiæ & Galliarum plagis Minorum habitum ſumpſiſſe, interrogauerunt beatum Patrem, an ſibi placeret quòd Fratres ſacræ Scripturæ ſtudio intenderent. Quibus ait: Mihi quidem placet, dum tamen Chriſti exemplo, qui magis oraſſe legitur quàm legiſſe, orationis ſtudium non omittant. Nec tantùm ſtudeant, vt ſciant qualiter debeant loqui, ſed vt audita faciant; & cùm fecerint, aliis facienda proponant. Volo enim Fratres meos diſcipulos Euangelicos eſſe, ſicq; in notitia veritatis proficere, quòd in ſimplicitatis puritate concreſcant, vt ſimplicitatem columbinam à prudentia ſerpentina non ſeparent, quas Magiſter eximius ore ſuo benedicto coniunxit. *Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 20. Sedul. l. 3. Apolog. c. 10. Bonau. cap. 11. Legend. ad princ. & lib. de Luminar. Eccleſ. Serm. 22.*

COLLOQVIVM XVI.

Qualiter in primitiua Religione Cœnobia Minorum ædificabantur.

IN ciuitate Senarum moram faciente beato Patre propter infirmitatem oculorum, Heros quidam Senenſis, Bonauentura nomine, fundum dedit Fratribus, vt in eo Monaſterium ſibi ædificarent. Conſuluit tamen beatum virum qualiter conſtituendum eſſet, dicens: Pater, quid tibi de loco iſto videtur? vel quomodo Semneum aut Monaſterium hîc ædificari tibi placet, in quo Fratres tui commorentur, quorum orationibus & meritoriis operibus,

bus, ſi quę mihi communicare voluerint, non me parum in animæ bonis profecturum confido. Cui beatus Pater: Pro agello (quem ad ædiculæ ſitum ſatis commodum iudico) gratias tibi habemus, honoratiſſime Frater, innumeras; modumque fabricandi paucis oſtendam. Ex hoc fundo debent Fratres conſiderare quot iugera ſibi ſufficiunt, in hac ipſa conſideratione ad ſanctam attendentes paupertatem, quam Domino ipſis placuit vouere, in nullo violantes bonum exemplum, quod proximis decet exhibere. Qua re benè perpenſa, loci Diœceſanū adeant Epiſcopum, dicentes: Domine, Heros quidam nobis dedit pro Dei amore, & ſalute animæ ſuæ, locum aptum ad Monaſterium conſtruendum; ad vos primò recurrimus, qui Pater & Dominus eſtis animarum omnium gregis vobis commiſſi, & Patronus Paterq; piiſſimus omnium Fratrum noſtrorum, qui in hoc loco modò commorantur, aut poſteà habitauerint, vt cum benedictione Dei & veſtra tuguriolū aut Monaſterium pauperculum nobis ædificare poſſimus. Dominus enim vocauit nos in adiutorium fidei ſuæ, & Prælatorum & Clericorum ſanctæ Eccleſiæ. Tenemur ergo ipſos, quantùm poſſumus, diligere, honorare, & venerari. Vocantur etenim ideò Fratres Minores, quia ſicut nomine, ita & exemplo & opere præ ceteris hominibus huius ſæculi humiles eſſe debent. Et quia ab initio meæ conuerſionis poſuit Dominus in ore Epiſcopi Aſſiſij verbum ſuum, vt mihi benè conſuleret, & ſapienter confortaret in ſeruitio Ieſu Chriſti; propter hoc & alia multa excellentiora, quæ in Prælatis conſidero, non tantùm Epiſcopos, ſed & pauperculos Sacerdotes diligere volo, & venerari, & pro dominis meis reuereri. Accepta deinde benedictione & licentia Epiſcopi, vadant & faciant mitti magnam carbonariam in circuitu terræ, quā pro ædiculę ſitu acceperunt, & pro muro bonā

ſepę

ſepe circumdent & circumuallent in ſignũ ſanctæ paupertatis & humilitatis. Domos etiam conſtrui faciant pauperculas ex luto & lignis, & aliquas cellulas, in quibus Fratres poſſint aliquando orare & laborare ad maiorem honeſtatem, & ad vitandam otioſitatem. Eccleſias etiam ſtrictiores ædificare debent: nec enim ſermonum ergô, aut alia quacumque occaſione Eccleſias aut templa ſpecioſa, aut magnæ capacitatis vel molis ædificare debent; maiorem etenim humilitatem & melius exemplum populo præbebunt, cùm in aliis vel alienis Eccleſiis prædicauerint. Et ſi aliquando Prelati, vel Clerici Religioſi, aut ſæculares ad loca ipſorũ venerint, domus pauperculæ, & cellæ anguſtæ eis predicabunt, & animas aduentantium magis quàm verba compoſita ædificabunt. *Piſan.l.1. Conſ.12.c.23. & lib.2.Conf.4. Specul.Vitæ Franciſci, cap.10.*

COLLOQVIVM XVII.

Plura pro temporum ratione toleranda.

FRATER Leo ſocius & à Confeſſionibus B.Patris, videns plura maiora & ſumptuoſiora in ſublime tolli ædificia, ſtrictæ Minorum paupertati parum decentia, Patris voluntatem experiri volens, & quid de hac re ſentiret maximopere ſcire deſiderans, coram aliis Fratribus ad beatum Patrem de his ſermonem habuit. Ad quem & circumſtantes ait: Fratres mei audite, ex noſtris quidam modò multa & magna ædificant Cœnobia, & poſt nos venient alij Fratres noſtri, qui magnas facient domos, in quibus notabiles ſæculares honorificè habitare poterunt, & tunicas facient ſibi valdè bonas. Sed ſufficit mihi in tempore illo, quòd Fratres mei cuſtodiant ſe à peccatis mortalibus. *Piſan.l.2.Conf. 4. & 6.*

COLLOQVIVM XVIII.

Spiritui ſancto mentiri, qui ad Religionem ſiniſtra intentione accedit.

E CIVITATE Lucana iuuenis quidam, parentũ illuſtri proſapia clarus, ſed animi leuitate & inconſtantia obſcurus, ad lacrymas quã ad deuotioné promptior, humanis quibuſdã cauſis condeſcendens, non Dei ſpiritu agitatus, ad Fratres acceſſit, ſeq; illorum catalogo adſcribi maximopere velle ſignificauit. Quem vt ad B. Patrem adduxerunt, multis profuſis lacrymis, & ficto cum feruore ad ſuum admitti conſortium humiliter denuò rogauit. Qui externæ fictionis cõſcius, & internę tepiditatis non ignarus; commoto vultu, & verbis increpatoriis ait: Miſer, at-
* Act. 5. v. 3. que carnalis, cur * Spiritui ſancto mentiris, & me fallere cupis? Carnaliter plangis, & ſpiritus tuus cum Deo non eſt. Vade, ad carnales reuertere, ſpiritualibus non es dignus, quoniam nihil ſpiritualiter ſapis. *Piſan. l. 2. Conf. 6.*

COLLOQVIVM XIX.

Auxiliandos & fauore proſequendos ſui Inſtituti zelatores.

CVM cuidam Sacerdoti, in Theologia Magiſtro, prædixiſſet beatus Pater, Fratres à ſtricta Regulæ obſeruantia paulatim declinaturos, petiit ille à viro Dei licentiam tutiora & religioſiora loca Religionis petendi, ſi huiuſmodi relaxatio ſua ætate oriretur. Cui benignus Pater: Quod à me poſtulas, à Chriſto ſcias tibi eſſe conceſ-
Pſal. 109. v. 9. ſum; manumque ſuper caput eius imponens, ait: Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. *Piſan. proximè citatus.*

COLLOQVIVM XX.

Afflictos & tentatos maximopere conſolandos, magnumque Sanctorum eſſe profectum, tentationibus concuti.

AD maiorem meritorum cumulum permiſit Deus beatum Fratrem Rigerium, ex diſcipulis beati Pa-

tris vnum, inter varias & validas tentationes multoties fluctuare, ita vt aliquoties deſperationis periculum ſubiret. Cùm verò ſemel diutiùs, & plus ſolito firmiſſimè quateretur, ſecum ita cogitauit, dicens: Surgam, & Lucæ 15.
ibo ad Patrem meum: qui ſi familiariter & humanè me v.18.
receperit, Deum mihi fore propitium ſperabo; ſin aliter, me totaliter dereliquiſſe iudicabo. Quibus dictis, iter à Marchia Anconitana Aſſiſium verſus (vbi beatus Pater in Curia Epiſcopali magno & vltimo morbo oppreſſus decubabat) iter aggreditur. Cuius fluctuantem animum, verba, & itineris cauſam dum pius Pater cælitus agnouit, duos ex ſociis, Maſſæum & Leonem, in occurſum eius miſit, qui eum benignè reciperent. Ite (inquit) obuiàm fratri Rigerio, qui huc me viſum venit, & ex mea parte illum amplexantes, dulciter ſalutantes & oſculantes, dicite illi, quòd ipſum præ omnibus Fratribus, qui degunt in vniuerſo mundo, totis viſceribus diligo. Quod vt verè obedientes compleuerunt, titubantis animus omnino firmatur in fide, & totus homo ſubitò eſt liquefactus ex gaudio. Deo ergo gratias agit, quòd proſperum fecerit iter ſuum ad locum vbi infirmus & languidus Pater iacebat. Qui acceſſit magis feruore charitatis incenſus, quàm corporis aut virium robore firmatus; in occurſum eius exiliit, & ad collum eius procidens, paterno affectu ait: Chariſſime fili Rigeri, inter omnes Fratres, qui ſunt in toto mundo, te ex toto corde intimè diligo. Et fronti eius Crucis imprimens ſignum, & oſcula eodem loco infigens, ait: Chariſſime fili, hæc tentatio data eſt tibi ad maximum tuum profectum. Sed ſi non vis ampliùs huiuſmodi lucrum, nulla tibi in poſterum ſuperueniet tentatio aut afflictio. Mirabile dictu: præſens ſtatim euanuit tentatio, nec vlla poſteà ſucceſſit afflictio. *Piſan. lib. 1. Conf. 8. in Vita Fratris Rigerij, in tract. De Prouincia Marchiæ.*

Bon. c.11. poſt med.Rodul. l.1. in Vita Rigerij. Anton. Florent. 3.p.Hiſt.tit.23.c.2.§.3.Vincent.Beluac.2.p.Hiſt.l.31.c.100.Specul.Vitæ Franc.fol.149.Floretum c.26.

COLLOQVIVM XXI.

Magnam decere Minores in aduerſis patientiam.

QVODAM ex ſociis quærente, quæ & qualia Minoribus ſint patienda aut toleranda, & beatum Patrem in patientia probatiſſimum dicente, ait: Non me iudicarem Fratrem, niſi in ſtatu, quem tibi depinxero. Ecce pro mei officij ratione, & vt Prælatorum mos eſt, vado ad Capitulum, conuenio Fratres ibidem congregatos, propono eis Dei verbum, commoneo de defectibus quibuſcumque. Quibus expletis inſurgunt contra me Fratres, & dicunt: Non conuenis nobis, nec ſatis es idoneus Generalis aut Superioris officio: quid enim nobis rectè præcipere, quomodo benè gubernare poterit homo illitteratus, elinguis, idiota, & ſimplex? Vnde de cetero non præſumas te noſtrum nominare Prælatum. Tandem eiicior cum opprobrio, irriſus, & vilipenſus ab omnibus. Dico tibi, niſi eodem vultu, eadem mentis lætitia, & eodem ſanctitatis propoſito hæc verba audiero, ac alia quæcumque placentia, vel quæ in honorem meum proferuntur, me Fratrem Minorem nequaquam iudicabo. Nam ſi gaudeo & exulto cùm me honorant propter profectum, virtutem, & deuotionem ipſorum; vbi tamen animæ meæ periculum eſſe poteſt, multò magis debeo iucundari & delectari de profectu & ſalute animæ meæ, cùm vituperant me, nam in hoc certum eſt mihi lucrũ. Nam in Prælatione caſus, in laude pręcipitium, in humilitate ſubditi animæ lucrum eſt. *Bonau.cap.6.ad med. Piſan. l.1. Conf.5.& 12.cap.33.*

COLLOQVIVM XXII.

Religioſum nullatenus ſacrum obedientiæ iugum excutere debere.

VT Generalatus officio renuntiauit, Fratrem Petrum Cathaneum, in eius locum ſubrogatum, adiit, humiliter orans & dicens: Pater & Frater chariſſime, te meum Patrem & Dominum confiteor, tuæ curæ animæ meæ tutelam committo; tibi tamquam vero meo Miniſtro omnem reuerentiam & obedientiam humiliter promitto. Rogo etiam & oro te per Deum viuum & verum, vt vicem tuam mihi imperandi, & de me curandi, vni ex ſociis meis committas, cui in omnibus tuo loco firmiter obediam: nam propter magnum lucrum & meritum obedientiæ, te ſemper Prælatum meum mecum, & coram me ſemper habere deſidero. Quod vt obtinuit, firmiter vſque ad mortem, quæ promiſit, compleuit: nam domi, vel in itinere, in Eccleſiis, vel per plateas, nihil ſine ſocij licentia & obedientiæ iugo perpetrabat. *Aluar. Pelag. l.2.c.69. ante finem. Piſan. l.2. Conf.5. Bon. c.6. ante med.*

COLLOQVIVM XXIII.

Dei beneficiorum gratam habendam memoriam.

IN ſacro Conuentu Montis Aluernæ in Sacello Cardinalis (à cineribus Illuſtriſſ. Galeotti de Vbertinis Aretini, Petræmalæq; Comitis, ac S.R.E. Cardinalis, ibi reconditis, ſic dicto) in eius penetralioribus quadratus lapis ferrea crate contectus exiſtit, ex quo beatus Pater refectionem ſæpiùs ſumpſit, & ſupra quem ſępiſſimè inſtantiùs orauit. Qua de cauſa maximo in honore habetur, magna religione colitur; & ne in nihilum redigatur à deuotis ſæcularibus & Eccleſiaſticis aduentantibus, aliquas ex eo Reliquias aſportantibus, nec Religioſis prohibere valentibus, prædicta ferrea crate communitur. Hunc vt ſemel beatus Leo pro menſa, mappula, de more ſolito, ho-

ra prandij contegere vellet, prohibuit beatus Pater, ſubiiciens: Noli, chariſſime Frater, ita facere; ſed menſam primò aqua, deinde vino, rurſus oleo, ac tandem balſamo lauare ſatagito, quandoquidem Chriſtus in ea ſedere, mihique, quæ audies, reuelare dignatus eſt. Quater menſam hanc laua, & benedic, quia in ea quatuor hæc Dominus mihi pro Ordine repromiſit: primum, Ordinem hunc ad finem vſque mundi perſeueraturum: ſecundum, Ordinem & Fratres eius ex corde diligentes, quantumcumque peccatores, Spiritum compunctionis & miſericordiam in vita vel in morte conſecuturos: tertium, Hoſtes & perſecutores huius Religionis, niſi pœnitentiam egerint, hac luce diu minimè fruituros: quartum, Nullum eius alumnum malè in ea viuentem, aut ſuæ profeſſionis oblitum, diu & obſtinatè in mortali peccato languentem, in ea remanſurum; nam vel is propriũ crimen confeſſus emendabitur, vel eo detecto ſibi valedicetur.. Adiecit Dominus & alia, quæ in horam mortis tibi reſeruo. Quod vt dixit, accerſens & effundens oleum deſu-
Gen.28. v.18. per, dixit: Hîc eſt ara Dei. Cuius rei, præter irrefragabile ſanctorum priſcorum Patrum teſtimonium, & multorum monumenta librorum, ipſa petra firmam in ſe memoriam habet reuerentiæ ſibi debitæ & priſtinæ religionis, ac ſe Dei fuiſſe aram oſtendit. Nam ſtatim poſt beati Viri mortem è latere montis, in quo ſita erat, & vbi mirabilia ſua Dominus oſtendit, illius Aluernij Conuentus incolæ ad Sacrariũ iuxta altare, cum magna reuerentia, Dei viui & glorioſi myſticum hoc altare debito honore tranſtulêre, & beati prædicti Leonis curâ in eo hæc verba indelebilia inciſa ſunt: MENSA BEATI FRANCISCI, SVPER QVAM HABVIT MIRABILES APPARITIONES, SANCTIFICANSQVE IPSAM EFFVDIT OLEVM DESVPER, DICENS: HIC EST ARA DEI. O verum

rum Iacob,tot beneficiis dignum, nullius immemorem! omnia promeruit humilitas, dum nullius defuit gratitudo. *Gonzaga 2.par.Chron.tract.de Prou.Tuſciæ,deConu.Montis Aluerni, aliquantiſper poſt princ. Piſan.l.1.Conf.8. Ant. à Sancta Maria in Manuali Regulæ Min.Gregor.Nonus,qui in Memoriali antiquo, ab eodem beato Patre ſe illa audiiſſe refert. Firm. 1. p.fol.18. pag.2. & Rodul. l. 1. in quadam Appendice, fol.8.pag.2.In Firm.& Compendio Ordinis his continentur carminibus Hexametris ſatis humilibus & impolitis, quæ Chriſtus ſuper prædictam menſam promiſit:*

Franciſco fundente preces (vt tempore multo
Mos inoleuit ei) cæleſtis Filius ipſum
Exultare iubet. Annuntio quattuor, inquit,
Dona ſuperna tibi. Stabit tuus Ordo per æuum.
Nullus ibi frater, cui ſit peruerſa voluntas,
Stare diu poterit. Vix Ordinis hoſtibus annos
Viuere dimidios præſtabitur. Eius amici
Viuent, & vitam concludent fine beato.

COLLOQVIVM XXIV.

Religioſos magnatum non debere Curias frequentare.

ROGATVS à Domino Leone, Cardinali ſanctæ Crucis, vt ſecum aliquantulùm moraretur in Vrbe, acquieuit humiliter ob petentis reuerentiam & amorem. Prima verò nocte, cùm poſt orationem quieſcere vellet, ſuperuenerunt dæmones, in Chriſti militem atrociter inſurgentes: quem cùm diu & durè verberaſſent, quaſi ſeminecem reliquerunt. Diſcedentibus illis, ſocius aduocatus acceſſit. Cui cùm vir Dei rei narraſſet euentum, ſubiungens ait: Credo, Frater, quòd dæmones, qui nihil poſſunt, niſi quantum prouidentia ſuperna diſponit, ideò in me nunc tam ferociter irruerunt, quia non bonam ſpem præfert manſio mea in Curia magnatum. Fratres mei, qui in locis pauperculis commorantur, audientes

me

me cum Cardinalibus eſſe, ſuſpicabuntur forſitan me mundanis implicari, efferri honoribus, & deliciis abundare. Ideò melius iudico, eum qui in aliorum ponitur exemplum, Curias fugere, & humiliter inter humiles in locis conuerſari humilibus, vt ſuſtinentes penuriam, fortes efficiat ſimilia ſuſtinendo. Summo ergo manè ſurgũt, & excuſatione propoſita, Cardinali valedicunt. *Bon.c.6. ad finem. Piſan.l.1. Conſ.12.c.40. Sedul. in Comment. ad c.6. Vitæ B. Franc.n.10. Anton.3.p. Hiſt.tit.23.c.2.§.1.*

COLLOQVIVM XXV.

In pauperibus, Chriſti & Matris eius pauperiem conſiderandam.

CONTIGIT ſemel vt pauperi cuidam, eleëmoſynam importunè petenti, vnus è Fratribus duriùs reſponderet. Quod audiens pauperum pius amator, Fratri præcepit, vt ad illius pauperis pedes ſe nudatum proſterneret, proclamaret culpabilem, orationis ſuffragium poſtularet, & veniam. Quod cùm ille feciſſet humiliter, dulciter Pater adiecit: Dum pauperem vides, ô Frater, ſpeculum tibi proponitur Domini, & pauperis Matris eius. In infirmis ſimiliter infirmitates, quas aſſumpſit, conſidera. *Bon. c.7. ante med. Piſan. citatus & l.2. Conf.4. Antonin. Florent. 3.p. Hiſt.tit.23.§.5. Vincent. Beluac.2.p. Hiſt.l.30.c.106.*

COLLOQVIVM XXVI.

In Religione non proprio, ſed Prælati iudicio acquieſcendum.

DVOS iuuenes, ad Ordinem recipi obnixè orantes, de obedientia & facilitate ad propriam abnegandam voluntatem experiri volens, ſecum duxit in hortum, dicens: Venite mecum, & pro Religioſorum victu caules plantate eo modo, quo me facere videritis. Et plantulis acceptis radices ſurſum agebat, folia verò terræ mandabat. Quem plantandi modum vnus ex iuuenibus, verè obediens, per omnia obſeruabat; alter verò pro humano

captu

captu aliquantiſper ſciolus, tamquam hortorum cultoribus inſuetum, redarguebat, & vice verſa caules plantandos aſſerebat. Cui beatus Pater, Fili, inquit, me imitare, & quod ego facio, fac tu ſimiliter. Quo nolente, quia fatuum ſibi videbatur quod fiebat; ait vir Dei: Frater, video quòd magnus es magiſter, vade viam tuam; ſimplicem & humilem Ordinem non decent ſimiles magiſtri, ſed ſimplices & fatui, ſicut iſte ſocius tuus. Hic nobiſcum remanebit, te recipere non expedit; vade viam tuam. *Piſan. l.2. Conf.5.*

COLLOQVIVM XXVII.

Dæmones noſtra lætitia triſtari.

SCISCITANTI cuidam, quomodo hilarem ac lætum ſemper præ ſe vultum vir ſanctus ferebat; etſi aliquando triſtabatur, vel præ tentatione aut metu peccatorum, vel tormentorum gehennalium? Reſpondit: Aliquando magnam mihi generant peccata mœſtitiam, aliquando etiam tepidam & ſomnolentam mihi ingerere deſiderat ſatan triſtitiam, & ad meam torquetur lætitiam; inuidetque mihi de beneficiis, quæ à Domino accepi. Scio etiam & video, quòd cùm nocere non poſſunt mihi dæmones, ſtudent mihi nocere per ſocios meos, ſanctam in illis extinguendo lætitiā. Si verò per me, vel per ſocios meos, mihi nocere non poſſunt, cum magna confuſione recedunt. Quando verò me malæ triſtitiæ aut accidiæ inuadit tentatio, conſidero lętitiam ſocij mei, & ad illius gaudium & hilaritatem ſpiritualem, meam excutio tentationem, & accidioſam triſtitiam, & ad interiorem lætitiam & exteriorem iucunditatem accendor. *Leg. antiq. c. 8. De zelo lætit. ſpirit. Piſan. l.1. Conf. 12. cap. 31. Specul. Vitæ Franc. fol.120. Codex MS. Fanen. c.30.*

COLLOQVIVM XXVIII.

Tentationes ad maiorem permitti profectum.

QVEMDAM ex Fratribus, præ nimia & moleſta tentatione, nouit quaſi deſperatum iri, & timuiſſe ne ſi Pater fluctuantem illius animum detegeret, minùs ſic tentatum diligeret, quem dæmon quaſi vacillare coëgerat. Afflictum charus Pater natum accerſiuit, & paterna conſolatus eſt voce: Ne timeas, nec contriſteris, fili mi. Crede mihi, quòd nunc plus ſolito te Dei ſeruum iudico; & quò magis tentatum te ſenſeris, magis mihi te noueris eſſe dilectum. Nullus, fili, ſe Dei ſeruum reputare debet, quouſque per tentationem & tribulationem non tranſierit. Anulus eſt quodammodò, victa tentatio, quo Dominus ſerui ſui animam ſibi deſponſat. Plures ſibi de annoſis meritis blandiuntur, & nulla ſuſtinuiſſe tormenta aut tentationes lætantur. Sed quoniam ante congreſſum ſolus eos terror elideret, ſciant ſpiritus ſui debilitatem à Domino conſideratam, & ideò non probari tentatione. Vix enim obiiciuntur certamina fortia, niſi vbi fuerit virtus perfecta: ſignum eſt amplioris gratiæ, nihil in ſeruo ſuo impune relinquere in hoc mundo. *Legen. Celen. c. De tentat. Piſan. l. 1. Conf.* 12. *c.* 16. *Rodul. l.* 2. *tract. de Orac. B. Franc. ante finem.*

COLLOQVIVM XXIX.

Orationem Dominicam omnium maximè ſalutarem.

ROGANTIBVS Fratribus, vt eos doceret orare, dixit: *Cùm orabitis, dicite, Pater noſter.* Et adoramus te Chriſte ad omnes Eccleſias tuas, quæ ſunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam ſanctam redemiſti mundum. *Bonau. cap.* 4. *parum poſt princ. Vincent. Beluac.* 2. *p. Hiſtor. l.* 30. *c.* 99.

Lucæ 11. v. 2. vide in Teſtamento.

COLLOQVIVM XXX.

Dæmones faciliter effugari.

FRATREM quemdam, Angelum nomine, malos angelos valdè timuiſſe propter horribilem quam cum illis habuit pugnam, audiuit; qui à ſancto Patre vocatus, ita ſe rem habere confeſſus eſt, imò & ſocium nocturnum à Patre petiuit, qui ſecum in cellula dormiret; timores enim nocturnos maiores & moleſtiores affirmabat eſſe diurnis. Cui beatus Pater: Eia timide, quid imbecilles & infirmos hoſtes vereris, quorum vires & poteſtatem Deum penes eſſe optimè noſti? quod vt experiaris, te iubeo, vt montis huius vicini altiora cacumina aſcendas ſolus hac nocte, & alta voce dicas: Superbi dęmones, omnes venite ad me modò, & quidquid poteritis, mihi facite, & in me veſtrum exercete furorem. Quod vt ille humiliter fecit, nec vllus dæmon acceſſit, omnem deinceps depulit metum. *Legen. antiq. Piſan. l. 1. Conf. 8. in Vita B. Angeli.*

COLLOQVIVM XXXI.

De eodem, & diabolum hominum corda indurare.

GRAVISSIMA quadam tentatione perculſus fuit beatus Ruffinus circa diuinam prædeſtinationem, qua nullam maiorem expertus eſt: ſuaſerat enim ei diabolus, omnes labores vanos & irritos eſſe, dum apparuit ei ſemel in forma Chriſti crucifixi ſub pietatis ſpecie; Quare torqueris (inquiens) pauper homuncule, & nihil proficis? quorſum tot orationes & ieiunia? Totus mundus non poteſt mutare quod ſemel ſtatuit Deus. Tu non es de numero prædeſtinatorum, ſed damnatorum. Pietate motus te commoneo, te hortor, ne tam durè patiaris: memineris te eſſe damnatum vnà cum filio Petri Bernardoni, & cum ceteris omnibus, quotquot eum ſequimini. Ad hæc territus B. Ruffinus, magno mœrore (quem ſolet prin-

ceps tenebrarum immittere) affectus eſt. Vnde quaſi fidem erga Deum & B. Patrem Franciſcum amiſit. Huius rei B. Pater certior factus, videnſque magnum diſcrimen diſcipulo ſuo imminere, miſit ad illum B. Fratrem Maſſæum ad montem Subaſium, in quo totus hæſitabundus & dubius verſabatur. Quem poſteaquam B. Maſſæus viſitauit nomine B. Patris, reſpondit ille quidem nimis deſperabundè, nullum ſibi eſſe cum Franciſco negotium,
Gal. 3. v. 1 nihilque illis eſſe commune. Ad hęc Maſſæus: Hem, quid dicis Frater Ruffine? quis te faſcinauit ne obedires veritati? quorſum hæc? an ignoras beatum Patrem eſſe quaſi Angelum de cælo? Quot animæ ſuo hortatu ſaluantur? & ſaluabuntur? volo vt mecum protinus venias ad B. Patrem, qui te cupit, te vocat. Acquieuit importunè flagitatus Ruffinus. Quem vt vidit B. Pater accedentem, ait: Heu Frater Ruffine, quomodo diabolus te miſellum de-
2 Cor. 11 v. 14. cepit? nónne noſti quomodo toties ſe transfert in Angelum lucis? Diabolus hominum corda indurat, Deus au-
Ezech. 36. v. 26. tem emollit, iuxta illud: Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Dei viſiones lætitiam generant; diaboli, mœſtitiam ingerunt. Huius viſionis experientiam fac quæſo huiuſmodi: conuitiis aut vituperio iterùm tibi apparentem affice, quæ pro ſua ſuperbia ſuſtinere non poterit, quin ſtatim euaneſcat, & ſe ſuamque prodat aſtutiam; interim in Domino lætare, & in eius ſalutari confide. Cœpit ad hæc ignita verba Ruffinus collacrymari, & ita abiit triſtis ad montem, & in cella clauſus non ceſſabat à lacrymis, donec diabolus in ſolita ſpecie crucifixi ſibi apparuit, & ait: Non prohibui quò minùs colloqui poſſes cum Franciſco? Cui ille: Vade ſatana, abi in malam rem: ac expecta, aperi mendax guttur tuum, vt illud ſtercore impleam. Quo audito, diabolus diruptis lapidibus de monte, qui in fragmina colliſi magno fragore

gore præcipitanter ruebant, magno impetu & grunnitu diſceſſit. *Piſan.l.1.Conf.8.in Vita B.Ruffini.Rodul.l.1.in eiuſdem Hiſtoria. Floretum c.28.Marian.l.1.c.5.*

COLLOQVIVM XXXII.

Otium fugiendum, & labori indulgendum.

QVOSDAM otiantes, alios verò tepidè laborantes, coram Fratribus reprehendit, dicens: Tepidi, nec ſe familiariter & humiliter labori applicantes, de ore Dei citò euomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in bonis operibus, vt ſimus populo minùs onerosi, & cordis & linguæ malis obuiemus, ne per malos cogitatus aut aliorum famam euagentur. Qui verò laborare neſciunt, addiſcant: lucrum autem, vel mercedem laboris, non laborantis arbitrio, ſed Guardiani vel Prælati diſponendum. *Leg. antiq.c. De perfect.humil.Piſan.l.1. Conf.12.c.5.Bonau.c.5.ad med.* Apoc. 3. v.16.

COLLOQVIVM XXXIII.

Pauca hîc toleranda, vt bonis perfruamur æternis.

FRATRES ad Regulæ & profeſſionis ſuę obſeruantiam exhortans, omnibus dicere ſolebat: O dilectiſſimi Fratres, & in æternum benedicti filij, audite me, audite vocem Patris veſtri. Magna promiſimus, maiora promiſſa ſunt nobis. Seruemus hæc, ſuſpiremus ad illa. Voluptas breuis, pœna perpetua. Modica paſſio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, omnium erit retributio. *Firm.1.p.fol.17. pag.1. Manuale Minorum à Guil. Spoelbergio collectum, pag.28.*

COLLOQVIVM XXXIV.

Lenitate duritiam & murmur aliorum vincendum.

DE vltramarinis plagis (quas ad diſſeminandum Dei verbum & Ægypti Soldanũ conuertendum petiit) Aſſiſium rediens, ſocium habuit fratrem Leonardum de Aſſiſio, nobilibus ortum parentibus. Cõtigit autem fati-

gatum & laſſum, parumper aſellum conſcendere: ſubſequens autem pedes ſocius non modicùm defeſſus, humanum aliquid paſſus, cœpit dicere intra ſe: Non de pari ludebant parentes eius & mei; en ipſe equitat, & ego pedeſter aſinum eius ſequor. Hoc illo cogitante, protinus deſcendit vir ſanctus, & ait: Non conuenit, Frater, vt ego equitem, & tu venias pedes, quia tu nobilior & potentior me in ſæculo fuiſti. Obſtupuit illicò Frater, & rubore ſuffuſus, deprehenſum ſe cognoſcens, procidit ad pedes ipſius, & lacrymis irrigatus humanum expoſuit cogitatum, veniamque popoſcit. *Bonau.c.11. ad med. D.Anton. 3.p.Hiſt.tit.23.c.2.§.1.*

Simile quid inuenies in Vita D.Benedicti.

COLLOQVIVM XXXV.

Subditi inobedientiam à diabolo prouenire.

QVODAM tempore Vicarius eius Capitulum celebrabat, ipſe verò in cella ſequeſter & medius inter Deum & Fratres orabat. Cùm igitur vnus ex illis, excuſationis quodam contectus palliolo, ſe diſciplinæ ſubdere nollet, vidit hoc vir ſanctus in ſpiritu, & de Fratribus quemdam vocans, ait: Vidi, Frater, diabolum ſuper illius Fratris inobedientis dorſum, collum eius tenentem adſtrictum; qui tali ſeſſore ſubactus, obedientiæ freno ſpreto, inſtinctus eius ſequebatur habenas. Et cùm rogarem Deum pro Fratre, ſubitò dæmon confuſus abſceſſit. Vade igitur, & dic Fratri, vt obedientiæ ſanctæ iugo collum ſine mora ſubmittat. Monitus per internuntium Frater, ſtatimque conuerſus ad Deum, ad pedes Vicarij humiliter ſe proiecit. *Bon.ibidem ad finem. Pelag.l.2.c.69.in fine.*

COLLOQVIVM XXXVI.

Nullatenus mentiendum, aut Fratrem ſcandalizandum.

EX duobus Fratribus de Terra laboris ad ſanctum Patrem viſendũ venientibus, antiquior nonnulla ſcandala intulit iuniori. Quem beatus Pater interrogauit, qua-

qualiter ſocius erga ipſum ſe habuiſſet in via? Quo reſpondente, Vtique ſatis benè; ſubiunxit: Caue Frater ne ſub humilitatis ſpecie mentiaris. Scio enim, ſcio quid actum ſit: ſed expecta modicum, & videbis. Admiratus eſt iunior, quomodo Fratris peccatum viro Dei innotuit. Induratus verò antiquior facti impœnitens, non poſt multos dies Religioni valedixit. *Bonau. ibidem, Piſan. l. 1. Conf. 12. in princ. Marc. 1. p. l. 1. c. 94.*

COLLOQVIVM XXXVII.

Deo gratum eſſe, Minorum fouere Religionem, & in Euangelio eſſe prædictam.

NONNVMQVAM beatus Pater Fratres ad petendum eleëmoſynam exhortans, verbis vtebatur huiuſmodi: Ite, inquit, quoniam hac nouiſſima hora Fratres Minores commodati ſunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à Iudice commendentur, illud audientes ſuauiſſimum verbum: Quamdiu feciſtis vni ex Fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Impij verò & crudeles reprehendantur & eiiciantur, audientes duriſſimũ illud eloquium: Quamdiu non feciſtis vni de Minoribus his, nec mihi feciſtis. Iucundum ergo eſt ſub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione iuſtorum, Euangelicæ veritatis Magiſter ore ſuo tam ſignanter expreſſit. *Bon. c. 7. poſt med. Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 18. & l. 2. Conf. 4. Vbert. l. 5. c. 3.*

Mat 25. v. 40.

Indidem v. 45.

COLLOQVIVM XXXVIII.

Panem pro Dei amore mendicatum, panem eſſe Angelorum.

IN Feſtis præcipuis, vbi opportunitas aderat, mendicare ſolebat, dicens, in ſanctis pauperibus Propheticum illud impleri: Panem Angelorum manducauit homo. Ille, inquit, eſt panis Angelorum, qui pro Dei amore petitur, & beatis ſuggerentibus Angelis, pro ipſius charitate largitum ſancta paupertas colligit oſtiatim. *Bon. & Piſan. ibidem.*

4. Eſdr. 1 v. 19.

COL-

COLLOQVIVM XXXIX.

Religioſos & Doctores ſanctæ vitæ exemplo populo prædicare debere.

INTERROGATVS à quodam ſacræ Theologiæ Doctore, ſacri Ordinis Prædicatorij, quomodo locus ille Eze-
Ezech 3. v. 18. chielis eſſet intelligendus: Si non annuntiaueris impio vt auertatur à via ſua impia, & viuat; ipſe impius ex iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram; ait: Si verba hæc debent generaliter intelligi, ego illa ita cenſeo declaranda, quòd ſeruus Dei ſic debet vita & exemplo in ſeipſo ardere & fulgere, vt luce exempli & lingua ſanctæ conuerſationis omnes impios reprehendat: ſic enim ſplendor vitæ eius, & odor famæ ipſius annuntiabit omnibus iniquitates ſuas. Cuius oppoſitum ſi fecerit, populos aut proximos ſcandalizando, diuinæ vltionis non euadet iudicium. *Piſan. l.1. Conf.12. in princ. & c.24. Rodul. l.1. tract. de Orac. B. Franc. ad finem. Ita ſimiliter locum hunc explicarunt Cyrill. Alexan. in Apologet. ad Imperat. Theodoſ. Ambroſ. lib.2. Epiſtolarum, Epiſt.17. Aug. Homil.25. de anniuerſ. Epiſc. Ordinat. c.2. Tom.10. & S. Columbanus in Epiſt. encyclica ad vniuerſ. Sacerdotes, quæ apud me eſt MS.*

COLLOQVIVM XL.

Verum obedientem mortuo aſſimilari.

INOBEDIENTEM quemdam Fratrem omnibus iuſſit veſtibus ſpoliari, in altam coniici foueam, & humari. Cui cùm Fratres ad Dei viri monitum terram ſuperiniicerent, cùm iam ſolum caput inhumatum remaneret, acceſſit pius Pater, & ait: Eſne mortuus Frater? éſne mortuus? cui ille, inobedientiæ pœnitens, Ita Pater, inquit, iam mortuus ſum. Surge, inquit ille, ſi verè mortuus es, & Prælato tuo, ſicut debes, ad nutum illius obedito, nec præcepto in aliquo repugnes, ſicut nec homo mortuus in

aliquo

aliquo contradicit. Mortuos, non viuos, ego meos volo ſectatores. *Piſan.l.2.Conf.5.Sedul.l.2. Apolog.c.5.num.5.*

COLLOQVIVM XLI.

Quàm pretioſus paupertatis theſaurus.

IN quodam templo orare inſtitit comite F. Maſſæo, vt ſibi & ſuis ſanctæ paupertatis amorem inſpiraret, idq; tanto feruore, vt ex facie ignis emicare videretur. Itaque hoc diuino ardore incitatus, mouit ſe verſus F. Maſſæum brachiis apertis, eumque magna voce ad ſe aduocans; qui cùm admirans ac ſtupens in ſancti Patris brachia ſe immiſiſſet, tantus fuit Franciſci æſtus interior, vt anhelitu ſolo per oris hiatum erumpente, multis illum cubitis in ſublime eiaculatus ſit. In quo aſcenſu is poſteà ſæpiùs narrauit tanta ſe dulcedine delibutum, quantam anteà numquam in vita ſua guſtaſſet. Tum Franciſcus, Eamus, inquit, Romam ad ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum exorandos, vt nos doceant tam præclarum paupertatis theſaurum rectè ac fructuosè poſſidere; is enim ita præſtans, itaque diuinus eſt, nos autem ita viles & abiecti, vt indigni ſimus qui eum talibus vaſis teneamus. Hæc enim eſt virtus de cælo in nos influens, quæ nos ita inſtituit & informat, vt terrena cuncta vltrò conculcemus, quæque obices omnes è medio tollit, quò humana mens cum Domino Deo ſuo liberrimè atque expeditiſſimè coniungatur. *Plat. de Bono Relig.lib.3.c.2.*

EX his paucis beati Patris Colloquiis liquet, qualis fuerit eius conuerſatio etiam inter familiares amicos, ita vt verum appareat quod de eo Rodulph. ait pag. mihi 11. *numquam ex ore eius auditum eſſe verbum, aut irritum, aut inutile, quo audientes offendere poſſet, ſed omnia in proximorum vtilitatem, & Conditoris laudem & venerationem tetendiſſe. Plura credo ex his Colloquiis nobis excidiſſe, ſola hac notarunt noſtri Scriptores.*

PROPHETIAE ALIQVOT BEATI PATRIS FRANCISCI.

MAGNO *claruiſſe B. Patrem prophetiæ ſpiritu, inter ceteros teſtatur D. Bonauentura c. 11. ante med. dicens*: Adeò in ipſo claruit ſpiritus prophetię, vt & prouideret futura, & cordium contueretur occulta, abſentia quoque velut præſentia cerneret. *Ex pleriſque verò quæ prophetauit, quædam ſelegimus quæ magis ad rem noſtram, & ad mores componendos accedunt; alia omittentes, quæ communem hominum ſuperant captum, de quibus non licet omnibus iudicare.*

PROPHETIA PRIMA.

Se Religionem Minorum fundaturum, & ſibi eam deſponſaturum.

DVM adhuc viueret in ſæculo vocatus à ſociis ſuis ad cœnam lautè paratam, ſe in intimam partem domus abdidit, & raptus aliquantulùm fixè cogitabat. Interrogatus autem à ſociis quid tam alta mente cogitaret, Forſan, aiunt, vxorem ducere decreuiſti? Ita, inquit, & pulchriorem quàm videritis vnquam. Intelligens de Religione, quam, Deo inſpirante, fundare decreuerat. *Piſan. l. 1. Conf. 12. in princ. & l. 2. Conf. 6. Legend. trium Socior. Rodul. l. 1. tract. De Orac. B. Franc. in princ. Marianus l. 1. c. 2.*

PROPHETIA II.

Magnum ſe multorum Principem fore.

MVNDANIS adhuc pompis & vanitatibus deditus, diuini amoris igniculo ad maiora diſponebatur paulatim, ſed miſericordia erga pauperes præcipuè præ ceteris virtutibus gradatim afficiebatur: quibus cùm plurima pro Dei amore impenderet, pauperem quemdam militem obuiàm habuit, cui continuò noua quæ portabat veſtimenta donauit. Nocte verò ſequenti alto ſopori im-

immerſus, ſpecioſum ac amplum vidit palatium, militaribus armis Crucis ſigno inſignitis circumſeptum, promiſſumque accepit, ſuum ac militum ſuorum, quidquid viderit, futurum. Expergefactus, inſolita & magna perfundebatur lętitia; cauſamque ſciſcitantibus, Scio, Inquit, magnum me Principem futurum. *Piſan. l.2. Conf.6. Leg. trium Socior. Leg. Cel. in princ.*

PROPHETIA III.

Pauperum amatorem & Patriarcham fore.

DVM ſemel domina Pica, ſancti viri genitrix, ſterneret illi menſam, iam à primordio ſuæ conuerſionis ad Chriſtum, Franciſcus panes plures appoſuit. A matre percontatus, cui tot panes apponeret in menſa, cùm pauci eſſent commenſales, reſpondit, Pauperibus. Vbi ſunt? ait mater. In pectore, inquit, meo latent. *Piſan. lib.1. Conf. 6. & 12. in princ. Rodul. l.1. tract. De Orac. B. Franc.*

PROPHETIA IV.

Se per totum mundum reſpiciendum.

A PERVSINIS, quibus cum Aſſiſinatibus ciuile erat bellum, captus cum aliis conciuibus ſuis, in ipſa cuſtodia diuina repletus conſolatione, ex interiori allocutione, exteriori gaudio totus perfuſus, magna exhibebat ſuæ lætitiæ indicia. Cui concaptiui amici, Quid, quæſo, nobis collacrymantibus, & præ mœrore deficientibus, tu ſolus tam abundè lætaris? Si præ iuuenili leuitate tuam non ſentis captiuitatem, ſaltem pro hominum vrbanitate noſtræ condoleas miſeriæ. Quibus inquit: Nihil me corporis affligit captiuitas, cui animæ magna eſt conceſſa libertas. Etſi veſtræ condoleam miſeriæ, magis tamen de propria exultandum eſt felicitate. Humile quid de me cogitatis. Quem modò in carcere vinclis videtis adſtrictum, per totum mundum poſthac agnoſcite reſpiciendum. *Piſan. vbi ſuprà. Marianus l.1.c.2.*

PROPHETIA V.

Sacellum ſancti Damiani Clariſſarum futurum Cœnobium.

CVM ad vocem & mandatum Crucifixi, Franciſcum Eccleſiam reparare iubentis, collabentem Eccleſiunculam ſancti Damiani prope Aſſiſium inſtauraret, mundo adhuc non penitùs valedicto; obuios quoſcumque & tranſeuntes rogabat, vt ſuas elargirentur eleëmoſynas ad Eccleſiæ ſtructuram; dicens, & gallicè cantans; Venite, & adiuuate me in opere huius Eccleſiæ, quæ futura eſt Monaſterium dominarum, quarum famam & vitam per totum mundum glorificabit Pater noſter cæleſtis. *Piſan.l.2.Conſ.6.*

PROPHETIA VI.

Minorum familiam multiplicandam.

CVM tenellus Minorum grex octonarium iam excreuiſſet in numerum, piis & propheticis eos hortabatur
Lucæ 12. mitis Paſtor admonitionibus. Nolite, inquit, timere pu-
v.32. ſillus grex, quia complacuit Patri veſtro veſtrum multiplicare numerum. Ego, ego ipſe vidi plenas ad nos venientium vias. Veniunt Francigenæ, feſtinant Hiſpani, Teutonici currunt, præproperant Angli, & aliarum diuerſarum linguarum & nationum accelerat multitudo. Non erit veſtro numerus copioſior. *Leg. trium Socior. & Leg.Cel.c.de Progr.Ord.*

PROPHETIA VII.

Deum pro totius mundi profectu Fratres Minores miſiſſe.

SCISCITANTI Cardinali Vgolino, cur Fratres & filios ad remotas terræ partes, in quibus & in itinere tot incommoda famis, ſitis, & laboris pati neceſſe erat, miſiſſet; reſpõdit: Domine, vos putatis, quòd ſolummodò propter iſtas Prouincias Dominus miſerit Minores: ſed dico vobis in veritate, quòd Dominus eos elegerit, & miſerit propter profectum & ſalutem animarum totius mundi. Et

non

non ſolùm in terris fidelium, ſed & infidelium & paganorum benignè recipientur, & multas animas Deo lucrabuntur. *Piſan. lib. 2. Confor. 6.*

PROPHETIA VIII.

Pauperum hoſpitalitatem Deo gratam.

CELANVM ad prædicandum pergens, miles quidam in oppidulo, per quod tranſibat, eum humiliter & deuotè inuitauit ad prandium. Votis annuit hoſpitis, cuius familia ad pauperum hoſpitum exultauit aduentum. Dum cibus verò pararetur, ſolito more vir mente deuotus offerens Deo preces & laudes, ſeorſim in ſecreto loco ſtabat oculis & mente in cælum eleuatis. Oratione completa, benignum hoſpitem familiariter aduocauit, & ait: Ecce frater hoſpes, tuis victus precibus, vt manducarem, domum tuam intraui. Meis nunc citò monitis acquieſce, quoniam non hîc, ſed alibi manducabis. Confitere nunc peccata tua, veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quidquam quod veridica confeſſione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta deuotione ſuos pauperes ſuſcepiſti. Acquieuit vir ille continuò ſermonibus Sancti; ſocioque ipſius peccata confitens, domum ſuam diſpoſuit, & ad mortem ſuſcipiendam ſe, quantum valuit, præparauit. Ad menſam ſederunt, & ceteris manducare incipientibus, hoſpes iuxta verbum hominis Dei ſpiritum exhalauit. Sicque factum eſt, hoſpitalitatis gratia promerente, vt iuxta verbum veritatis Prophetam recipiens mercedem Prophetæ reciperet, dum per ſancti viri prænuntiationem propheticam ſubitæ mortis damnum, æternam ſcilicet condemnationem euaderet, & in æterna tabernacula introiret. *Bonau. c. 11. ad med. Marc. 1. p. l. 1. c. 94. Ital. excuſ.* Mat. 10. v. 41.

PROPHETIA IX.

Pœnam in peccata relabentis eſſe grauiorem.

IN ciuitate Reatina iacebat vir Dei quondam infirmus, ad quem Præbendarius quidam nomine Gedeon, lubricus & mundanus, infirmitate graui correptus, adductus eſt, qui beatum Patrem lacrymosè rogabat cum ſimul aſtantibus, vt ab ipſo Crucis ſignaculo ſignaretur. Ad quem ille: Fortis nomine Gedeon, ſed animo imbecillis, cùm vixeris olim ſecundùm deſideria carnis, non veritus iudicia Dei, quomodo te Cruce ſignabo? Verùm propter deuotas intercedentium preces, ſigno te Crucis ſignabo in nomine Domini. Tu tamen ſcito te grauiora paſſurum, ſi ad vomitum redieris ab infirmitate liberatus. Propter peccatum enim ingratitudinis ſemper peiora prioribus inferuntur. Signo itaque Crucis ſuper eum facto, ſtatim qui contractus iacuerat, ſurrexit ſanus; & in laudem Dei prorumpens, Ego, inquit, ſum liberatus. Paucis autem interlapſis diebus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque ſerò cœnaſſet in domo cuiuſdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem, ſubitò ſuper omnes corruit tectum. Ceteris mortem euadentibus, ſolus ille miſer interiit. Iuſto igitur Dei iudicio iuxta viri Dei prophetiam facta ſunt nouiſſima hominis il- (Mat. 12. v. 45.) lius peiora prioribus propter ingratitudinis vitiũ, Deique contemptum, cùm de accepta venia gratum eſſe oporteat, & duplo diſpliceat flagitium iteratum. *Bon. ibid.*

PROPHETIA X.

Virum quemdam ſuæ mulieri reconciliandum, & nunc eſſe tempus clementiæ, poſteà æquitatis.

NOBILIS quædam Heroina, viro Dei deuota, tota lacrymabunda illum conuenit, de mariti crudelitate & inclementia, & in Dei operibus ſibi contrarium eſſe, conquerens: orauitque Patrem, & familiarem amicum,

vt

vt Deum interpellaret, vt viri animum & cor ſua dignaretur emollire clementia. Miſeratione & deuotione nobilis feminæ commotus, ait: Vade cum pace, indubitanter expectans de viro tuo conſolationem tibi de proximo affuturam. Et adiecit: Dices ei ex parte Dei & mea, quòd nunc eſt tempus clementię, poſtmodum æquitatis. Benedictione accepta, reuertitur mulier; inuenit virum, denuntiat verbum. Cecidit ſuper eum Spiritus ſanctus, & nouum de veteri factum ſic facit cum omni manſuetudine reſpondere: Domina, ſeruiamus Domino, & ſaluemus animas noſtras. Suadente igitur vxore, cælibem vitam agentes, eodem die ambo feliciter ad Dominum migrauerunt. *Bon. ibid. poſt med.*

PROPHETIA XI.

Singularitatem & hypocriſim in Religioſo malam eſſe & pernicioſam.

FRATER quidam erat, quantum exteriùs videbatur, ſanctitate præclarus, conuerſatione inſignis, tamen admodum ſingularis; omni tempore orationi vacans, tanta diſtrictione ſilentium obſeruabat, quòd conſueuerat non verbis ſed nutibus confiteri. Accidit autem ſanctum Patrem ad locum venire, videre Fratrem, & de ipſo cum aliis habere ſermonem. Commendantibus autem omnibus & magnificantibus illum, reſpondit vir Dei: Sinite, & tacete, Fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate ſciatis quòd diabolica tentatio eſt, & deceptio fraudulenta. Durè hoc acceperunt Fratres, tamquam impoſſibile iudicantes, quòd tot perfectionis indicijs fraudis ſe commenta fuſcarent. Verùm non poſt multos dies, eo Religionem egreſſo, euidenter apparuit, quanta luculentia interioris intuitus vir Dei cordis eius ſecreta perſpexit. *Bon. ibidem parum ante finem. D. Anton. 3. p. Hiſt. tit. 23. c. 2. §. 1.*

PRO-

PROPHETIA XII.

Cardinalem Oſtienſem in Papam aſſumendum.

DOMINVM Vgolinum, Cardinalem Oſtienſem, cum quo erat ſumma neceſſitudine coniunctus, prædixit multoties in Papatum ſublimandum, in omnibus litterulis, quas ad eum dirigebat, præſcribens: *Futuro Patri Gentium, & Venerabili in Chriſto Antiſtiti totius mundi*, &c. quod & rei confirmauit euentus, nam Honorio III. in Pontificatu ſucceſſit, & Gregorius Nonus eſt appellatus, *Piſan. l. 2. Conf. 6.*

PROPHETIA XIII.

Ordinum apoſtatas malè interire.

CVM per Apuliam peragraret, obuium habuit quemdam ſui Ordinis apoſtatam, qui ad ſancti viri pedes ſe proiecit, & apoſtaſiæ veniam petiit humiliter. Cui beatus Pater furcas è regione in loco quodã eminentiori poſitas oſtendens, ait: Modò offenſam hanc tibi condono, ad Religionem regredere; ſed caue tibi: ſi enim iterùm habitum reieceris, aut Ordinem exieris, in furcis illis ſuſpendêris. Ad Ordinem rediit apoſtata, ſed in illa breuî remanſit: cui paucis diebus poſtquam valedixit, delictum aliquod commiſit, propter quod iuxta ſancti viri prophetiam in furcis miſerè & turpiter diem clauſit extremum. *Piſan. lib. 2. Conf. 6.*

PROPHETIA XIV.

Magnum in Eccleſia ſchiſma & tribulationem futuram.

PAVLO ante mortem conuocatis Fratribus, de tribulationibus futuris eos admonuit, dicens: Viriliter agite, Fratres, confortemini, & ſuſtinete Dominum. Magnæ tribulationis & afflictionis adeſſe feſtinant tempora, in quibus temporaliter & ſpiritualiter perplexitates & diſcrimina inundabunt, charitas multorum refrigeſcet, & ſuperabundabit malorum iniquitas. Dæmonum poteſtas plus

Mat. 24. v. 12.

plus ſolito ſoluetur, noſtræ Religionis & aliarum puritas immaculata deformabitur, in tantum quòd vero Summo Pontifici & Eccleſiæ Romanæ pauciſſimi ex Chriſtianis vero corde & charitate perfecta obedient. Aliquis non canonicè electus, in articulo tribulationis illius ad Papatum aſſumptus, multis mortem ſui erroris ſagacitate propinare molietur. Tunc multiplicabuntur ſcandala, noſtra diuidetur Religio, plures ex aliis omnino frangentur, eò quòd non contradicent, ſed conſentient errori. Erunt opiniones & ſchiſmata tot & tanta in populo, & in Religioſis, & in Clero, quòd niſi abbreuiarentur dies Mat. 24. illi iuxta verbum Euangelicum (ſi fieri poſſet) in errorem v. 24. inducerentur etiam electi, niſi in tanto turbine ex immenſa miſericordia Dei regerentur. Regula & vita noſtra tunc à quibuſdam acerrimè impugnabitur. Superuenient tentationes immenſæ. Qui tunc fuerint probati, accipient coronam vitæ. Væ autem illis, qui de ſola ſpe Religionis confiſi tepeſcent, non reſiſtent conſtanter tentationibus, ad probationem electorum permiſſis. Qui verò ſpiritu feruentes ex charitate & zelo veritatis adhærebunt pietati, tamquam inobedientes & ſchiſmatici perſecutiones & iniurias ſuſtinebunt. Nam perſequentes eos à malignis ſpiritibus agitati, magnum eſſe obſequium Dei dicent, tam peſtilentes homines interficere & delere de terra. Erit autem tunc refugium afflictis Dominus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo. Et vt ſuo capiti con- Pſal. 36. v. 40. formentur, fiducialiter agent, & per mortem, vitam mercantes æternam, obedire Deo magis quàm hominibus eligent; & mortem, nolentes conſentire falſitati & perfidiæ, nullatenus formidabunt. Veritas tunc à quibuſdam prædicatoribus operietur ſilentio, ab aliis conculcata negabitur. Vitæ ſanctitas à ſuis profeſſoribus habebitur in deriſum, quare dignum non paſtorem, ſed exter-

minatorem mittet illis Dominus Ieſus Chriſtus. *Piſan.l.2. Conf.6. Marc.1.p.lib.2.c.27. Plures de hac Prophetia tractant, inter quos non conſtat, an iam completa ſit, an verò adhuc complenda. Marcus Vlyßiponenſ. citatus, & alij, his verbis prædixiſſe virum Dei volunt magnum illud ſchiſma quod euenit poſt electionem Vrbani Sexti ad annum* 1378.

PROPHETIA XV.

Superbiam & faſtum Religionibus perniciosum, & Fratrem Eliam extra Ordinem moriturum.

FRATER Elias Cortonenſis, ſeu (vt aliis placet) Biuillius, vt aliis verò, Pedemontanus, qui à B. Patre poſt mortem B. Petri Cathanei Vicarius Generalis ſubſtitutus eſt, & eodem è viuis ſublato in quartum Ordinis Generalem eſt electus, homo tanta ſapientia præditus humana, vt ad magna negotia peragenda videretur ab ipſa natura eſſe progenitus, neque in Italia habere in hoc æquales: vnde Principibus omnibus charus fuit, & à cunctis in pretio habitus: dum vidit beatum Patrem Fratres quoſdam humiles & ſimplices hoſpites aduentantes, iuxta ſe in menſa aſſidere iubentem, ſibique & alijs grauitate & doctrina conſpicuis prætuliſſe, ægrè hoc tulit, ac intra ſe ſtomachabundus dicebat: Heu Franciſce ſimplex ac illitterate, vt quid hæc tua indiſcretio ac ſimplicitas? præclaros Ordinis viros, Religionis columnas confundis, & hoc tuo idiotiſmo Religionem tuam peſſumdabis. Cui ſtatim beatus Pater, ſecretum audiens cordis murmur, inquit: Imò, Frater Elia, tu te & illam faſtuoſa tua pompoſitate & carnis prudentia deſtrues. Tu tuique ſimiles Ordinem ad nihilum ducent. Sed heus, miſelle, nec in illa mori tibi concedetur. Quod ita factum eſt: nam faſtu humano tumens, poſtquam in Miniſtrum Generalem electus eſt, laxiores Ordini dimiſit habenas, plura contra Regulæ puritatem molitus: propter quod Inno-

Innocentius Quartus eum à Generalatus officio abdicauit, excommunicauit, & habitu priuauit: qui furens Frederico Imperatori adhæſit. Tandem Cortonæ ægrotans, miſit fratrem ſuum germanum ad Innocentium, ſummis precibus exorans, vt ab excommunicationis ſententia abſolueret, quod Pontifex eius precibus & lacrymis permotus effecit. *Vbert. l.5. c.7. parum poſt initium. Piſan. l.2. Conf.6. Rodul. l.2. tract. de Gener. Ord. fol.177. Raphael Volaterr. in Anthrop. l.21.*

PROPHETIA XVI.

Sanctorum meritis multoties Deum à puniendis peccatoribus ſe coërcere.

FAMEM per totam Italiam graſſaturam prædixit ſemel B. Fratri Leoni, dicens: Heu Frater mi, propter peccata populorum mittet Deus magnam famem in mundum, ſed propter merita cuiuſdam pauperis (neſcio cuius) qui modò viuit in mundo, hoc flagellum diſtulit Dominus: ſed eo mortuo, ita fames hæc inualeſcet, quòd innumerabiles homines miſerabili egeſtate peribunt. Hoc morte inſtante B. Leoni dixit, ſed in monte Aluernæ à Chriſto accepit; quod, vt ſuprà dictum eſt Colloquio 23. ſe dixit cum alijs ſibi reuelatis in horam mortis taciturum. Statim ab eius morte Prophetia hæc completa eſt. Nam tanta fames vniuerſam peruaſit Italiam, vt miſeri homines non ſolùm herbis, ſed & arborum corticibus pro cibo vſi fuerint. Vnde & tanta clades ſecuta eſt, vt nihil à mortis imagine vbiq; appareret. Qua debacchante apparuit beatus Pater Fratri Leoni, & ſe pauperem illum fuiſſe, propter quem Deus hanc plagam diſtulit, oſtendit. *Piſan. l.1. Conf.8. in Vita B. Leon. Gonz. 2. par. ſui Chron. tract. de Prou. Tuſciæ, de Conu. Aluer. ante med.*

HÆC pauca de iis quæ B. Pater prophetauerat, colligere placuit; quibus non ſolùm Prædicatorem egiſſe, ſed & Prophetam

fuiſſe perſpiciatur. Alia quamplura ingentia & Chriſtianæ Reipublicæ ſuperuenientia mala, prophetice prædixit, & de inſtantibus bonis prænuntiatis plurimas ciuitates exhilarauit & Regna, quæ ſparſim per noſtra monumenta & c. 11. Vitæ eiuſdem videre licebit.

PARABOLÆ ET EXEMPLA QVÆDAM BEATI PATRIS FRANCISCI.

PARABOLIS *etiam, ad exemplum Chriſti Domini, in quibuſdam rebus explicandis, ac facilius inculcandis, vel maioris notæ hominibus aut tardioris ingenij viris, vſus eſt, in quibus effingendis & accommodandis ſuum acumen non parum commendauit. Paucas ex multis has offerimus Lectori.*

PARABOLA PRIMA.

Circa pauperes ſpiritu, infallibilem eſſe Dei prouidentiam.

INNOCENTIO Tertio (cui dura nimis & intolerabilis videbatur Regula Minorum, & impoſſibile victum & veſtitum ſuppetiturum tantam paupertatem profitentibus) hanc propoſuit Parabolam: Virgo quædam pauper, ſed ſpecioſa nimis, in ſolitario & deſerto loco degebat; quam vt illius regionis Rex vidit, eius egregiam pulchritudinem admiratus in ſuam duxit vxorem. Cum qua per annos aliquot in deſerto commoratus, quoſdam ex ea habuit filios, & matris præ ſe ferentes venuſtam ſpeciem, & naturalia quædã delineamenta Regis habentes. Ad Curiam ſuam & Regni ſolium reuerſus Monarcha, filios pia mater enutrit, enutritos verò ad Regem tranſmiſit, dicens: Filij magno Rege ſati eſtis, in ſua degit Curia, ego ſolitudinem hanc nolui, nec potui deſerere: vos patrem conuenite, & cuius ſtirpis ſitis, declarate. Ille vobis neceſſaria, & veſtræ nobilitati decentia largietur. Quod vt fecerunt, Rex ſtatim ſua in filiis agno-

uit

uit indicia, & matris pulchritudinem & venuſtatem. Quibus placidè ait: Ego verè meos vos cognoſco natos, & vt prolem Regiam vos educabo: ſi enim alienos & ſeruos ex mea menſa & ſtipendijs alendos curaui, quantò mihi ſollicitior cura erit pro filijs meis, & tam ſpecioſa prole matris veſtræ, quam ego vehementer diligo? Cuius filios omnes quos ex me ſuſceperit, ad menſam meam ſedere faciam, & in Curia mea alendos prouidebo. Rex iſte (ſanctiſſime Pater) eſt Chriſtus Dominus, cæli & terræ Dominus: ſpecioſa virgo, paupertas, quę in deſerto huius mundi ab hominibus repulſa & contempta, in ſolitariis locis degebat. Huius pulchritudinem Rex regum Chriſtus è cælo deſcendens adamauit, & mundum ingrediens eam ſibi ſtatim in præſepio deſponſauit. Plures ex ea in hoc deſerto filios procreauit, Apoſtolos, Anachoretas, Monachos, ac alios quamplures, voluntariam profitentes paupertatem: quos ſigna ipſius Regiæ Chriſti paupertatis, humilitatis, & obedientiæ geſtantes, illa tranſmiſit ad cæleſtem Regem; qui benignè eos ſuſcepit, & promiſit ſe illos aliturum, dicens: Ego qui ſolem meum facio oriri ſuper iuſtos & iniuſtos, qui Mauris infidelibus, & paganis à fide mea alienis, de menſa & theſauris meis victum & veſtitum præbeo, ſuſtento & enutrio, quantò magis hæc vobis libentiori animo concedam; & quæ fuerint neceſſaria impendam vobis & omnibus qui ex ſponſa mea chariſſima paupertate procreati fuerint? Ad hunc cæleſtem Regem, Beatiſſime Pater, domina & Regia ſponſa paupertas hos ſuos mittit filios, prioribus & ſenioribus nequaquam viliores, nec à patris aut matris pulchritudine degeneres, ſummam & perfectam paupertatem profitentes. Non eſt ergo formidandum, quòd fame pereant æterni Regis filij & heredes, qui ad imaginem Regis Chriſti, per Spiritus ſancti virtutem de paupere ma-

Mat. 5. v. 45.

tre nati: nam & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula abundè nutriendi. Si enim Rex cælorum imitatoribus ſuis promittit regnum æternū, quantò magis illa ſubminiſtrabit, quæ communiter largitur bonis & malis? Hanc parabolam Chriſti Vicarius cùm diligenter audiſſet, miratus eſt valdè, & indubitanter Chriſtum in homine locutum recognoſcens, Regulam approbauit. *Bon.c.3. in fine. Piſan.l.1. Conf.12. in princ. & c.37. & l.2. Conf.6. Marc.1. par.l.1.c.14. Tho. Boſius de Signis Eccleſ. l.6. ſigno 21.c.4. Gerardus Odonis in Serm. Dominica XV. poſt FeſtumTrinit. litt. M.*

PARABOLA II.

De cuſtodia & mortificatione oculorum.

MVLTOTIES beatus Pater Fratres ſuos hortabatur, vt ſenſus omni, qua poſſent, ſollicitudine cuſtodirent & refrænarent. Sed præcipuè oculos docebat habere pudicos & honeſtos, hanc illis proponens ſæpiùs parabolam: Rex quidam pius & caſtus duos miſit ſucceſſiuè nuntios ad Reginam, qui ei quædam de Regis mente ſignificarent. Reuertitur primus, & pro verbis, quæ ad Reginam detulit, tantùm verba Regi reportat; ſed de Regina nihil loquitur, quia *oculos ſapienter tenebat in capite, nec vllatenus proſilierant in Reginam. Redit & ſecundus: ſed poſt pauca verba, quæ pro nuntij reſponſione refert, longam de Reginæ pulchritudine texuit hiſtoriam. Verè, inquit, Domine, pulcherrima & ſpecioſiſſima femina eſt Regina; felix & beatus reputari poteſt, qui fruitur illa. Cui turbatus Rex: Tu ſerue nequam, in ſponſam meam oculos tuos impudicos conieciſti? Credo quòd tibi emere voluiſti rem, quam ita curioſè proſpexiſti. Iratus iubet ad ſe alterum reuocari, & ait illi: Quid tibi de Regina videtur? Optime, inquit, Domine, libenter & modeſtè audiuit verba Regis, & prudenter reſpondit.

* Eccl.2. v.14.

dit. Cui vlteriùs Rex : Quid dè pulchritudine illius iudicas? nónne ſpecioſa & pulchra tibi viſa eſt? ceteris éſtne præſtantior mulieribus? Reſpondit ſeruus : Domine, de pulchritudine illius nihil ſcio. Venuſtáne, an ſpecioſa ſit, tuum ſolummodò hoc eſt diſcernere & iudicare, meum autem tua illi verba proferre. Benè & cordatè, inquit Rex, reſpondiſti : tu qui oculos habes caſtos & verecundos, meus eſto cubicularius: ex oculorum pudicitia corporis coniicio caſtitatem, & te dignum cui cubiculi & Regiæ cameræ cuſtodiam cõmittam. Tu verò è regione, qui infrenes & impudicos habes oculos, Palatium egredere, in domo mea nullatenus remanebis: qui enim ſeriò & ſubtiliter Reginæ contemplatus es venuſtatem, timeo ne illius etiam violare velis honeſtatem. Hæc Rex. Parabolam, Fratres, audiſtis, ſenſum intellexiſtis. Oculos in aliquá conieciſtis? mulierem vidiſtis? pœniteat; oculis in poſterum cauete, mors latet in viſu, oculorũ intrat * per fenestras. Rex cæleſtis ſuas videri prohibet ſponſas. Mulier quæcumque Chriſtiana, illius eſt ſponſa. Quis non timebit videre ſponſam Chriſti? Regis timete zelotypiam. *Leg. antiq. cap. De zelo ad Fratrum perfect. Piſan. lib.* 1. *Conf.* 12. *c.* 14. *Marc.* 1. *p. c.* 23. *Specul. Vitæ Franc. ſol.* 115. *Marian. lib.* 1. *cap.* 15.

* Ier. 9. v. 21.

ALIAS *plures Parabolas Fratribus & laicis propoſuiſſe plures ſcribunt, ſed nec eas referunt expreſsè, nec ipſa ſancti Patris verba afferunt: iis igitur ſuperſedendum duxi, ne ex noſtris aliquid addere, aut alienum quid beato Patri adſcribere videamur; qui etiam in his minutiſsimis ipſam veritatem, & tanti viri auctoritatem interponere conamur. Ad has verò duas quas retuli, hæc pauca illius Exempla ſubnecto.*

EXEMPLVM PRIMVM.

De perfecto & vero obediente.

CVM aliquando quæreretur ab eo quis eſſet iudicandus verus obediens, corporis mortui ſimilitudinem pro exem-

exemplo propoſuit. Tolle (inquit)corpus exanime, & vbi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum: quod ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet; ſi collocetur in purpura, duplo palleſcet. Hic (ait) verus obediens eſt, qui cur moueatur, non diiudicat; vbi locetur, non curat; vt tranſmutetur, non inſtat; euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem; plus honoratus, plus ſe reputat indignum. *Bon.c.6. poſt princ. Pelag.l.2.c.69. poſt med. Piſan.l.1.Conf.12.c.12. Ant.Poſſeuin.l.5.Biblioth.ſelectæ, c.61. Specul. Vitæ Franc.c.47.*

EXEMPLVM II.

De eodem.

VIDI, inquit, multoties cæcum quemdam, qui non habebat niſi caniculam pro duce itineris ſui. Caniculam, quocumq; ducebat, ſequebatur, ad illius ductum ambulabat; viæ vel itineris huius vel illius rationem non flagitabat à duce: ſi præibat per petroſa, ſequebatur; ſi per plateas, & plana, comitabatur; ſi ad templum ducebat, orabat; ſi domos introibat, eleëmoſynas petebat; ita vt omnia pro caniculæ ducentis voluntate faciebat, nec aliquò ſine illius ductu pergebat. Talis eſſe debet verus & perfectus obediens. Ad obediendum, cęcum eſſe expedit, oculos in obſequium Prælati claudere, & de præceptis non velit nec valeat diſcernere, niſi quod præcipitur, humiliter & promptè complere; quocumque Prælati præceptum vel voluntas præcedit, ſequi; inuia & petroſa pro obedientiæ merito hilariter contemnere, ac ſi per plana ambularet, pergere. Non præcepti difficultatem, ſed præcipientis auctoritatem, & obedientiæ meritum decet & debet verus obediens in omnibus conſiderare. *Pelag.c.69. ante finem. Manuale antiquum Minorum, fol.mihi 96.*

Ex-

EXEMPLVM III.

De curis & ſollicitudinibus vxoratorum.

CARNIS tentatione perculſus, & ſuggerente vafro caſtitatis inimico, vt vxorem duceret, poſt crebra flagellā, nudus noctu in hortum niuibus conſitum perrexit, & viuum hoc ſatiſque appoſitum nimiæ & anxiæ maritorū circa filios & vxores ſollicitudinis exemplum, multò inferioris quiete monaſtica, ſibi propoſuit. In niuem ſe demergens, ſeptem ex ea cœpit maſſas compingere; quas ſibi proponens, ſuo ſic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc maior, vxor tua eſt; quatuor iſtæ, duo filij, & duæ filiæ; reliquæ duæ, ſeruus & ancilla, quos ad ſeruiendum habere oportet. Feſtina igitur omnes induere, quoniam præ frigore moriuntur. Si verò eorum te multiplex ſollicitudo moleſtat, vni ſoli Domino ſollicitè cura ſeruire. Quo egregio exemplo illicò tentator victus abſceſſit, & Sanctus in periculoſo certamine victor euaſit. *Bon.c.5.ante med. Anton.Floren.3.p.Hiſt.tit.23.c.2.§.1. Anton.Coccius Sabellicus l.2.Exemplorum, c.10.*

EXEMPLVM IV.

De Religione Minorum, & eius amplitudine.

CVM quatuor tantùm haberet adhuc Fratres, dilatandæ familiæ beato Aegidio ſuo ſocio hoc propoſuit exemplum. Religio noſtra perſimilis eſt piſcatori, qui mittit retia ſua in aquam, magnam capiens piſcium multitudinem; maiores eligit, & ſecum adducit, piſciculos verò minores dimittit. In mundi aquas rete hoc mittetur: magnæ ſanctitatis & virtutis Religio hæc viros ad ſe recipiet; paruos feruore ſpiritus & in Dei amore tepidos dimittet, vel receptos euomet: tanta erit piſcium multitudo, quòd timeam ne præ nimietate retia rumpi contigerit. *Piſan. lib.1.Conf.12. in princ. Rodul.l.2. tract. de Orac. B.Franc.in princ.*

EXEMPLVM V.

Quòd ſeruus Dei omnem laudem & honorem in Deum refert.

CVM quotidie à populo plurimùm honoraretur, & manus, habitum, pedes, & pedum veſtigia omnes populi, per quos tranſibat, præ deuotione & ſanctitatis reuerentia oſcularentur, nec ipſe nihil horum prohiberet, quidam ex ſociis de Sancti humilitate dubitans, & veluti ſcandalum paſſus, quod tantum ſibi permitteret honorem exhiberi, dixit ei: Non vides, Frater, aut non attendis quid hi faciunt, & tu fieri permittis? Homines tantumdem te honorant, & pro Sancto exceſſiuè venerantur: nihil horum tu renuis aut reiicis, imò videris in omnibus complacere. Quid hoc? Beatus Pater reſpondit: Tantum abeſt, Frater, vt hæc reiiciam, vt pauca hæc mihi videantur. Plura certè omnes populi facere deberent. Cui ſocius magis turbatus, Ego, inquit, hæc non intelligo, vt tu Frater pro Sancto reputeris, & laudem & honorem populorum deſideres. Ad hæc B. Pater: Frater vide & intellige. Nihil huius reuerentiæ mihi approprio aut tribuo, totam in Deum remitto, & meipſum conſeruo in fæce meæ humilitatis. Meam agnoſco vilitatem, Dei perpendo maieſtatem. Homines autem non paruam ex hac reuerentia reportant vtilitatem, dum Deũ recognoſcunt & honorant, & in creaturis reuerentur. Deum in ſe non ignorat, qui eius beneficia in creatura recognoſcit. Creaturæ verò ipſius non ſuperbit humilitas, dum in illa diuina adoratur maieſtas. Sicut in imaginibus aut ſtatuis Dei vel Deiparæ, vterque adoratur, & tamen lignum vel ſtatua nec ſuperbiâ tument, nec honore extolluntur: ita nec Dei ſeruus (qui illius viua & vera imago eſt, & in quo Deus veneratur & colitur, propter multa quæ in hac imagine illius relucent beneficia) altiora aut

maio-

maiora de ſe cogitat, imò magis in ſua humilitate ſolidatur: omnia Deo tribuit, nihil ſibi: lignum aut ſtatuam, imò purum nihil ſe reputat reſpectu Dei, cui omnem tribuit honorem & gloriam, ſibi verò tribulationem, miſeriam, & verecundiam. *Piſan.1. Conf.6. & l.2.Conf.5.*

IN *his paucis, quæ Lectori offerimus, Apophthegmatibus, Colloquiis, Vaticiniis, Parabolis, & Exemplis ſancti Patris, colligere licet quanta fuerit in viro Dei ſapientia, non humanitus acquiſita, ſed cælitus indita; & in quo pretio quodcumque eius verbum tam apud ſocios quàm apud exteros habebatur. Pendebant omnes ex ore eius, ſiue prophetabat futura, ſiue præterita reuocabat ad mentem, ſiue pſallebat ex cordis iubilo, ſiue triſtis peccata redarguebat, ſiue ad mores componendos & ſuauiùs corrigendos parabolas adhibebat aut exempla; cum attentione & reuerentia ab omnibus obſeruabatur.* In cantilenis, & prouerbiis, & comparationibus, & interpre- Eccli.47.
tationibus miratæ ſunt terræ. *Et ex variis mundi regionibus ad* v.18.
eum confluebant, tam verbis humilibus & ſimplicibus, ſed efficacibus & feruidis erudiendi, quàm ſancta eius operatione & mirabili conuerſationis exemplo, in vita & moribus confirmandi. Plura & quotidiana, operibus & vita, viua exhibuit virtutis exempla; ſcripta, ſeu verborum ſerie accommodata, ſola hæc pauca reperij.

BENEDICTIONES B. PATRIS FRANCISCI.

QVI *& Regulas & Leges ad paupertatis & perfectionis Euangelicæ apicem anhelantibus præſcripſit, benedictiones etiam plures eaſdem ſectantibus & religioſiùs obſeruantibus adiecit.* Ete- Pſal.83.
nim benedictionem dabat Legiſlator, *qua adiuti diſcipuli for-* v.8.
tiùs & robuſtiùs ibant de virtute in virtutem, donec videbant Deum deorum in Sion. Benedictio *namque* illius quaſi fluuius Eccli.39.
erat inundans, & quomodo cataclyſmus aridam inebrians, *dum* v.27.
& per illas tentationum flammas extinxit, & mentis ſiccitatem rigauit; vt in his quæ ſubnectimus, licebit conſpicere.

BENEDICTIO I. *Fratris Leonis.*

FRATRI Leoni in monte Aluernæ fortiter tentato hanc benedictionem miſit B. Pater, ſignans eam charactere, & nota illa myſterioſa litteræ Tau (quã ſemper magni fecit) ſua manu exarata, qua eum ab
Num. 9. v. 24. omni abſoluit tentatione. T. Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te: oſtendat faciem ſuam tibi, & miſereatur tui. Conuertat vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Dominus benedicat fratrem Leonem. *Piſan. l. 2. Conf. 6. Bon. c. 11. poſt med. Rodul. l. 1. tract. de Beatis Ord. Min. in Vita B. Leonis. Qui omnes obſeruant, benedictionem hanc ipſius ſancti viri manuſcriptam reuerenter & fideliter adhuc cuſtodiri; quam ego anno 1619. in Conuentu Aßiſienſi, ipſi ſancto Patri ſacro, in Sacrario inter ceteras vidi Reliquias. Piam eius facit memoriam Joannes Lorinus, vir æquè pius ac doctus, mihi perquam familiaris, in Commentariis ſuis in Numeros ſtatim edendis, ad c. 9. num. 24.*

BENEDICTIO II. *Sacri Conuentus Alanqueræ.*

QVINQVE illi Martyres à Marrochiis paſſi, villã Alanqueræ, (Luſitaniæ non ignobilis oppidi cis Tagum extructi, olim Hierabriga dicti, vt placet Damiano Goes, Reſendio apud Vaſæũ, Ambroſio Morali, & Paulo Merulæ in Luſitaniæ Deſcriptionibus) ad Fratres ſuos, qui iam ibidem commorabantur, viſendos acceſſerunt; in qua Sanctia Sanctio II. Rege progenita, ſanctiùs vixit, & eos benignè recepit, indeque impenſis neceſſariis quibuſcumque Vlyſſiponem (quę à prædicta villa per octo leucas ad Occidentalem plagam diſtabat) tranſmiſit, vt illinc in Tartariam tranſuadare liceret. Quorum in optato martyrio expletis votis apud Marrochios, vt eorum in fide conſtantiam, in martyrio fortitudinem, in ſanctitate perſeuerantiam beatus Pater audiuit, in ſpiritu totus exultabundus Conuentum illum Alanqueranum, à quo

ad tantam functionem perrexere, hac ſacrauit benedictione: Domus ſancta, ædicula ſacra, ſpecioſa & iucunda floſcella purpurei coloris, ac ſuauiſſimi odoris, per ſanctum martyrium Deo peperiſti. Hi primitiæ ſunt & glorioſi flores Minorum, felices iam poſſeſſores regni cælorum. Numquam in te (domus Dei) deficiant perfecti Fratres, qui deuotiſſimè ſanctũ obſeruent Euangelium. *Leg. ant. in Martyr. horum quinque Fratrum. Mar. 1. l. 4. c. 25. Rodul. l. 1. tract. de horum martyrio, in fine, fol. 72.* *Hanc piam tanti Patris precationem incolæ Alanquerij Cænobij (in quo memoranda vetuſtatis & ſanctitatis indicia conſpexi, & in Fratribus, dum inter illos per aliquot menſes ad peculiaris ſtudij ſeceſſum commorarer, plurima virtutum incrementa deprehendi) plurimi faciunt; quorum vnum ſaltem oppidani & totius populi deuotio ſemper in hunc vſque diem affectuoſiſſimè veneratur, tamquam verum Euangelici inſtituti obſeruatorem, & qui B. Patris benedictionem ſit conſecutus. Cuius oppidi eò maior & firmior eſt deuotio, quò leuiùs & inutiliùs ab aliquibus dubitatur, an huic vetuſtiſſimo & religioſiſſimo Monaſterio, an verò primo tuguriolo ad fluuioli ripas ſito tot ac tanta bona vir Dei precatus ſit, vel in illo ſacræ precationis virtus emarcuerit, an verò ad iſtud cum ipſis Fratribus occultè tranſmigrauerit.*

BENEDICTIO III. *Inſtituti Minoritici zelatorum.*

CVM ſanctorum Fratrum per orbem diſperſorum odoriferâ famâ multos audiret ad viam veritatis induci, exultabat in ſpiritu, & benedictionibus omni acceptatione digniſſimis illos accumulans, dicebat: Benedicti vos à Domino, qui errantes peccatores ad Dominum reducitis, viam veritatis illis oſtenditis, & vos in ſancta Euangelij obſeruatione puros & ſinceros cuſtoditis. Qui vobis benedicit, à Domino benedicatur; qui vos fouet aut ſuſcipit, mercedem recipiat ſempiternam. Nullam

* 1.Cor. 10.v.13. in vobis poteſtatem ſatan exerceat, * ſupra id quod poteſtis, non tentet. Vobis ſuper illum & ſuos ſit imperandi facultas: portas illius poſſidete, & ſpolia diripite. Patris vos adiuuet potentia, Filij vos dirigat ſapientia, & Spiritus ſancti vos foueat clementia, Amen. E regione verò, qui per proprietatem, pecuniæ receptionem, vel aliud quodcumque peccatum Regulæ puritatem deturpabant; aut Ordinem, quem præcipuè paupertatis profeſſio decorat, terrenarum rerum puluere maculabant, aut alios ſuis malis exemplis ſcandalizabant; & Ordinem relaxabant; maledictionem Dei & ſuam terribiliter imprecans, dicebat: A te ſanctiſſime Pater, & à tota cæleſti curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt & deſtruunt, quod per ſanctos Fratres huius Ordinis ædificaſti, & ædificare non ceſſas. *Bon. c. 8. poſt init. Leg. ant. trium Sociorum. Firm. 1. p. fol. 17. pag. 2. colum. 1. Marc. 1. part. lib. 2. c. 25.*

BENEDICTIO IV. *Ciuitatis Aßiſij.*

CVM de Palatio Epiſcopi Aſſiſiatis ad ædiculam ſanctæ Marię de Angelis, iam vltimo morbo totus confectus, deferretur, cùm ad planitiem ſub ciuitatis decliuio, ex qua vrbem commodiùs videre poſſet, peruenit, feretrum, in quo portabatur, fecit ad vrbem reflecti: quam vt vidit, fleuit, & poſteà hac muniuit benedictione: Benedicta tu à Domino, ciuitas Deo fidelis, quia per te, & in te multæ animæ ſaluabuntur, & in te multi ſerui Altiſſimi habitabunt, & de te non pauci iuſti eligentur ad regnum æternum, *Piſan. l. 1. Conf. 6. & l. 3. Conf. 4. Hanc benedictionem in loco, quo eam effudit, ad ter centum vel plures paſſus à ciuitate, vidi characteribus adnotatam, ſuperappoſita ipſa hiſtoria, penicillo graphicè depicta in ſacræ cuiuſdam ædiculæ fronte. Cuius benedictionis non parua nec ingrata eſt apud Aßiſiates memoria,*

BENE-

Benedictio v. *Omnium Fratrum Minorum.*

Gravi & moleſto ſtomachi dolore ſemel laborauit, ita vt vitam pænè exhalaret,& Fratres iam de eius vita deſperarent. Quorum vnus,timens ne ſubitò è viuis raperetur propter varia & crebra cordis deliquia, ait: Benedic nobis, Pater, & ceteris Fratribus quos in Chriſto genuiſti, & aliquod memoriale relinque nobis tuæ voluntatis, quod Fratres in tui memoriam ſemper habeant ſecum ad maiorem ſui profectum. Tunc B. Pater paternos oculos in filios erigens, Vocate,inquit, mihi fratrem Benedictum dePiratro(qui beato Patri ſemper in infirmitate miniſtrabat, & coram eo Sacra faciebat)vt vobis benedicam. Quo accerſito, ait: Scribe, Sacerdos Dei, qualiter benedico omnibus Fratribus meis, qui modò ſunt in Religione, & qui venturi ſunt vſque ad finem ſæculi. Quoniam propter infirmitatem meam loqui non valeo, breuiter voluntatem meam & intentionem in ſignum memoriæ meæ benedictionis & teſtamenti cunctis Fratribus præſentibus & futuris patefacio. Fratres ſemper ſe diligant ad inuicem, ſicut ego dilexi,& diligo illos. Semper diligant, & obſeruent dominam meam paupertatem. Et ſemper Prælatis & Clericis ſanctæ matris Eccleſiæ fideles & ſubiecti exiſtant. Benedicat & cuſtodiat eos Pater, & Filius,& Spiritus ſanctus, Amen. *Piſan.l.3.Conf.2.Specul.Vitæ Franc.fol.*116.

Benedictio vi. *Bernardi de Quintaualle.*

In obitu beati Patris collacrymantibus omnibus Fratribus pro ſubtractione tanti Patris,& tam ſolliciti Paſtoris, ait ad circumſtantes: Vbi eſt primogenitus meus Frater Bernardus? Cui accedenti, Veni,inquit, fili mi,vt benedicat tibi anima mea antequam moriar. Sed Bernardus pro ſua humilitate, ne ſibi videretur aſſumere, quod pro officij dignitate & præfecturæ eminentia putabat Gen. 27. v.4.

bat

bat deberi Fratri Eliæ, tunc Generali Ordinis Vicario, & putatiuo beati viri ſucceſſori, ſuggeſſit eidem vt ad dexteram morientis accederet, & oblatam reciperet benedictionem. Quo ante Dei virum proſtrato, ille, etſi pręlacrymarum aſſuetudine cæcutiret, plenus tamen prophetico ſpiritu, manus ſuper caput eius impoſuit, & dixit: Hoc non eſt caput mei primogeniti Fratris Bernardi. Et cancellatis in modum Crucis manibus, velut alter Patriarcha Iacob, dexteram ponens ſuper caput Fratris Bernardi, qui ad læuam, vtroque flexo poplite, Patri aſſide-
Epheſ.1. v.3. bat, eum benedixit his verbis: Benedicat te Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto. Sicut primus es electus in Ordine iſto ad dandum bonum exemplum Euangelicum, & ad imitandum Chriſtum in Euangelica paupertate, cui non ſolùm tua liberaliter obtuliſti, ſed & temetipſum in odorem ſuauitatis contuliſti. Ita benedictus ſis à Domino Ieſu Chriſto, & à me ſuo pauperculo ſeruo, benedictionibus ſempiternis, ingrediens & egrediens, vigilans & dor-
Gen.27. v.24. miens, viuens & moriens. Qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur; & qui maledixerit tibi, non erit immunis. Eſto Dominus Fratrum tuorum, & tuo imperio cuncti ſubiaceant. Quoſcumque volueris recipere ad Ordinem iſtum, recepti ſint; & quoſcumque emittere volueris, emittantur. Nullus ſuper te poteſtatem habeat. Et quocumque volueris, liberè poſſis pergere, & morari, *Piſan.l.1.Conf.8.in Vita B.Bernardi, ante finem, & l.2.Conf.6. in fine. Rodul.l.1.in Vita eiuſdem Bernardi. Specul.Vitæ Franc. c. De morte Bernardi, folio 87. Floretum cap.5. Hanc benedictionem aſſerit Rodulphus citatus aſſeruari in Conuentu Aßiſij B.Franciſci manuſcriptam, in ipſo Sacrario inter Reliquias Sanctorum. Sed cùm ego omnes obſeruarem, ſolam ſuprà memoratam, quam beatus Pater B.Leoni impertiuit, vidi:*

vidi: neque verò probabile reputo, ad ſuæ mortis horam beatum Patrem, quam oretenus elargitus eſt benedictionem, poſteà ſcriptis ſua manu cõmendaſſe, nec proinde hic aut alibi cuſtodiri.

BENEDICTIO VII. *Eorumdem.*

SVI tranſitus hora appropinquante, fecit omnes Fratres exiſtentes in loco illo ſanctæ Mariæ de Angelis ad ſe vocari, & eos conſolatoriis verbis pro ſua morte demulcens, paterno affectu eos ad diuinum eſt hortatus amorem, ad patientiam, ad paupertatem, & ad ſanctam Eccleſiæ Romanæ fidem ſeruandam. Et adiecit: Valete filij omnes in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tribulatio & tentatio appropinquat, felices qui perſeuerabunt in his quæ cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Ego, quod meum eſt, feci; quod veſtrũ eſt, edoceat Chriſtus. *Bon.c.14.ad med.Piſan.l.3.Conf.2. & 5.*

ORACVLA ET SENTENTIÆ COMMVNES B. PATRIS FRANCISCI.

M*VLTAS etiam huius ſancti viri ſententias ſalutari refertas doctrina, plerique ſignarunt Scriptores. Quas potui, coadunaui, & ſuis numeris, præfixis titulis, diſtinxi, Auctoréſque quibus acceptas ferò, ſubiunxi. Fucum non habent eloquentiæ ſæcularis, ſed ſalutarem manifeſtant ſub ſancta ſimplicitate veritatem.* Simplici corde ſermones illius, & ſententiam puram labia illius loquebantur. *Qui ſincerè & purè ſecum has examinauerit, iudicabit nihilo inferiores eſſe vetuſtorum Philoſophorũ ſententioſis argutiis.* Iob 33. v. 3.

ORACVLVM PRIMVM.

Carnem contra ſpiritum plura moliri.

MAXIMVS hominis inimicus eſt caro: nihil recogitare nouit malorum vt doleat, nihil vt timeat præuidere; ſtudium eius eſt abuti præſentibus: quod autem peius eſt, bona cuncta ſibi vſurpat, ipſa in

ſuam gloriam transfert; & quod non illi, ſed animæ datum eſt, ſibi impudenter arrogat. Illa de virtutibus laudem, de vigiliis & orationibus fauorem carpit extrinſecum, nihil animæ relinquens, quærit & de lacrymis obolum. *Legenda antiqua, & Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 10. Rodul. l. 2. tract. de Orac. B. Franciſci.*

ORACVLVM II.

Impretiabile eſſe eleëmoſynæ pretium.

AMOREM Dei pro eleëmoſynis offerre, nobilis eſt prodigalitas; & qui minùs ipſum quàm denarios reputant, iudicarem ego eſſe ſtultiſſimos: nam ſolius diuini amoris impretiabile pretium ad regnum cælorum comparandum ſufficit; & eius, qui nos multùm amauit, amor eſt multùm amandus. *Bon. c. 9. in princ. Piſan. l. 1. Conf. 12. c. 3.*

ORACVLVM III.

Orationem viris Religioſis neceſſariam.

ORATIONIS gratia viro Religioſo firmiter deſideranda, ſine qua nihil in Dei ſeruitio proſperabitur, nec aliquid ab ipſo conſequetur. *Bon. c. 10. in princ. Piſan. vbi ſuprà, c. 5. Rodul. tract. de Orac. B. Franciſci, l. 2. Franc. Feuard. l. 8. Theomach. c. 14. n. 17.*

ORACVLVM IV.

Encomia Euangelicæ paupertatis.

THESAVRVS beatificæ paupertatis adeò excellens eſt & diuinus, quòd nos indigni ſumus in vaſis noſtris viliſſimis illum poſſidere. Hæc enim eſt illa virtus, per quam terrena & tranſitoria cuncta calcantur, per quam omnes obices tolluntur è medio, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur. Hæc eſt, quæ animam in terris poſitam, facit cum Angelis in cælo conuerſari. Hæc eſt, quæ Chriſtum in cruce ſociat, cum Chriſto in tumulo abſconditur, cum Chriſto de ſepulchro reſurgit, & Chriſtum comitatur in cælum. Hæc eſt,

quæ dotem agilitatis ſuper cælos volandi animabus ipſam amantibus, etiam in hac vita, concedit, cùm veræ humilitatis & charitatis arma cuſtodiat. *Piſan.l.1.Conf.12. c.15.& l.2.Conf.4.*

ORACVLVM V.

Humilitas ſectanda, vana gloria fugienda.

FILIVS Dei de altitudine ſinus paterni ad noſtra deſpicabilia deſcendit, vt tam exemplo quàm verbo Dominus & Magiſter humilitatem doceret. Stultum ergo eſt humanis extolli fauoribus, aut de terrenis ſuperbire. Quod altum namque eſt apud homines, abominatio eſt apud Deum; & quantum homo eſt in oculis Dei, tantum eſt in ſe, & non plus. *Bonau. cap.6.in princ.& Piſan. lib.1. Conf.12.c.19. proximè citatus.*

ORACVLVM VI.

Prælati ſubditos, & Prædicatores populos exemplo doceant, non verbo.

PROPTER Præfecturæ officium & prædicandi ſollicitudinem, Fratres non debent dimittere ſanctam & deuotam orationem, ire pro eleëmoſyna, operari aliquando manibus ſuis, & alia humilitatis opera exercere, non minùs quàm alij Fratres, propter bonum exemplum, & tantarum lucrum animarum. Ad Miniſtrorum namque & Prædicatorum exempla ſubditi & populi ædificantur, vacant libenter orationi, & humiliter inclinant ſe ad humilitatis opera & obſequia vilitatis. Si enim & hæc illi facere nolunt, non poterunt abſque ſui confuſione, præiudicio, & condemnatione, de illis alios admonere: oportet namque exemplo Chriſti priùs facere quàm docere, ac ſimul facere & docere. *Piſan. ibidem c. 31. Legen. antiqua c. De perfect. humilit. Specul. Vitæ Franciſci, c.72.*

ORACVLVM VII.

Quòd opera verba comitentur.

TANTVM habet homo ſcientiæ, quantum operatur; & tantum eſt Religioſus bonus Orator, quantum ipſe operatur: arbor namque ex fructu cognoſcitur. *Legen. antiq. c. De perfect. paupert. Piſan. l. 1. Conſ. 12. c. 40.*

ORACVLVM VIII.

Feſtiuitates Sanctorum quomodo celebrandæ.

FESTIVITATES Domini, & aliorum Sanctorũ, magis honorãtur inopia & paupertate, per quam ipſi cælum ingreſſi ſunt; quam curioſitate & ſuperfluitate, per quam anima elongatur à cælo. *Legen. antiq. & Piſan. ibidem.*

ORACVLVM IX.

Curialitate homines Deo aſſimilari.

CVRIALITAS eſt vna de proprietatibus Domini, qui ſolem ſuum & pluuiam, omniaque ſua ad vitam neceſſaria ſuper iuſtos & iniuſtos curialiter adminiſtrat. Eſt enim curialitas ſoror charitatis, extinctrix odij, & ſeruatrix amoris. *Legen. antiq. & Piſan. ibidem.*

ORACVLVM X.

De alienis non eſſe gratas eleëmoſynas.

NON licet alienum auferre, & pauperibus erogare. Peccati pœna, non meriti gloria eſt, aliena donare. *Legen. Celan. c. De paupert. Piſan. l. 1. Conſ. 12. c. 40.*

ORACVLVM XI.

Cum intentione & mentis quiete orandum.

PVDERE debet quemquam in vagationes nugatorias diſtrahi, cùm tempore orationis magnum Regem alloquitur. *Legen. Celan. c. De oratione. Piſan. ibidem.*

ORACVLVM XII.

Humili cognitione ſui hominem peruenire in Dei cognitionem.

SCIENTIA ſui ad Dei cognitionem facilè perducit eum, qui ſacræ Scripturæ intendens, Dei myſteria

humi-

humiliter, non præſumptuoſè ſcrutatur. *Legen. antiq. c. De orat. Piſan. ibidem.*

ORACVLVM XIII.

De aliquo ſpiritualiter contriſtatus ad orationem recurrat.

SERVVS Dei pro aliquo conturbatus, illicò ad orationem debet confugere, & tamdiu coram ſummo Patre perſiſtere, donec reddat ei ſui ſalutaris lætitiam. Si enim in mœſtitia moram fecerit, adoleſcet Babylonicum illud; quod tandem, niſi per lacrymas expurgetur, maximam in corde generabit rubiginem. *Legen. Celan. c. De orat. Piſan. ibidem.*

ORACVLVM XIIII.

Virtutes & Dei ſecreta non detegenda.

FAMAE pretium eſt conſcientiæ ſecretum minuere, longeque damnoſius & periculoſius eſt abuti, quàm carere virtutibus. Nec maior eſt virtus bona quærere, quàm parta tueri. *Leg. Celan. & Piſan. ibidem.*

ORACVLVM XV.

In quo differant licentia & obedientia.

QVAECVMQVE Prælati condeſcenſiones, aut facultates poſt petitionem ſubditi acquiſitæ, propriè licentiæ ſunt. Quod verò Prælatus iniungit, & ſubditus non poſtulat, ſacras obedientias cenſeo nominandas. Obedientiam igitur tutiorem & meliorem iudico licentiâ; quia in iſta aliquid propriæ voluntatis regnat, in illa ſolùm ſuperioris præceptum impletur. Summa obedientia
eſt, in qua cortina cortinam trahit, ſuperioris voluntas in- Exod. 26.
ferioris voluntatem gubernat; & nihil quod ſuum ſit, aut v. 10.
appareat, habeat caro vel ſanguis. Nec obedientia ſumma & pura deſinit eſſe poſtulata licentia in fideles adeundi ob proximorum lucrum, vel martyrij deſiderium, modò à diuina inſpiratione hoc prouenerit deſiderium: nam tunc cortina cortinam trahit, diuina voluntas humanam;

nam; vnde & hoc petere, Deo erit acceptum, & à puræ obedientiæ merito non erit alienum. *Aluar.Pelag.l.2.c.70. longè poſt medium. Leg.antiq.c.De perfect. obedien.Piſan.l.1. Conf.12.c.12.*

ORACVLVM XVI.

Officium diuinum cum intentione recitandum.

SI quietè corpus cibum ſuum, futurum cum ipſo vermium eſca, accipit; cum quanta pace & tranquillitate anima accipere debet cibum vitæ, qui eſt Deus, qui per orationem, ac diuini Officij ſolutionem debitam, familiariter nobis exhibetur? *Bon.c.10.ante fin.Piſan.ibidem c.3.Specul.Vi[illegible]nc.fol.119.*

ORACVLVM XVII.

Otium omnino vitandum.

OTIVM omnium malarum cogitationum ſentina eſt: laborandum ergo, & cuique exercitandum in opere, ne otio deditus, per illicita corde aut lingua vagetur. *Bon, cap.5.ad med. Piſan.l.1.Conf.12.c.22. Rodul.l.2.tract.de Orac. B.Franc.*

ORACVLVM XVIII.

Dei gratiæ & fauores non publicandi.

QVANDO ſeruus Dei in oratione viſitatur diuinitus, dicere debet: Iſtam conſolationem mihi peccatori & indigno de cælo miſiſti, Domine, & ego illam tuæ committo cuſtodiæ, quia theſauri tui me ſentio eſſe latronem. Cùm autem ab oratione reuertitur, ſic debet ſe pauperculum & peccatorem oſtendere; ac ſi nullam ſit nouam gratiam conſecutus. *Bonau.c.10.ad med. Piſan.l.1. Conf.12.in princ.*

ORACVLVM XIX.

Prælatus raro per obedientiā præcipiat, ſubditus sēper obediat.

RARO per obedientiam præcipiendum eſt Prælatis, nec primò fulminandum eſt iaculum, quod debet

eſſe

eſſe extremum. Ad enſem non ſtatim manus eſt mittenda. Qui verò enſem non timet, aut ſubditus qui obedientiæ præcepto non obedire feſtinat, nec Deum timet, nec homines reueretur, ſi omnino non habet cauſam in obediendo retardandi. Prælatus ergo non debet eſſe temerarius in præcipiendo: nam quid in temerario præceptore auctoritas imperandi, niſi gladius in manu furioſi? Quid verò deſperatius, quàm obedientiæ neglector aut contemptor? *Pelag.l.2.c.69.ante fin.Piſan.l.2.Conf.5.Rodul.l.2. tract.de Orac.B.Franc.Sedul.in Hiſt. Seraph.comment.ad c.6. Vitæ B.Franciſci, n.5.Specul.Vitæ Franc.c.48.*

ORACVLVM XX.

Magnum eſſe obedientiæ emolumentum.

TAM vberem iudico ſanctæ obedientiæ fructum, vt eis, qui iugo eius colla ſubiiciunt, nullum abire poſſit tempus iners, nec ſine emolumento hora aliqua inaniter pertranſire. *Pelag.vbi ſuprà.Rodul.tract.de Orac.B.Franc.*

ORACVLVM XXI.

In quo gloriari poßit ſeruus Dei.

DE omni eo, quod peccator poteſt, nemo ſibi debet iniquo applauſu blandiri. Peccator ieiunare poteſt, orare, plangere, carnemque ſuam macerare; hoc ſolùm non poteſt, Domino ſcilicet ſuo eſſe fidelis. In hoc itaque gloriandum, ſi ſuam Domino gloriam reddimus, ſi fideliter ſeruientes, ipſi, quidquid donat, adſcribimus. *Bonau. c.6. poſt init.Piſan.l.2.Conf.6.*

ORACVLVM XXII.

Magnam deberi reuerentiam Sacerdotibus.

OMNI reuerentia & honore proſequendi ſunt Dei Sacerdotes, qui omnibus ſunt ſuperiores & digniores. Chriſtianorum ſunt Patres ſpirituales, & huius mundi ſpiritus & vita. Ego ſi viderem venientem per viam Preſbyterum, & Angelum, ad Sacerdotis manus deoſculandas

das citiùs me conferrem, & Angelo dicerem: Expecta me Angele, quia manus huiuſmodi Verbũ vitę contrectant, & vltra humanum aliquid poſſident. *Pelag. l.2. cap. 52. in 3. errore Begardorum, Antoninus Florent. 3. p. Hiſt. tit. 23. c. 2. §. 2. Bernardinus Senen. Tom. 1. Serm. 20. ar. 2. c. 5.*

ORACVLVM XXIII.

Qualiter gaudere quis poſſit de alterius bono plus ipſo poſſeſſore.

PLVS, inquit, gaudeo de Regno Franciæ, quàm ipſe Franciæ Rex; quia ego gaudeo, quòd gaudeat Rex de Regno ſuo. Sed hanc habeo ego præ Rege prærogatiuam in gaudio meo, quòd Rex habet labores & expenſas Regni, & ego habeo gaudia ſine labore & ſine expenſis. *Bernardin. Senenſ. Tom. 4. Sermone 3. in 2. Par. principal. poſt medium.*

ORACVLVM XXIV.

Quæ præcipuè curanda Regularium Prælatis.

PRAELATI Regularium hoc potiſſimùm curent, mores non mutare, niſi in melius; fauores non quærere, poteſtatem non exercere, ſed implere officium. *Specul. Vitæ Franciſci, c. 10. De ſpiritu prophet, fol.* 130.

ORACVLVM XXV.

Quæ ſit vera ſapientia.

SVMMA ſapientia eſt, bona opera facere, & benè ſe cuſtodire, & iudicia Dei conſiderare. *Marian. lib. 1. c. 15.*

ORACVLVM XXVI.

Quanta virtus paupertas.

VERA paupertas radix eſt obedientiæ, mater renunciationis, mors propriæ complacentiæ, extirpatrix vanitatis & cupiditatis. *Jacobus Oddo de Peruſio in Prolog. 2. Specul. perfectionis.*

ORA-

ORACVLVM XXVII.

Veræ obedientiæ commendatio.

OBEDIENTIA eſt fidei opus, probatio veræ ſpei, argumentum charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis Dei, quæ exuperat omnem ſenſum. *Ibidem.*

ORACVLVM XXVIII.

De vſu librorum.

IN libris Fratres quærere debent teſtimonium Domini, non pretium, aut pulchritudinem. Paucos etiam habere debent, hoſque in communi, & ad Fratrum indigentium neceſſitatem paratos. *Marian.l.1.c.15.*

ORACVLVM XXIX.

In quibus acceptatur voluntas pro facto.

PAVPER magis poteſt eſſe largus quàm diues, quia diues ſi dat quidquid habet, deficiet, & confuſus eſt: ſi verò non dat cùm habeat, licet vellet dare, ſi ſibi non deficeret; voluntas bona eſt, ſed non reputatur pro facto ſibi, quia adhuc habet ſubſtantiam. Sed pauper qui nihil habet, qui vellet dare pauperi, & nihil habet quod det, & vellet ædificare Hoſpitalia, non tamen habet vndè; in hoc voluntas pro facto reputatur. *Bonau.lib.de Luminarib. Eccleſ. Serm.5.*

ORACVLVM XXX.

Dei dilectio dulcis, mundi amara.

GVSTANTI Deum, omnis delectatio mundi videtur amaritudo. Guſtate ergo, & videte, quia ſuauis & dulcis eſt Dominus, & numquam te pœnitebit de guſtu Dei. Secùs eſt in amando mundum, quia latet hamus in eſca illius amoris; quia ille amor mundanorum ſemper producit multos fructus dolorum: quia ſi amas vxorem, filios, poſſeſſiones, domos, vel honores, cùm moriuntur, & deperduntur, tantò maiores dolores tibi inferunt, quantò maiorem affectionem & amorem habeas illis

bonis & rebus. *Bernard. Senenſ. Serm. 17. Extraordinario 3. part. princip.*

In ſecundo Cod. MS. Aſsiſiano habentur ſub nomine FRANCISCI *ſequentes* SENTENTIÆ; *quarum aliquæ ipſius Sancti propriæ ſunt, aliæ vel expreſsè inueniuntur apud quoſdam ex ſanctis Doctoribus, vel ex eorum ſunt doctrina compactæ. Iis familiariter vtebatur* FRANCISCVS *ad ſuorum inſtructionem.*

1. HAEC ſunt arma, quibus dirumpitur anima caſta; viſus, alloquium, contactus, oſcula.
2. Qui vadit in deſertum, tribus prælijs caret, viſu, auditu, & detractione. *Vide Aug. in Pſal. 54. ad illa verba, Quis dabit mihi pennas, &c. & in Pſal. 121.*
3. Chariſſimi, in hac valle miſeriæ nihil tam pulchrum, tam delectabile poſſideatis, quo animus veſter omnino occupetur. *Vide eumdem tract. 2. in c. 1. Epiſt. 2. Ioan.*
4. Fuge creaturas, ſi vis habere creaturas.
5. Fuge mundum, ſi vis eſſe mundus. Si tu es mundus, iam non delectat te mundus.
6. Fuge, tace, & quieſce.
7. Si te excuſas, Deus te accuſat; & ſi te accuſas, Deus te excuſat.
8. Non perfectè bonus eſt, qui cum malis bonus eſſe non poteſt.
9. Tentatio cui non conſentitur, eſt materia exercendæ virtutis.
10. Amor omnia grauia facit leuia, & omnia amara facit dulcia.
11. Amor Dei numquam eſt otioſus. *Eſt Gregorij Hom. 30. in Euang.*
12. Veſtis pulchra, locus, potus, cibus, otia, ſomnus;
    Eneruant mentem, luxuriamque fouent.
13. Cùm dico, AVE MARIA, cæli rident, Angeli gaudent,

dent, mundus exultat, infernus contremiſcit, dæmones fugiunt.

14. Sicut cera fluit à facie ignis, & puluis ante faciem venti diſpergitur, ſic ad inuocationem nominis MARIAE totus malignorum ſpirituum exercitus ſeparatur. Pſal. 67. v. 3.

15. In periculo, in auguſtiis, in rebus dubiis MARIAM inuoca, MARIAM cogita: non recedat à corde, non recedat ab ore, & vt impetres eius ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum. *Eſt Bernardi Hom. 2. in Miſſus eſt, ad fin.*

16. Omnis creatura vileſcat, vt Creator in corde dulceſcat.

APPENDIX OPVSCVLORVM DVBIORVM.

NOLVI incerta certis, nec falſa veris admiſcere; ne quam illa merentur & obtinuerunt fidem, cum dubiis vocetur in dubium. Proinde ſequentes hos Sermones, binaque his adnexa Opuſcula à ſuperioribus diſcreui: ſuppetunt enim rationes dubitandi de Auctore, quas ipſis præfigemus. Nec tamen hæc omnino reiicienda, aut penitùs omittenda mihi videbantur, dum erat, qui illa Franciſco adſcriberet. Illiúſne ſint, an alterius, Lectoris eſto iudicium.

SERMONES BREVES BEATI FRANCISCI.

ID *mihi obrepit dubij circa Auctorem horum Sermonum, quòd ſolùm apud Ludouicum Rebolledum Neotericum, non tam fecundum, quàm facundum noſtrarum rerum concinnatorem, eas videre licuerit* 1.p. *ſuorum Chronicorum. Iuuat etiam ſuſpicionem nimis culta & compta Hiſpanica phraſis, Bæticis Scriptoribus tam grata, quàm familiaris, quam ego Latinam reddidi. Plurimam tamen redolent Franciſci doctrinam ſuperioribus Opuſculis adnotatam. Crediderim hunc ex vario Franciſci dogmate hos ad ſuum ingenium & ſtylum diſpoſuiſſe Sermones; multamq́; illorum materiam Franciſci eſſe, formam verò & diſpoſitionem Rebolledi. Nec, quod ad Sermones attinet, vllum puto calamo notaſſe Franciſcum, ſed ſerio præmiſſo orationis & ſacræ Scripturæ ſtudio feruenter eructaſſe, quidquid Spiritus dictabat. Ipſas etiam Collationes Monaſticas ſuperiùs repoſitas, non tam chartulis, quàm diſcipulorum mentibus commendaſſe exiſtimem, ab illiſq; calamo exceptas, & ad nos tranſmiſſas; vti & de quibuſdam indubitatis ſuis Operibus ſuos feciſſe diſcipulos, refert Bernardus Epiſt.* 18. *in fine. Nihilominùs magnum egiſſe*

Præ-

Prædicatorem Franciſcum in diuerſis mundi plagis, in ipſa Vrbe, orbis capite, & in conſeſſu purpuratorum Patrum, ipſo coràm Pontifice ad viri loquelam obſtupeſcente, plerique referunt Scriptores. Vnum ſubiicio Thomæ Spalatenſis, & alterum Henrici VVillot teſtimonium, vt quales fuerint Franciſci Sermones Lector expendat.

Verba THOMAE SPALATENSIS, ciuis & Archidiaconi Eccleſiæ Cathedralis Epetij, ſiue Spalati, de beato FRANCISCO prædicante.

EGO *Thomas ciuis Spalatenſis & Archidiaconus eiuſdem ciuitatis Cathedralis Eccleſiæ, anno* 1220. *in die Aſſumptionis Dei Genitricis, vidi S. Franciſcum prædicantem Bononiæ, in foro ante Senaculum, vbi tota penè ciuitas conuenerat. Fuit autem exordium Sermonis eius*, Angeli, homines, dæmones. *De his autem ſpiritibus ita benè & diſtinctè propoſuit, vt multis literarum ſcientia præditis & ornatis viris, qui aderant, fieret non modicæ admirationis Sermo hominis idiotæ. Non tamen ipſe modum prædicantis ſeruabat, ſed quaſi concionantis, hoc eſt, dimiſſa fucoſa & ſpecie ſplendida eloquentia, diſciplinæ Euangelicæ ad perpendiculum verba non componebat. Nam tota eius vis & verborum eius ſeries in hoc vno verſabatur, ad reſtinguendas hoſtilitates, & ad pacis fœdera reformanda; cuius habitus ſordidus erat, & incultus, & perſona contemptibilis, & facies indecora. Sed tantam Deus verbis illius cõtulit efficaciam, & orationis nitorem infudit, vt multas Nobilium factiones inter ſe acerbiſſimo odio ſæuientes, & vniuerſæ Reipublicæ perniciem afferentes, ad pacis concordiam & vnitatem ſimul deduceret. Erga ipſum verò tam magna erat hominum pietas & religio, vt omnes ad eum cateruatim confluerent; & beatum ſe prædicabat, quiſquis poſſet vel fimbriam veſtimenti eius attingere. Nam verbi Dei annuntiationi aſſiduè operam nauans, tantum profecit, vt innumeri naufragi peccatores, in viam iuſtitiæ redeuntes, gregatim viro ſancto, ceu peritiſſimo nautæ adhærentes, à tenebris huius mundi in eius puppi ſecuriùs ad cæli portum tranſuecti ſint.* Teſtimonium hoc habet Rodulph. l. 1. fol. 4. Specul. Vitæ Franc. fol. 215. Marianus l. 1. c. 17. §. 13. & Chronic. Spalatenſ. Eccleſiæ MS.

HENRICI VVILLOT de FRANCISCI Sermonibus teſtimonium.

ELOQVENTIA *eaq; ſublimi non caruiſſe, neque in eo doctrinâ minorem fuiſſe, fluens ex ipſius ore oratio abundans ſpiritualibus*

vberibuſq; ſententiis, qua multitudinem tenebat, demulcebat, mouebat, & in omnẽ partem flectebat, teſtatur. Etenim ſi effectus eloquentiæ eſt audientiũ approbatio, certè eam in illo oportuit fuiſſe ſingularem, qua homines vulgares, atque, vt loquitur Paulus, animales, qui 1. Cor. 2. v. 14. *alioquin ſpiritualia faſtidiunt, tamen non modò ad audiendum allexerit, ſed etiam ſuſpenſos retinuerit, atq; in eorum animos influxerit; vt alios à turpitudine ad caſtitatem, alios ab illicitis lucris ad æquitatem, ab ira & odiis ad concordiam & pacem traduxerit, denique etiam non paucos à mundi amore, quo planè abſorpti erant, ad eiuſdem contemptum & ad terrena omnia penitùs deſerenda impulerit. Memoria dignũ eſt, quòd vna Concione 300. altera 500. ita flexerit, vt ſtatim vili hoc leucophaata plebis tegmine, ſpretis mundi illecebris, contegi ſe poſtularint, eoſq; ſuo ſacro Inſtituto ſtatim initiarit.* In Athenis Orthodoxorum Sodalitij Franciſcanorum lit. F.

SERMO PRIMVS,
De humilitate & patientia.

QVAS indiuiduas comites humilitatem & patientiam habuit Chriſtus in cruce, & quas ſororũ firmus amor cõiunxit, hæc breuis oratio nullatenus ſeparabit. Seruus Dei multa debet pro Chriſto pati, qui cum eodẽ bonis perfrui ſperat ſempiternis. Apoſtolus dixit non eſſe condignas paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Non ſunt, nec inueniri poſſunt duæ perfectæ deliciæ, nec binũ poteſt eſſe gaudium omnino completum. Suam doctrinam incepit ab humilitate Chriſtus in præſepe, quam in patientia bonus magiſter concluſit in cruce. Ipſe etiam dixit: Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. optimè enim nouit pœnam in gloriam tranſmutare, perſecutionem & metum in gaudium. Faber argentarius, ex metallo quod accipit, ſcyphum aut vaſcula conficit; nec enim ex plumbea maſſa calicem conflabit argenteum: ſolus Deus ex laboribus requiem elicit, & ex tormentis gaudium eruit ſempiternum. Diligentes, humiles & patien-

Rom. 8. v. 18.

Mat 5. v. 10.

tes

tes decet eſſe ſeruos, qui à Domino ſuo incomparabilem expectant mercedem.

SERMO SECVNDVS.

Contra peccata mortalia.

MORTALIA peccata, Fratres, omnino fugiamus. Conſiderate & videte, quàm fœdum & abominabile appareat corpus exanime, ſpiritus vitalitate deſtitutum; & intelligite multò fœtidiorem & immundiorem eſſe animam ſine Deo, qui animæ anima eſt, quando in mortali labe volutatur. Si adeò indiget vna creatura alterâ, quantò magis creatura ſuo opus habet Creatore? Longiùs diſtat à peccato gratia, quàm à gratia gloria: infinita eſt enim inter peccatum & gratiam diſtantia; inter gratiam verò in ſanctis viris, & gloriam, ſola mors intercedit. Qui ergo mortaliter peccat, à Deo elongatur, & inferno deputatur, inter quem & peccatorem tantùm vita mediat, quæ multoties per inopinam & inſtantaneam mortem tollitur è medio, & extinguitur. Quotos vidimus noctu lectum ſanos conſcendere, & in proximo mortuos in foueis ſepeliri? Deum ſuppliciter oremus, vt quos ſua gratia refouet, in eadem ſanctos conſeruet, & miſeros peccatores miſericorditer in illa regeneret. O Deum fortem, & pium, tam pronum ad ignoſcendum pœnitentibus, quàm potentem & ſeuerum ad puniendum obſtinatos!

SERMO TERTIVS.

De bono eleëmoſynæ.

O HOMO, eleëmoſynam pauperi elargire, per quem illam tribuis Creatori. Ille in paupere debitorem ſe conſtituit perfectæ & exagitatæ mercedis, & ſuperplenæ retributionis. Deo, ſolum per pauperem, noſtra poſſumus offerre; qui, ſolum per pauperem, noſtris poterit indigere. Videte ergo, Fratres, quantæ ſit felicitatis vir

Iacob. 1. v. 15. eleëmoſynarius, qui ei poteſt impendere qui retribuit, & dat omnibus affluenter. Cui non ſolùm multum, qui multum habet, tribuit diues; ſed & plurimum largitur, Mar. 12. v. 43. qui, quæ habet, pauper impendit. In gazophylacio vidua illa Euangelica cenſum omnem abſcondit, quando ſolùm, quæ habuit, minuta duo libenter impertiit. Vnde & offerentem palàm Chriſtus laudauit, dum oblatum non tenue, ſed pingue publicè iudicauit. Eia pauperibus proinde & egenis de terrenis & caducis diſtribuamus, quibus immenſa bona, cum Deo duratura, nobis in cælis acquiramus. Hereditas pauperum eſt eleëmoſyna, quam magnus ille noſter frater Ieſus Chriſtus omnibus acquiſiuit. Non igitur quando illis diſtribuitur, alienum dono datur; ſed, quod verè ſuũ eſt, impenditur. Ego Fratres meos Minores rogo in Domino Ieſu Chriſto, quia ad eius imitationem pauperes fieri, & in nomine eius eleëmoſynas Vide Reg. 1. cap. 9. Regul. 2. c. 6. & Collat. 7. petere voluerunt; ne verecundentur eas colligere oſtiatim. De eleëmoſynis ipſe Dominus vixit. Si ergo vilis faciat creatura, quod priùs viderit Creatorem feciſſe omnipotentem, non dedecori, ſed honori; non ignominiæ, ſed decori vertendum omnes iudicabunt. Præcipuè cùm pauper mendicus diuitem, à quo eleëmoſynam flagitat, abundantioribus afficiat theſauris, & occultam ſubminiſtret fœnoris & lucri occaſionem. Prætereà diuites ex parte Dei docet, ne deſpiciant, neque flocci pendant egenos; quorum verecundiam, ſi quam coram locuplete paſſi ſunt, in inferentē Iudex vlciſcetur ſeuerus, & in patientibus Pater abſterget miſericors. Quidquid poſt ſe homines in terra relinquunt, emarceſcit; ſolùm, quam in vita fecerunt eleëmoſyna, ſemper vireſcit. Quam in mundo tribuunt, in cælis inueniunt; impendunt temporalia, recipiunt æterna. Qui autem eleëmoſynas petit, æquales Deo ſoluat gratias, quando ei miſericorditer tribuitur, &

quan-

quando crudeliter denegatur: quando tribuitur, quia à Deo mittitur, vt nuditatem corporis contegat, & eſuriem ventris reficiat: quando negatur, quia occaſio offertur meriti & patientiæ.

SERMO QVARTVS.

De amore inimicorum.

AVDITE Legationem, Fratres, quam per minimum ſeruunculum ſuum è cælis mittit Altiſſimus. Diligite omnes, & proximos veſtros, & eos à quibus ſiniſtrum aliquid patimini: illi enim manifeſti ſunt amici, iſti verò nullatenus inimici. Qui vos amant, qui vobis ſeruiunt, qui victum præbent & veſtitum, veſtro benefaciunt corpori: ſed qui vos perſequuntur, qui vobis iraſcuntur, qui vos iniuriis afficiunt, plura adferunt commoda ſpiritui. Omnes ergo amici ſunt, & nullus vocandus eſt inimicus; omnes benefaciunt, & nullus iniuriis laceſſit. Præter voſmetipſos nullum habetis inimicum. Si ergo odiſſe vultis inimicos, à corpore veſtro & ſenſuali incipite appetitu. Si de inimico vindicari cupitis, corpus flagellate, & tamquam ſeruum ſubiicite ſpiritui. Qui vos creauit, Deus, & qui vos redemit, Chriſtus, vobiſcum ſit, & ab omnibus tueatur aduerſis. Vide Opuſcul. de Admonition. c. 10 & 1. Regulã, c. 21.

SERMO QVINTVS.

De perfecta obedientia.

CREATVRAE Dei ſumus omnes, Fratres mei, quos præ ceteris, multis bonis Altiſſimus benigniſſimè ditauit. Si illi non obſequamur, nec quod iubet implemus (ſicut in Baptiſmo promiſimus) hereditate gloriæ nos ſpoliabit, & præcipites dabit in gehennam. Filiorum perdemus libertatem, & captiuorum ſubibimus ſeruitutem. Non deſideremus aliis præeſſe, ſed omnibus ſubeſſe creaturis, propter verum amorem Creatoris. Qui ita fecerint, & perſeuerauerint, requieſcet ſuper illos ſpiritus Dei, & in

illis ſuam faciet manſionem. Filij erunt Patris cæleſtis, fratres Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ſponſæ Spiritus ſancti. Sponſalia hæc celebrantur, quando Spiritus diuinus & anima noſtra ad inuicem vniũtur per charitatem. Fratres ſumus Chriſti, quando eius participamus bona; & Dei filij nominamur, quando ei aſſimilamur in operatione. O quàm glorioſum eſt, Patrem habere in cælis! quàm pulchrum & ſuaue, tali adhærere ſponſo! quàm opulentum & egregium, fratrem noſtrum heredem habere Regni cælorum! Hunc Paulus primogenitum, Ioannes vocauit vnigenitum. Primogenitum appellauerat ille in natura, quam ex noſtris accepit; vnigenitum iſte in Deitate, quam ex Patre æqualem ex æternitate recepit. Dixit Dominus in Euangelio: Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. &, Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdat eam. quaſi dicat, quòd ille omnia relinquit, qui propriæ renuntiat voluntati; & ille animam ſuam perdendo ſaluat, qui illius à ſe abdicat dominium, & totum quod eſt, Prælati ſubiicit imperio. Quidam ſunt ſubditi, proprij ſenſus errore decepti, qui quodcumque Superioris præceptum, quod indomitæ voluntati repugnat, ſtatim Regulæ & animæ iudicant eſſe contrarium. Perfecta obedientia eſt illa, qua Religioſus facere omittit, quod ſibi melius & conſultius videtur; vt quod minùs rectum aut conſonum iudicat, compleat propter ſolum Superioris præceptum. In quo magnum acquirit meritum, dum propriæ valedicit opinioni; non ſuæ, ſed alienæ obtemperans voluntati. Qui verè obſequitur Prælato, ipſi Deo ſe ſubdit, & proximo egregium præbet exemplum. Summa obedientia eſt illa, in qua nihil ſuum caro cognoſcit, aut ſanguis. Non debet perfectus obediens expectare quòd ſecundò aut tertiò idem imponatur præceptum: nam qui ad primum Prælati

Vide Epiſt. 2. c. 10.

Rom. 8. v. 29. Ioan. 1. v. 14.

Lucæ 14. v. 33. Lucæ 9. v. 24.

Vide Oracul. 15. 19. & 20. & Collat. 4.

lati non obtemperauit imperium, non voluntate illectus, ſed neceſſitate compulſus obediuit. Qui celeriter non obedit, nec Deum timet, nec homines reueretur, dummodò ſufficientem non habeat cauſam retardandi. Fertiliſſimus eſt obedientiæ fructus: nihil eſt temporis vero obedienti ſine lucro.

SERMO SEXTVS.

De animæ æſtimatione vel dignitate.

MAXIMA cura prouidendum eſt animæ; nec enim plures habet homo, ſed vnam. Si duas nobis contuliſſet Dominus, ſicut & binos dedit oculos, vel pedes; ſublata vel deperdita vna, aliam cuſtodire vel ſaluare liceret. Aſt vnam tantùm infirmam & languidam accepimus, tribus validiſſimis concuſſam inimicis, & fortiſſimis mundi, carnis, & diaboli telis expoſitam, cui nec vno die ſecurè requieſcere licet, ſed omnibus in luctam & palæſtram oportet deſcendere. Continuum eſſe hoc certamen nobis Apoſtolus expreſſit; non enim bellum, ſed luctam appellauit, dum dixit: Non eſt nobis colluctatio ad- Epheſ. 6. uerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & v. 12. poteſtates. In bello aut prælio quandoque militibus corpora refocillandi, arma deponendi, à laboribus feriandi, & virium repetundarum tempus conceditur, nec ſub dio aut cæli inclementia pernoctare in hieme compelluntur; imò ſub tecto hibernandi, in ciuitatibus commorandi libera aliquando præbetur facultas. Sed inter colluctantes tunc ſolùm in luctamine reſpirare licebit, quando vno victo, & in terram colliſo, alter triumphator abſcedit. Noſtrorum inimicorum lucta numquam ceſſat: luctæ tempus, tempus eſt vitæ; finis viuendi, requiei erit initium; & ſolùm poſt mortem dæmon luctator recedet, qui in ipſa morte fortiùs nos proſternere molitur. Dominum ergo ſuppliciter exoremus, vt ſua gratia nos prote-

gat, & in tantis periculis miſericorditer ab hoſte defendat. Nihil (proh dolor!) viliori pretio, quàm pretioſam commutamus animam. Illam quacumque vel leui occaſione in gehennam detrudimus; & parua vel minima mercede, inæſtimabili Dei gratia ſpoliamus.

Sermo septimvs.

De Sacerdotum obligatione.

Patres reuerendi, Dei familiares & domeſtici eſtis, & illius pane veſcimini; veſtram agnoſcite dignitatem. Deuotionem præferte, contemplationi inſiſtite. Spiritus ſanctus ſit veſtri lumen intellectus, & veſtræ flamma voluntatis. Perſeuerate in obſeruantia illorum quæ Domino promiſiſtis, nec ad ea quæ reliquiſtis, retrò gradiamini pedibus vel affectu. Ambitionem fugite, ſuperioritatem inter Fratres cauete. Recordamini, quòd qui in infinitum homines præcedit & Angelos, in hunc mundum deſcendens, non ſolùm Angelis, ſed & hominibus inferior viſus eſt, omnibuſque ſe minorem dicens, ait:
Mat. 20. v. 28. Vide Collat. 26. Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Quos in Prælatos aſſumi contigerit, non ſuperbè imperent ſubditis tamquam domini, ſed humiliter corrigant, ſicut veros decet Miniſtros. Neceſſitatibus illorum quibuſcumque prouideant: magna ſit cura circa corporales, maior autem circa ſpirituales. Aduertant quòd ſunt Paſtores animarum ſibi
Heb. 13. v. 17. ſubditorum, quarum, ſecundùm Apoſtolum, ſtricto Iudici rationem ſunt reddituri. Ouium paſtores, ſi qua deperditur, aut frigore perit, dominis ſuis callidè ſatisfaciunt, dum mortuæ pellem oſtendunt. Animarum verò
Iob 2. v. 4 Paſtores non pro oue pellem, ſed pellem pro pelle, animam pro anima in Dei iudicio reddere ſtrictiſſimè coguntur. Subditos eo modo tractent, quo ſemetipſos curant, & eoſdem ſe præbeant ſibimet & ſubditis. Peccatoribus de peccatis pœnitere præcipit Deus, & ea veridica con-

confeſſione pandere Sacerdotibus, quos peccato redarguere decet, & peccatores per pœnitentiam ad virtutem reducere. Hortari etiam debent pœnitentes ad freqnentem eorum confeſſionem, & ſanctiſſimam Chriſti Corporis communionem. Si enim hic cibus eſt animæ, ſine quo languet & marceſcit, cur non quotidie ad menſam, in quo proponitur cunctis, cuncti ſedere & manducare deſiderent? Qui itineris fatigatur moleſtia, plus cibi indiget refrigerio. Si ergo omnes viatores ſumus, & ad patriam pergimus, cur pretioſo & ſapidiſſimo cibo confortari non appetamus? Elias hunc in figura comedit, & ambulauit in fortitudine illius. Si ſæpiùs hunc panem, ſicut decet, ſumeremus, magis in via virtutis proficeremus, & ad deſtinatam nobis patriam robuſtiùs pergeremus. 3.Reg.19 v.8.

SEX PRÆCIPVÆ RATIONES QVARE DEVS OPTIMVS MAXIMVS RELIGIONEM MINORVM SVÆ CONCESSERIT ECCLESIÆ.

OPVSCVLVM *hoc in lacera & vetuſta charta pergamena mihi occurrit eo modo, quo tranſcripſi, in Bibliotheca Minorum Conuent. Aſſiſ. Sed in Firmamento trium Ordinum fol. 22. in Manuali Minorum, & aliis vetuſtis Codicibus aliter habetur; ſæpiuſq; ipſius Franciſci & B. Claræ fit mentio, tamquam qui in teſtimonium vel in exemplum adducantur. Qui, excuſis his, etiam ſatis vetuſtis, adhæſerit libris, non immeritò affirmabit alteriùs à Franciſco hoc eſſe Opuſculum.*

FRATRES Minores dati & vocati ſunt à Deo, præcipuè vt repræſentent Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum; & tanta ipſius beneficia, tunc à mundo quaſi oblita & contempta, vel neglecta, in memoriam Chriſtianorum reducant. Et propter hæc ab ipſo

De poſtulatione hac vide Vbertin. l.5. Vitæ Chriſ. c.5 Sedul. l.1 Apolog. c.2. n.1. & 2.

Filio Domino noſtro Ieſu Chriſto poſtulati ſunt à Deo Patre ſuo.

I. Et Primò dati ſunt, vt verbo & facto ſint teſtes & imitatores præcipui ſuæ altiſſimæ paupertatis, per omnimodam abdicationem proprietatis, & indebitæ affectionis, ac pauperem & humilem vſum rerum omnium temporalium; quia ſanctæ paupertatis virtus & affectus, quaſi ab omnibus vbique deſerta & repudiata ac contempta videbatur, adeò quòd ampliùs non inueniebat, vbi perfectè & integrè requieſceret pes eius.

II. Secundò, vt verbo & facto ſint teſtes & imitatores ſuæ excellentiſſimæ & perfectiſſimæ obedientiæ, qua non ſolùm Deo Patri ſuo obediens factus eſt pro nobis vſque ad mortem crucis, & etiam parentibus ſuis, ſibi longè inferioribus, videlicet ſacratiſſimæ Virgini matri ſuæ, & beato Ioſeph patri putatiuo ſubditus eſſe voluit; ſed (quod maius eſt) malis etiam Principibus & Sacerdotibus obedire voluit, & docuit obedire, cùm cenſum Cæſari reddidit, & reddendum iuſſit; & cùm de Scribis & Phariſæis malis, populum regentibus, dixit: Quæcumque dixerint vobis facite, opera autem eorum nolite facere. Quia quantò contemptibilior præſidet, tantò magis obedientia ſubditi placet, & obediens meretur; maximè ſi talis obediens non ſit cauſa promotionis, nec continuationis talis mali, & inſufficientis Prælati. Et perfectiſſimus ac Euangelicus obediendi modus & gradus eſt, obedire propter Deum talibus, & aliis, non ſolùm in his quæ quis promiſit ex Regula obſeruare, ſed etiam in omnibus quæ non ſunt contraria animæ & Regulæ ſuæ, ſine alia limitatione vel repreſſione facultatis, aut iuriſdictionis, vel obedientiæ regularium Prælatorum ſuorum.

Lucæ 2. v.51. Mat. 22. v.20. Mat. 23. v.3. Vide Collat. 4. Vide Regul. 2. c.10.

III. Tertiò, vt ſint teſtes & imitatores deſpectus & humilitatis Chriſti per contemptum omnium bonorum, & pro-

promotionum,ac vanitatum mundi, & per veram abiectionem, mortificationem, & contemptum ſui ipſorum propter Deum.

Quartò, vt ſint teſtes & ſequaces verbo & opere ſuæ IV. tantæ charitatis & affectionis ad ſalutem omnium animarum, per mundum diſcurrendo, ac verbo & exemplo prædicando,atq; animas,ipſius Chriſti pretioſo Sanguine redemptas,ad ipſum verum Creatorem,& Paſtorem, ac Redemptorem animarum ducendo.

Quintò,vt ſint teſtes & imitatores ſuæ ſobrietatis,pœ- V. nitentiæ, mititatis,condeſcendentiæ, & miſericordiæ,atque puritatis per moderatam abſtinentiam,& ieiunia, ac labores, & per piam ac charitatiuã condeſcenſionem & ſubleuationem afflictorum, & receptionem ac ſanationem infirmorum peccatorum,ac corporis & animæ nitiditatem ac puritatem.

Sextò, vt ſint teſtes, & ſpeciales contemplatores, & VI. imitatores, ac prædicatores ſuæ tantæ paſſionis ac mortis, & beneficiorum tantorum ſuæ benedictæ Incarnationis, vitæ, & mortis ipſius, & tantæ noſtræ redemptionis,non ſolùm per iugem & frequentem meditationem & recordationem tantorum dolorum interiorum & exteriorum ipſius, & piiſſimæ Matris eius, ſed etiam per veram & ſpontaneam tolerantiam omnium contrarietatum,& tribulationum interiorum & exteriorum,atque vilipenſionum,& dolorum pro nomine eius ſanctiſſimo.

Beati igitur Fratres illi,qui, quantum in ſe eſt, in omnibus his ſequuntur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & ſanctiſſimam eius Matrem, in hac vita: quia in morte & in iudicio cum ipſo Capitaneo ſuo in acie & ſocietate verorum Chriſti militum, & ſpecialium imitatorum eius, glorioſi apparebunt; & Chriſto & Apoſtolis aſsidebunt omnes tribus terræ iudicantes, id eſt, ſententiam

Mat. 19. v.28. tiam Iudicis approbantes, iuxta illud: Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſraël.

Igitur Fratres in Chriſto dilectiſſimi & deſideratiſſimi, propter Deum intelligite & videte vocationem veſtram, & quare Minores eſtis vocati, quia non vt maiores, ſed vt humiliores & abiectiores omnibus atque inferiores propter Deum eſſe contendatis in pręſenti, vt hîc in gratia, & in futuro in gloria maiores eſſe poſſitis. Et Domino Deo noſtro, qui tam benignè ſine veſtris meritis ad tanta & tam ſublimia vos elegit & vocauit, grati eſtote, & contendite ambulare ea vocatione qua vocati eſtis, non retrò aſpiciendo, ſed de virtute in virtutem proficiendo: indubitanter tenendo, quòd ſi hæc ſecuti fueritis, 2.Cor.1. v.7. & Chriſti paſſionum ſocij & contemplatores fueritis, eritis & conſolationum, & pro momentaneo labore præſentis vitæ, præmium certum & inæſtimabile tandem cum Chriſto recipietis. Quod Dominus ipſe pius meritis ſuæ ſanctiſſimę paſſionis, mortis, & glorificationis, ac interceſſionibus ſuæ ſanctiſſimæ Matris, & omnium Sanctorum & Sanctarum, miſericorditer concedat. Amen.

OPVSCVLVM
DECEM PERFECTIONVM
VERI RELIGIOSI,
ET PERFECTI CHRISTIANI.

IN *fine Codicis MS. Hiberni recitabantur, vt inferiùs, hæ Perfectiones veri Religioſi ſub nomine D. Franciſci, tamquam ab illo ſcriptæ. Eas tamen non ſcripſiſſe, ſed habuiſſe ſanctum virum, probant*

bant Firmamen. fol. 23. Manual. Minorum ad initium, & Rodulphus lib. 2. Hiſtor. Seraph. fol. 169. licet ipſi tam in Opuſculo quàm in titulo inter ſe diſcrepent.

PRIMA perfectio boni Religioſi eſt, quòd toto conamine & totis viribus nitatur ad dolendum pro peccatis, & libenter illa confiteatur, & ſine mora; & poſteà caueat pro poſſe, ne in eadem vel altera incidat. I.

Secunda, quòd omnem creaturam ſupra ſe ponat, & ſe ſubtus. Ratio eſt, quia offenderet illum magnum Dominum, qui fecit omnem creaturam, & qui tantum honorauit nos, quòd amore noſtri aſſumpſerat carnem humanam, qua aſſumpta participauit omni creaturæ. Ob hoc ergo debet bonus Religioſus, aut perfectus Chriſtianus, obedire bono corde & bona voluntate omnibus, non tantùm maiori ſocio, vel pari, vel minori, ſed etiam omni creaturæ, ſecundùm quod licuerit ſibi. II.

Tertia, quòd cor ſuum ab omni mundana & humana creatura eradicet, nec quærat aut inueniat fundamentum aut radicem, niſi in illo qui fecit ſibi cor; ſed conſueſcat cor ſuum proiicere in ipſum Deum, & de fæcibus terrenis frequenter eleuare, ita quòd ſine pœna, quandocumque voluerit, reuertatur ad Chriſtum cogitando, & afficiendo ſe ad cordis creatorem; & intentus ſit in omni loco, & tempore, altiſſimo benefactori. In oratione aut dicat culpam de malis perpetratis, aut deſideret & petat bona quæ ei deficiunt, aut reddat gratias de bonis ſibi collatis, aut de malis & tribulationibus quæ ſibi eueniunt, & credat, Deum benignum, propter delictorum aut corporis caſtigationem, permittere illa ſibi euenire. III.

Quarta, quòd tantam habeat patientiam, quòd illum, qui ſibi malum aliquod fecerit vel dixerit, conetur plus diligere & amare ex toto corde, & ex bona voluntate ei IV.

 liben-

libentiùs ſeruire, ſine omni amaritudine cordis. Quia ſicut Deus ex vera liberalitate omnia bona ſibi tribuebat, ita omnia mala credat eum occultè permittere ad hoc, vt peccatori ſua oſtendat peccata, & ipſe ea cognoſcat & aduertat, ſicque leuiter in præſenti puniat, vt non flagellet duriùs in ſempiternum. Illum igitur, qui malum ſibi fecit, aut de ipſo malum aliquod dixit, multùm diligat, quia mediante illo, tamquam nuntio, Deus magnum bonum illi conferet; & tamquam membrum & retinaculum, quo mediante Deus benignè eum detinet, ne in ipſum profundum abyſſi proiiciatur, aut mundus impingat, aut diabolus decipiat; & tamquam terſorium, quo mediante, eum Deus tergit; & tamquam inſtrumentum, & dolabrum, quo eum Deus dolat & perficit.

V. Quinta, quòd diligat omnes bonos, & omnibus malis compatiatur, ac honoret omnes, & ſe omnibus viliorem reputet, etiam ipſis peſſimis poſtponendo. Et hoc, quia neſcit vtrùm bonum, quod ipſe facit, Deo placet, aut vtrùm in eo perſeuerabit, nec ſimiliter nouit finem ad quem ille alius poſſit deuenire. Ob hoc nullum in corde ſuo iudicet, nec de ore ſuo malum aliquod de altero proferat. Et quando malum alicuius audierit ab aliquo, illum excuſet, vel non lætetur de murmuratione, ſed triſtem ſe oſtendat, & ſagaciter verba dicentis in aliam materiam diuertat.

VI. Sexta, quòd amet multùm reprehenſionem & reprehenſorem: & ſi malum aliquod de ipſo, ille qui reprehendit, dixerit, totum concedat: ſi verò bonum, quod in illo fuerit, laudatur, excuſet ſe, & dicat quòd nihil boni facit; in mente tenens, quòd Deus omne bonum facit, & dat etiam voluntatem faciendi.

VII. Septima, quòd omnibus libenter ſeruiat, & vix ab aliquo ſibi ſeruiri acquieſcat, reputans ſe indignum omni ſer-

ſeruitio; recordeturque quòd non venerat Chriſtus miniſtrari, ſed miniſtrare. Si ergo aliquis ſeruierit ei in aliqua neceſſitate, in corde ſuo gratias agat Deo, qui illi dederat voluntatem ſeruiendi, & poſſe. Mat.20. v.28.

VIII. Octaua, quòd ſtudeat recogitare omnia beneficia, ſibi vel aliis quibuſcumque creaturis facta, & pro omnibus gratias referat Deo, & pòſt humiliet ſe, dicendo: Quis ſum ego, qui pro aliis gratias refero, cùm non ſufficiam referre eas pro minima parte boni quod mihi Deus fecit, & maximè cùm ſim tam praua creatura? & ſic annihilet ſe.

IX. Nona, quòd ſollicitam habeat linguæ cuſtodiam, quæ complementum eſt omnium bonorum, & ſine qua perditur omne bonum: & linguam ſuam cuſtodiat non tantùm à verbis malis ſiue nociuis, falſis & inhoneſtis, ſed etiam à ſuperfluis & vanis, quæ deuotionem cordis euacuant.

X. Decima & vltima, quòd ſuper omnia caueat, vt in omnibus verbis eius reluceat veritas, bonitas, & humilitas; quia verbum hominis debet incipere à veritate, proficere in bonitate, terminari in humilitate, & menſurari breuitate, quia verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram. Deo gratias.

APOSTROPHE AD LECTOREM.

Hæc ſunt, amice Lector, quæ reperire potui ſancti viri, vel certa vel dubia Opuſcula. Deſideratur adhuc aliud de Spirituali lætitia, & acedia, huiuſq; remedio, à Mariano in ſuo Indiculo relatum. Alij volunt, ſanctum virum calamo ſignaſſe quidquid in toto itinere peregit aut vidit notatu dignum, dum pro Iacobi Apoſtoli corpore viſendo in Compoſtellam ſe contulit, Itinerariumque Compoſtellanum *inſcripſiſſe. Alij demum citant eiuſdem tractatulum de Oratione. Nihil horum, etſi diligenter à me perqui-*

ſitum, hucuſque apparuit. Si fors occurrerit, communis faciam iuris. Interim ſancti viri Operibus affigo, quæ ad eius commendationem ediderunt alij, ſed longa annorum ſerie non omnibus obuia. Magna ſunt; magnum excitabunt in ſanctum virum (ſi quis ſit ab hoc affectu liber) amorem, & digniorem conciliabunt reuerentiam. Vitæ Hiſtoria, quæ ſequitur, ipſa eadem eſt, quam Bonauentura docto & pio ſtylo contexuit. ſed quæ refert ſancti Patris Apophthegmata & Sententias, tertio Tomo Opuſculorum ſuis locis inſeruimus, quadamq́ ex multis miracula omiſimus, vt libentiùs ad breuiorem Vitam legendam Lector accedat.

S. PA-

S. PATRIS FRANCISCI VITA A D. BONAVENTVRA CONSCRIPTA.

De qua nos iudicium ALOYSII LIPOMANI Epiſcopi Veronenſis, ſingulari pietate & eruditione clariſſimi, huc adſcripſimus.

ALOYSIVS EPISC. VERONENSIS PIO LECTORI.

EAM, quæ ſequitur, diui FRANCISCI *Vitam beatus ille Bonauentura, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Epiſcopus Albanenſis, Franciſcani Inſtituti non ſolùm ſectator, ſed & inſtaurator & rector, vir in Scripturis diuinis eruditiſſimus, & vitæ ſanctitate conſpicuus (de quo præceptor eius Alexander de Ales dicere ſolebat, In Bonauentura Adam peccaſſe non videtur) puro ac ſimplici ſtylo deſcripſit. Tanta autem rerum copia & ſententiarum grauitate refertam, vt totus mundus eius lectione inſtrui poßit, & ad amorem Dei per beati* FRANCISCI *exemplum inſtaurari. Ego, vt verum fatear, cum* FRANCISCI *Vitam lego, non ſolùm accendor, ſed in eius meditatione totus exardeſco; vtpote in quo tanta diuini amoris claritas effulſerit, vt Angelus potiùs, atque ex ſupremo ordine Seraphim, qui ardor & incendium dicitur, magis quàm homo poſſe dici videatur. Semper enim beatiſſimus iſte cogitatione in cælo verſabatur, ſemper felix eius anima ſummo Auctori puriſſimè & intentiſſimè inhærebat, adeò vt præ amoris magnitudine, præ ea, quam intus guſtabat, dulcedine (quod hominibus plerumque ardentiſſimè amantibus contingere ſolet) alienatus à ſenſibus atque extra ſe eſſe videretur. Accede & tu benigne Lector, accede ad ſanctum ignem iſtum: certò ſcio caleſces plus ſatis. Sed iam ipſum diuum Bonauenturam audi.*

Alenſis de B. Bonau. teſtimonium.

Eximia Franciſci laus.

Seraph potiùs quàm homo dicendus.

B. BONAVENTVRÆ IN VITAM B. FRANCISCI PROLOGVS.

APPARVIT gratia
Dei Saluatoris no-
ſtri diebus iſtis no-
uiſſimis in ſeruo
ſuo Franciſco om-
nibus verè humili-
bus, & ſanctæ paupertatis amicis;
qui ſuperaffluentem in eo Dei mi-
ſericordiam venerantes, ipſius eru-
diuntur exemplo, impietatem &
ſæcularia deſideria funditus abne-
gare, Chriſto conformiter viuere,
& ad beatam ſpem deſiderio inde-
feſſo ſitire. In ipſum namque, vt ve-
Iſa. 66. v.2. rè pauperculum & contritum, tan-
ta Deus excelſus benignitatis con-
Quæ beneficia Deus cōtulerit Frāciſco, & ad quā miſſus ſit. deſcenſione reſpexit, quòd non ſo-
lùm de mundialis conuerſationis
puluere ſuſcitauit egenum, verùm
etiam Euangelicę perfectionis pro-
feſſorem, ducem, atque præconem
effectum, in lucem dedit creden-
Ioan. 1. v.7. tium, vt teſtimonium perhibendo
de lumine, viam lucis & pacis ad
corda fidelium Domino præpara-
Eccli. 50. v.6. ret. Hic etenim *quaſi ſtella matuti-
na in medio nebulæ* claris vitæ & do-
ctrinæ micans fulgoribus, ſeden-
tes in tenebris & vmbra mortis ir-
radiatione præfulgida direxit in lu-
Indidē 8. cem, & tamquam *arcus refulgens
inter nebulas gloriæ*, ſignum in ſe
Dominici fœderis repræſentans,
pacem & ſalutem euangelizauit
Malach. 3.v.1. hominibus, exiſtens & ipſe Ange-
lus veræ pacis; ſecundùm imitato-
riam quoque ſimilitudinem Præ-
curſoris deſtinatus à Deo, vt viam
parans in deſerto altiſſimæ pauper-
tatis, tam exemplo quàm verbo
pœnitentiam prædicaret, primùm
ſupernæ gratiæ præuentus donis,
dehinc virtutis inuictæ adauctus
meritis, prophetali quoque reple-
tus ſpiritu, necnon & Angelico de-
putatus officio, incendioque Sera-
phico totus ignitus, & vt vir Hie-
rarchicus curru igneo ſurſum ve- *Venit in*
ctus, ſicut ex ipſius Vitæ decurſu *virtute & ſpiri-*
luculenter apparet, rationabiliter *tu Eliæ.*
comprobatur veniſſe in ſpiritu & Infrà c.4.
virtute Eliæ.

Ideoque alterius amici ſponſi &
Euangeliſtæ Ioannis vaticinatione
veridica ſub ſimilitudine Angeli *Deſigna-*
aſcendentis ab ortu ſolis, ſignum- *tus fuit in Apocaly-*
que Dei viui habentis, aſtruitur *pſi Ioan-*
non immeritò deſignatus. Sub a- *nis ſub*
pertione namque ſexti ſigilli, *Vidi* *Angelo*
(ait Ioannes) *alterum Angelum* *ſexti ſi-*
aſcendentem ab ortu Solis, habentem *gilli.* Apoc. 7.
ſignum Dei viui. Hunc Dei nun- v.2.
tium amabilem Chriſto, imitabi-
lem nobis, & admirabilem mun-
do, ſeruum Dei Franciſcum fuiſſe
indubitabili fide colligimus, ſi cul-
men in eo eximię ſanctitatis aduer-
timus, quâ inter homines viuens
imitator fuit puritatis Angelicæ,
quâ & poſitus eſt perfectis Chriſti
ſectatoribus in exemplū. Ad quod *Officium*
quidem fideliter ſentiendū & piè, *S. Fran-*
non ſolùm inducit officium quod *ciſci.*
habuit, vocandi ad fletum & plan- Iſa. 22.
ctum, caluitium & cingulum ſac- v.12.
ci, ſignandique *Tau ſuper frontes*
virorum gementium & dolentium Ezech. 9. v.4.
ſigno pœnitentialis Crucis, & ha-
bitus Cruci conformis; verùm et-
iam irrefragabili veritatis teſtifica-
tione confirmat ſignaculum ſimi- Infrà
litudinis Dei viuentis, Chriſti vi- c.13.
delicet crucifixi, quod in corpore
ipſius

ipſius fuit impreſſum, non per naturæ virtutem, vel ingenium artis, ſed potiùs per admirandam potentiam ſpiritus Dei viui.

Quid Bonauenturam induxerit ad Franciſci Vitam ſcribendam.

Ad huius tam venerabilis viri vitam, omni imitatione digniſſimam, ſcribendam, indignum & inſufficientem me ſentiens, id nullatenus attentaſſem, niſi me Fratrum feruens incitaſſet affectus, Generalis quoq; Capituli concors induxiſſet inſtantia, & ea, quam ad ſanctum Patrem habere teneor, deuotio compuliſſet: vtpote qui per ipſius inuocationem & merita, in pucrili ætate, ſicut recenti memoria teneo, à mortis faucibus erutus, ſi præconia eius laudis tacuero, timeo ne ſceleris arguar, vt ingratus. Et hæc penes me cauſa præcipua hunc aſſumendi laborem, vt ego, qui vitam corporis & animæ à Deo mihi conſeruatam recognoſco per ipſum, & virtutem eius in me expertus agnoui, Vitæ illius virtutes, actus, & verba, quaſi fragmenta quædam partim neglecta, partim diſperſa, quamquam plenè non poſſem, vtcumque colligerem, ne morientibus ijs qui cum famulo Dei conuixerant, deperirent. Vt igitur Vitæ ipſius veritas, ad poſteros tranſmittenda, certiùs mihi conſtaret & clariùs, adiens locum originis, conuerſationis, & tranſitus Viri ſancti, cum familiaribus eius adhuc ſuperuiuentibus collationem de his habui diligentem, & maximè cum quibuſdam, qui ſanctitatis eius & conſcij fuerunt, & ſectatores præcipui. Quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem fides eſt indubitabilis adhibenda.

Bonauenturam à morte ſeruauit Franciſcus.

In deſcriptione autem eorum quæ per ſeruum ſuum Deus dignanter effecit, curioſum ſtyli ornatum negligendum eſſe putaui; cùm legentis deuotio plus ſimplici ſermone, quàm phalerato proficiat. Nec ſemper hiſtoriam ſecundùm ordinem temporis texui propter confuſionem vitandam; ſed potiùs ordinem ſeruare ſtudui magis aptæ iuncturæ, ſecundùm quod eodem peracta tempore diuerſis materiis, vel diuerſis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbantur. Initium autem Vitę ipſius, progreſſus, & conſummatio, quindecim diſtincta capitulis deſcribentur. Sit ergo

Stylus & ordo in hac Vita ſeruandus.

CAPVT I.

De conuerſatione eius in habitu ſæculari.

VIR erat in ciuitate Aſſiſij, Frãciſcus nomine, cuius memoria in benedictione eſt, pro eo quòd Dominus ipſum in benedictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præſentis vitæ periculis clementer eripuit, & cæleſtis gratiæ donis affluenter impleuit. Etenim cùm inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in vanis, & poſt aliqualem litterarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis; ſuperno tamen ſibi aſſiſtente præſidio, nec inter laſciuos iuuenes, quamuis effuſus ad gaudia, poſt carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores, quamquam intentus ad lucrum, ſperauit in pecunia & theſauris. Inerat namque iuuenis Franciſci præcordiis, diuinitus indita quædam ad pauperes miſeratio liberalis, quæ ſecum ab infantia

S. Franciſci patria.

Iuuenis exercet mercaturam.

Miſeratio eius erga pauperes.

ua creſcens, tanta cor ipſius benignitate repleuerat, vt iam Euágelij non ſurdus auditor, omni proponeret ſe petenti tribuere, maximè ſi diuinum allegaret amorem. *Lucæ 6. v.30.* Cùm autem ſemel negotiationis intentus tumultibus, pauperem quemdam pro amore Dei petentem eleëmoſynam, præter morem ſolitum vacuum repuliſſet, ſtatim ad cor reuerſus, cucurrit poſt ipſum, & eleëmoſyna illi clementer impenſa, promiſit Domino Deo, quòd numquam ex tunc, dum adeſſet poſſibilitas, petentibus pro amore Domini ſe negaret: quod vſque ad mortem indefeſſa pietate obſeruans, copioſa in Deum dilectionis & gratiæ incrementa promeruit. *Vouet ſe numquã pauperi eleëmoſynam negaturum.* Aiebat enim pòſt, cùm iam perfectè * Chriſtum induerat, quòd etiam exiſtens in habitu ſæculari, vocem diuini expreſſiuam amoris audire vix vmquam ſine cordis inmutatione valebat. ** Rom. 13.v.14.* Porrò manſuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia & tractabilitas ſupra humanum modum, munificentiæ largitas vltra ſuppetentiam facultatum, quibus bonæ indolis adoleſcens certis florere cōſpiciebatur indiciis, quædam videbantur eſſe præludia, quòd copioſior ſuper eum foret in poſterum diuinæ benedictionis abundantia diffundenda. *Virtutes eius adhuc laici*

Vaticinium cuiuſdam de eo. Quidam ſanè vir de Aſſiſio, eruditus (vt creditur) à Deo, cum aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Franciſcum, deponebat pallium, ſternebat pedibus ipſius veſtimentum, aſſerens omni fore Fráciſcum reuerentiá dignũ, vtpote qui eſſet in proximo magna facturus, & ob hoc ab vniuerſitate fidelium magnificè honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciſcus circa ſe conſilium Dei, pro eo quòd tam iuſſione patris ad exteriora diſtractus, quàm corruptione naturalis originis ad inferiora depreſſus, nondum didicerat contemplari cæleſtia, nec aſſueuerat guſtare diuina. Et quia ſpirituali auditui dat intellectum inflicta vexatio, facta eſt ſuper eum manus Domini, & immutatio dexteræ Excelſi, diutinis languoribus ipſius corpus affligens, vt coaptaret animam ad Spiritus ſancti vnctionem. *Iſa. 28. v.19.* *Infirmitate corripitur.* Cumque reſumptis corporeis viribus ſibi veſtimenta decentia more ſolito præparaſſet, obuiũ habuit militem quemdam, generoſum quidem, ſed pauperem, & malè veſtitum; cuius pauperiem pio miſeratus affectu, illum protinus, ſe exuto, veſtiuit; vt ſimul in vno geminum impleret pietatis officium, quo & nobilis militis verecundiam tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret. *Inſigne charitatis exemplũ.* Nocte verò ſequenti, cùm ſe ſopori dediſſet, palatium ſpecioſum & magnum, cum militaribus armis, Crucis Chriſti ſignaculo inſignitum, clementia ſibi diuina monſtrauit, vt miſericordiam, pro ſummi Regis amore, pauperi exhibitam militi, præoſtenderet incomparabili compenſandam eſſe mercede. Vnde & cùm quæreret cuius eſſent illa omnia; ſua fore, militumque ſuorũ, ſuperna fuit aſſertione reſponſum. Euigilans itaque manè, cùm nondum haberet exercitatum animum ad diuina perſcrutanda myſteria, neſciretq; per viſibilium ſpecies tranſire ad contuendam inuiſibilium veritatem, magnæ fore proſperitatis indicium exiſti-

Militiam intendit, ſed à Domino reuocatur. exiſtimabat inſolitam viſionē. Diſpoſuit itaque, diuinæ adhuc diſpoſitionis ignarus, in Apuliam ad quemdam liberalem Comitem ſe cōferre, in ipſius ſperans obſequio decus adipiſci militiæ, vt oſtenſa ſibi viſio prætendebat. Cumque paulò pòſt iter aggreſſus iuiſſet vſque ad proximam ciuitatem, audiuit in nocte Dominum familiari ſibi allocutione dicentem: Franciſce, quis poteſt meliùs facere tibi? Dominus, aut ſeruus? diues, aut pauper? Cui cùm Franciſcus reſpondiſſet, quòd tam Dominus, quàm diues; intulit ſtatim: Cur ergo relinquis pro ſeruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum? Et Franciſcus: Quid me vis facere Domine? & Dominus ad eum: Reuertere in terram tuam, quia viſio, quam vidiſti, ſpiritualem præfigurat effectum, non humana ſed diuina in te diſpoſitione complendum. Manè itaque facto, cum feſtinatione reuertitur verſus Aſſiſium, ſecurus & gaudens; & iam exemplar obedientiæ factus, expectabat Domini voluntatem. *Retrahit ſe à tumultu ſæculari.* Ex tunc à publicæ negotiationis tumultu ſe ſubtrahens, ſupernam deuotè precabatur clementiam, vt quid ſibi foret agendum oſtendere dignaretur. Cùm autem ex frequentis orationis vſu flamma deſiderij cęleſtis in eo vehementer ſuccreſceret, & iam pro amore ſupernæ patriæ terrena omnia deſpiceret quaſi nihil; *Terrena omnia ei vileſcūt.* * theſaurum ſe reperiiſſe ſentiebat abſconditum, ac velut prudens negotiator margaritam inuentam excogitabat, venditis omnibus, comparare. **Mat. 13 v. 44. 45.* Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat, niſi quia ipſius ſuggerebatur ſpiritui, quòd ſpiritualis mercatio à mundi contemptu ſumat initiū; Chriſtique militia ſit à ſui ipſius victoria inchoanda. *Nota.* Quadam itaque die dum equitaret per planitiem, quæ ſubiacet ciuitati Aſſiſij, leproſum quemdam habuit obuium, cuius inopinatus occurſus ei non paruum incuſſit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propoſitum, & recolens quòd ſeipſum oporteret primùm deuincere, ſi vellet effici Chriſti miles; ad deoſculandum eum, equo lapſus, occurrit. Cui cùm manum, quaſi aliquid accepturus, leproſus prætenderet, pecuniam cum oſculo reportauit. *Chriſtum in leproſo oſculatur.* Statim autem equum aſcendens, & ſe circumquaque conuertens, cùm campus pateret vndiq; liber, leproſum illum minimè vidit. Admiratione itaque repletus & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuotè, proponēs ex hoc ſemper ad maiora conſcendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus: in quibus dū gemitibus inenarrabilibus inceſſanter intenderet, poſt longam precum inſtantiam à Domino meruit exaudiri. Dum enim vna dierum ſic ſequeſtratus oraret, & præ nimietate feruoris totus eſſet abſorptus in Deum, apparuit ei Chriſtus Ieſus veluti cruci confixus. Ad cuius conſpectum liquefacta eſt anima eius, & memoria paſſionis Chriſti viſceribus cordis ipſius à Deo impreſſa medullitus, vt ab illa hora, cùm Chriſti crucifixio veniret in mentem, vix poſſet à lacrymis & gemitibus exteriùs contineri; ſicut ipſe poſtmodum familiariter retulit, cùm appropinquaret ad finem. *Chriſtus crucifixus ei apparet.*

Mat. 16. v.24.

Intellexit per hoc nempe vir Dei, illud Euangelicum ſibi dici: *Si vis venire poſt me, abnega temetipſum, & tolle crucem tuam, & ſequere me.*

Mutatur penitùs in virum alterum.

Induit ex tunc ſpiritum paupertatis, humilitatis ſenſum, & affectum intimæ pietatis. Nam cùm priùs leproſorum non ſolũ conſortium, verùm etiam longinquum contuitum vehementer horreret, iam propter Chriſtum crucifixum, qui

Iſa. 53. v.4.

Humanitas eius erga leproſos.

iuxta verbum Propheticum contemptibilis vt leproſus apparuit, vt ſemetipſum contemneret, humilitatis & humanitatis obſequia leproſis benefica pietate præſtabat. Viſitabat enim frequenter domos ipſorum, liberaliter eis eleẽmoſynas erogabat, & cum multo compaſſionis affectu manus eorum oſculabatur & ora. Pauperibus etiam mendicantibus non ſolùm ſua, verùm etiam ſeipſum cupiebat impendere, aliquando veſtimenta exuens, aliquando diſſuens, aliquando ſcindens ad largiendũ eis, cùm præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiam pauperibus reuerenter ſubueniebat; & piè, præcipuè in ornamentis Altaris, quò & cultus diuini particeps fieret, & cultorum inopiæ ſupplementa prębéret.

Mira in pauperes liberalitas.

Egregius ſui contemptus.

Cùm autem religioſa deuotione tunc temporis limina viſitaret Apoſtoli Petri, conſpecta multitudine pauperum ante fores Eccleſiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, vni ex eis magis egenti proprias largitus eſt veſtes, & ſemicinctiis cõtectus illius, diem illum in medio pauperum cum inſolita ſpiritus iucunditate tranſegit, vt & ſæcularem gloriam ſperneret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim cõſcendendo perueniret. Mortificationi carnis inuigilabat attentiùs, vt Chriſti crucem, quam interiùs ferebat in corde, exteriùs etiam circumferret in corpore. Agebat autem omnia hęc vir Dei Franciſcus, nondum habitu vel conuictu ſequeſtratus à mundo.

Carnis concupiſcentias refrenat.

CAPVT II.

De perfecta conuerſione ipſius ad Deum, & de reparatione trium Eccleſiarum.

A Chriſto ſolùm inconuerſionis progreſſu edocetur.

QVONIAM autem ſeruus Altiſſimi Doctorem non habebat aliquem in huiuſmodi niſi Chriſtum, addidit adhuc ipſius clementia eum in gratiæ viſitare dulcedine. Dum enim die quadam egreſſus ad meditandum in agro deambularet iuxta Eccleſiam ſancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetuſtate ruinam, & in eam, inſtigante ſe ſpiritu, cauſa orationis intraſſet, proſtratus ante imaginem Crucifixi, non modica fuit in orando ſpiritus conſolatione repletus. Cumque lacrymoſis oculis intenderet in Dominicam Crucem, vocem de ipſa Cruce dilapſam ad eum, corporeis audiuit auribus, ter dicentem: Franciſce vade, & repara domum meam, quæ labitur, vt cernis. Tremefactus Franciſcus, cùm eſſet in Eccleſia ſolus, ſtupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeque percipiens diuini eloquij virtutem, mentis alienatur exceſſu. In ſe tandem reuerſus, ad obediendum ſe parat, & totum ſe recolligit ad perficiendum mandatum de materiali Eccleſia reparanda, licet principalior intentio verbi ad eam fer-

Alloquitur eum imago Crucifixi.

* Act.20. v.28. ferretur, quam Christus * ſuo Sanguine acquiſiuit, ſicut eum Spiritus ſanctus edocuit, & ipſe poſtmodum Fratribus reuelauit. Surrexit proinde, ſigno Crucis ſe muniens, & aſſumptis pannis venalibus, ad ciuitatem quæ Fulgineum dicitur, feſtinus acceſſit; ibiq; venditis quæ portauerat, equum cui tunc inſederat, felix mercator, aſſumpto pretio, dereliquit. Rediensque Aſſiſium, Eccleſiam, de cuius reparatione mandatum acceperat, reuerenter intrauit: & inuento illic Sacerdote pauperculo, ei reuerentiam decentem exhibuit, & ad reparationem Eccleſiæ, & pauperum vſum pecuniā obtulit, & vt ſecum ſe morari pateretur ad tempus, humiliter requiſiuit. Acquieuit Sacerdos de mora ipſius, ſed timore parentum pecuniā recuſauit. Quam verus pecuniarum contemptor, in quamdam feneſtrā proiiciens, abiectam velut puluerem vilipendit. Moram autem faciente viro Dei cum Sacerdote prædicto, cùm hæc intellexit pater ipſius, perturbatus animo cucurrit ad locum. At ipſe, quia nouus erat Chriſti athleta, cùm audiret perſequentiū minas, & eorum præſentiret aduentum, * dare locum iræ volens, in quadam occulta fouea ſe abſcondit, in qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum inceſſanter lacrymarum imbre perfuſus, vt liberaret de manibus perſequentium animam ſuam, & quæ pia inſpirauerat vota, benigno fauore compleret. Igitur exceſſiua quadam completus lætitia, cœpit de puſillanimitatis ignauia ſemetipſum arguere, relictaque fouea, & abiecto pauore, verſus Aſſiſium iter aggreſſus

Vendit merces & equum.

Magnus in eo pecuniæ contemptus.

* Rom. 12.v.19.

eſt. Quem cùm ciues cernerent facie ſqualidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à ſenſu, luto platearum & lapidibus impetebant, & tamquam inſano & dementi clamoſis vocibus inſultabant. Famulus autem Domini nulla fractus aut mutatus iniuria, vt ſurdus in omnibus pertranſibat. Cumq; clamorem huiuſmodi pater audiſſet, ſtatim accurrens, non ad liberandum eum, ſed potiùs ad perdendū, omni miſeratione ſubtracta, pertractum domi, primò verbis, deinde verberibus & vinculis angit. Ipſe autem ad exequendū Domino, quod cœperat, promptior ex hoc & validior reddebatur, recolens illud Euangelij: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum.* Mat. 5. v.10.

Multis afficitur iniuriis à ciuibus.

Item à patre ſuo.

Poſt modicum verò tempus, patre à patria diſcedente, mater eius factum mariti non approbans, & inflexibilem filij cōſtantiam emolliri poſſe non ſperans, à vinculis abſolutum abire permiſit. At ipſe gratias omnipotenti Deo referens, ad locum, quem priùs petiit, eſt reuerſus. Rediens autem pater, & eum non inueniens domi, conuitiis illatis vxori, fremens cucurrit ad locum, vt ſi eum reuocare non poſſet, ſaltem de Prouincia effugaret. Franciſcus verò cōfortatus à Deo, obuiū habuit vltrò patrem, liberè clamans, ſe pro nihilo ducere vincula & verbera eius; inſuper & cōteſtans, ſe pro Chriſti nomine gaudenter mala omnia ſubiturum. Ardens itaque pater, quòd eum reuocare non poſſet, ad extorquendum pecuniam ſe conuertit: qua tandem inuenta in feneſtrula quadam, ali-

Pro nihilo ducit verbera & vincula.

quantulùm ipſius mitigatus eſt furor, auaritiæ ſiti vtcumque per hauſtum pecuniæ temperata. Tentabat deinde carnis pater, filium gratiæ, pecunia iam nudatũ coram Epiſcopo ducere, vt in ipſius manibus facultatibus renuntiaret paternis, & omnia redderet quæ habebat. Ad quod faciendum ſe promptum exhibuit verus paupertatis amator: perueniensque coram Epiſcopo nec moras patitur, nec arctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit; ſed continuò depoſitis omnibus veſtimentis, ea patri reſtituit. Inuentus eſt autem vir Dei tunc cilicium habere ad carnem, ſub veſtibus delicatis. Hoc cernens Epiſcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorem, protinus exurrexit, & inter brachia ſua illum cum fletu recolligens, vti erat vir pius & bonus, pallio quo erat amictus, operuit, præcipiens ſuis, vt aliquid ſibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus eſt autem ei mantellus pauper & vilis agricolæ ſeruientis Epiſcopo. Quem ipſe gratanter ſuſcipiens, cum cæmento quod ſibi occurrit, ad modum Crucis manu propria conſignauit: operimentum formans ex eo crucifixi hominis, & pauperis ſeminudi. Sic igitur ſeruus Regis altiſſimi nudus relictus eſt, vt nudum ſequeretur Chriſtum Dominum, quem amabat, ſic vtique cruce munitus, vt animam ſuam* ligno ſalutis committeret, per quod de mundi naufragio ſaluus exiret.

Bonis omnibus paternis renuntiat

Denudatus coram Epiſcopo, ab eodem veſtitur.

*Sap. 10. v. 5.

Solutus exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, ſecurus & liber ſecretum ſolitudinis petiit, vt ſolus & ſilens ſupernæ audiret allocutionis arcanum. Dumque per ſiluas & nemora pergeret, altiori voce làudes creatori omnium perſonabat. Veniensque ad quoddam vicinũ Cœnobium, eleẽmoſynam petiit vt mendicus, & recepit vt incognitus & deſpectus. Inde verò progrediens deuenit Eugubium, vbi à quodam amico priſtino agnitus & ſuſceptus, paupere tunicula, vt Chriſti pauperculus, eſt contectus. Exinde totius humilitatis amator ſe transtulit ad leproſos, eratque cum* illis, diligentiſſimè ſeruiens omnibus propter Deum. Lauabat ipſorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & ſaniem abſtergebat; oſculabatur etiam ex miranda deuotione vlceroſas plagas ipſorum, Euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam à Domino conſecutus eſt virtutem, vt in ſpiritualibus & corporalibus mirabiliter expurgãdis mirabilem efficaciã obtineret; vt viſum eſt in quodam paupere Spoletano, quem Romæ oſculans in ipſo putrefacto vlcere, ſtatim ſanum & integrum reddidit. Neſcio quodnam horum magis ſit admirandum, an humilitatis profunditas in oſculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam ſtupendo.

Aſſiſium relinquit ſolitudinem petẽs

Seruit officioſiſſimè leproſis.

* Vide cap 8.

Leproſum oſculo ſanat.

Fundatus iam in Chriſti humilitate Franciſcus, ad memoriam reducit obedientiam, ſibi è cruce iniunctam, de ſancti Damiani Eccleſia reparanda, & tamquã verus obediens, Aſſiſium rediit, vt ſaltem mendicando, voci diuinæ parẽret. Depoſitaq; omni verecundia propter amorem pauperis Crucifixi, mendicabat apud eos, inter quos abun-

Aſſiſij mẽdicat.

abundare ſolebat; debile corpus, attritū ieiuniis, oneribus lapidum ſupponendo. Prædicta igitur Eccleſia (iuuante ſe Domino, & deuotione ciuium aſſiſtente) refecta, ne poſt laborem corpus torperet ignauia, tranſtulit ſe ad reparandam Eccleſiam quamdam beati Petri, longiùs à ciuitate diſtantem; ob deuotionem ſpecialem, quam ad Apoſtolorum Principem ſinceræ fidei puritate gerebat. Hac tandem conſummata, peruenit ad locum, qui Portiuncula dicitur, in quo Eccleſia beatiſſimæ Virginis antiquitus fabricata extiterat; ſed deſerta, tunc à nemine curabatur. Quam cùm vir Dei ſic derelictam conſpiceret, ob deuotionem feruentem quam habebat ad Dominam mundi, cœpit illic aſſiduè pro ipſius reparatione morari. Sentiens autem iuxta nomen ipſius Eccleſiæ, quo ab antiquo Sancta Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi viſitationum frequentiàm, pedem fixit ibidem propter reuerentiam Angelorum, amoremque præcipuum Matris Christi. Hunc locum vir ſanctus amauit præ ceteris totius mundi: hîc etenim humiliter cœpit, hîc virtuosè profecit, hîc feliciter conſummauit, hunc in morte Fratribus tamquam Virgini chariſſimum commendauit. Tres itaque reparauit Eccleſias, tres prænuntiâtes ab eo Ordines inſtituendos, quibus tripliciter Dei Eccleſiam repararet.

Tria templa inſtaurat.

Locum ſancta Maria de Portiuncula ædificat, & ibi commoratur.

Quantum hunc locum amarit.

Vide c. 14 & To. 3. Collat. vlt.

CAPVT III.

De inſtitutione Religionis, & approbatione Regulæ.

IN Eccleſia igitur Virginis Mariæ moram faciente, & apud eam, quæ concepit * Verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis inſiſtente gemitibus, vt fieri dignaretur aduocata ipſius; meritis Matris miſericordiæ concepit ac peperit ſpiritū Euangelicæ veritatis. Dum enim die quodam Miſſam de Apoſtolis deuotus audiret, perlectum eſt Euangelium illud, in quo Chriſtus diſcipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet *poſſideant aurum, aut argentum, nec in Zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neq; virgam.* Quod audiens ac intelligens, ac memoriæ cōmendans Apoſtolicę paupertatis amicus, indicibili mox perfuſus lætitia, Hoc eſt, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordiis concupiſco. Soluit proinde calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram reiicit, & pecuniam execratur, vnaque contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem ſumit, omnem ſollicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apoſtolicæ rectitudinis Regulæ per omnia ſe coaptaret. Cœpit ex hoc vir Dei diuino inſtinctu Euangelicæ perfectionis æmulator exiſtere, & ad pœnitentiam ceteros inuitare. Erant autem ipſius eloquia non inania, vel riſu digna, ſed virtute Spiritus ſancti plena, medullas cordis penetrantia, vt in vehementem ſtuporem audientes conuerterent. In omni prædicatione ſua pacem annuntians, dicendo, *Dominus det vobis pacem* populum in exordio ſermonis ſalutabat. Hâc quippe ſalutationem, Domino reuelante didicerat, ſicut ipſe poſtmodum teſtabatur. Vnde factum eſt,

* Ioan. 1. v. 14.

Mat. 10. v. 9.

Paupertatem amplexatur Euangelicam.

Vide Tom. 1. in Teſt.

Iſa. 52. v. 7.

eſt, vt iuxta ſermonem Propheticum, & ipſe Prophetarum ſpiritu afflatus annunciaret pacem, prædicaret ſalutem, ac ſalutaribus monitis fœderaret plurimos veræ paci, qui diſcordes à Chriſto priùs extiterant, à ſalute longinqui.

Multos ad Deum conuertit.

Innoteſcente itaque apud multos viri Dei tam doctrinæ ſimplicis veritate, quàm vitæ, cœperunt ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi.

Conſociantur ei plerique.

Quorum primus erat vir venerabilis Bernardus, qui vocationis diuinæ particeps factus, Patris beati primogenitus eſſe promeruit, tam prioritate temporis, quàm priuilegio ſanctitatis.

Bernardus primus eius ſocius.

Hic enim ſerui Dei ſanctitate comperta, ipſius exemplo diſponens perfectè contemnere mundum, ab eodem, qualiter id perficeret, conſilium requiſiuit. Quo audito, Dei famulus pro primæ prolis conceptu ſancti Spiritus conſolatione repletus, A Deo, inquit, eſt hoc conſilium requirendum. Intrauerunt proinde Eccleſiam ſancti Nicolai, & oratione præmiſſa, cultor Trinitatis Franciſcus ter Euangeliorum librum aperuit, trino à Deo expoſcens teſtimonio ſanctum Bernardi propoſitum cõfirmari. In prima libri apertione illud occurrit; *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* In ſecunda: *Nihil tuleritis in via.* In tertia verò: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Hæc eſt, ait vir ſanctus, vita & regula noſtra, omniumque qui noſtræ voluerint ſocietati coniungi. Vade igitur, ſi vis perfectus eſſe, & perfice quæ audiſti.

Mat. 19. v. 21. Lucæ 9. v. 3. Mat. 16. v. 24.

Non multò pòſt, vocatis eodem ſpiritu quinque viris, filiorum Franciſci numerus ſenarius eſt completus. Inter quos tertium ſortitus eſt locum ſanctus Pater Ægidius, vir vtique Deo plenus, & celebri memoria dignus: fuit enim, inter ceteros, virtutum ſublimium exercitatione præclarus (ſicut famulus Domini de ipſo prædixit) quamquam eſſet idiota & ſimplex, ad excelſæ contemplationis ſublimatus eſt verticem. Nam per multa curricula temporum ſurſum actionibus inceſſanter intentus, à Deo crebris in Deum rapiebatur exceſſibus, quemadmodum & ego ipſe oculata fide conſpexi, vt magis cenſeretur inter homines vitã Angelicam agere, quàm humanam.

Aegidius tertius eius ſocius ſanctitate eximius.

Illo quoque tempore cuidam Sacerdoti Aſſiſij, nomine Silueſtro, honeſtæ conuerſationis viro, quædam à Domino fuit oſtenſa viſio non tacenda. Cùm enim modum & vitam Franciſci, Fratrumque ſuorum, humano ſpiritu abhorreret, ne periclitaretur præ temeritate iudicij, reſpectu fuit ſupernæ gratiæ viſitatus. Videbat namque in ſomnis totam ciuitatem Aſſiſij à dracone magno circumdari, præ cuius magnitudine nimia tota regio videbatur exterminio ſubiacere. Contuebatur poſt hæc Crucem quamdam auream ex ore beati Franciſci procedentem, cuius ſummitas cælos tangebat, cuiuſque brachia protenſa in latum, vſque ad mundi fines videbantur extendi. Ad cuius etiam aſpectum præfulgidum draco ille teter & horridus penitùs fugabatur. Hoc dum ſibi tertiò monſtraretur, diuinum exiſtimans eſſe oraculum, viro Dei & Fra-

Viſio Silueſtri Sacerdotis.

Fratribus ſuis per ordinem enarrauit; ac non multò pòſt, mundum relinquens, veſtigiis Chriſti ſic perfectè adhæſit, quòd vita ipſius in Ordine authenticam reddidit eam quam in ſæculo habuerat viſionem. Ex huius viſionis auditu vir Dei non in gloria eſt elatus humana; ſed bonitatem Dei in ſuis beneficiis recognoſcens, fortiùs animatus eſt ad hoſtis antiqui fugandam verſutiam, & Crucis Chriſti gloriam prædicandam. Quadam autem die, dum in quodam ſolitario loco annos ſuos in amaritudine recogitans deploraret, ſancti Spiritus in eum ſuperueniente lætitia, certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde ſupra ſe, ac in quoddam mirandum lumen totus abſorptus, dilatato mentis ſinu, quæ circa ſe & filios ſuos futura erant, luculenter aſpexit: tunc Fratres verbis cōſolatoriis admonuit, paruum gregem in magnam familiam à Domino dilatandum.

Perfecta eius conuerſio.

Rapitur extra ſe Franciſcus.

Eodem quoque tempore, quodam Religionem intrante, ad ſeptenarium numerum viri Dei ſoboles benedicta peruenit. Tunc pius Pater omnes ad ſe filios conuocauit, & plura eis de Regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporiſque caſtigatione pronuntiās, propoſitum ſuum de mittendo illos in quatuor orbis partes aperuit. Iam enim ſterilis & paupercula ſimplicitas ſancti Patris pepererat ſeptem filios, & deſiderabat vniuerſitatē fidelium, ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Chriſto Domino parturire. Miſit ergo eos prædicare pœnitentiam: qui humiliter coram ſeruo Dei ſe proſternentes in terram, cum gaudio ſpiritus ſuſcipiebant obedientiæ ſanctæ mandatum. Ipſe verò dicebat vnicuique ſigillatim: *Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.* Hoc verbū dicere ſolebat, quotieſcumque Fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipſe ſciens ſe aliis datum in exemplum, vt priùs faceret quod doceret, cum vno ſociorū verſus vnam orbis partem perrexit, reliquis ſex ad modū Crucis tribus aliis mundi partibus deputatis. Modico autem pòſt elapſo tempore, benignus Pater charæ prolis exoptans præſentiam, cùm in vnum eos per ſe conuocare non poſſet, per eum orabat hoc fieri, qui diſperſiones congregat Iſraëlis. Sicque factum eſt, vt abſque humana vocatione, omnes ex inſperato poſt modicum temporis, iuxta eius deſiderium diuina operante clementia, non ſine ipſorum admiratione pariter conuenirent. Illis quoque diebus, quatuor ſibi adhærentibus viris honeſtis, ad duodenarium numerum excreuerunt.

Mittit Fratres ſuos ad prædicandum.

Pſal. 54. v. 23.

Ipſe ad prædicandum pergit.

Pſal. 146. v. 2.

Ad eius votum ex quatuor mundi partibus omnes ſocij conuenere.

Cernens autem famulus Chriſti paulatim accreſcere numerum Fratrum, ſcripſit ſibi & Fratribus ſuis ſimplicibus verbis formulam vitæ: in qua, ſancti Euangelij obſeruantia pro fundamento indiſſolubili collocata, pauca quædam alia inſeruit, quæ ad vniformem viuendi modum neceſſaria videbantur. Deſiderans autem per Summum Pontificem approbari quæ ſcripſerat, diſpoſuit cum illo ſimpliciū cœtu Apoſtolicæ Sedis adire præſentiam, de ſola confiſus directione diuina. Cuius deſiderium Deus ex alto reſpiciens, ſociorum animos ſimplicitatis

Regulam conſcribit.

citatis ſuæ conſideratione perterritos, oſtenſa viro Dei viſione huiuſmodi confortauit. Videbatur ſiquidem ei, quòd per quamdam viam incederet, iuxta quam ſtabat arbor celſitudinis magnæ: ad quam cùm appropinquaſſet, & ſub ea ſtans altitudinem ipſius miraretur, ſubitò tantum diuina virtute leuabatur in altum, vt cacumen contingeret arboris, eiuſque ſumma facillimè curuaret ad ima. Huius viſionis præſagium vir Deo plenus intelligens referri ad condeſcenſionem Apoſtolicæ dignitatis, exhilaratus eſt ſpiritu, Fratribuſque ſuis in Domino confortatis, iter cum eis eſt aggreſſus. Cùm autem ad Romanam Curiam perueniſſet, ab Innocētio Tertio tunc Summo Pontifice, curis magnis perturbato, minimè exauditus, repellitur, donec propter ſomnium nocturnum ab eodem Pontifice viſum, iterùm conquiri, & ad Pontificis præſentiam adduci iubetur. Vidēs itaque Chriſti Vicarius, vir vtique ſapientia clarus, admirandam in viro Dei ſimplicis animi puritatem, propoſiti conſtantiam, ingenitumq; ſanctæ voluntatis feruorem, Chriſti pauperem mentis amore complectens, inclinatus eſt animo, vt pium ſupplicāti præberet aſſenſum. Diſtulit tamen perficere quod Chriſti poſtulabat pauperculus, pro eo quòd aliquibus Cardinalibus nouum aliquid, & ſupra humanas vires arduum videretur. Aderat autem inter Cardinales vir Venerandus Dominus Ioannes de Sancto Paulo, Epiſcopus Sabinenſis, omnis ſanctitatis amator, & adiutor pauperum Chriſti. Qui diuino Spiritu inflammatus, Summo Pontifici dixit, & Fratribus ſuis: Si petitionem pauperis huius tamquam nimis arduam nouamque refellimus, cùm petat confirmari ſibi formam Euangelicæ vitæ, cauendum eſt nobis, ne in Chriſti Euangelium offendamus. Nam ſi quis intra Euangelicę perfectionis obſeruantiam, & votum ipſius, dicat contineri aliquid aut irrationabile, aut impoſſibile ad obſeruandum, contra Chriſtum Euangelij auctorem blaſphemare conuincitur. Quibus propoſitis, ſucceſſor Apoſtoli Petri conuerſus ad pauperem Chriſti, dixit: Ora, fili, ad Chriſtum, vt ſuam nobis per te voluntatē oſtendat; qua certiùs cognita, tuis piis deſideriis ſecuriùs annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus, totum ſe conferens ad orandum, precibus deuotis obtinuit, & quod exteriùs ipſe proferret, & quod interiùs Papa ſentiret. Nam propoſita quadam parabola de Rege diuite, & ſponſa paupere, quibuſdam additis verbis, Pontificis animum ad Regulam approbandā inclinauit.

Viſio eius

Romam pergit pro confirmatione Regulæ.

Differt eam confirmare Pontifex.

Eius fauet petitioni quidam ex Cardinalibus.

Comiter ei reſpondet Pontifex.

CAPVT IV.

De profectu Ordinis ſub manu ipſius, & confirmatione Regulæ, priùs tantùm approbatæ.

FRETVS exinde Franciſcus ſuperna gratia, & auctoritate Papali, cum fiducia multa verſus Vallem Spoletanam iter arripuit, vt Euangelium Chriſti faciendo doceret. Dum autem in via conferret cum ſociis, qualiter Regulā, quam ſuſceperant, ſincerè ſeruarent, qualiter in omni ſanctitate & iuſtitia coram Deo incederent, qualiter in ſeipſis proficerent, & eſſent aliis in exem-

Redit in Vallem Spoletanam.

exemplum, diutiùs collatione protracta, hora pertranſit. Et cùm iam laſſati eſſent ex diuturnitate laboris, eſurientes in quodam loco ſolitudinis ſubſtiterunt. Sanè cùm omnis via deeſſet, qua poſſent ſibi de victu neceſſario prouidere, ſtatim affuit prouidentia Dei. Nam ſubitò apparuit homo afferens panem in manu, quem pauperculis Chriſti dedit, ſubitoque diſparuit, incognitus vnde venerit, aut quò iret. Cognoſcentes autem per hoc pauperes Fratres ſupernum ſibi in comitatu Dei adeſſe præſidium, magis dono liberalitatis diuinæ, quàm cibo carnis propriæ ſunt refecti: inſuper diuina conſolatione repleti, ſtatuerunt firmiter, & irreuocabiliter confirmauerunt, nullius inediæ aut tribulationis impulſu à ſancto paupertatis reſilire promiſſo. Exinde in Vallem Spoletanam cum ſancto propoſito redeũtes, tractare cœperunt, vtrùm inter homines conuerſari deberent, an ad loca ſolitaria ſe conferre. Sed Chriſti ſeruus Franciſcus, non de ſua vel de ſuorum confidens induſtria, per orationis inſtantiam diuinæ ſuper hoc voluntatis beneplacitum requiſiuit. Supernæ igitur reuelationis illuſtratus oraculo, intellexit ſe ad hoc miſſum à Domino, vt Chriſto animas lucrifaceret, quas diabolus conabatur auferre. Ideoque magis omnibus, quàm ſibi ſoli viuere prælegit, illius prouocatus exẽplo, qui * vnus pro omnibus mori dignatus eſt. Recollegit itaque ſe vir Dei cum ceteris ſociis, in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Aſſiſij, in quo ſecundùm ſanctæ paupertatis formam, in labore multo & inopia victitabant, magis lacrymarum quàm deliciarum panibus refici ſatagentes. Vacabant enim ibidem diuinis precibus inceſſanter, mentaliter potiùs quàm vocaliter ſtudio intendentes orationis deuotæ, pro eo quòd nondum Eccleſiaſticos libros habebant, in quibus poſſent Horas Canonicas decantare. Loco tamen illorum, Librum Crucis Chriſti, continuatis aſpectibus, diebus ac noctibus reuoluebant; exemplo Patris ac eloquio eruditi, qui iugiter faciebat eis de Cruce Chriſti ſermonem. Quos & breuiter orare docuit, & Dominum laudare in omnibus & ex omnibus creaturis, honorare præcipua reuerentia Sacerdotes, fidei quoq; veritatem, ſecundùm quod ſancta Romana tenet & docet Eccleſia, & firmiter credere, & ſimpliciter confiteri. Seruabant illi Patris ſancti documenta per omnia, & ad omnes Eccleſias, & Cruces, quas è longinquo videre poterant, iuxta datam ſibi formam orantes, ſe humiliter proſternebant.

Panis ei & ſociis diuinitus præbetur.

*2.Cor.5 v.14.

Habitant ſanctiſſimè in quodam tugurio.

Docet Fratres plura ſanctitatis exercitia.

Contrahentibus autem Fratribus moram in loco præfato, vir ſanctus die quadam Sabbati ciuitatem Aſſiſij intrauit prædicaturus manè diei Dominicæ (vt moris erat) in Eccleſia Cathedrali. Cumque in quodã tugurio, ſito in horto Canonicorum, vir Deo deuotus, in oratione Dei, more ſolito, pernoctaret, corporaliter abſentatus à filiis; ecce verè media noctis hora, quibuſdam ex Fratribus quieſcentibus, quibuſdam perſeuerantibus in orando, currus igneus mirandi ſplendoris per domus oſtium intrans, huc atque illuc per domicilium tertiò ſe cõuertit, ſuper quem

Apparet Fratribus in ſtupendo curru igneo.

globus lucidus reſidebat, qui ſolis habens aſpectum, noctem clarere fecit. Obſtupefacti ſunt vigilantes, excitati ſimul & exterriti dormientes, & non minùs ſenſerunt cordis claritatem quàm corporis, dum virtute mirandi luminis, alterius alteri conſcientia nuda fuit. Intellexerunt namque concorditer omnes, videntibus inuicem vniuerſis in cordibus ſingulorum, ſanctum Patrem abſentem corpore, præſentem ſpiritu, tali transfiguratum effigie, ſupernis irradiatum fulgoribus, & ardoribus inflammatū, ſupernaturali virtute in curru ſplendenti, ſimul & igneo ſibi demonſtrari à Domino, vt tamquam veri Iſraëlitæ poſt illum incederent, qui virorum ſpiritualium, vt alter Elias, factus fuerat à Domino currus & auriga. Credendū ſanè, quòd horum ſimplicium ille aperuit oculos ad preces Franciſci, vt viderent magnalia Dei, qui oculos quondam aperuerat pueri ad videndum montem plenum equorum & igneorum curruum in circuitu Eliſei. Regreſſus autem vir ſanctus ad Fratres, cœpit conſcientiarum ipſorū ſecreta rimari, confortare ipſos de viſione illa mirabili, & de profectu Ordinis multa futura prædicere. Cumque patefaceret plurima, quæ ſenſum tranſſcendebant humanū, verè cognouerunt Fratres, ſuper ſeruum tuum Franciſcum Spiritum Domini in tanta plenitudine quieuiſſe, quòd poſt ipſius doctrinam & vitam erat eis proficiſci tutiſſimum.

Vident inuicem ſocij ſuarum ſecreta conſcientiarum.

4. Reg. 2. v. 12.

4. Reg. 6. v. 17.

Multa eis de profectu Ordinis dicit.

Poſt hæc puſilli gregis Paſtor Franciſcus, ad Sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum Fratrum numerum, ſuperna gratia præeunte, deduxit, vt vbi meritis Matris Domini Minorum ſumpſerat Ordo initium, ipſius ſuſciperet illic auxiliis incrementū. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat, & caſtra, *non in doctis humanæ ſapientiæ verbis*, ſed in virtute Spiritus ſancti annuntians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alteriùs ſæculi, quippe qui mente ac facie in cęlum ſemper intentus, omnes ſurſum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Chriſti vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex ſe floribus ſuauitatis, honoris & honeſtatis, vberes fructus afferre. Nam prædicationis ipſius feruore ſuccenſi quamplurimi vtriuſq; ſexus, in coniugali pudicitia Domino famulantes, ſecundùm formam à Dei viro acceptam, nouis ſe pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum viuendi modum idem Chriſti famulus Ordinem Fratrum de Pœnitentia nominari decreuit. Nimirum ſicut in cælum tendentibus pœnitentiæ viam omnibus conſtat eſſe communem; ſic & hic Status, Clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque ſexu admittens, quanti ſit apud Deum meriti, ex pluribus per aliquos ipſorum patratis miraculis innoteſcit. Conuertebantur etiam virgines ad perpetuum cælibatum, inter quas virgo Deo chariſſima Clara, ipſarum plantula prima, tamquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tamquam ſtella præfulgida radiauit. Hæc nunc glorificata in cælis, ab Eccleſia dignè veneratur in terris, quæ filia fuit in Chriſto ſancti Patris Franciſci pauperculi, & mater pauperum Dominarum.

Deducit eos ad S. Mariã de Portiuncula.

1. Cor. 2. v. 4.

Multi eius prædicatione conuertuntur.

Ordinem inſtituit Pœnitentium.

Eius inhæret monitis B. Clara.

Multi

Multi etiam deuotione compuncti, & perfectionis Chriſti deſiderio inflammati, omni mũdanorum vanitate contempta, Franciſci veſtigia ſequebantur, qui quotidianis ſuccreſcentes profectibus, vſq; ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namque ſancta paupertas, quam ſolam deferebant pro ſumptibus, ipſos ad omnem obedientiam promptos, robuſtos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, ſecuri erant vbique, nullo pauore ſuſpenſi, nulla cura diſtracti, tamquam qui abſque mentis turbatione viuebant, & ſine ſollicitudine diem craſtinum & ſerotinum hoſpitium expectabant. Multa quidem in diuerſis partibus eis inferebantur conuitia, tamquã perſonis deſpicabilibus & ignotis; verùm amor Euangelij Chriſti adeò ipſos patientes effecerat, vt quærerent potiùs ibi eſſe, vbi perſecutionem paterentur in corpore, quàm vbi cognita ſanctitate ipſorum, mundano poſſent gloriari fauore. Ipſa quoque rerum penuria, ſuperabundans eis videbatur vbertas, dum iuxta conſilium Sapientis *pro magno ipſis minimum complacebat*.

Paupertatis emolumenta.

Conuitia ſanctis Fratribus illata patientiſſimè feruntur ab eis.

Eccli. 29. v. 30.

Sanè cùm ad infidelium partes aliqui ex Fratribus perueniſſent, contigit, vt quidam Sarracenus pietate commotus, pecuniam eis offerret pro neceſſario victu. Illis autem recuſantibus accipere, admiratus eſt homo, cernens quòd inopes eſſent. Intellecto tandem quòd pauperes effecti amore Dei, pecuniam poſſidere nolebant; tanta eſt eis affectione coniunctus, vt offerret ſe ad miniſtrandum omnia neceſſaria, quàm diu aliquid facultatum ſibi ſupereſſet. O inæſtimabilis pretioſitas paupertatis, cuius miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miſerationis eſt immutata dulcedinem! Horrendum eſt proinde ac nefarium ſcelus, vt hanc margaritã nobilem vir Chriſtianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Sarracenus.

Sarraceni cuiuſdam erga eos humanitas.

Creſcentibus quoque virtutum meritis in paruulis Chriſti, odor opinionis bonæ circumquaq; diffuſus, ad præſentiam ſancti Patris videndã plurimos è diuerſis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam ſæcularium cantionum curioſus inuentor, qui ab Imperatore propterea fuerat coronatus, & exinde Rex verſuum dictus, virum Dei contemptorem mundalium adire propoſuit. Cumque apud caſtrum ſancti Seuerini eum prædicantem reperiſſet in Monaſterio quodam, facta manu Domini ſuper ſe, vidit eumdem Crucis Chriſti prædicatorem Franciſcum duobus tranſuerſis enſibus valdè fulgentibus, in modum Crucis, ſignatum: quorum vnus à capite ad pedes, alius à manu in manum per pectus tranſuerſaliter tendebatur. Non nouerat facie ſeruum Chriſti, ſed tanto monſtratum miraculo mox agnouit. Subitò ſtupefactus ad viſum, incipit meliora proponere. Tandemque verborum ipſius compunctus virtute, tamquam ſi eſſet gladio Spiritus ex eius ore procedente transfixus, ſæcularibus pompis omnino contemptis beato Patri profeſſione cohæſit. Propter quod videns ipſum vir ſanctus ab inquietudine ſæculi ad Chriſti pacem perfectè conuerſum, Fratrem

Viſio cuiuſdam laureati Poetæ Imperatoris Friderici.

Is ex viſione compunctus, fit Monachus.

Pacificum appellauit. Hic poſtmodum in omni ſanctitate proficiens, antequam fieret Miniſter in Franciã (ſiquidem primus ibidem Miniſterij geſſit officium) meruit iteratò magnum Tau in fronte Franciſci videre, quod colorum varietate diſtinctum, faciem ipſius miro venuſtabat ornatu. Hoc quippe ſignum vir ſanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis quas dirigebat litterulis, manu propria ſubſcribebat, tamquam ſi omne ipſius ſtudium foret ſignare Tau, iuxta dictum Propheticum, ſuper frontes virorum gementium & dolentium, ad Chriſtum Ieſum veraciter conuerſorum. Proceſſu quoque temporis multiplicatis iam Fratribus, cœpit eos Paſtor ſollicitus in loco ſanctæ Mariæ de Portiuncula ad Generale Capitulum conuocare, vt in funiculo diſtributionis diuinæ in terra paupertatis eorum, vnicuiq; tribueret obedientiæ portionem. Vbi licet omnium neceſſariorum eſſet penuria, Fratrumque multitudo vltra quinque millia conueniret; diuina tamen opitulante clementia, & victus ſufficientia ſuberat, & ſalus comitabatur corporea, & ſpiritualis iucunditas affluebat. Capitulis verò Prouincialibus, quia corporalem præſentiam exhibere non poterat, per ſolicitam curam regiminis, inſtantiam precis, & efficaciam benedictionis, ſpiritu præſens erat; quamuis aliquando, mira Dei faciente virtute, viſibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui & nunc Chriſti præclarus confeſſor, Antonius de titulo Crucis, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, in Arelatenſi Capitulo Fratribus prędicaret, quidam Frater probatæ virtutis, Monaldus nomine, ad oſtium Capituli diuina virtute & commonitione reſpiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciſcum in aëre ſubleuatum extenſis velut in cruce manibus, benedicentem Fratres. Tanta verò & tam inſolita Fratres omnes conſolatione ſpiritus repletos ſe fuiſſe ſenſerunt, vt de vera ſancti Patris præſentia certum eis intra ſe ſpiritus teſtimonium perhiberet: licet poſtmodum id non ſolùm per euidentia ſigna, verùm etiam per eiuſdẽ ſancti Patris verba exteriori fuerit atteſtatione compertum. Credendum ſanè quòd omnipotentis Dei virtus, quę Ambroſium pium & ſacrum Antiſtitem tumulationi glorioſi conceſſit intereſſe Martini, vt pium Pontificem pio venerarętur officio; etiam ſeruum ſuum Franciſcum prædicationi præſentauit Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè Crucis Chriſti, cuius erat baiulus & miniſter.

Altera eiuſdem viſio.
Signum Crucis vir Dei magno veneratur affectu.
Ezech. 9. v. 4.
Quinque millia Fratrum in vno conuenere Capitulo.
Monaldi viſio.
Bonauenturæ teſtimonium de præſentia Ambroſij in exequiis S. Martini.
Gregor. Turon. l. 1. de Miracul. S. Martini, c. 5.

Cùm autem, dilatato iam Ordine, viuendi formã per Dominum Innocentium approbatam, diſponeret per ſucceſſorem ipſius Honorium in perpetuum facere robòrari, huiuſmodi fuerat à Deo reuelatione commonitus. Videbatur ſiquidem ſibi de terra micas panum ſubtiliſſimas collegiſſe, multiſque famelicis Fratribus ipſum circũſtãtibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues diſtribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei deſuper ait: Franciſce, vnam de micis omnibus hoſtiam facito, & manducare volentibus tribue. Quo id agente, qui-cum-

Viſio S. Franciſci.

cùmque illud non deuotè recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox lepra infecti, notabiles apparebant. Recitat manè hæc omnia vir ſanctus ſociis, dolens ſe non percipere myſterium viſionis. Sequenti verò die cùm vigil in oratione perſiſteret, huiuſmodi vocem de cælo delapſam audiuit: Franciſce, micæ præteritæ noctis, verba Euangelica ſunt, hoſtia Regula, lepra iniquitas. Volens igitur confirmandam Regulam, ex verborũ Euangelij aggregatione perfuſiùs traditam, ad compendioſiorem formam, iuxta quod dictabat monſtrata viſio, redigere, in montem quemdam cum duobus ſociis, Spiritu ſancto ducente, conſcendit, vbi pane tantùm contentus & aqua, ieiunans, conſcribi eam fecit, ſecundũ quod oranti diuinus ſibi Spiritus ſuggerebat. Quam, cùm de monte deſcendens, ſeruandam ſuo Vicario commiſiſſet, & ille paucis elapſis diebus aſſereret per incuriam perditam, iteratò ſanctus vir ad locum ſolitudinis rediit, eamque inſtar prioris, ac ſi ex ore Dei verba ſuſciperet, illicò reparauit; & per ſupradictum Dominum Papam Honorium, octauo Pontificatus illius anno, ſicut optauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obſeruantiam Fratres feruenter inducens, dicebat ſe nihil ibi poſuiſſe ſecundùm induſtriam propriam, ſed omnia ſic ſcribi feciſſe, ſicut ſibi fuerant diuinitus reuelata. Quod vt certiùs conſtaret teſtimonio Dei, paucis admodum euolutis diebus, impreſſa ſunt ei Stigmata Domini Ieſu digito Dei viui, tamquam Bulla Summi Pontificis Chriſti, ad confirmationem omnimodam Regulę, & commendationem Auctoris; ſicut poſt ſuarum enarrationem virtutum inferiùs dicetur.

Viſionis expoſitio.

Diuino ſuggerẽte Spiritu compendioſiorem ſcribit Regulã.

Eam confirmat Honorius

S. Franciſci Stigmata eius Regulam confirmant.

CAPVT V.

De auſteritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei ſolatium.

CVM igitur cerneret vir Dei Franciſcus, ſuo exemplo ad crucem Chriſti baiulandam feruenti ſpiritu plurimos animari; animabatur & ipſe, tamquam bonus dux exercitus Chriſti, ad palmam victoriæ per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendẽs enim illud Apoſtoli verbum, *Qui ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & cõcupiſcentiis*; vt Crucis armaturã ſuo ferret in corpore, tanta diſciplinæ rigiditate ſenſuales appetitus arcebat, vt vix neceſſaria ſumeret ſuſtentationi naturæ. Propter quod cocta cibaria ſanitatis tempore vix admittebat, & raró; admiſſa verò, aut conficiebat cinere, aut condimẽti ſaporem admixtione aquæ vt plurimùm reddebat inſipidum. De potu quid dicam? cùm & de aqua frigida, cùm ſitis æſtuaret ardore, vix ad ſufficientiam biberet. Modos adinueniebat abſtinẽtiæ potiores, & quotidie exercitatione creſcebat: licetque iam perfectionis culmen attingeret, tamquam incipiens ſemper aliquid innouabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exteriùs, propter verbum Euangelij, conformabat ſe ſuſcipientibus ipſum in qualitate ciborum, cùm tamen ad interiora regreſſus diſtrictè ſeruaret rigidam

Galat. 5. v. 24.

Duriſſimè caſtigat corpus ſuũ.

Extra clauſtrũ ſæcularibus ſe conformabat.

abſtinentiæ parcitatem. Sicque ſe ipſum auſterum ſibi, humanum proximo, ſubiectum Euangelio Chriſti per omnia reddens, non ſolùm abſtinendo, verùm etiã manducando præbebat ædificationis exemplum. Nuda humus, vt frequētiùs, lectus erat laſſato corpuſculo; & ſæpiùs ſedens, ligno vel lapide ad caput poſito, dormiebat, vnica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino ſeruiebat & frigore.

Auſterus ſibi, humanus proximo.

Veſtis horrebat mollitiem, aſperitatem amabat, aſſerens propter hoc * Ioannem Baptiſtam ore diuino fuiſſe laudatum. Si quando verò in data ſibi tunica lenitatem ſentiret, chordulis eam contexebat interiùs; quia non in caſulis pauperum, ſed in palatiis Principum, iuxta Veritatis verbum, veſtimentorum dicebat requirendam eſſe mollitiem. Experientia enim certa didicerat, dæmones aſperitate terreri, delicioſis autem & mollibus ad tentandum fortiùs animari. Vnde cùm nocte quadam propter infirmitatem capitis & oculorum, præter ſolitum morem, ceruical de pluma poſitum haberet ad caput, dæmon in illud ingreſſus, ipſum vſque ad horam matutinalem inquietatum multimodè à ſanctæ orationis ſtudio perturbauit; donec vocato ſocio, puluinar cum dæmonio fecit extra cellulam longiùs exportari. Egreſſus autem cum puluinari Frater de cella, membrorum omnium vires amiſit & vſum, quouſque ad vocem ſancti Patris, hoc cognoſcentis in ſpiritu, vigor priſtinus cordis & corporis fuit plenariè reſtitutus.

Aſpera delectatur veſte.

*Mat.11. v.8.

Dæmones aſperitate terrētur, deliciis ad tentandũ animantur.

Rigidus in diſciplina ſuper cuſtodiam ſuam ſtabat, curam permaximam gerens de vtriuſque hominis puritate ſeruanda: quapropter circa conuerſionis primordia tempore hiemali in foueã plenam glacie ſeipſum plerumque mergebat, vt & domeſticum ſibi hoſtem perfectè ſubiiceret, & candidum veſtimentum pudoris à voluptatis incendio præſeruaret. Cùm apud eremum de Sarthiano nocte quadam orationi vacaret in cellula, vocauit eum hoſtis antiquus, tertiò dicens: Franciſce, Franciſce, Franciſce. Cui cùm quid quæreret reſpondiſſet; fallaciter ille ſubiunxit: Nullus eſt in mundo peccator, cui, ſi conuerſus fuerit, non indulgeat Deus: ſed quicumque ſemetipſum pœnitentia dura necauerit, miſericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationem cognouit hoſtis fallaciam, quomodo nixus fuerit eum ad tepida reuocare. Nam hoc ſequens indicauit euentus. Continuò enim poſt hoc ad inſufflationem illius, *cuius halitus prunas ardere facit*, grauis ipſum carnis tentãtio apprehendit. Quam vt vir Dei ſenſit, illicò ſe duriſſimis cædendo flagellis, & in niues ſe proiiciẽdo, effugauit. Non ſolùm autem mortificari debere docebat vitia carnis, & eius incentiua frænari, verùm etiam exteriores ſenſus, per quos * mors intrat ad animam, ſumma vigilantia cuſtodiri.

Mergit ſe Frãciſcus crebrò in aquam congelatam.

Fallacia dæmonis.

Iob 41. v.12.

*Ierem.9 v.21.

Otium autem, omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat ſummopere fugiendum, exemplo demonſtrans, rebellem carnem & pigram diſciplinis continuis & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum,

Otium ſummopere cauendum.

Fratrem

Fratrem aſinum appellabat, tamquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagum, aliorum velle manducare labores, Fratrem muſcam nominandum cenſebat: eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilem ſe omnibus reddat. Euangelicum volebat à Fratribus obſeruari ſilentium, vt videlicet ab omni otioſo verbo omni tempore abſtinerent ſollicitè, tamquam* reddituri in die iudicij de huiuſmodi rationem. Sed & ſi quem verbis aſſuetum inanibus inueniebat, acriter reprehendebat.

Otioſi muſcis ſimiles.

Silentium obſeruandum.

*Mat. 12. v. 36.

Licet autem pro viribus ad vitam auſteram Fratres induceret, non tamen ei placebat diſtrictionis ſeueritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale condita. Cùm enim quadam nocte vnus ex Fratribus præ nimietate abſtinentiæ admodum fame cruciatus, nullam poſſet habere quietem, intelligeretque pius Paſtor oui ſuæ imminere periculum, vocauit Fratrem, appoſuit panem; & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipſe prior comedere, eumque ad manducandum dulciter inuitare. Depoſuit Frater verecundiã, ſumpſit cibum, gauiſus quamplurimùm, quòd per circumſpectam condeſcenſionem Paſtoris, & corporis euaſiſſet diſpendium, & non modicum accepiſſet ædificationis exemplum. Manè facto, conuocatis in vnum Fratribus vir Dei referens quod acciderat nocte, prouida commonitione ſubiunxit: Sit vobis, Fratres, non cibus, ſed charitas in exemplum. Docuit inſuper eos diſcretioné ſequi, vt aurigam virtutum, non eam quam caro ſuadet, ſed quam edocuit Chriſtus, cuius ſacratiſſimam vitam expreſſum conſtat eſſe perfectionis exemplar. Et quoniam Agnum ſine macula crucifixum non eſt poſſibile homini, carnis infirmitate circumdato, ſic perfectè ſectari, quin aliquando aliquas contrahat ſordes; ideò documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intendunt, quotidianis debere ſe lacrymarum emundare fluentis. Ipſe verò licet iam eſſet adeptus cordis & corporis puritatem mirabilem, non ceſſabat tamen lacrymarum imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorum luminum non ponderando iacturam. Malebat ſiquidem corporalis viſus lumen amittere, quàm lacrymas, quibus oculus mundatur interior, vt Deum videre valeat, repreſſa deuotione ſpiritus impedire.

Nō placet Frãciſco immoderata vitæ aſperitas.

Pietas ſancti Patris erga ſubditum fame tabeſcentem.

Diſcretio virtuti auriga.

Lacryma animã lauans ſordes.

Lacrymas pluris facit Frãciſcus quàm oculos.

Cùm autem ſemel daretur conſilium à Medicis, & inſtanter ſuaderetur à Fratribus, vt pateretur ſibi per remedium ſubueniri coctura, humiliter vir Dei aſſenſit, quia ſalutiferum hoc ſimul & aſperum eſſe cernebat. Vocatus itaque venit chirurgus, inſtrumentum ferreum igni ſubmittens ad faciendam cocturam. At Chriſti ſeruus corpus iam horrore concuſſum cõfortans, ſicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens: Mi Frater ignis, præ ceteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum, & vtilem te creauit Altiſſimus: eſto mihi hac hora propitius, eſto curialis. Precor magnum Dominum, qui te creauit, vt tuum mihi calorem temperet,

Ignem alloquitur & rogat.

quò

quò ſuauiter vrentem valeam ſuſtinere. Oratione finita, contra igne candeſcens ferreum inſtrumentum ſignum Crucis edidit, ac deinde intrepidus perſiſtebat. Profundatum eſt crepitans ferrum in tenera carne, & ab aure vſque ad ſupercilium coctura protracta. Quantum irrogauerit ignis ille dolorem, vir ſanctus expreſſit. Laudate, inquit ad Fratres, Altiſſimum: quia verè dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis vllum dolorem. Et conuerſus ad Medicum, Si non eſt, inquit, caro benè decocta, imprime iterùm ferrum. Expertus Medicus, in inualida carne virtutem ſpiritus tam potentem miratus eſt, & diuinum hoc miraculum extulit, dicens: Dico vobis, Fratres, vidi hodie mirabilia. Quia enim ad tantam deuenerat puritatem, vt caro ſpiritui, & ſpiritus Deo, harmonia mirabili concordarent, diuina ordinatione fiebat, vt creatura Creatori ſuo deſeruiens, voluntati & imperio eius mirabiliter ſubiaceret. Alio enim tempore apud eremum ſancti Vrbani ſeruo Dei ægritudine grauiſſima laboráte, cùm ipſe naturæ defectum ſentiens, vini poculum poſtulaſſet; nihilque de vino, quod ſibi dari poſſet, reſponderetur adeſſe; iuſſit aquam afferri, & allatam ſigno Crucis benedixit. Mox vinum efficitur optimum, quod fuerat aqua pura; & quod deſerti loci paupertas non potuit, viri ſanctitas impetrauit. Ad cuius guſtum tanta protinus facilitate conualuit, vt saporis nouitas, & innouatio ſanitatis, guſtabile ac guſtantem ſupernaturaliter innouantes, perfectam in ipſo * exſpoliationẽ veteris hominis, & induitionem noui, duplici atteſtatione firmarent.

Cãdentis ferri non ſentit ardorem.

Eximia ſancti viri puritas.

Edito Crucis ſigno aquam in vinum commutanis.

*Coloſ. 3 v. 10.

Non ſolùm creatura ſeruo Dei ſeruiebat ad nutum, ſed & Creatoris vbique prouidentia condeſcendebat ad placitum. Cùm enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concurſu aggrauato corpore, ad iucunditatem ſpiritus excitandam alicuius audiendi ſoni harmoniaci deſiderium habuiſſet, nec id honeſtatis decentia per miniſterium fieri pateretur humanũ, adfuit Angelorum obſequium ad viri ſancti placitũ adimplendum. Nocte etenim quadam vigilante ipſo, & meditante de Domino, repentè inſonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis, & ſuauiſſimæ melodiæ. Non videbatur aliquis, ſed tranſitum & reditum citharœdi ipſa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo tanta fuit in illo dulciſono carmine ſuauitate perfruitus, vt aliud ſe putaret ſæculum commutaſſe. Hoc & Fratres ſibi familiares non latuit, qui per certa frequenter conſpiciebant indicia, eum tam exceſſiuis & crebris conſolationibus à Deo viſitari, vt nec ipſas omnino occultare valeret.

Dei prouidentia ei condeſcendebat ad placitum.

Citharæ ei pulſatur diuinitus.

Alio quoque tempore viro Dei prædicationis cauſa inter Lombardiam & Marchiam Teruiſanam iter agẽte cum ſocio iuxta Padum, tenebroſa noctis ſuperuenit obſcuritas. Cumque via eſſet expoſita periculis magnis & multis propter tenebras, fluuium, & paludes, dixit ſocius ad virum ſanctum: Ora, Pater, vt de inſtantibus periculis liberemur. Cui vir Dei cum fiducia multa reſpondit: Potens eſt Deus, ſi ſibi placet, tenebrarum effugata cali-

caligine, beneficium lucis impendere. Vix ſermonem compleuerat, & ecce tanta lux illicò cœpit circa eos ſuperna radiare virtute, vt nocte aliis exiſtente obſcura, ipſi luce clara viderent, non ſolùm viam, verùm etiam plurima circumquaque. Cuius lucis ducatu corporaliter directi, & ſpiritualiter confortati, vſque ad locum hoſpitij per non modicum viæ ſpatium, cum diuinis hymnis & laudibus incolumes peruenerunt. Perpende, quantæ fuerit vir iſte munditiæ, quantæque virtutis, ad cuius nutum ſuum ignis ardorem contemperat, aqua ſaporem commutat, Angelica præbet melodia ſolatium, & lux diuina ducatum, vt ſic ſanctificatis viri ſancti ſenſibus omnis probetur mundi machina deſeruire.

Lux in noctis tenebris ei diuinitus præſtatur

Omnis mundi machina ei deſeruiebat.

CAPVT VI.

De humilitate, & obedientia, & condeſcenſionibus diuinis ſibi factis ad nutum.

Sancti viri excellens humilitas

OMNIVM virtutum decor & cuſtos humilitas copioſa virum Dei vbertate repleuerat. In propria quidem reputatione nihil erat niſi peccator, cùm in veritate ſpeculum eſſet & ſplendor omnimodæ ſanctitatis. Super hanc ſtuduit ædificare ſeipſum, vt ſapiens architectus fundamentum præiaciens, quod à Chriſto didicerat. Dicebat propter hoc Filium Dei de altitudine ſinus paterni deſcẽdiſſe, vt humilitatem verbo & exemplo doceret. Malebat quidem de ſe vituperium audire quàm laudem; ſciens quòd hoc ad emendandum induceret, illa ad cadendum impelleret. Et ideò ſæpè cùm populi merita in eo ſanctitatis extollerent, præcipiebat alicui Fratri, vt in contrarium verba ipſum viliſicantia ſuis auribus inculcando proferret. Cumque Frater ille licet inuitus eum ruſticum, & mercenarium, & inutilem diceret, exhilaratus tam mente quàm facie reſpondebat: Benedicat tibi Dominus, fili chariſſime, quia tu veriſſima loqueris, & talia filium Petri Bernardonis decet audire. Vt autem ſe ceteris deſpicabilem redderet, non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifeſtaret defectus, ſicque conatus eſt Chriſti ſectator tranſitoriæ laudis præconium contemnere, & tumentis iactantiæ faſtum comprimere. Multaque in hunc modum faciebat, vt exteriùs* tamquam vas perditum fieret, & ſanctificationis ſpiritum intus poſſideret.

Speculum & ſplendor ſanctitatis Franciſcus.

Gaudet contemptu ſui.

*Pſal. 30. v. 14.

Studebat etiam bona Domini ſui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quæ poſſet occaſio eſſe ruinæ. Vt autem pluribus modis negotiator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præſens tempus conflaret in meritum, non tam præeſſe voluit, quàm ſubeſſe; nec tam præcipere, quàm parêre. Idcircò Generalis cedens officio, Guardianum petiit, cuius voluntati per omnia ſubiaceret. Imò & Fratri ſocio, cum quo ire ſolebat, ſemper obedientiam promittere conſueuerat, & ſeruare. In omnibus rebus & factis obedientiam & humilitatem ſectabatur. Ob humilitatis formam Fratres ſuos voluit vocari Minores, & Prælatos ſui Ordinis dici Miniſtros; vt & verbis vteretur Euangelij, quod obſeruare promiſerat, & ex ipſo nomine

Generalis cedit officio, & alij in omnibus ſe ſubmittit.

Cur Fratres dicuntur Minores, & Prælati Miniſtri.

diſcerent diſcipuli eius, quòd ad diſcendam humilitatem ad ſcholas humilis Chriſti veniſſent. Magiſter ſiquidem humilitatis Ieſus Chriſtus, vt informaret diſcipulos ad humilitatem perfectã, dixit: *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter*; & * *quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus*. Et quoniam humilitatem tam in ſe quàm in ſubditis cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipſum dignum iudicabat faſtigiis, ſecundùm quod cuidam Fratri ſancti viri ſocio oſtendit, fulgentiſſimam in cælis ſedem, quæ vnius ex ruentibus Angelis erat, ſibi reſeruari, vt ad excellentiam gloriæ, de qua ſuperbus eiectus eſt Angelus, verè humilis exaltaretur.

Mat. 20. v. 26. * Marci 10. v. 44.

Sedes fulgens Franciſci in calo.

Alio quoque tempore, cùm in deſerta quadam oraret Eccleſia, in Prouincia Maſſæ, apud montẽ Caſalem; intellexit per ſpiritum, ſacras ibidem latuiſſe Reliquias. Quas cùm longo iam tempore defraudatas honorificentia debita, non ſine mœrore conſpiceret, præcepit Fratribus, vt eas cum reuerentia Fratrum deferrent ad locum. Sed cùm poſcente cauſa diſceſſiſſet ab eis, mandati Patris immemores filij, obedientiæ meritum neglexerunt. Die verò quadam cùm ſacra celebrare vellent myſteria, ſuperiori altaris operimento ſubmoto, oſſa pulcherrima & redolentia nimis, non ſine admiratione reperiunt; intuentes Reliquias, quas non hominis manus, ſed Dei virtus attulerat. Reuerſus paulò pòſt vir Deo deuotus diligenter cœpit exquirere, ſi quod de Reliquiis mandauerat, eſſet impletum. Verùm neglectæ obedientiæ culpã Fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt. Et ait vir ſanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per ſeipſum impleuit, quod vos facere debuiſtis. Conſidera, quæſo Lector, diuinæ prouidentiæ curam circa puluerem noſtrum, & humilis Franciſci excellentem in oculis Dei perpende virtutem. Nam cuius iuſſis non paruit homo, votis obediuit Deus.

Reliquias ei reuelatas veneratur.

Diuini tus tranſferuntur in tugu riolum Fratrum.

Superbiam etiam vir ſanctus tamquam malorum omnium originem, & inobedientiam ipſius peſſimam prolem, in ſubditis abhorrebat, & non minùs humilitatem pœnitentiæ in eiſdem acceptabat. Accidit ſemel, vt eidem præſentaretur quidam Frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, diſciplinæ iuſtitia corrigendus. Videns autem vir Dei Fratrem illum per ſigna euidentia veraciter eſſe compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ, incentiuum eſſet aliis delinquendi, iuſſit ablatum Fratri caputium in medio flammarum proiici, vt omnes aduerterent quanta qualíque vindicta offenſa ſit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuiſſet in medio ignis, præcepit ipſum flammis detrahi, reddique Fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu. Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens aduſtionis veſtigium. Sicque factum eſt, vt hoc vno miraculo, & ſancti viri virtutem, & humilitatem pœnitentiæ commendaret. Dignè itaque ſectanda eſt Franciſci humilitas, quæ tam mira tam in terris etiam dignitatem

Odit ſuperbiam & inobedientiam.

Inobedientem Fratrem coërcet.

tem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominum immutaret affectum, multoties dæmonum proteruitatem ſuo iuſſu depelleret, & flammarum voracitatem ſolo nutu refrænaret. Reuerà hæc eſt, quæ poſſeſſores ſuos exaltans, dum omnibus reuerentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

CAPVT VII.

De amore paupertatis, & mira ſuppletione defectuum.

Paupertatem ſummopere affectat

INTER cetera chariſmatum dona, quæ à largo Datore Franciſcus obtinuit, prærogatiua quadam ſpeciali promeruit in diuitias ſimplicitatis excreſcere per altiſſimæ paupertatis amorem. Hanc Filio Dei vir ſanctus familiarem attendens, & iam quaſi toto orbe repulſam, charitate ſic ſtuduit deſponſare perpetua, quòd non ſolùm pro ea patrem matremq; reliquit, verùm etiam quæ habere potuit, vniuerſa diſperſit. Nemo tam auri, quàm ipſe cupidus paupertatis, nec theſauri cuſtodiendi ſollicitior vllus, quàm iſte hujus *Euangelicæ margaritæ. In hoc præcipuè ſuus offendebatur aſpectus, ſi quidquam videbat in Fratribus, quod paupertati non per omnia conſonaret. Reuerà ipſe à principio Religionis vſque ad mortem, tunica, chordula, & femoralibus diues, ijs contentus fuit. Chriſti Ieſu paupertatem & matris, frequenter cum lacrymis reuocabat ad mentem; inde hanc virtutum aſſerens eſſe Reginam, quia in Rege regum & in Regina matre ipſius tam præſtanter effulſit. Hanc ſui dicebat Ordinis fundamentum, cui ſubſtrato primariè ſic omnis ſtructura Religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur. Docebat proinde, ſicut reuelatione didicerat, ſacræ Religionis ingreſſum ab illo fore inchoandum Euangelico verbo: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Ideoque non niſi expropriatos, & nihil penitùs retinentes admittebat ad Ordinem, tum propter verbum ſancti Euangelij, tum etiam ne forent in ſcandalum loculi reſeruati.

•Mat. 13. v. 41.

Paupertas virtutũ Regina, & quare?

Ordinis fundamentum.

Mat. 19. v. 21.

Accidit ſemel quoddam mirabile viro ſancto, dum ſe ad ciuitatem Senenſem transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, ſtatura, ætate, ac facie per omnia ſimiles, in quadam ei magna planitie inter Campilium & ſanctum Quiricum occurrerunt, nouum ſalutationis munuſculum ei offerentes. Benè veniat, inquiũt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus eſt gaudio, vtpote qui nihil in ſe ſalutandum hominibus tam libenter haberet, quàm quod illæ decreuerant. Subitò diſparentibus illis, conſiderantes Fratres ſocij tam admirabilem in eis ſimilitudinem, ſalutationis, occurſus, & diſparentiæ nouitatem, myſticum aliquid deſignari circa virum ſanctum, non irrationabiliter perpenderunt. Sanè per illas tres, vt videbatur, mulieres pauperculas, ſic vniformi facie occurrentes, ſic ſalutantes inſolitè, ſic ſubitò diſparentes, Euangelicæ perfectionis formoſitas, quantum ad caſtitatem ſcilicet, obedientiam, & paupertatem, ſatis conuenienter oſtenditur, in viro Dei pari forma perfectè fulſiſſe, licet

Tres ei occurrunt mulieres.

Tria vota regularia ſignificant.

Eximius in beato viro paupertatis zelus. cet gloriari prælegerit in priuilegio paupertatis, quam modò matrem, modò ſponſam, modò dominam nominare ſolebat. In hac ceteros cupiebat excedere, qui ex ipſa didicerat inferiorem ſe omnibus reputare. Si quando pauperiorem ſe quempiam ſecundùm exteriorem habitum cerneret, ſemetipſum protinus arguens excitabat ad ſimile, tamquam ſi æmula paupertate concertans, vinci ſe timeret in illo. In Feſtis præcipuis, vbi opportunitas aderat, mendicare ſolitus erat. Vnde cùm ſemel in die ſancto Paſchæ moram faceret in eremitorio quodam adeò ab hominum habitatione remoto, quòd commodè mendicare non poſſet, memor illius, qui * diſcipulis euntibus in Emmaus ipſo die in ſpecie peregrini apparuit, ab ipſis Fratribus eleëmoſynam petiit vt peregrinus & pauper. Quam cùm accepiſſet humiliter, ſacris eos informauit eloquiis, quòd tranſeuntes per mundi deſertum, tamquam peregrini, & aduenæ, veríque Hebræi, paſcha Domini, hoc eſt, * tranſitum ex hoc mundo ad Patrem, in paupertate ſpiritus continuè celebrarent. Et quoniam in petendis eleëmoſynis non quæſtus agebatur cupidine, ſed ſpiritus libertate pater pauperum, Deus ſpecialem de ipſo curam gerere videbatur; vt cùm nec eleëmoſynā petere poterat, nec neceſſitatibus ſuperuenientibus, aut hoſpitibus aduentantibus neceſſaria aderant, prouidè & miſericorditer Deus omnia miniſtrabat, & ei benefacientibus aut miniſtrantibus largiſſima præmia impendebat. Cuius vnum vel alterum exemplum breuiter proponam.

* Luc. 24. v. 18.

* Ioan. 13 v. 1.

Medici obſequiū in Franciſcum. Tempore quo infirmus iacebat in eremitorio prope Reate, Medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cùm autem Chriſti pauper impotens eſſet ad rependendam mercedem labori condignam, liberaliſſimus Deus, ne ipſum ſine præſenti remuneratione dimitteret, pium eius obſequium hoc nouo beneficio vice pauperis compenſauit. Huius enim Medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro ſuo de nouo conſtruxerat, parietum patula ſciſſione à ſummo vſque deorſum, adeò de proximo minabatur ruinam, quòd non videbatur per humanæ artis induſtriam poſſibile ipſius caſui obuiare. Ipſe verò de ſancti viri meritis plenè confidens, cum magnæ fidei deuotione petiuit à ſociis eius aliquid ſibi cōcedi, quod idem vir Dei manibus contrectaſſet. Cùm igitur modicum de capillis ipſius, multa precum obtentum inſtantia, poſuiſſet de ſero intrà muri ſciſſuram, manè reſurgens tanta inuenit aperturam illam ſoliditate concluſam, vt nec reliquias ibi poſitas poſſet extrahere, nec ſciſſuræ prioris veſtigium aliquod inuenire. Factumque eſt, vt qui ruinoſo corpuſculo ſerui Dei ſedulò miniſtrarat, ruituræ domus propriæ periculo præcaueret. *A Deo recompenſatur.*

Alio quoque tempore vir Dei ad quamdam eremum transferre ſe volens, vt ibi liberiùs contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiuſdam viri pauperis vectabatur aſello. Cumque diebus æſtiuis famulum Chriſti ſequendo vir ille montana conſcenderet, aſperiori & longiori itinere fatigatus, nimióque ſitis ardore deficiens inſtanter

cœpit

cœpit clamare poſt Sanctum: En morior (inquit) ſiti, niſi poculi alicuius beneficio continuò refocillet. Abſque mora vir Dei proſiliuit de aſino, & fixis in terra genibus, palmas tetendit in cælum, orare non ceſſans, donec ſe intellexit auditum. Oratione tandem finita, Feſtina, inquit viro, ad petram illam, vbi aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora miſericorditer Chriſtus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ ſeruis ſuis tam facilè ſe inclinat. Bibit ſitiens homo aquam de petra orantis virtute, & poculum hauſit de ſaxo duriſſimo. Aquæ decurſus ibidem anteà non fuit, nec, vt eſt diligenter quæſitum, deinceps potuit inueniri. Qualiter autem per merita ſui pauperis Chriſtus multiplicauerit cibos in mari, hoc tantùm commemoraſſe ſufficiat, quòd de eleëmoſyna modica ſibi collata, nautas à famis & mortis periculo per dies plurimos liberauit, vt ex hoc liquidò poſſet aduerti, quòd omnipotentis Dei famulus, ſicut in eductione aquæ de petra conformis extitit * Moyſi, ſic in multiplicatione victualium * Eliſeo. Procul igitur à pauperibus Chriſti omnis diffidentia abſcedat. Si enim paupertas Franciſci adeò copioſæ ſufficientiæ fuit, vt ſubuenientium ſibi defectus tam mira virtute ſuppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deeſſet, cùm pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat; multò magis illa merebitur, quæ vſitato diuinæ prouidentiæ ordine communiter conceduntur. Si (inquam) petræ ſiccitas ad pauperis vocem abundans poculum ſitienti propinauit pauperculo, nil iam inter omnia ſuum denegabit obſequium his qui pro Auctore omnium omnia reliquerunt.

Sitienti eduxit aquam de petra.

Similis Moyſi & Eliſeo.

* Exodi 17. v. 6.
* 4. Reg. 4 v. 43.

Abſit à Minoribus diffidentia.

CAPVT VIII.

De pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipſum effici.

PIETAS *vera*, quæ ſecundùm Apoſtolũ *ad omnia valet*, adeò cor Franciſci repleuerat, ac penetrauerat, vt tòtum videretur ſeruum Dei in ſuum vendicaſſe dominium. Hæc eſt, quæ ipſum per deuotionem ſurſum agebat in Deum, per compaſſionem transformabat in Chriſtum, per condeſcenſionem inclinabat ad proximum; & per vniuerſalem conciliationem ad ſingula, refigurabat ad innocentiæ ſtatum. Cumque per hanc piè moueretur ad omnia; ſpecialiter tamen animas Chriſti Ieſu Sanguine pretioſo redemptas, cùm cerneret inquinari aliqua ſorde peccati, tanta miſerationis teneritudine deplorabat, vt eas tamquam mater in Chriſto quotidie parturiret. Et hæc penes ipſum cauſa præcipua venerandi verbi Dei miniſtros, quòd * ſemen fratri ſuo defuncto, videlicet pro peccatoribus crucifixo, per ipſorum conuerſionem, & pia ſollicitudine ſuſcitent, & ſolicita pietate gubernent.

1. Tim. 4. v. 8.

Pietas eius quanta.

* Deut. 25 v. 5.

Veneratur verbi Dei miniſtros.

Afflictis quoque qualicumque corporali moleſtia mira cõpaſſionis teneritudine condeſcendens, ſi quid penuriæ, ſi quid defectus in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine regerebat in Chriſtum. Sanè clementiam habebat ingenitam, quam ſuperinfuſa Chriſti pietas duplicabat. Itaque liqueſcebat animus

Erga afflictos magna eius commiſeratio.

In paupere Chriſtum contemplabatur.

mus eius ad pauperes, & infirmos; & quibus non poterat manum, exhibebat affectum. Cumque in pauperibus cunctis, & ipſe Chriſtianiſſimus pauper effigiem Chriſti perſpiceret, ſi qua etiam neceſſaria vitæ ſibi collata fuiſſent, eis occurrentibus, non ſolùm liberaliter conferebat; verùm etiam, ac ſi illorum propria eſſent, indicabat eſſe reddenda. Propterea de omnibus, quæ ſibi dabantur ad neceſſitatem corporis releuandam, ſolitus erat à dantibus licentiam petere, vt licitè poſſet, ſi magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorſus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramentis altaris, quin omnia hæc, dum poſſet, vt pietatis impleret officium, indigentibus largiretur. Pluries cùm oneratis obuiaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus ſupponebat.

Creaturas omnes fratres vel ſorores appellabat.

Conſideratione quoque primæ originis omnium, abundantiori pietate repletus, creaturas quantumlibet paruas, fratris vel ſororis appellabat nominibus, pro eo quòd ſciebat eas vnum ſecum habere principium. Illas tamen viſceroſiùs amplexabatur & dulciùs, quæ Chriſti manſuetudinem piam ſimilitudine naturali prætendunt, & Scripturæ ſignificatione figurant. Redemit frequenter agnos, qui ducebantur ad mortem, illius memor Agni mitiſſimi, qui ad occaſionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hoſpitato quadam vice ſeruo Dei apud Monaſterium ſancti Verecundi, de Epiſcopatu Eugubij, ouicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat ſus ferociſſima, quæ vitæ innocentis non parcens, rapaci cum morſu necauit. Hoc audito pius Pater, mira compaſſione commotus, & Agni ſine macula recordatus, lamentabatur pro morte agniculi coram omnibus, dicens; Heu me, frater agnicule, animal innocens, Chriſtum hominibus repræſentans; maledicta ſit impia, quæ te interfecit, nulluſque de ea comedat homo, vel beſtia. Mirum. Statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallum Monaſterij, ibique longo tempore iacens, in modum tabulæ deſiccata, nulli fuit eſca famelico. Aduertat igitur humana impietas, quali pœna ſit ferienda finaliter, ſi tam horrenda morte percuſſa eſt ferocitas beſtialis.

Maledicta ſus, & perit.

Oues ei accurrũt & applaudũt.

Perpendat & fidelis deuotio, quàm in ſeruo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis, & copioſæ dulcedinis, vt ei applauderet ſuo modo etiam natura brutorũ. Iter enim faciens iuxta ciuitatem Senenſem, inuenit in paſcuis magnum ouium gregem. Quas cùm benignè, vt ſolebat, ſalutaſſet, relicto paſtu, cucurrerunt omnes ad eum, leuanteſque capita ſua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applauſum, vt paſtores mirarentur, & Fratres, cernentes circa ipſum tam ouium agnos, quàm ipſos arietes, ſic mirabiliter exultantes. Alio quoque tempore apud ſanctam Mariam de Portiuncula quædam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ ac ſimplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit, gratanter ſuſcepit. Monebat pius vir ouiculam,

Ouis pietatis & ſacris officiis intendens.

culam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni Fratrum offenſa caueret. Ouis autem, quaſi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipſius ſollicitè obſeruabat. Nam audiẽs Fratres in Choro cantare, & ipſa Eccleſiam ingrediens, ſine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare Virginis Matris Agni, ac ſi eam ſalutare geſtiret. Inſuper & cùm eleuaretur ſacratiſſimum Chriſti Corpus inter Miſſarum ſolemnia, flexis curuabatur poplitibus, tamquam ſi reuerens pecus de irreuerentia indeuotos argueret, Chriſtoque deuotos ad Sacramenti reuerentiam inuitaret.

Et Sacramentum Euchariſtiæ adorans.

Tempore quodam agniculum in vrbe ſecum habuerat, ob reuerentiam illius mitiſſimi Agni, quem nobili matronæ Dominæ Iacobæ de Septem foliis in ſuo receſſu conſeruandum commiſit. Agnus verò, quaſi in ſpiritualibus eruditus à Sancto, Dominæ ad Eccleſiam eunti, ſtanti, & reuertenti ſocietate inſeparabili cohærebat. Si Matutinali hora Domina tardabat exurgere, agnus conſurgens impellebat eam corniculis, & balatibus excitabat, geſtibus adhortans & nutibus, vt ad Eccleſiam properaret. Propter quod agnus, Franciſci diſcipulus, deuotionis iam magiſter effectus, vt mirabilis & amabilis à Domina ſeruabatur.

Agnus ad deuotionem incitat.

Eius pia cuſtodiæ ſe committunt feræ.

Alio quoque tempore apud Græcium viuus viro Dei oblatus fuit lepuſculus, qui liber in terra poſitus, cùm poſſet, quò vellet, effugere, vocante ſe benigno Patre, in ſinum illius propero curſu ſaltauit. Quem ipſe pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quaſi mater, dulcique allocutione commonitum, ne ſe iterùm capi permitteret, liberum abire permiſit. Cumque pluries in terra poſitus, vt abſcederet, ſemper in ſinum Patris rediret, tamquam ſi ſenſu quodam occulto cordis ipſius perciperet pietatem; tandem iuſſu Patris à Fratribus delatus eſt ad loca tutiora. Modo quoq; conſimili in inſula lacus Peruſij cuniculus quidam captus, & viro Dei oblatus, cùm ceteros fugeret, manibus eius & ſinui ſe domeſtica ſecuritate commiſit.

In lacu Reatino ex deuotione fuit etiam oblatus piſcis magnus, & viuus, quem more ſolito fraterno nomine vocans, in aquam repoſuit iuxta nauem. Piſcis verò coram viro Dei ludebat in aqua, & quaſi amore illius allectus, nullatenus receſſit à naui, niſi priùs ab eodem cum benedictione licentia ſibi data.

Piſcem oblatum reponit in lacum.

Alio quoque tempore ambulans cum quodam Fratre per paludes Venetiarum, inuenit maximam auium multitudinem, reſidentium & cantantium in virgultis. Quibus viſis, dixit ad ſocium: Sorores aues laudant Creatorem ſuum, nos itaque in medium ipſarum euntes laudes & Horas Canonicas Domino decantemus. Cumque in medium ipſarum intraſſent, non ſunt aues motæ de loco. Et quia propter garritum ipſarum, in dicendis Horis ſe mutuò audire non poterant, conuerſus vir ſanctus, dixit ad illas: Sorores aues à cantu ceſſate, donec laudes Deo debitas perſoluamus. At illę continuò tacuerunt, tamdiu in ſilentio perſiſtentes, quamdiu dictis Horis ſpatioſè & lau-

Aues ad eius iuſſa tacent, & cantum reſumũt.

laudibus perſolutis à Sancto Dei cantandi licentiam receperunt: qua conceſſa, continuò cantum reſumpſerunt.

Item cicada. Apud ſanctam Mariam de Portiuncula iuxta cellam viri Dei ſuper ficum cicada reſidens & decantans, cùm ſeruum Domini, qui etiam in paruis rebus magnificentiam Creatoris admirari didicerat, ad diuinas laudes cantu ſuo frequentiùs excitaret, ab eodem quadam die vocata, velut edocta cælitus, ſuper manum ipſius aduolauit. Cui cùm dixiſſet: Canta ſoror mea cicada, & Dominum Creatorem tuo iubilo lauda; ſine mora obediens canere cœpit, nec deſtitit, donec iuſſu Patris ad locum proprium reuolauit. Manſit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo, eius iuſſa perficiens. Tandem vir Dei ait ad ſocios: Demus iam ſorori noſtræ cicadæ licentiam; ſatis enim nos ſuo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum ſpatio excitauit. Et ſtatim ab eo licentiata receſſit, nec vltrà ibidem apparuit, ac ſi mandatum ipſius non auderet aliquatenus pertranſire.

Aues ei congratulantur. Cùm ad eremum perueniſſet Aluernæ, propter Quadrageſimam celebrandam in honorem Archangeli Michaëlis, diuerſi generis aues circa ipſius cellulam volitantes, concentu ſonoro, & lætitiæ geſtibus, quaſi de eius aduentu gaudentes, Patrem pium inuitare ac allicere videbantur ad moram. Quo viſo, dixit ad ſocium: Cerno, Frater, voluntatis eſſe diuinæ, quòd hic aliquamdiu commoremur, tantum ſorores auiculæ de noſtra videntur præſentia conſolari. Cùm igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans magno ſe illi amicitiæ fœdere copulauit. Nam ſemper horam nocturno tempore, in qua vir Dei ſanctus ad diuina Officia ſurgere ſolitus erat, cantu ſuo præueniebat & ſono. Quod famulo Dei gratiſſimú erat, eò quòd tanta ſolicitudo, quam circa eum gerebat, omnem ab ipſo torporem deſidiæ excuteret. Cùm verò ſeruus Christi infirmitate plus ſolito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempeſtiuas indicabat vigilias. Siquidem velut inſtructus à Deo, circa diluculum ſuæ vocis campanam leui tactu pulſabat. Diuinum certè videtur fuiſſe preſagium, tam in exultatione multimodi generis auium, quàm in cantu falconis, cùm Dei laudator & cultor pennis contemplationis ſubuectus, tunc foret illic apparitione Seraphica ſublimandus. *Magna falconis erga Dei virum amicitia & ſolicitudo.*

Moram eo faciente tempore quodam in eremitorio Græcij, loci illius indigenæ malis multiplicibus vexabantur. Nam & luporum rapacium multitudo non ſolùm bruta, ſed & homines conſumebat, & grando annua tempeſtate blada & vineas deuaſtabat. Dum igitur ſic afflictis præco ſacri Euangelij prædicaret, dixit ad eos: Ad honorem & laudem Dei omnipotentis fideiubeo vobis, quòd peſtilentia hæc omnis abſcedet, & reſpiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, ſi mihi credentes miſereamini veſtri, vt vera confeſſione præmiſſa dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterùm hoc annuntio vobis, quòd ſi beneficiis ingrati ad vomitum conuerſi fueritis, innouabitur plaga, duplicabitur *Luporum arcet rabiem.*

tur

Magna vera pœnitentia vis. tur pœna, & maiori in vos ira deſæuiet. Ab illa vtique hora pœnitentiam ad exhortationem ipſius agentibus, ceſſauerunt clades, periere pericula, nec moleſtiæ quidquam lupi intulere vel grandines: imò, quod maius, ſi quando vicinorum arua grando peruaderet, iſtorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam diuertebat. Ceſſauit grando, ſeruauerunt & lupi pactionem ſerui Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem cōuerſos attentauerunt ampliùs deſæuire, quamdiu iuxta condictum contra piiſſimas Dei leges impiè non egerunt. Piè igitur ſentiendum eſt de pietate viri beati, quæ tam miræ dulcedinis & virtutis fuit, vt domaret ferocia, domeſticaret ſilueſtria, manſueta doceret, & brutorum naturam, homini iam lapſo rebellem, ad ſui obedientiam inclinaret. Verè hæc eſt, quæ omnes creaturas ſibi confœderans, valet ad omnia, *promiſsionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* 1.Tim.4. v.8.

CAPVT IX.

De feruore charitatis, & deſiderio martyrij.

CHARITATEM feruentem, qua ſponſi amicus Franciſcus ardebat, quis enarrare ſufficiat? Totus namque quaſi quidam carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur abſorptus. *Carbo videbatur ignitus.* Subitò enim ad auditum amoris Domini excitabatur, inflammabatur, afficiebatur, quaſi plectro vocis extrinſecę chorda cordis interior tangeretur. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinū, exultabat in cunctis operibus manuum Domini, & per iucunditatis ſpecula in viuificam conſurgebat rationem & cauſam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impreſſa rebus veſtigia, proſequebatur vbique dilectum, de omnibus ſibi ſcalam faciens, per quam conſcenderet ad apprehendendū eum, qui eſt * totus deſiderabilis. *In creaturis Deū contemplans exultat.* *Cant.5. v.16. Inauditæ namque deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis ſingulis, tamquam in riuulis deguſtabat, & quaſi cæleſtem concentum perciperet in conſonantia virtutum, & actuum eis datorum à Deo, ipſas ad laudem Domini * more Prophetæ Dauid dulciter hortabatur. * Pſal. 148.

Chriſtus Ieſus crucifixus inter mētis ſuę vbera, vt *myrrhæ faſciculus* iugiter morabatur, in quē optabat per exceſſiui amoris incendium totaliter transformari. *Cant.1. v.13. Prętogatiua quoque peculiaris deuotionis ad ipſum, ab Epiphaniæ Feſto vſque ad continuos quadraginta dies, eo ſcilicet tempore, quo Chriſtus latuit in deſerto, ad ſolitudinis loca declinans, cellaque recluſus, quanta poterat arctitudine cibi & potus, ieiuniis, & orationibus, & laudibus Dei ſine intermiſſione vacabat. *Eo tempore, quo Chriſtus in deſerto, ieiunabat 40. dies.* Tam feruido quidem in Chriſtum ferebatur affectu, ſed & ille ei tam familiarem rependebat amorem, vt videretur ipſi famulo Dei, quaſi iugem præ oculis Dei & Saluatoris ſentire præſentiam, ſicut aliquando ſociis familiariter reuelauit. *Chriſtum ſemper præ oculis præſentē habebat.*

Flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, ſtupore admirans permaximo illam chariſſimam dignationem, & dignaſſimam *Erga Eucharistiā ingens eius amor.*

charitatem. Sæpè communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem ſuauem, quaſi ſpiritu ebrius, in mentis vt plurimū rapiebatur exceſſum. Matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti indicibili cōplectebatur amore, eò quòd Dominum maieſtatis fratrem nobis effecerit, & per eam ſimus miſericordiam conſecuti. In ipſa poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui ac ſuorum aduocatam conſtituit, & ad honorem ipſius à Feſto Apoſtolorum Petri & Pauli vſque ad Feſtum Aſſumptionis deuotiſſimè ieiunabat. Angelicis ſpiritibus, ardentibus igne mirifico, ad excedendum in Deum, & electorum animas inflammandas, inſeparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob deuotionem ipſorum ab Aſſumptione Virginis glorioſæ quadraginta diebus ieiunans, orationi iugiter inſiſtebat. Beato autem Michaëli Archangelo, eò quòd animarum repræſentandarum haberet officium, ſpeciali erat amore deuotior, propter feruidum quem habebat zelū ad ſalutem omnium ſaluandorū. Ex recordatione Sanctorum omnium, tamquam lapidum ignitorum, in deificum recaleſcebat incendium, Apoſtolos omnes, & præcipuè Petrum & Paulum, propter feruidam charitatem, quam habuerunt ad Chriſtum, ſumma deuotione complexans. Ob quorum reuerentiam & amorem Quadrageſimæ ſpecialis ieiunium Domino dedicabat.

Item erga Dei Matrem.

Et Angelos ſanctos.

Præcipuè erga Michaëlem.

Deinde erga omnes Sanctos.

Non habebat aliud Chriſti pauper, niſi duo minuta, corpus ſcilicet & animam, quod poſſet liberali charitate largiri. Sed hæc per amorem Chriſti ſic offerebat continuè, vt quaſi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem deſiderij ſpiritum immolaret, exteriùs in atrio ſacrificans holocauſtum, & interiùs concremans thymiama. Sic autem eum charitatis exceſſiua deuotio ſurſum in diuina ferebat, vt eiuſdem effectuoſa benignitas ad naturæ conſortes & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis ceteris germanum pietas cordis effecerat, mirum non eſt, ſi Creatoris inſignitis imagine, & Sanguine redemptis Auctoris, germaniorem Chriſti charitas faciebat. Non ſe Chriſti reputabat amicum, niſi animas foueret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil prȩferendum eſſe dicebat, eo maximè probans, quòd Vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc ſibi in oratione luctamen, in prædicatione diſcurſus, & in exemplis dandis exceſſus.

Corpus & animam Deo continuè offerebat.

Charitas & affectus erga animas fidelium.

Feruenti quoq; charitatis incendio glorioſum ſanctorum Martyrum æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Deſiderabat propterea, & ipſe illa perfecta charitate ſuccenſus, *quæ foras mittit timorem*, per martyrij flammam hoſtiam Domino ſe offerre viuentem, vt & vicem Chriſto pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem ceteros prouocaret. Sexto namque conuerſionis ſuæ anno deſiderio martyrij flagrans, ad prædicandam fidem Chriſtianam & pœnitentiā Sarracenis & aliis infidelibus, ad partes Syriȩ transfretare diſpoſuit. Cúmque nauem quamdam, vt illuc tenderet,

1. Ioan. 4. v. 18.

Martyrij deſiderio Syriam petit, ſed reflante vento.

deret,

deret, conſcendiſſet, ventis contrariis flantibus, compulſus eſt in Sclauoniç partibus applicare. Cùm igitur moram aliquamdiu contraxiſſet ibidem, nec inuenire poſſet nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à ſuo deſiderio ſe ſentiens, nautas quoſdam Anconam tendentes, vt amore Dei eum ſecum ducerent, exorauit. Cùm autem illi eum in Italiam portaſſent, terram perambulare cœpit, & iactato in eam ſalutis ſemine, reportabat manipulos fructuoſos.

Flagrat adhuc deſiderio martyrij.

Verùm quia martyrij fructus adeò cor eius allexerat, vt pretioſam pro Christo mortem ſuper omnia virtutum merita peroptaret, verſus Marrochium iter arripuit, vt Miramolino & genti eius Chriſti Euangelium prædicaret, ſi quo modo ad concupitam palmam valeret attingere.

In itinere ſpra feruore præcurrit comitem.

Tanto namque deſiderio ferebatur, vt quamuis eſſet imbecillis corpore, peregrinationis ſuæ præcurreret comitem, & ad exequendum propoſitum feſtinus, & tamquam ſpiritu ebrius aduolaret.

In Hiſpania morbo detinetur.

Sed cùm iam vſque in Hiſpaniam perrexiſſet, diuina diſpoſitione, quæ ipſum reſeruabat ad alia, grauiſſima ei ſuperuenit infirmitas, qua præpeditus, quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiẽs igitur vir Dei, quòd neceſſaria adhuc erat proli, quam genuerat, ipſius vita in carne, quamuis mortem ſibi lucrum putaret eſſe, rediit ad paſcendas oues ſuç ſolicitudini commendatas.

Iam tertiò martyrij deſiderio pergit ad infideles.

Verùm charitatis ardore ſpiritum ipſius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effuſione ſui ſanguinis dilatanda, verſus infideles proficiſci tentauit. Tertiodecimo namque conuerſionis ſuæ anno ad partes Syriæ pergens, multis ſe periculis conſtanter expoſuit, vt Soldani Babyloniç poſſet adire præſentiam. Inter Chriſtianos enim ac Sarracenos tunc bellum tam implacabile erat, exercituum caſtris hinc inde in campo cominus ex aduerſo locatis, vt via mutui tranſitus ſine mortis diſcrimine non pateret. Exierat namque à Soldano edictum crudele, vt quicumque caput alicuius Chriſtiani afferret, Byzantium aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Chriſti miles Franciſcus, ſperans in proximo ſuum adipiſci propoſitum, diffiniuit iter arripere, mortis pauore non territus, ſed deſiderio prouocatus. Oratione namque præmiſſa confortatus à Domino, confidenter illud Propheticum decantabat: *Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſal. 22. v. 4. Aſſumpto igitur ſocio, Fratre Illuminato nomine, viro vtique luminis & virtutis, cùm iter cepiſſet, obuias habuit ouiculas duas: quibus viſis, exhilaratus vir ſanctus dixit ad ſocium: Confide Frater in Domino, nam in nobis Euangelicum illud impletur: *Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum.* Mat. 10. v. 16. Cùm autem proceſſiſſent vlteriùs, occurrerunt ei ſatellites Sarraceni, qui tamquam lupi celeriùs accurrentes ad eos veluti ad oues, ſeruos Dei feraliter pertractarunt, afficientes conuitiis, affligentes verberibus, & vinculis alligantes.

Capitur cum ſocio à Sarracenis, & malè tractatur.

Tandem afflictos multipliciter & attritos ad Soldanum, diuina diſponente prouidẽtia, iuxta viri deſiderium perduxerunt. Cùm igitur Princeps ille perquireret,

teret, à quibus, & ad quid, & qualiter miſſi eſſent, & quomodo adueniſſent; intrepido corde reſpondit Chriſti ſeruus Franciſcus, non ab homine, ſed à Deo altiſſimo ſe fuiſſe tranſmiſſum, vt ei & populo ſuo viam ſalutis oſtenderet, & annuntiaret Euangelium veritatis. Tanta verò mentis conſtantia, tanta virtute animi, tantoque feruore ſpiritus prædicto Soldano prædicauit Deum trinum & vnum, & Saluatorem omniũ Ieſum Chriſtum, vt Euangelicum illud in illo clareſceret veraciter eſſe completum: *Ego dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Nam & Soldanus admirandum in viro Dei feruorem ſpiritus conſpiciens & virtutem, libenter ipſum audiebat, & ad moram cum eo contrahendam inſtantiùs inuitabat. Chriſti verò ſeruus, ſuperno illuſtratus oraculo, Si vis, inquit, conuerti tu cum populo tuo ad Chriſtum, ob illius amorem vobiſcum libenter commorabor. Quòd ſi hæſitas, propter fidem Chriſti legem Mahumeti dimittere; iube ignem accendi permaximum, & ego cum Sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel ſic cognoſcas, quæ fides certior & ſanctior non immeritò tenenda ſit. Ad quem Soldanus: Non credo, quòd aliquis de Sacerdotibus meis ſe vellet igni propter fidem ſuam defenſandam exponere, vel genus aliquod ſubire tormenti. Viderat enim ſtatim quemdam de Preſbyteris ſuis, virum authenticum & longæuum, hoc audito verbo, de ſuis aſpectibus aufugiſſe. Ad quem vir ſanctus: Si mihi velis promittere pro te & populo tuo,

Liberè veritatē prædicat Soldano, & ab eo benignè auditur.

Lucæ 21. v. 15.

Studet omnibus modis eũ conuertere ad Chriſtũ, ſed fruſtrà.

quòd ad Chriſti cultum, ſi ignem illæſus exiero, venietis, ignem ſolus introibo. Et ſi combuſtus fuero, imputetur peccatis meis: ſi autem diuina me protexerit virtus, Chriſtum Dei virtutem & Sapientiam, verum Deum & Dominum, Saluatorem omnium agnoſcatis. Soldanus autem optionem hanc accipere ſe non audere reſpondit, quia ſeditionẽ populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera pretioſa, quæ vir Dei, non mundanarum rerum, ſed ſalutis animarum auidus, ſpreuit quaſi lutum. Soldanus verò videns virum ſanctum tam perfectum rerum mundalium contemptorem, admiratione permotus, maiorem erga ipſum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Chriſtianam tranſire nollet, vel forſan non auderet, rogauit tamen deuotè famulum Chriſti, vt prædicta ſuſciperet, pro ſalute ipſius Chriſtianis pauperibus vel Eccleſiis eroganda. Ipſe verò quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam ſe non proficere in conuerſione gentis illius, nec ſuum aſſequi poſſe propoſitum, ad partes fideliũ diuina reuelatione præmonitus remeauit. Sic itaque Dei ordinante clementia, & ſancti viri promerente virtute, miſericorditer & mirabiliter factum eſt, quòd Chriſti amicus mortem pro ipſo viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inueniret, vt & merito non careret martyrij, & inſigniendus ſeruaretur impoſterum priuilegio ſingulari. Sic vtique factum eſt, vt ignis ille diuinus adhuc perfectiùs ipſius æſtuaret in corde, vt

Contemnit munera Soldani.

Gladio non ceditur, vt amoris vulneri reſeruetur.

pòſt

pòſt potentiùs euaporaret in carne. O verè beatum virum, cuius caro etſi tyrannico ferro non cæditur, occiſi tamen Agni ſimilitudine non priuatur! O (inquam) verè ac plenè beatum, cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit!

Martyrij merito non caret.

CAPVT X.

De ſtudio & virtute orationis.

Orat ſine intermiſſione.

SENTIENS Chriſti ſeruus Franciſcus corpore ſe peregrinum à Domino, cùm iam ad terrena foris deſideria per Chriſti charitatem totus eſſet inſenſibilis factus, ne foret abſque conſolatione dilecti, * ſine intermiſſione orans, ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentem. Erat quidem oratio contemplanti ſolatium, dum ſupernarum circuitu manſionum, Angelorum conciuis iam factus, feruenti deſiderio quærebat dilectum, à quo ſolus eum carnis paries diſiungebat. Erat & operanti præſidium, dum in omnibus, quæ agebat, de ſua diffidens induſtria, & de ſuperna pietate confidens, per ipſius inſtantiam totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis gratiam viro Religioſo deſiderandam ſuper omnia firmiter aſſerebat, nullumque credens ſine ipſa in Dei proſperari ſeruitio, modis quibus poterat Fratres ſuos ad eius ſtudium excitabat. Nam ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur non ſolùm quidquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicaſſe. Solitus erat nullam viſitationem ſpiritus cum negligentia præterire. Siquidem cùm offerebatur, ſequebatur eam; & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cùm autem intentus itineri, diuini Spiritus aliquos ſentiret afflatus, ſociis præcedentibus, gradum figebat, nouamque inſpirationem ad fruitionem conuertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

** 1. Theſ. 5. v. 17.*

Oratio præcipuè expetenda Religioſis

Suſpendebatur multoties tanto contemplationis exceſſu, vt ſupra ſemetipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid ageretur circa ſe exteriùs ignoraret. Mens quidem ipſius in cæleſtibus fixa ſplendoribus, varietates non ſenſerat locorum, nec temporum, nec occurrentium perſonarum. Quod ipſi accidiſſe frequentiùs, ſociorum eius experientia multiplex comprobauit. Et quia in oratione perceperat, ſancti Spiritus deſideratam præſentiam tantò familiariùs ſe offerre precantibus, quantò plus inuenit elongatos à ſtrepitu mundanorum; ideò loca ſolitaria quærens, ad ſolitudines & Eccleſias derelictas oraturus nocte pergebat. Vbi dæmonum pugnas horribiles frequenter ſuſtinuit, qui ſecum ſenſibiliter confligentes, nitebantur ipſum ab orationis ſtudio perturbare. Ipſe verò armis munitus cæleſtibus, quantò vehementiùs impetebatur ab hoſtibus, tantò fortior in virtute, & feruentior reddebatur in prece. Quam mentis conſtantiam ſuperbi dæmones non ferentes, abſcedebant confuſi. Vir autem Dei ſolitarius remanens, & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat; & quaſi occultius ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. Ibi reſpon-

In mediis turbis nihil ſentit extra ſe raptus.

Solitaria loca petit ad orandum.

Multas patitur dæmonum infeſtationes.

Eos egregiè pudefacit.

Exercitia eius in locis deſertis.

reſpondebat Iudici, ibi ſupplicabat Patri, ibi colloquebatur amico, ibi quoque à Fratribus, ipſum piè obſeruantibus, aliquoties auditus eſt clamoroſis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam; deplorare alta voce, quaſi coram ſe poſitam, Dominicam paſſionem.

A terra ſubleuatus intus & foris irradiatur.

Ibi viſus eſt nocte orans manibus ad modum Crucis protenſis, toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem, mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet. Ibi etiam, ſicut certis eſt comprobatum indiciis, incerta ſibi & occulta diuinæ ſapientiæ pandebantur, quamuis illa non vulgaret exteriùs, niſi quantum Chriſti vrgebat charitas, & proximorum vtilitas exigebat.

Celat quantum valet ſuã ſanctitatem.

Quando à priuatis redibat orationibus, quibus pænè in virum alterum mutabatur, ſummopere ſtudebat ſe conformare ceteris, ne fortè, quod foris oſtenderet, aura fauoris intus à mercede euacuaret. Cùm in publico ſubitò afficeretur viſitatus à Domino, ſemper aliquid obiiciebat aſtantibus; ne ſponſi familiares attractus forinſecus vulgarentur. Excreationes, gemitus, duros anhelitus, extrinſecos nutus orans inter Fratres deuitabat omnino, ſiue quia diligebat ſecretum, ſiue quia ad interiora reintrans totus ferebatur in Deum.

Malè patitur Epiſcopus dum interturbat orantem.

Orante viro Dei in loco de Portiuncula, contigit Aſſiſinatem Epiſcopum venire ad eum, vt erat ſolitus, ad viſitandum; qui mox vt locum fuit ingreſſus, ad cellam, in qua Chriſti ſeruus orabat, minus debito fidenter acceſſit. Pulſatoque oſtiolo, intraturum ſe ingerens, dum caput immiſit, Sanctumque orantem conſpexit, repentino timore concuſſus, obrigeſcentibus membris, etiam loquelam amiſit. Subitoque voluntate diuina per vim foras propulſus, retrogrado pede procul abductus eſt. Stupefactus Epiſcopus, ad Fratres feſtinauit, vt potuit, Deoque ſibi reſtituente linguam, primo verbo confeſſus eſt culpam.

Intentiſſimè perſoluebat preces Canonicas.

Solebat vir ſanctus Horas Canonicas non minùs timoratè Deo perſoluere, quàm deuotè. Nam licet oculorum, ſtomachi, ſplenis, & hepatis ægritudine laboraret, nolebat tamen muro vel parieti inhærere dum pſalleret, ſed Horas ſemper erectus, & ſine caputio, non gyrouagis oculis, nec cum aliqua ſyncopa perſoluebat. Si quando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum, huiuſmodi conſuetudinem reuerentem & ſacram propter pluuiarum inundantiam non omittens. Grauiter etiam ſe putabat offendere, ſi quando orationi deditus, vanis phantaſmatibus interiùs vagaretur. Cùm aliquid tale accideret, non parcebat confeſſioni, quin illud protinus expiaret. Hoc ſtudium ſic in vſum conuerterat, vt rariſſimè muſcas huiuſmodi pateretur. Pſalmos cum tanta mentis ac ſpiritus attentione dicebat, quaſi Deum præſentem haberet:

Nomen Domini mirè eum afficit.

& cùm nomen Domini in eis occurreret, præ ſuauitatis dulcedine, labia ſua lingere videbatur. Ipſum quoque Domini nomen non ſolùm cogitatum, verùm etiam prolatum, & ſcriptum, reuerentia volens honorare præcipua, Fratribus perſuaſit aliquando, vt omnes ſchedulas ſcriptas, vbicumque repertas,

pertas, colligerent, mundoq́ue loco reponerent, ne fortè ſacrum illud nomen cõtingeret conculcari. Nomen autem Ieſu cùm exprimeret, vel audiret, iubilo quodam repletus interiùs, totus videbatur exteriùs alterari, ac ſi mellifluus ſapor guſtum, vel harmoniacuś ſonus ipſius immutaſſet auditum.

Mirus in eo affectus nominis Ieſu.

Contigit autem anno tertio ante obitum ſuum, vt memoriam Natiuitatis pueri Ieſu ad deuotionem excitandam apud Caſtrum Græcij diſponeret agere, cum quanta maiori ſolemnitate valeret. Ne verò hoc leuitati poſſit adſcribi, à Summo Pontifice petita & obtenta licentia, fecit præparari præſepium, apportari fœnũ, bouem & aſinum ad locum adduci. Aduocantur Fratres, adueniunt populi, perſonat ſilua voces, & venerabilis illa nox luminibus copioſis & claris, laudibuſque ſonoris & conſonis ſplendens efficitur & ſolemnis. Stabat vir Dei coram pręſepio pietate repletus, reſperſus lacrymis, & gaudio ſuperfuſus. Celebrantur Miſſarum ſolemnia ſuper præſepe, Leuita Chriſti Franciſco ſacrum Euangeliũ decantante. Prædicat deinde populo circumſtanti de Natiuitate Regis pauperis; quem cùm nominare vellet, puerum de Bethleem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuoſus & verax, qui propter Chriſti amorẽ ſæculari relicta militia, viro Dei fuit magna familiaritate coniunctus, Dominus Ioannes de Græcio, ſe vidiſſe aſſeruit puerulum quemdam valdè formoſum in illo præſepio dormientem, quem beatus Pater Franciſcus ambobus complexans brachiis, excitare videbatur à ſomno. Hanc equidem deuoti militis viſionem non ſolùm videntis ſanctitas credibilem facit, ſed & deſignata veritas comprobat, & miracula ſubſecuta cõfirmant. Nam exemplum Franciſci conſideratum à mundo, excitatiuum eſt cordium in fide Chriſti torpentium, & fœnum præſepij reſeruatum à populo, mirabiliter ſanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulſiuum peſtium diuerſarum, glorificante Deo per omnia ſeruũ ſuum, ſanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigiis demonſtrante.

Magna feſtiuitate peragit Feſtum Chriſti Natiuitatis.

Viſio militis religioſi.

CAPVT XI.

De intelligentia Scripturarum, & de ſpiritu prophetiæ.

AD tantam autem mentis ſerenitatem indefeſſum orationis ſtudium, cum cõtinua exercitatione virtutum, virum Dei produxerat; vt quamuis non habuerit ſacrarum litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita, & vbi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris ſacris, & quod animo ſemel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ; quia non fruſtra mentalis attentionis percipiebat auditu, quod continuæ deuotionis ruminabat affectu. Interrogatus Senis à quodã Religioſo viro Theologiæ ſacræ Doctore de quibuſdam quæſtionibus difficilibus

Scripturas profundè intelligebat à Deo edoctus.

Enodabat Scriptura arcana.

bus intellectu, tanta claritate doctrinæ diuinæ ſapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer ſtuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret: Verè, inquit, Theologia iſtius ſancti Patris, puritate ac contemplatione tamquam alis in altum ſubuecta, eſt aquila volans: noſtra verò ſcientia graditur ſuper terram. Licet enim eſſet imperitus ſermone, ſcientia tamen plenus enodabat dubia quæſtionum, & abſcondita producebat in lucem. Nec abſonum, ſi vir ſanctus Scripturarum à Deo intellectum acceperat, cùm per imitationem Chriſti perfectam veritatem ipſarum deſcriptam geſtaret in opere, & per ſancti Spiritus vnctionem plenariam, Doctorem earum apud ſe haberet in corde.

Preclarũ de eius eruditione teſtimonium.

Vnde ei tanta ſcientia.

Adeò etiam in ipſo claruit ſpiritus prophetiæ, vt præuideret futura, & cordium contueretur occulta, abſentia quoque velut præſentia cerneret, & ſe præſentem abſentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namq; quo Damiatam Chriſtianorum obſidebat exercitus, aderat vir Dei, non armis, ſed fide munitus. Cùm igitur die belli Chriſtiani pararentur ad pugnam, hoc audito Chriſti ſeruus vehementer ingemuit, dixitque ſocio ſuo: Si belli fuerit attentatus ingreſſus, oſtendit mihi Dominus non proſperè cedere Chriſtianis. Verùm ſi hoc dixero, fatuus reputabor: ſi tacuero, conſcientiã non euadam. Quid igitur tibi videtur? Reſpondit eius ſocius, dicens: Frater, pro minimo tibi ſit, vt ab hominibus iudiceris, quia non modò incipis fatuus reputari. Exonera conſcientiam tuam, & Deum magis time, quàm homines. Quo audito, exiliens Chriſti præco ſalutaribus monitis Chriſtianos aggreditur, prohibet bellum, denuntiat caſum: fit veritas in fabulam, indurauerunt cor ſuum, & noluerunt reuerti. Itur, committitur, bellatur, totaque in fugam vertitur militia Chriſtiana, finem belli opprobrium regerens, non triumphum. Tanta verò ſtrage Chriſtianorum imminutus eſt numerus, vt circa ſex millia fuerint inter mortuos & captiuos. In quo euidenter innotuit, quòd ſpernenda non erat ſapientia pauperis, cùm *anima viri iuſti plus annuntiet aliquando vera, quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum.* Eccli. 37. v. 18.

Claret in eo ſpiritus prophetia.

Prædicit Chriſtianos in bello caſuros apud Damiatam.

Miranda certè in viro Dei ſpiritus prophetici virtus, qua non ſolùm futurorum præcognoſcebat euentum, ſed etiam conſcientiarum ſcrutaretur arcanum, quaſi alter * Eliſeus duplicem Eliæ ſpiritum aſſecutus. Nam cùm Senis viro cuidã ſibi familiari quædam ſuperuentura finaliter prædixiſſet, & vir ille peritus (de quo ſuprà mentio facta eſt, quòd de Scripturis cum eo conferebat aliquando) his auditis, ab eodem ſancto Patre dubitando perquireret, an hæc ipſe dixiſſet, quæ illius viri relatione cognouerat: non ſolùm ſe illa dixiſſe aſſeruit, verùm etiam quærenti alienum euentum, proprium exitũ prophetando prędixit. Quòd vt certiùs cordi eius imprimeret, quemdam ſecretum conſcientię illius ſcrupulum, quem nulli viuenti vir præfatus expreſſerat, mirabiliter reuelando explicuit, & ſalubriter conſulendo reſerauit. Ad quo-

Nouit arcana cordium.

* 4 Reg. 2. v. 10.

Conſcientia ſecretum detegit.

quorum omnium firmitatem accedit, quòd vir ille religioſus, ſicut Chriſti famulus ei prædixit, ſic finaliter conſummauit.

Fratris cuiuſdam cogitationes perſpicit.

Cùm etiam in monte maneret Aluernæ cellà reclusus, vnus è ſociis magno deſiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod ſcriptum, manu ipſius breuiter annotatum. Grauem enim, qua vexabatur, tentationem non carnis, ſed ſpiritus, ex hoc credebat euadere, vel certè leuiùs ferre. Tali deſiderio languens anxiebatur interiùs, quia verecundia victus reuerendo Patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, ſpiritus reuelauit. Portari namque ſibi iuſſit à Fratre prędicto atramentum & chartam, laudeſque Domini iuxta Fratris deſiderium propria manu ſcripſit, & vltimò benedictionem ipſius, dicẽs: Accipe tibi chartulam iſtam, & vſque ad diem mortis tuæ cuſtodias diligenter. Accepit Frater donum illud optatum, & ſtatim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur littera, & cùm in poſterum miranda effecerit, virtutum Franciſci teſtimonium fuit.

Schedula tentationes fugat.

Alio quoque tempore contigit duos Fratres ad eremitorium Græcij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedictionem multo deſideratam iam tempore reportarent. Venientes autem, & non inuenientes, quia de publico iam ad cellam redierat, deſolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cùm de ipſorum aduentu vel receſſu nihil ſecundùm humanum ſenſum percipere potuiſſet, præter ſolitum morem egreſſus è cella clamauit poſt eos: & iuxta quod optauerant, ſigno Crucis facto in Chriſti nomine benedixit.

Abſentiũ Fratrum nouit deſideria.

Qualiter autem abſentibus ſe præſentem exhibuit diuina faciente virtute, euidenter ex ſuperioribus innoteſcit, ſi reuocetur ad mentem, qualiter * abſens in curru igneo Fratribus transfiguratus apparuit, & quomodo ſe * Arelatenſi Capitulo in Crucis effigie præſentauit. Quod factum eſſe diuina diſpoſitione credendum eſt, vt ex præſentiæ corporalis apparitione mirabili patenter clareſceret, quàm præſens & peruius ſpiritus eius luci ſapientiæ foret æternæ, quæ *omnibus mobilibus mobilior eſt: & vbique attingens propter ſui munditiam per rationes in animas ſanctas ſe transfert, & Dei amicos & Prophetas conſtituit*. Simplicibus & paruis ſua ſolet pandere myſteria Doctor excelſus: ſicut priùs apparuit in Dauid Prophetarum eximio, & pòſt in Apoſtolorum principe Petro, & tandẽ in pauperculo Chriſti Franciſco. Hi enim cùm eſſent litterarum imperitia ſimplices, facti ſunt ſancti Spiritus eruditione illuſtres. Is quidem paſtor, vt gregem paſceret Synagogæ de Ægypto eductũ: iſte piſcator, vt ſagenam repleret Eccleſiæ multiformitate credentium: hic autem negotiator, vt * margaretam emeret Euangelicæ vitæ, venditis & diſperſis omnibus propter Chriſtum.

Suprà c.4
Ibidem.
Sap. 7. v. 24. & 27.
Humilibus alta Dei ineſt ſapientia.
Mat. 13 v. 46.

CAPVT XII.

De efficacia prædicandi, & gratia ſanitatum.

FIDELIS reuerà famulus & miniſter Chriſti Franciſcus, vt cuncta fideliter & perfectè perageret,

ret, illis potiſſimè virtutum exerci-
tiis intendebat, quæ, ſacro dictante Spiritu, Deo ſuo magis placere cognouerat. Qua de re contigit illum, an potiùs prædicationi quàm orationi debuiſſet incumbere, ſatis anxiè dubitaſſe. Cumque per multos dies circa dubium hoc Fratres conſuleret, certitudinaliter nequibat percipere, quid horum ſibi foret, vt Chriſto verè acceptius, eligendum. Cùm enim miranda noſſet per ſpiritum prophetiç, hanc per ſeipſum quçſtionem diſſoluere non valebat ad liquidum, Deo meliùs prouidente, vt prædicationis meritum per ſupernum manifeſtaretur oraculum, & ſerui Chriſti humilitas ſeruaretur. Non erubeſcebat à Minoribus parua quærere verus Minor, qui magna didicerat à Magiſtro ſupremo. Studio namque præcipuo ſolitus erat exquirere, quali via qualique modo poſſet ſecundùm ipſius beneplacitũ perfectiùs deſeruire. Hæc ſumma eius Philoſophia, hoc ſummum eius deſiderium extitit, quoad vixit, vt quæreret à ſapientibus & ſimplicibus, perfectis & imperfectis, paruulis & grandæuis, qualiter ad perfectionis culmen virtuoſiùs peruenire valeret. Aſſumens itaque duos ex Fratribus, miſit ad fratrem Silueſtrum, qui crucem egredientem * viderat de ore ipſius, & tunc in monte ſupra Aſiſium iugiter orationi vacabat, vt diuinum ſuper dubitatione huiuſmodi reſponſum perquireret, quod ſibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipſum demandauit ſacræ virgini Claræ, vt per aliquam puriorem & ſimpliciorem de virginibus, ſub ipſius diſciplina degentibus, & ipſa cum Sororibus aliis orans, ſuper hoc exquireret Domini voluntatem. Concordauerunt autem mirabiliter in idipſum, ſuperno eis reuelante ſpiritu, venerabilis Sacerdos, & Virgo Deo dicata, beneplaciti ſcilicet eſſe diuini, quòd Chriſti præco ad prædicandum exiret. Reuelantibus itaque Fratribus, & Dei, iuxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exurgens continuò ſuccinxit ſe, & nulla prorſus contracta mora, iter aggreſſus eſt. Ibat autem cum tanto feruore, vt diuinum exequeretur imperium, tamque celeriter percurrebat, ac ſi facta manu Dei ſuper eum, nouam induiſſet è cælo virtutem.

Dubitat ſi prædicationi, an orationi ſibi inſiſtendum ſit.

Humiliter exquirit à Minoribus conſilium.

Summa eius Philoſophia.

Sup. c. 3.

Diuinitus diſcit ſe debere côcionari.

Feruenter ſe præparat ad prædicandum.

Cùm igitur appropinquaret Beuanio, ad quemdam locum deuenit, in quo diuerſi generis auium maxima multitudo conuenerat. Quas cùm Sanctus Dei vidiſſet, alacriter cucurrit ad locum, & eas, velut rationis participes, ſalutauit. Omnibus verò expectantibus, & conuertentibus ſe ad eum, ita vt quæ in arbuſtis erant, inclinatis capitibus, cũ appropinquaret ad eas, inſolito modo in ipſum intenderent, vſque ad eas acceſſit, & omnes vt verbum Domini audirent, ſollicitè admonuit, dicens: Fratres mei volucres, multùm debetis laudare Creatorem veſtrum, qui plumis vos induit, & pennas tribuit ad volandum, puritaté conceſſit aëris, & ſine veſtra ſolicitudine vos gubernat. Cùm autem eis hæc, & his ſimilia loqueretur, auiculæ modo mirabili geſtientes, cœperunt extendere colla, protendere alas, aperire roſtra, & in illum attentè reſpicere. Ipſe verò cum Spiritus feruore mirando per medium ipſarum tranſ-

Auibus prædicat.

tranſiens, tunica contingebat eaſdem, nec tamen de loco aliqua mota eſt, donec ſigno Crucis facto, & licentia data cum benedictione viri Dei, omnes ſimul auolarunt. Hæc omnia contuebantur ſocij, expectantes in via. Ad quos reuerſus vir ſimplex & purus, pro eo quòd non hactenus auibus prędicauerat, cœpit ſe de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad caſtrum quoddam nomine Aluianum, vbi congregato populo, & indicto ſilentio, propter hirundines nidificantes in eodem loco magniſque garritibus perſtrepentes, audiri vix poterat. Quas vir Dei, omnibus audientibus, allocutus eſt, dicens: Sorores meæ hirundines, iam tempus eſt vt loquar & ego, quia vos vſque modò ſatis dixiſtis. Audite verbum Dei, tenentes ſilentium, donec ſermo Dei compleatur. At illæ, tamquam intellectus capaces, ſubitò tacuerunt, nec fuerunt motæ de loco, donec fuit omnis prædicatio conſummata. Omnes igitur, qui viderunt, ſtupore repleti glorificauerunt Deum. Iſtius miraculi fama circumquaque diffuſa, multos ad Sancti reuerentiam & fidei deuotionem accendit.

Hirundines cum audiunt prædicantem.

Hoc miraculo ad fidei deuotionem multi accendũtur.

In ciuitate namque Pariſienſi ſcholaris quidam indolis bonæ, cum ſociis aliis ſtudio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cuiuſdam infeſtaretur hirundinis, dicere cœpit ad ſocios: Hæc hirundo vna eſt de illis, quæ virum Dei Franciſcum prædicantem aliquando, donec ſilentium eis imponeret, moleſtabant. Et conuerſus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine ſerui Dei Franciſci præcipio tibi, vt ad me veniens, continuò conticeſcas. At illa Franciſci audito nomine, quaſi viri Dei diſciplinis edocta, & ſtatim conticuit, & ipſius manibus tamquam tutæ cuſtodiæ ſe commiſit. Stupefactus ſcholaris, ſtatim eam libertati reſtituit, & eius garritum ampliùs non audiuit.

In eius nomine præcipitur hirundini accedere ac tacere, & obedit.

Alio quoque tempore cùm famulus Dei Caietæ ſemel prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione irruentibus, vt eum contingerent, horrens Chriſti ſeruus tantum populorum applauſum, in vnam hærentem littori nauiculam proſiliuit ſolus. Illa verò tamquam ſi rationis particeps motore moueretur intrinſeco, ſine aliquo remige, cernentibus & mirantibus cunctis, ſe longiùs à terra protraxit. Cùm autem aliquanto ſpatio in maris altitudinem ſeceſſiſſet, ſtetit inter fluctus immobilis, quamdiu vir ſanctus turbis expectantibus in littore prædicauit. Cumque audito ſermone, & viſo miraculo, ac benedictione accepta, multitudo recederet, ne ipſum ampliùs moleſtaret, nauicula proprio ductu ad terram reuerſa eſt. Quis igitur obſtinatæ mentis eſſet & impiæ, qui prædicationem Franciſci contemneret, cuius miranda fiebat virtute, vt non ſolùm carentia ratione diſciplinam ſuſciperent, verùm etiam inanimata corpora, tamquam animata prædicanti ſeruirent?

In ſcaphæ ſine remige in altum ſeceſſit, & inter vndas ſtat immobilis

Aderat equidem ſeruo ſuo Franciſco, ad quæcumque pergeret, is qui eum vnxerat & miſerat Spiritus Domini, & * ipſe Dei virtus & ſapientia Chriſtus, vt ſanæ doctrinæ verbis afflueret, & magnæ potentiæ miraculis coruſcaret. Erat

* 1. Cor. 1 v. 24.

Sermo eius valdè ignitus.

enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumque mentes admiratione replebat, cùm non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, ſed diuinæ reuelationis afflatum redoleret. Nam cùm ſemel prædicaturus coram Papa & Cardinalibus ad ſuggeſtionẽ Domini Oſtienſis ſermonem quemdam ſtudioſè compoſitum commendaſſet memoriæ, ſtetiſſetque in medio vt ædificationis verba proponeret, ſic obliuioni tradidit omnia, vt effari aliquid omnino neſciret. Verùm cùm hæc veridica humilitate narraſſet, conferens ſe ad Spiritus ſancti gratiam inuocandam, tam efficacibus ſubitò cœpit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionem inflectere, vt apertè clareret, quòd non ipſe, ſed Spiritus Domini loquebatur. Et quoniam primò ſibi ſuaſerat opere, quod aliis ſuadebat ſermone, reprehenſorem non timens, veritatem fideliſſimè prædicabat. Neſciebat aliquorum culpas palpare, ſed pungere; nec vitam fouere peccantium, ſed aſpera increpatione ferire. Eadem mentis conſtantia magnis loquebatur & paruis, eademque ſpiritus iucunditate paucis loquebatur & multis. Omnis ætas, omniſq; ſexus properabat virum nouum, mundo cælitus datum, & cernere & audire. Ipſe verò per diuerſas regiones progrediens, euangelizabat ardenter, *Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. In virtute namque nominis eius veritatis præco Franciſcus eiiciebat dæmonia, ſanabat infirmos; & quod maius eſt, ſui ſermonis efficacia obſtinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat, ſimulque ſanitatem corporibus reddebat & cordibus, nullumque erat quod non perpetraret miraculum: vnum autem vel alterum, dimiſſis innumeris, ſubiiciemus.

Concionatur ad Põtificem & Cardinales.

Qua cõſtantia & æquitate omnibus prædicabat.

Marc. 16. v. vlt.

Multa edidit miracula

In ciuitate Narnienſi cùm paralyticum quemdam, membrorum omnium deſtitutum officio, ſigno Crucis à capite vſque ad pedes ad inſtantiam ſignaſſet Epiſcopi, perfectè reſtituit ſanitati.

Sanat paralyticum.

Mulier quædam ciuitatis Eugubij ambas contractas & aridas habens manus, adeò vt nihil per illas operari valeret, ſigno Crucis ab eodem in nomine Domini ſibi facto, tam perfectè obtinuit ſoſpitatem, quòd ſtatim rediens domum, cibos in miniſterium eius & pauperum quaſi altera * ſocrus Simonis propriis manibus præpararet.

Contractas & aridas ſanat manus.

* Mat. 8. v. 15.

Puellæ cuidam in Caſtro Beuanij oculorum priuatæ luminibus, cùm in Trinitatis nomine ſputo ſuo ter ipſius oculos liniuiſſet, lumen concupitum reſtituit.

Cæca videt.

In Comitatu Aretij cùm diebus pluribus mulier quædam laboraſſet in partu, eſſetque iam proxima morti, nullum omnino deſperanti de vita ſupererat remedium, niſi Dei. Cùm autem equo vectus propter corporis infirmitatem Chriſti famulus per partes illas tranſitum habuiſſet, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines verò loci, viſo equo cui vir ſanctus inſederat, extraxerunt frenum, vt ſupponerent mulieri; ad cuius contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illicò peperit cum ſalute.

Frenum equi, cui inſederat, periclitantem in partũ liberat.

Vir

Eius chorda multa perpetrabat miracula.

Vir quidam de Caſtro plebis, religioſus ac timens Deum, chordam apud ſe, qua cinctus fuerat ſanctus Pater, habebat. Cumque multitudo virorum ac mulierum in caſtro illo variis infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, & intincta chorda in aqua, dabat bibere patientibus, ſicque per hunc modũ plurimi ſanabantur. Sed & de panibus à viro Dei contactis guſtantes ægroti, diuina operante virtute, conſequebantur celeriter remedia ſanitatum. Cùm his & aliis multis miraculorum prodigiis præco Chriſti prædicans coruſcaret, attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac ſi Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipſo prærogatiua virtutum, prophetiæ ſpiritus, efficacia miraculorum, oraculum de prædicando cælitus datum, obedientia creaturarum ratione carentiũ, vehemens immutatio cordium ad verborum ipſius auditum, eruditio eius à Spiritu ſancto præter humanam doctrinam, prædicandi auctoritas à Summo Pontifice non ſine reuelatione conceſſà, inſuper & Regula, in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Chriſti Vicario confirmata, ſummi quoque Regis ſignacula per modum ſigilli corpori eius impreſſa, tamquam teſtimonia decem, toti ſæculo indubitanter affirmant, Chriſti præconem Franciſcum, & venerandum officio, & doctrina authenticum, & admirabilem ſanctitate, ac per hoc tamquam verè Dei nuntium Chriſti Euangelium prædicaſſe.

Multa doctrinã eius confirmant.

CAPVT XIII.

De Stigmatibus ſacris.

Mos erat Angelico viro Franciſco numquam otiari à bono, quin potiùs inſtar ſupernorum ſpirituum in ſcala Iacob, aut aſcendebat in Deum, aut deſcendebat ad proximum. Nam tempus ſibi conceſſum ad meritum, diuidere ſic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laborioſis impenderet, aliud contemplationis tranquillis exceſſibus dedicaret. Vnde cùm ſecundùm exigentiam locorum & temporum alienæ condeſcendiſſet procurandæ ſaluti, inquietationibus derelictis turbarũ, ſolitudinis ſecreta petebat, locúmque quietis, quo liberiùs Deo vacans, extergeret ſi quid pulueris ſibi ex conuerſatione hominum adhæſiſſet. Biennio itaque antequam ſpiritum redderet cælo, diuina prouidentia duce, poſt labores multimodos perductus eſt in locum excelſum ſeorſum, qui dicitur Mons Aluernæ. Cùm igitur iuxta ſolitum morem Quadrageſimã ibidem ad honorem Archangeli Michaëlis ieiunare cœpiſſet, ſupernæ contemplationis dulcedine abundantiùs ſolito ſuperfuſus, ac cæleſtium deſideriorum ardentiori flamma ſuccenſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire. Ferebatur quidem in altum, non vt curioſus maieſtatis perſcrutator opprimendus à gloria, ſed tamquã fidelis ſeruus & prudens, inueſtigans beneplacitum Dei, cui ſe conformare omnimodè ſummo peroptabat ardore.

Gen. 28. v. 12.

Diſtributio ſui temporis.

Quadrageſimam ad honorem ſancti Michaëlis ieiunat.

Prou. 25. v. 27.

Immiſſum eſt igitur menti eius

per diuinum oraculum, quòd in apertione libri Euangelici reuelaretur ei à Chriſto, quid Deo de ipſo & in ipſo maximè foret acceptum. Oratione itaque cum multa deuotione præmiſſa, ſacrum Euangeliorum librum de altari ſumptum, in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per ſocium, virum vtique Deo deuotum & ſanctum. Sanè cùm in trina libri aperitione ſemper Domini Paſſio occurreret,

Præintellexit ſe aliquid Chriſti Paſſionis toleraturum.

intellexit vir Deo plenus, quòd ſicut Chriſtum fuerat imitatus in actibus vitæ, ſic conformis ei eſſe deberet in afflictionibus & doloribus Paſſionis, antequam ex hoc mundo tranſiret. Et, licet propter multam auſteritatem vitæ præteritæ, cruciſque Dominicæ baiulationem continuam, imbecillis iam eſſet in corpore, nequaquam eſt territus, ſed ad martyrij ſuſtinentiam vigoroſiùs animatus.

Charitas eius in Deum.

Cant. 8. v. 7.

Excreuerat quidem in eo inſuperabile amoris incendium boni Ieſu, in *lampades ignis atque flammarum, vt aquæ multæ charitatem eius* tam validam *extinguere non valerent*. Cùm igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, & compaſſiua dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam manè circa feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis, dum oraret in latere montis, vidit Seraph vnum ſex alas habentem tam ignitas quàm ſplendidas de cælorũ ſublimitate deſcendere. Cumque volatu celerrimo perueniſſet ad locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis in modum crucis manus & pedes extenſos habentis, & cruci affixos.

Apparet illi Chriſtus crucifixus.

Duæ alæ ſuper caput ipſius eleuabantur, duæ ad volandum extendebantur, duæ verò totum corpus velabant.

Pulcherrima Seraphim viſio.

Hoc videns vehementer obſtupuit, mixtumque mœrore gaudium cor eius incurrit. Lætabatur quidem in gratioſo aſpectu, quo à Chriſto ſub ſpecie Seraph cernebat ſe conſpici; ſed crucis affixio compaſſiui doloris gladio ipſius animam pertranſibat. Admirabatur quamplurimùm in tam inſcrutabilis viſionis aſpectu, ſciens quòd paſſionis infirmitas cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino reuelante, quòd ideò huiuſmodi viſio ſic diuina prouidentia ſuis fuerat præſentata conſpectibus, vt amicus Chriſti prænoſceret, ſe non per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum. Diſparens igitur viſio mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem, ſed & in carne non minùs mirabilem impreſſit effigiem.

Imprimuntur ei quinque vulnera.

Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperũt ſigna clauorum, quemadmodum paulò antè in effigie illa viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes in ipſo medio clauis crucifixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum & ſuperiori pedum apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipſa verò acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia carnem reliquam excedebant. Dexterum quoque latus quaſi lancea transfixum, rubra cicatrice obductũ erat, quod

ſæpè

ſępè ſanguinem ſacrum effundens, tunicam & femoralia reſpergebat.

Non audet præ humilitate alicui aperire viſionem. Cernens autem Chriſti ſeruus, quòd ſtigmata carni tam luculenter impreſſa ſocios familiares latere non poſſent; timens nihilominùs publicare Domini ſacramentum, in magno fuit pôſitus dubitationis agone, vtrùm videlicet quod viderat, diceret, vel taceret. Vocauit proinde aliquos ex Fratribus, & generalibus verbis loquens, dubium coram eis propoſuit, & conſilium requiſiuit. Quidam verò ex Fratribus gratia Illuminatus & nomine, intelligens quòd aliqua miranda vidiſſet, pro eo quòd videbatur admodum ſtupefactus, dixit ad virum ſanctum: Frater, non ſolùm propter te, ſed etiam propter alios, ſcias tibi oſtendi aliquando ſacramenta diuina. Timendum propterea iure videtur, ne ſi, quod pluribus profuturum accepiſti, celaueris, pro * talento abſcondito reprehenſibilis iudiceris. Ad cuius verbum mòtus vir ſanctus, licet aliàs dicere ſolitus eſſet; *Secretum meum mihi:* tunc tamen cum multo timore ſeriem retulit viſionis præfatæ; addens, quòd is qui ſibi apparuerat, aliqua dixerit, quæ numquam dum viueret, alicui hominum aperiret. Credendum ſanè, tam arcana illa fuiſſe ſacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparẽtis eloquia, quòd forte non liceret hominibus ea loqui. Poſtquam igitur verus Chriſti amor in eamdem imaginem transformauit amantem, quadraginta dierum numero, iuxta quod decreuerat, in ſolitudine conſummato, ſuperueniente quoque ſolemnitate Archangeli Michaëlis, deſcendit Angelicus vir Franciſcus, de monte ſecum ferens Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis, vel ligneis manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei viui. Et quoniam *ſacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, ideò ſecreti regalis vir conſcius, ſignacula illa ſacra pro viribus abſcondebat & occultabat. Verùm quia Dei eſt ad magnam gloriam ſuam reuelare magna quæ facit, ipſe Dominus, qui ſignacula ſecretè impreſſerat, miracula quædam apertè per ipſa monſtrauit, vt illorum occulta & mira vis ſtigmatum, manifeſta pateret claritate ſignorum.

Mat. 25 v. 26.

Iſa. 24. v. 16.

Cũ multo timore indicat viſionem, ſed non totam.

Tob. 12. v. 7.

In Prouincia namque Reatina peſtis inualuerat valdè grauis, quæ oues & boues omnes ſic conſumebat crudeliter, quòd nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per viſionem commonitus, vt ad eremitorium Fratrum feſtinanter accederet, & loturam manuum ac pedum famuli Dei Franciſci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam, ſuper animalia cuncta reſpergeret. Manè itaque ſurgens venit ad locum, loturaque huiuſmodi per ſocios ſancti viri latenter obtenta, oues & boues languentes ex ea reſperſit. Mirabile dictu: ſtatim vt aſperſio animalia languida, & in terra iacentia, quantumcumque paululum attingebat, priſtino recuperato vigore, ſurgebant continuò, & tamquam nihil mali ſenſiſſent, ad paſcua feſtinabant. Sicque factum eſt, vt per virtutem mirandam aquæ illius, quæ ſacras Plagas contigerat, omnis prorſus plaga ceſſaret, peſtilenſque morbus à gregibus fugaretur.

Per aquã in qua manus lauabat maxima effugatur lues.

Circa præfatum montem Aluernæ,

uernæ, antequam vir ſanctus ibi contraheret moram, nube ex ipſo monte ſurgente, grandinis violenta tempeſtas fructus terræ conſuetudinariè deuaſtabat. Sed poſt illam apparitionem felicem, non ſine incolarum admiratione grando ceſſauit, vt cæleſtis illius viſionis excellentiam, & ſtigmatum ibidem impreſſorum virtutem, ſerenati præter morem ipſa cæli facies declararet.

Ad impreſsionē ſtigmatum in monte, plura incommoda ceſſarunt.

Contigit quoque eum tempore hiemali propter debilitatem corporis, & aſperitatem viarum, hominis cuiuſdam pauperis ſubuectum aſello, ſub rupis cuiuſdam prominentis pernoctare crepidine, vt niuis & noctis ſuperuenientium quoquo modo declinaret incommoda, quibus præpeditus, ad hoſpitij locum non valuerat peruenire. Cùm autem vir ſanctus hominem illum querulôſis ſubmurmurantem gemitibus, hinc inde ſeipſum iactare ſenſiſſet, tamquam qui tenui operimento contectus, quieſcere prę figoris acerbitate nequibat, diuini amoris feruore ſuccenſus, manu illum protenſa palpauit. Mirabile certè: repentè ad illius ſacræ manus contactū, quæ Seraphici calculi gerebat incendium, omni fugato frigore tantus in virum intus & extrà calor aduenit, ac ſi quædam in eum vis flammea ex fornacis ſpiraculo proceſſiſſet. Nam illicò & mente & corpore confortatus, ſuauiùs inter ſaxa & niues vſque manè dormiuit, quàm vnquam in proprio lecto pauſauerat, ſicut ipſe poſtmodum aſſerebat.

Contactu manus ſua profligat ab homine frigus.

Certis itaque conſtat indiciis, ſacra illa ſignacula illius impreſſa virtute fuiſſe, qui operatione Seraphica purgat, illuminat, & inflammat, cùm ipſa, forinſecus expurgando à peſte, ſalutem, ſerenitatem, & calorem corporibus efficacia mira conferrent: ſicut & * poſt mortem euidétioribus eſt demonſtratum prodigiis. Ipſe verò licet theſaurum inuentum in agro multa diligentia ſtuderet abſcondere; latere tamen non potuit, quin aliqui ſtigmata viderent manuum ac pedum; quamquam manus quaſi ſemper portaret contectas, & pedibus ex tunc incederet calceatis. Viderunt, dum viueret, Fratres plurimi, qui licet eſſent propter ſanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amouendum ſic eſſe, ac ſe vidiſſe, tactis ſacroſanctis, iuramento firmarunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro ſancto habebant, aliqui Cardinales; laudes ſacrorum ſtigmatum proſis, & hymnis, & Antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorem, veraciter inſerentes, qui tam verbo quàm ſcripto perhibuerunt teſtimonium veritati. Summus etiam Pontifex Dominus Alexander Quartus, cùm populo prædicaret coram multis Fratribus, & meipſo, affirmauit ſe, dum Sanctus viueret, ſtigmata illa ſacra ſuis oculis conſpexiſſe. Viderunt in monte pluſquam quinquaginta Fratres, Virgoque Deo deuotiſſima Clara, cum ceteris ſororibus ſuis, & ſæculares innumeri; ex quibus, quemadmodum ſuo loco dicetur, plurimi & oſculati ſunt ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus ad teſtimonij firmitatem. Vulnus autē lateris tam ſolicitè occultauit,

** Infrà c. vlt.*

Mat. 16. v. 10.

Valdè celat impreſſa vulnera, ſed videntur à multis.

Vulnus lateris non patitur videri, ſed à quibuſdam contrectatur tauit, vt illud nemo poſſet, niſi furtim, contueri, dum viueret. Vnus etenim Frater, qui ei ſedulè miniſtrare ſolitus erat, cùm pia cum cautela, vt ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet, attentè reſpiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu quàm tactu vulneris quantitatem agnouit.

Conſimili cautela vidit etiam Frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius eius. Frater verò ſocius mirandæ ſimplicitatis dum infirmitatis cauſa languentes ſcapulas contrectaret, manu per caputium miſſa, & caſualiter vulneri ſacro illapſa, magnum ei dolorem inflixit. Proinde portabat ex tunc femoralia ita facta, vt vſque ad axillas pertingerent, ad vulnus lateris contegendum. Fratres quoque qui illa lauabant, vel tunicam excutiebant pro tempore, quia inueniebant ea ſanguine rubricata, indubitanter per euidens ſignum in cognitionem ſacri vulneris peruenerunt. *In morte vident permulti.* Quod poſtmodum in morte, reuelata facie, & ipſi cum aliis plurimis contemplati ſimul & venerati ſunt.

Bonauenturæ Apoſtrophe ad Franciſcum. Eia nunc, ſtrenuiſſime miles Chriſti, ipſius fer arma inuictiſſimi Ducis, quibus munitus & inſignitus, omnes aduerſarios ſuperabis. Fer vexillum Regis altiſſimi, ad cuius intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur. Fer nihilominùs ſigillum Summi Pontificis Chriſti, quo verba & facta ſua, tamquam irreprehenſibilia & authentica, meritò ab omnibus acceptentur. Iam enim propter ſtigmata Domini Ieſu, quæ in corpore tuo portas, nemo tibi debet eſſe (Galat. 6. v. 17.) moleſtus: quin potiùs quilibet Chriſti ſeruus omni tenetur eſſe affectione deuotus. *Omnes Franciſci viſiones in hac vna complentur.* Iam per hæc ſigna certiſſima, non duobus aut tribus teſtibus ad ſufficientiam, ſed quamplurimis ad ſuperabundantiam comprobata, teſtimonia Dei in te, & per te credibilia facta nimis, omne tollunt infidelibus velamen excuſationis, dum credentes in fide ſtabiliunt, ſpei fiduciam ſurſum agunt, & igne charitatis accendunt. Iam verè impleta eſt prima viſio, * quam vidiſti, videlicet quòd Dux in militia Chriſti futurus, armis deberes cęleſtibus ſignoque Crucis inſignibus decorari. (* Suprà c. 1.) Iam in principio tuæ conuerſionis, * Crucifixi viſio compaſſiui doloris gladio mentaliter te transfigens, (* Ibidem.) ſed & * auditus vocis de Cruce, (* Cap. 2.) tamquam de throno Chriſti ſublimi, & ſecreto propitiatorio procedentis, iuxta quod tuo ſacro firmaſti eloquio, vera fuiſſe indubitanter creduntur. Iam in tuæ conuerſionis progreſſu, & Crucem quam vidit * frater Silueſter ex ore tuo (* Cap. 3.) mirabiliter procedentem, & * gladios in Crucis modum tua viſcera (* Cap. 4.) transfigentes, quos ſacer vidit Pacificus, * teque ſecundùm Crucis (* Ibidem.) figuram in aëre ſubleuatum, cùm de Crucis titulo ſanctus prædicabat Antonius, iuxta quod proſpexit Angelicus vir Monaldus, non phãtaſtica viſione, ſed reuelatione fuiſſe cælica conſpecta, verè creditur, & firmatur. Iam denique circa finem, quòd ſimul tibi oſtenditur, & ſublimis ſimilitudo Seraph, & humilis effigies Crucifixi interiùs te incendens, & exteriùs te conſignans, tamquã * alterum Angelum (* Apoc. 7. v. 2.) aſcendentem ab ortu ſolis, qui

Cccc ſignum

ſignum habeas in te Dei viui, & prædictis dat firmitatem fidei, & ab eis accipit teſtimonium veritatis. Ecce iam ſeptem apparitionibus Crucis Chriſti, in te & circa te ſecundùm ordinem temporum mirabiliter exhibitis & monſtratis, quaſi ſex gradibus ad iſtam ſeptimam, in qua finaliter requieſcis, perueniſti. Chriſti namque Crux in tuæ conuerſionis primordio tam propoſita quàm aſſumpta, & dehinc in conuerſationis progreſſu per vitam probatiſſimam baiulata, in te ipſo continuè, & in exemplum aliis demonſtrata, tanta certitudinis claritate oſtendit, Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter concluſiſſe, vt demonſtrationem hanc Chriſtianæ ſapientiæ in tuæ carnis puluere exaratam, nullus verè deuotus abiiciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis paruipendat, cùm ſit verè diuinitus expreſſa, & omni acceptione condigna.

Septem apparitiones Crucis ipſi oſtenſa.

CAPVT XIV.

De patientia ipſius, & tranſitu mortis.

CHRISTO iam igitur cruci confixus, Franciſcus tam carne, quàm ſpiritu, non ſolùm Seraphico amore ardebat in Deum, verùm etiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo multitudinem ſaluandorum. Faciebat proinde, quoniam propter excreſcentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuum per ciuitates & caſtra circumuehi, vt ad Crucem Chriſti ferendam ceteros animaret. Flagrabat etiam deſiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leproſis ſicut à principio miniſtraret, corpuſque iam præ labore collapſum, reuocaret ad priſtinam ſeruitutem. Proponebat Chriſto duce ſe facturum ingentia, & fatiſcentibus membris, ſpiritu fortis & feruidus, nouo ſperabat certamine de hoſte triumphum. Neque enim languor vel deſidia locum habet, vbi amoris ſtimulus ſemper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad ſpiritum erat concordia, tanta obedientiæ promptitudo, quòd cùm ille niteretur ad omnem ſanctitatem pertingere, ipſa non ſolùm non repugnaret, ſed & præcurrere niteretur. Vt autem viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia verè in patientia conſummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo mẽbrum aliquod remaneret abſque ingenti paſſionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas ac continuas ægritudines deductus eſt, vt conſumptis iam carnibus, quaſi ſola cutis oſſibus cohęreret. Cumque duris corporis angeretur doloribus, illas ſuas anguſtias non pœnarum cenſebat nomine, ſed ſororum eſſe vocandas. Videbatur propterea Fratribus, quòd quaſi alterum Iob viderent, cui cùm languor creſceret carnis, creſcebat ſimul & vigor mentis. Ipſe autem obitum ſuum longè antè præſciuit, dieque tranſitus imminente, dixit Fratribus, ſui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum ſibi fuerat reuelatum à Chriſto. Cùm itaque per biennium ab impreſſione ſtigmatum, anno videlicet à ſua conuerſione vigeſimo, multis fuiſſet anguſtiantium infir-

Claui diuinitus impreſſi in pedibus excreſcunt.

Magna in eo carnis & ſpiritus concordia.

Multis grauatur infirmitatibus.

Fratribus ſuum prædicit obitum.

infirmitatum probatiuis tunſionibus conquadratus, tamquam lapis in ſupernæ Ieruſalem ædificio collocandus, & tamquã ductile opus ſub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionem adductus, ad ſanctam Mariam de Portiuncula ſe portari popoſcit, quatenus vbi acceperat ſpiritum gratiæ, ibi redderet ſpiritum vitæ. Quò cùm fuiſſet perductus, vt veritatis exemplo monſtraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo, in illa infirmitate tam graui, quæ omnẽ languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum in ſpiritus feruore nudatum proſtrauit; quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans ſic in terra, ſaccina veſte depoſita, faciem ſolito more leuauit in cælum, & intendens illi gloriæ totus, manu ſiniſtra dextri lateris vulnus, ne videretur, obtexit; & ait ad Fratres: Ego quod meum eſt, feci; quod veſtrum eſt, Chriſtus edoceat. Illacrymantibus autem ſociis Sancti, qui miro fuerant compaſſionis telo percuſſi; vnus ex eis, quem vir Dei Guardianum ſuum eſſe dicebat, votum ipſius diuina inſpiratione cognoſcens, feſtinus ſurrexit, & acceptam cum chorda & femoralibus tunicam, pauperculo Chriſti obtulit, dicens: Hæc tibi tamquam pauperi commodo, & tu illa ſuſcipias obedientiæ ſanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir ſanctus, & iubilat præſentia cordis, quoniam fidem tenuiſſe Dominæ paupertati vſque in finem ſe vidit: palmaſque leuans ad cælum, Chriſtum ſuum magnificat, pro eo quòd exoneratus ab omnibus, liber vadit ad ipſum. Fecerat enim omnia hæc paupertatis zelo, vt nec habitum quidem vellet habere, niſi ab alio commodatum. Voluit certè per omnia Chriſto crucifixo eſſe conformis; qui pauper, & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio conuerſionis ſuæ nudus remanſit coram Antiſtite, & in conſummatione vitæ nudus voluit de mundo exire; Fratribuſque ſibi aſſiſtentibus in obedientia charitatis iniunxit, vt cùm viderent eum iam eſſe defunctum, per tam longum ſpatium nudum ſuper humum iacere permitterent, quod vnius milliarij tractum ſuauiter quis perficere poſſet. O verè Chriſtianiſſimum virum, qui & viuens Chriſto viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta eſſe ſtuduit imitatione conformis, & expreſſa promeruit ſimilitudine decorari! Hora denique ſui tranſitus propinquãte, fecit Fratres omnes exiſtentes in loco ad ſe vocari, & eos conſolatoriis verbis demulcens, pro ſua morte, paterno affectu ad diuinum eſt hortatus amorem. De patientia & paupertatẽ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fide ſeruandis, ſermonem protraxit, ceteris inſtitutis ſanctum Euangelium anteponens. Circumſedentibus verò omnibus Fratribus, extendit ſuper eos manus in modũ Crucis brachiis cancellatis, pro eo, quòd hoc ſignum ſemper amabat: & omnibus Fratribus tam præſentibus quã abſentibus in Crucifixi virtute ac nomine benedixit; inſuper & adiecit: Valete, filij omnes, in timore Domini, & permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat, felices, qui perſeuerabunt

Miro modo teſtatum reliquit, nihil ſibi cum mũdo eſſe cõmercij.

O magnæ fiduciæ verba!

Eximius paupertatis amor.

Per omnia Chriſto vult eſſe ſimilis.

Qua Fratribus ſuis moriens hortatur & conſulit.

rabunt in his quæ cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiuſmodi admonitione completa, iuſſit Deo vir chariſſimus Euangeliorum ſibi codicem apportari, & Euangelium ſecundùm Ioannem, quod incipit ab eo loco, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſibi legi popoſcit. Ipſe verò prout potuit in huius Pſalmi vocem erupit: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.* Et ad finem vſque compleuit. *Me*, inquit, *expectant iuſti donec retribuas mihi.* Tandem cunctis in eum completis myſteriis, anima illa ſanctiſſima carne ſoluta, & in abyſſum diuinæ claritatis abſorpta, beatus vir obdormiuit in Domino. Vnus autem ex Fratribus & diſcipulis eius, vidit animam illam beatam ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubuectam nubecula ſuper aquas multas in cælum recto tramite ſurſum ferri, tamquam ſublimis ſanctitatis candore prænitidam, & cæleſtis ſapientiæ ſimul & gratiæ vbertate repletã, quibus vir ſanctus promeruit locum introire lucis & pacis, vbi cum Chriſto ſine fine quieſcit.

Ioan. 13.

Pſal. 141.

Feliciſsimus ſancti viri obitus.

Videtur anima eius quaſi ſtella fulgida in cælum conſcendere.

Miniſter quoque Fratrũ in Terra laboris tunc erat frater Auguſtinus, vir vtique ſanctus, & iuſtus, qui in hora vltima poſitus, cùm iam diu perdidiſſet loquelam, audientibus qui aſtabant, ſubitò clamauit, & dixit: Expecta me Pater, expecta, ecce iam venio tecum. Quærentibus Fratribus, & admirantibus multùm, cui ſic loqueretur; audaciter reſpondit: Nónne videtis Patrem noſtrum Franciſcum, qui vadit ad cælum? Et ſtatum ſancta ipſius anima migrans è corpore, Patrem eſt ſecuta ſanctiſſimum.

Frater Auguſtinus eadẽ hora obiit

Epiſcopus Aſſiſinas, ad Oratorium S. Michaëlis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis cauſa perrexerat; cui beatus Franciſcus apparens nocte tranſitus ſui, dixit: Ecce relinquo mundum, & vado ad cælum. Manè igitur ſurgens Epiſcopus, ſociis narrauit, quæ vidit: & Aſſiſiũ rediens, cùm ſolicitè perquiſiſſet, certitudinaliter comperiit, quòd ea hora, qua ſibi per viſionem innotuit, beatus Pater ex hoc mundo migrauit.

Apparet Frãciſcus Epiſcopo Aſsiſij.

Alaudæ aues lucis amicæ, & crepuſculorũ tenebras horreſcentes, hora tranſitus ſancti viri, cùm iam eſſet noctis ſecuturę crepuſculum, venerunt in multitudine magna ſuper tectum domus, & diu cum inſolita quadam iubilatione rotantes, gloriæ Sancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare ſolebat, tam iucundum quàm euidens teſtimonium perhibebant.

Alaudæ aues in eius morte iubilant.

CAPVT XV.

De Canonizatione & tranſlatione ipſius.

FRANCISCVS igitur ſeruus & amicus Altiſſimi, Ordinis Minorum Fratrum inſtitutor & dux, paupertatis profeſſor, pœnitentiæ forma, veritatis præco, ſanctitatis ſpeculum, & totius Euangelicæ perfectionis exemplar, ſuperna pręuentus gratia, ordinato progreſſu ab infimis peruenit ad ſumma. Hunc virum mirabilem, vtpote paupertate prædiuitem, humilitate ſublimem, mortificatione viuidũ, ſimplicitate prudentem, omnique morum honeſtate conſpicuum,

quem

quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante à ſæculo, ſpiritus ille ſacer domum æternitatis ingrediens, fontiſque vitæ hauſtu plenario glorioſus effectus, expreſſà quædam in corpore futuræ gloriæ ſigna reliquit, vt caro illa ſanctiſſima, * quæ crucifixa cum vitiis in nouam iam creaturam tranſierat, & paſſionis Chriſti effigiem priuilegij ſingularitate præferret, & nouitate miraculi reſurrectionis ſpeciem præmonſtraret. Cernebantur quidem in membris illis felicibus claui ex eius carne virtute diuina mirificè fabrefacti, ſicque carni eidem innati, quòd dum à parte qualibet premerentur, protinus quaſi nerui continui & duri, ad partem oppoſitam reſultabant. Inuenta quoque fuit patentiùs in ipſius corpore non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Saluatoris, quod redemptionis & regenerationis humanæ in ipſo Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Erat autem ſimilitudo clauorum nigra quaſi ferrum; vulnus autem lateris rubrum, & ad orbicularitatem quamdam carnis contractione redactum, roſa quædam pulcherrima videbatur. Caro verò ipſius reliqua, quæ priùs tam ex infirmitate quàm ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio reniteſcens, illius ſecundæ ſtolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipſius adeò mollia & tractabilia ſe præbebant palpantibus, vt conuerſa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis, & quibuſdam cernerētur euidentibus ſignis innocentiæ decorata. Cùm igitur in candidiſſima carne claui nigreſcerent; plaga verò lateralis, vt vernans roſeus flos ruberet; mirandum non eſt, ſi tam formoſa & miraculoſa varietas iucunditatem & admirationem contuentibus ingerebat. Lacrymabantur filij pro ſubtractione tam amabilis Patris; ſed & non modica perfundebantur lætitia, dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi Regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum, & intellectus rapiebat indaginem in ſtuporem. Erat quippe tam inſolitum tamque inſigne ſpectaculum contuentibus omnibus, & firmamentum fidei, & incitamentum amoris; audientibus verò admirationis materia, & excitatio deſiderij ad videndum. Audito ſiquidem tranſitu Patris, & fama diffuſa miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, vt id cerneret oculis, quod à ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet. Admiſſi ſunt igitur Aſſiſinates ciues quampluri-mi ad ſtigmata illa ſacra contemplanda oculis, & labiis oſculanda. Vnus autem ex eis miles quidam litteratus & prudens, Hieronymus nomine, vir vtique famoſus & celeber, cùm de huiuſmodi ſacris ſtigmatibus dubitaſſet, eſſetque incredulus quaſi * Thomas, feruentiùs & audaciùs coram Fratribus & aliis ciuibus mouebat clauos, Sanctique manus & pedes & latus manibus propriis contrectabat, vt dum vulnerum Chriſti veracia illa ſigna palpando contingeret, de ſui & omnium cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod & ipſe inter alios huius veritatis

* Galat. 5 v. 24.

Corpus exanime futuræ gloriæ ſpeciem præ ſe fert.

Similitudo clauorum & vulneris lateralis qualis fuerit.

Plurimi vident & oſculantur eius ſtigmata.

* Ioan. 20 v. 25.

tatis, tam certitudinaliter agnitæ, teſtis conſtans poſtmodû effectus eſt, & tactis ſacroſanctis iuramento firmauit. Fratres autem, & filij, qui vocati fuerant ad tranſitum Patris, cum omni multitudine populorum, noctem illam, in qua almus Chriſti Confeſſor deceſſit, ſic diuinis laudibus dedicarunt, vt non defunctorum exequiæ, ſed Angelorum excubiæ viderentur. Manè autem facto, turbę quæ conuenerant, acceptis arborum ramis, & cereorum multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis ſacrum corpus ad ciuitatem Aſſiſij detulerunt. Tranſeuntes verò per Eccleſiam ſancti Damiani, in qua illa virgo nobilis Clara, nunc glorioſa in cælis, tunc incluſa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulùm ſubſiſtentes, ſacrum corpus margaritis cæleſtibus inſignitum, videndum & oſculandum ſacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, pretioſum theſaurum, quem portabant, in Eccleſia ſancti Georgij cum omni reuerentia condiderunt. In eo ſiquidem loco puerulus litteras didicit, ibique poſtmodum primitus prædicauit, poſtremò ibidem locum primum quietis accepit. Tranſiit autem venerabilis Pater ex huius mundi ergaſtulo anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimoſexto, quarto Nonas Octobris, die Sabbati in ſero, ſepultus in die Dominico. Cœpit autem vir beatus, continuò diuinę faciei ſuperirradiante reſpectu, magnis & multis coruſcare miraculis, vt ſublimitas ſanctitatis eius, quæ ipſo viuente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ iuſtitiæ innotuerat mundo, illo iam regnante cum Chriſto, ad omnem fidei firmitatem per miracula diuinæ potentiæ comprobaretur è cælo. Cumque in diuerſis orbis partibus glorioſa eius miracula, largaque per ipſum impetrata beneficia plurimos ad Chriſti deuotionem accenderent, & ad ipſius Sancti reuerentiam incitarent; acclamãtibus tam linguis ſermonum quàm operum, ad aures Summi Pontificis Domini Gregorij Noni, quæ per ſeruum ſuum Deus operabatur, magnalia peruenerunt. Sanè cùm idem Paſtor Eccleſiæ non ſolùm ex miraculis auditis poſt mortem, verùm etiam experimentis in vita, ipſius oculis viſis & manibus contrectatis, ſanctitatem eius mirabilem plena fide certificatus agnoſceret, ac per hoc in cælis glorificatum à Domino nullatenus dubitaret, vt Chriſto cuius erat Vicarius concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tamquam omni veneratione digniſſimum, pia conſideratione diſpoſuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione viri ſanctiſſimi, inuenta miracula, & conſcripta, & teſtibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minùs inter Cardinales fauorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter diſcuſſis, & ab omnibus approbatis, de Fratrum ſuorũ, & omnium Prælatorum qui tunc erant in Curia, conſilio & aſſenſu canonizandum decreuit; veniensque perſonaliter ad ciuitatem Aſſiſij anno Dominicę Incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo, decimoſeptimo Kalendas Auguſti, die

Franciſci exequiæ Angelicæ.

In ciuitatem corpus defertur.

Claræ & ceteris Sororibus oſculandum & venerandum traditur.

Tumulatur in Eccleſia ſancti Georgij.

Annus & dies obitus eius.

Multis ſtatim ab obitu coruſcat miraculis.

Examinantur eius prodigia.

die Dominico, cum maximis, quæ longum foret enarrare, ſolemniis, beatum Patrem catalogo Sanctorum adſcripſit. Anno verò Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo conuenientibus Fratribus ad Capitulum Generale Aſſiſij celebratum, ad Baſilicam in honorem ipſius conſtructam corpus illud Domino dedicatum octauo Kalendas Iunij tranſlatum eſt. Dum autem ille ſacer tranſportaretur theſaurus, bullâ Regis altiſſimi conſignatus, miracula plurima ille, cuius effigiem præferebat, operari dignatus eſt, vt per ardorem ipſius ſaluificum, affectus traheretur fidelium poſt Chriſtum. Erat reuerà condignum, vt quem Deus in vita ſibi placentem & dilectum effectum, in Paradiſum per contemplationis gratiam tranſtulerat, vt * Enoch; & ad cælum curru igneo per charitatis zelum rapuerat, vt * Eliam; eius iam vernantis, inter flores illos cælicos plantationis æternæ, oſſa illa felicia de loco ſuo pullulatione mirifica redolerent. Porrò ſicut vir iſte beatus mirandis virtutum ſignis in vita claruerat, ſic à die tranſitus ſui vſque in præſens, per diuerſas mundi partes præclaris miraculorum prodigiis, diuina ſe potentia glorificante, coruſcat. Nam cæcis & ſurdis, mutis & claudis, hydropicis & paralyticis, dæmoniacis & leproſis, naufragis & captiuis, eius meritis remedia conferuntur, omnibuſque morbis, neceſſitatibus, & periculis ſubuenitur. Sed & multis mortuis per ipſum mirificè ſuſcitatis, innoteſcit fidelibus, mirificans Sanctũ ſuum magnificentia virtutis Altiſſimi. Cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Sanctis adnumeratur.

Transfertur ſanctiſſimum eius corpus.

* Gen. 5. v. 25.

* 4. Reg. 2 v. 11.

Multi eius meritis reuiuiſcunt mortui.

Ad finem huius Vitæ multa adnectit per varia Capitula D. Bonauentura D. Franciſci miracula, ab eodem poſt mortem patrata; quibus plura, nec inferiora, inueni & legi in Bibliotheca Cõuentus D. Frãciſci Aſsiſiatis, in codice ſatis antiquo membraneo manuſcripto: quibus modò ſuperſedendum duxi, ea, cum ceteris, quæ hic deſiderari poſſunt, de patria, genealogia, & phyſiognomia ſancti viri, ſuis locis producturus in lucem in Annalibus Minorum quantocyùs edendis.

SAN-

SANCTISSIMI PATRIARCHÆ FAMA POSTVMA.

LIBVIT *in laudem ſancti Patris adnectere, quæ in eius honorem vel diuinum, vel humanum, poſt mortem præclari ediderunt viri, vt videat Lector, quàm in pretio Sanctus hic fuerit apud omnes, & vt faciliùs habeat vnde digna tanti Patris decerpat elogia.*

BVLLA CANONIZATIONIS S. FRANCISCI, EIVSQVE DIEI FESTI INSTITVTIO.

Proœmiũ. GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,&c. Miranda circa nos diuinæ pietatis dignatio, & inæſtimabilis dilectio charitatis, qua Filiũ pro ſeruo tradidit redimendo, dona ſuæ miſerationis non deſerens, & vineam dextera eius plantatã continua protectione conſeruans, in illam qui ſalubriter ipſam excolant, euellentes ſarculo ac vomere, quo Samgar ſexcentos Philiſthęos percuſſit, ſpinas & tribulos ex eadem, operarios etiam in vndecima hora tranſmittit, vt ſuperfluitate palmitum reſecata, & vitulaminibus ſpuriis radices altas non dantibus, necnon ſentibus extirpatis, fructum ſuauem afferat & iucundum, qui prælo patientiæ defęcatus in æternitatis cellarium transferatur: impietate profectò velut igni ſuccenſa, & frigeſcente charitate multorum, in eiuſdem maceriam diruendam, irruentibus Philiſthæis, potione terrenæ cadentibus voluptatis.

Franciſcum ſuſcitauit Deus in mundo ad conuerſionem multorũ.

§. 1. Ecce in hora vndecima Dominus, qui cùm diluuij aqua terram deleret, iuſtum per lignum contemptibilem gubernauit, ſuper ſortem iuſtorum virgam peccantium non relinquens, excitauit ſeruum ſuum beatum Franciſcum, virum vtique ſecundùm cor ſuum, apud cogitationes diuitum lampadem quidem contemptam, ſed paratam ad tempus ſtatutum, illam in vineam ſuam mittens, vt ex ipſa ſpinas & vepres euelleret, proſtratis illam impugnãtibus Philiſthęis, illuminando patriam, & reconciliari Deo, ex hortatione ſedula commonendo.

Simplici prædicatione multos ad viam ſalutis reduxit.

§. 2. Qui audita interiùs voce inuitantis amici, impiger ſurgens, mundi vincula blandientis, quaſi alter Samſon, gratia diuina præuentus dirupit, & ſpiritu feruoris concepto, aſinique arrepta mandibula, prædicatione ſiquidem ſimplici, nullis verborum perſuaſibilium humanæ ſapientiæ coloribus adornata, ſed tamen Dei virtute potenti, qui infirma mundi eligit, vt fortia quæcumque confundat, non tantùm mille, ſed multa millia Philiſthinorum, eo qui tangit montes, & fumigant, faciente, proſtrauit, & in ſpiritus ſeruitutem redegit,

git, carnis illecebris anteà ſeruientes. Quibus vitiis mortuis, & Deo viuentibus, iam non ipſis, quorum pars peſſima periit, ex mandibula ipſa egreſſa copioſa eſt aqua, reficiens, abluens, & fecundans lapſos, ſordidos, & arentes: quæ in vitam æternam ſaliens abſque argento & commutatione aliqua poteſt emi: cuius riuuli longè lateque diffuſi, vineam irrigant, vſque ad mare palmites, & vſque ad flumen propagines extendentem.

§. 3. Hic denique Patris noſtri Abrahæ imitatus veſtigia, mente de terra, & cognatione ſua, nec non domo patris eius egrediens, iturus in terram quam ſibi Dominus diuina inſpiratione monſtrarat, vt expeditiùs curreret ad brauium vocationis cæleſtis, & per anguſtam portam poſſet faciliùs introire, ſarcinam terrenæ ſubſtantiæ depoſuit, ſe illi conformans, qui cùm diues eſſet, pro nobis factus eſt pauper, eamque diſperſit, dedit pauperibus, vt ſic eius iuſtitia in ſæculum ſæculi permaneret. Et in terram viſionis accedens, ſuper vnum ſibi montium demonſtratum, videlicet excellentiã fidei, carnem ſuam, quaſi filiam vnigenitam, quæ ipſum interdum deceperat, cum Iephte Domino in holocauſtum obtulit, igne ſuppoſito charitatis, illam fame, ſiti, frigore, ac nuditate, vigiliis multis & ieiuniis macerando, qua cum vitiis & concupiſcentiis crucifixa, dicere poterat cum Apoſtolo: Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus: quoniam iam non ſibi vixerat, ſed Chriſto potiùs, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, vt nullatenus peccato vlteriùs ſeruiamus. Vitia quoque ſupplantans, & contra mundum, carnem, & poteſtates aëreas luctamen aſſumens viriliter, vxore, villa, bobus, à cœna magna retrahentibus inuitatos, penitùs abdicatis, cum Iacob Domino iubente ſurrexit; & gratia Spiritus ſeptiformi accepta, octoque ſibi aſſiſtentibus Beatitudinibus Euangelicis, Bethel domum Dei, quam ſeipſum præparauit eidem, per quindecim gradus virtutum, qui myſticè in Pſalterio continentur, aſcendit: & ibidem altare cordis Domino conſtruens, aromata deuotarum orationũ obtulit ſuper eo, per manus Angelicas in conſpectu Domini deferenda, conciuis Angelicus mox futurus.

Pauperẽ vitam elegit, ieiuniis, vigiliis, & nuditate carnem macerauit, multiſq; virtutibus emicuit.

§. 4. Ne verò ſibi ſoli proficeret in monte, tantummodò Rachel amplexibus inhærendo, contemplationi pulchræ quidem, ſed ſterili, ad Liæ interdictum deſcendit cubiculum, minaturus gregem gemellis fetibus fecundatum ad interiora deſerti pro vitæ paſcuis perquirendis, vt illic vbi manna cæleſtis dulcedinis reficit à ſæcularium ſtrepitu ſegregatos, cum lacrymarum effuſione ſemina ſua mittens, cum exultatione manipulos ad æternitatis horrea reportaret, cum populi ſui Principibus collocandus corona iuſtitiæ coronatus. Qui nimirum non quæ ſua ſunt quęrẽs, ſed potiùs quæ ſunt Chriſti, & eidem velut apis argumentoſa deſeruiens, necnon quaſi ſtella matutina in medio nebulæ, ac quaſi Luna plena in diebus ſuis, & ſicut Sol in Eccleſia Dei fulgens, lampadem & tubam in manus aſſumpſit, vt lu-

Religionem Fratrum Minorum, Monialiumq;, ac Tertiariorum inſtituit.

centium operum documentis humiles attraheret ad gratiam, & proteruos à noxiis retraheret exceſſibus, dura increpatione terrendo. Ac ſic virtute charitatis afflatus, in caſtra Madianitarum, Eccleſię iudicium declinantium, per contemptum, eo iuuante, qui dum virginali vtero clauderetur, mundum ſuo circuibat imperio vniuerſum, intrepidus irruit, & abſtulit arma, in quibus confidebat fortis armatus, atrium ſuum cuſtodiés, & diſtribuit ſpolia quæ tenebat, eiuſque captiuitatem captiuam reduxit in obſequium Ieſu Chriſti.

Et tandẽ obdormiuit in Domino.

§. 5. Hoſte itaque triplici in terra poſitus ſuperato, Regno cælorum vim intulit, & illud rapuit violenter, & poſt huius vitæ quamplura glorioſa certamina, de mundo triumphans, feliciter migrauit ad Dominum, multos præueniens ſcientia præditos ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus.

Miraculiſq; pluribus clarnit.

§. 6. Sanè licet eius vita tam ſancta, tam ſtrenua & præclara ſibi ſufficeret, ad obtinendum conſortium Eccleſiæ triumphantis; quia tamen militans, quæ ſolummodò videt in facie, non præſumit de his qui de ſuo foro non ſunt, auctoritate propria iudicare, vt illos pro vita tantùm venerandos aſſumat, præſertim, quia nonnumquam angelus ſatanæ in lucis Angelum ſe transformat; omnipotens & miſericors Deus, de cuius munere venit, quòd prædictus famulus Chriſti, dignè ſibi & laudabiliter deſeruiuit, tantam lucernam abſconſam ſub modio remanere non patiens, ſed eam volens ſuper candelabrum collocari, his qui ſunt in domo luminis, ſolatium præbituram, vitam eius ſibi fuiſſe acceptam, & ipſius memoriam eſſe à militanti Eccleſia venerandam, multis & præclaris miraculis declarauit.

Ideò Pontifex illũ Catalogo Sanctorum Confeſſorum adſcribit.

§. 7. Cùm igitur glorioſæ vitæ ipſius inſignia, ex multa familiaritate, quam nobiſcum habuit in minori officio cõſtitutis, plenè cognita nobis eſſent, & de miraculorum coruſcatione multiplici per teſtes idoneos nobis facta fuerit plena fides, confidentes per Dei miſericordiam, nos, & gregem nobis commiſſum, eius ſuffragiis adiuuari, & quem familiarem habuimus in terris, habere patronum in cælis; habito Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, ipſum adſcribi decreuimus Sanctorum catalogo venerandum.

Eiuſq; Feſtum die 4. Octobris agi iubet.

§. 8. Statuentes, vt quarto Nonas Octobris, die videlicet, quo à carnis ergaſtulo abſolutus, ad ætherea Regna peruenit, ab vniuerſali Eccleſia, natalitia eius deuotè ac ſolemniter celebrentur.

Omnes ad illius venerationẽ hortatur.

§. 9. Quocirca vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus die prędicto in commemoratione ipſius, diuinis laudibus alacriter inſiſtentes, eiuſdem patrocinia humiliter imploretis, vt ipſius intercedentibus meritis, ad eius mereamini conſortium peruenire: illo præſtante, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen. Datum Peruſij quartodecimo Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

De celebrando vbique eius natali ad vniuerſos Prælatos Diploma.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis.

Apoc. 5. v. 8. SICVT phialæ aureæ, quas vidit Ioannes plenas odoramentorũ, quæ ſunt orationes Sanctorum, in conſpectu Altiſſimi, ad abolendam noſtrorum criminũ corruptelam, odorem ſuauitatis emittunt: ita ſaluti noſtræ credimus plurimùm expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſolemnibus recolentes præconiis, quorum in cælis ſperamus interceſſionibus aſſiduis adiuuari. Sanè cùm de conuerſatione, vita, & meritis beati Franciſci, Inſtitutoris & Rectoris Ordinis Minorum Fratrum (qui, iuxta conſilium Saluatoris, cõtemptis tranſitoriis, ſecundùm promiſſionem eiuſdem, ad cæleſtia præmia feliciter & æterna peruenit) cuius vita & fama præclara, peccatorum depulſa caligine, ambulantes in regione vmbræ mortis de vitiorum tenebris ad pœnitentiæ viam vocans (quorum tam virorum quàm mulierum, ad fidem Eccleſiæ roborandam, & confutandam hæreticam prauitatem, viuit & adhuc viget non modica multitudo) tam per vos quàm per multos alios fide dignos, qui miracula, quæ Deus per illius Sancti merita operatur, pleniùs cognouerunt, certiores effecti; auditis etiam virtutibus, & miraculorum inſignibus, & quòd inter carnales ſpiritualiter, & inter homines etiã conuerſationem Angelicam habuiſſet; ipſum, qui cùm Chriſto corporaliter meruit eſſe in cæleſtibus, ne ipſius honori debito & gloriæ detrahere videremur quodammodò, ſi glorificatũ à Domino, permitteremus vlteriùs humana deuotione priuari, de Fratrũ noſtrorum conſilio, & Prælatorum omnium, qui tunc temporis apud Sedem Apoſtolicam conſiſtebant, Sanctorum catalogo duximus adſcribendum. Cùm igitur eius lucerna ſic exarſit hactenus in hoc mundo, quòd per Dei gratiam, iam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari; vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus deuotionem fidelium ad venerationem ipſius ſalubriter excitantes, feſtiuitatem eius quarto Nonas Octobris ſingulis annis ſolemniter celebretis, & pronuntietis conſtituto die ſpecialiter celebrandam, vt eius precibus Dominus exoratus, ſuam nobis tribuat gratiam in præſenti, & gloriam in futuro. Datum Peruſij 7. Idus Iulij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Sanctorũ orationibus peccatoribus ignoſcit Deus.

Inter homines Angelus Franciſcus.

De tranſlatione corporis S. FRANCISCI.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Miniſtro, & Fratribus Ordinis Minorum in Capitulo Generali conſtitutis.

MIRIFICANS miſericordias ſuas Dominus, quæ ſuper omnia opera eius ſunt, vt vnicæ Pſal. 16. v. 7. Pſal. 144. v. 9.

vſque ad Natiuitatem Virginis glorioſæ proximè venturam, ipſius Eccleſiam viſitauerint, transfretantibus mare tres annos, tranſeuntibus Alpes duos, & ceteris vnum, & qui in anniuerſario translationis illuc vſque ad octauam diem reuerenter acceſſerint, annum ſimiliter de iniuncta ſibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Laterani decimoſeptimo Kalend. Iunij, Pontificatus noſtri anno quarto.

De veritate & certitudine ſacrorum Stigmatum B. FRANCISCI.

MVLTÆ *ſunt de ſacris Stigmatibus* FRANCISCI *Pontificum literæ: qui eas ſcire voluerit, conſulat R. P. Antoniũ Daça in ſuo de Stigmatibus libello, Bernardinum Senen. Serm. 16. extraordin. poſt princip. & Rodericum in ſua Collectione literarum Apoſtolicarum. Præ ceteris verò has Alexandri Quarti literas in medium adducendas iudicauimus, eò quòd generaliores, & ipſius Pontificis, tamquam oculati teſtis, & incredibilem deuotionem & indubitabilem fidem repræſentent. Lege attentè, quæſo, Magni Pontificis magnum & ſacrum teſtimonium.*

ALEXANDER EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & alijs Eccleſiarum Prælatis.

BENIGNA opera diuinæ voluntatis in cęlo potens, & innouans ſingula ſapienter, & immutans mirabilia ſuper terram, poſtquam Dei Filius victor mortis, ad Patrem, vnde deſcenderat, vehiculo propriæ maieſtatis aſcendit, mirificè fortitudinis viros ad conſummationem Sanctorum diuerſis temporibus ſuſcitauit, à quibus teſtimonium ſpei gloriæ, cum Chriſto in Deo reconditæ, firmaretur, & Eccleſiæ ſanctæ ad promiſſam requiem feſtinandi in hoc peregrinationis exilio, quod tædioſa deſiderij eius dilatione protrahitur, per ipſos conſolationis ſolatium perueniret. Inter alios autem diebus noſtris beatus Franciſcus almus Chriſti Confeſſor, apparuit ſignis & virtutibus glorioſus. Qui clariſſimus piè viuendi meritis & exemplis, ſanctam fecundauit Eccleſiam; & caligantia præſentis ætatis tempora fulgoris ſui lampade illuſtrans, viam iuſtitiæ perfectæ pręparans in eremo altiſſimę paupertatis, quam ipſe currens, & alacriter exultans cõtra carnem, mundum & dæmonem, velut gigas, traxit poſt ſe de inferi faucibus, & traduxit ad Dominum populum humilem, bonorum operum ſectatorem, ſicut effuſa ſuper faciem orbis terræ copioſa profeſſionis eius religioſa generatio patefacit. Vt autem ad illuminationem gentium celebris eius memoria, tamquam rutilum ſidus in coruſco firmamenti myſtici æthere ſeruaretur, multis eum diuina potentia adhuc militantem inter homines & demum in Sanctorum agmine triumphantem dignata eſt Deificare miraculis, quæ felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter, ne illa vel peruerteret æmula ſanctitatis iniquitas, vel obliuionis digitus, qui rebus geſtis citò ſuperducitur, aboleret,

Dei prouidentia circa ſuã Eccleſiam

Magnus Eccleſiæ profectus ſub Franciſco.

Magna Franciſci miracula diligenter examinata. ſolertiſſimis inquiſitionibus indagata & comperta, fideliſſimis documentis fecit ad laudem Dei, & augmentum fidei, & inſtructionem ſalubrem tam præſentium, quàm etiam futurorum monimentis perpetuis commendari, eumdem Confeſſorem Sanctorum Catalogo adſcribendo, ſicut in plurimis locis liquidò per ipſius prædictas literas apparet, harum rerum ſeriem explicitè continentes. Porrò *Innumerabilia Franciſci portenta.* quia longum eſſet, nedum exarare per ſingula, verùm etiam ſuccincta relatione perſtringere clara virtutis diuinæ prodigia, quæ tam in operationibus ſanitatis, quàm etiam in aliis mirabilibus argumētis probauerunt eumdem Confeſſorem tenere cum Sanctis ſolium gloriꝑ in excelſis: ſignanter vobis ante oculos proponere volumus recolenda frequentiùs, & vehementer admiranda, illa ſaltèm iucunda Dominicæ paſſionis inſignia, quæ in eiuſdem Sancti corpore, dum adhuc vitali ſpiritu foueretur, manus cæleſtis operationis impreſſit. Viderunt namque oculi fideliter intuentes, & certiſſimi palpantium digiti palpauerunt, quòd in mani- *Eius vulnera à plurimis viſa & tacta.* bus eius & pedibus expreſſa vndique ſimilitudo clauorum de ſubiecto propriæ carnis excreuit, vel de materia nouæ creationis accreuit; quæ equidem idem Sanctus ſtudioſè ab oculis hominum, quorum refugiebat gloriam, dum viueret, abſcondebat. Inuenta eſt patentiùs in ipſius defuncti corpore, non inflicta humanitus, nec facta, *De plaga laterali* plaga vulneris lateralis, quaſi aliquid inſtar lateris Saluatoris, quod ſaluationis & redemptionis humanæ in Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Quæ quidem plaga, ſicut quoſdam ex Fratribus ſibi familiaritèr adhærentibus latère non potuit, propter defluxum humoris diu anteà viruerat in viuente. Hæc igitur mira & decora nouæ demonſtrationis indicia magnꝑ debent eſſe deuotionis diuitiæ Chriſtianis, & inæſtimabiles Religioſis deliciæ in ſpiritualibus communis Eccleſiæ orthodoxæ, cùm ex his ſincera fides Chriſti accipiat, quòd *Qui ſint Chriſti paſſionis conſortes.* etiam illi fuerint paſſionis Chriſti ſine extrinſeco perſecutore conſortes, qui pro eius amore carnem *Gal. 5. 24* ſuam cum vitiis & concupiſcentiis voluntariè crucifigunt. Sanè de præfato Sancto hꝑc certiùs aſſerentes, indoctas fabulas, ſeu vanæ inuentionis deliramenta non ſequimur, cùm ea nobis dudum nota fecerit plenior fides rerum, quando *Alexandri IV. certa notitia de Stigmatibus B. Franciſci.* videlicet in minoribus conſtituti, Confeſſoris eiuſdem familiarem ex munere diuino meruimus habere notitiam; præfati Prædeceſſoris noſtri domeſticis obſequiis tunc temporis inſiſtendo. Cùm igitur oporteat cauere prudenter, ne tanta patrocinij gratia, humano generi cælitus in memorato Confeſſore collata, in vacuum aſſumatur; vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, hortamur attentè, per Apo- *Prælatos ad eius deuotionem iubet hortari ſuos ſubditos.* ſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eiuſdem Confeſſoris pretioſa merita, miraculoſa magnalia, & ſalutarem memoriam celebritate annua, prædicatione frequenti, & veneratione recenſentes, ad ipſius deuotionem gratiæ diuinæ memoriam ſubditos veſtros celebribus monitis excitetis, vt eo pro vniuerſo fidelium populo, ac præſertim pro his qui ſe inuocauerint,

rint, diuinam miſericordiam implorante mereātur ſupplices, quod operum poſſibilitas obtinere non poteſt, eius interceſſionibus impetrare. Nemo itaque eidem Sancto audeat de cetero eſſe moleſtus, in corpore ſuo Chriſti triumphalia Stigmata præferenti. Si quis igitur ſpiritu temerariæ præſumptionis inſaniens, diuini muneris inuidus, Apoſtolica iudicia ſacrilegus impugnator præmiſſa, vel alia prodigiorum ſigna, quibus in Eccleſia Dei ſanctitas prædicti Confeſſoris eluxit, improbæ contradictionis morſibus obtrectanda crediderit: volumus & mandamus, vt eum ſanæ menti reſtituat iudicialis ſeueritas diſciplinæ, ita quòd diſtricta proprij Prælati caſtigatione correctus, Dei opera blaſphemare dediſcat, & fidei Catholicæ fructus de pia mirabilium Domini credulitate pullulans non areſcat.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ prohibitionis, confirmationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Anagniæ quarto Kalend. Nouembris, Pōtificatus noſtri anno primo.

De funere & tumulo prodigioſo beati Patris FRANCISCI.

VT curioſi & deuoti Lectoris deſiderio in omnibus ſatisfacere videar, & ne portentorum tanti noſtri Auctoris præcipuū prætermiſiſſe dicar, æquum iudicaui, vt prodigium illud naturæ, cæli miraculum, quo mortui viri corpus per tot ſæcula in pedes erectum, faciem immutatam, lumina illæſa, oculoſque in cælum erectos, & vulnera ſacro recentique ſanguine manantia, in hunc vſque diem conſeruari Deus decreuit, pro coronide huius Operis apponerem. Stupendæ huius ſtationis, & à ſæculis inauditi priuilegij, præter alios teſtis fuit oculatus Nicolaus Quintus Pontifex Maximus Optimuſque, & deuotione in Dei virum eiuſque Inſtitutum ſingularis. Tranſcripſi quæ ſcripſit, ſiue potiùs exſcripſit Rodulphus, ab eoque tranſtulit in ſuam Hiſtoriam Seraphicam Henricus Sedulius, multa fide, in iis quæ ſcribit, digniſſimus. Eadem apud alios etiam inuenies, apud quos de Typographia, loco, & tempore conſtabit, quæ in hac epiſtola deſiderare viſus eſt Antonius Poſſeuinus in ſuo Apparatu ſacro, litera F. ſub nomine Franciſcus Aſſiſias*, poſtquam eiuſdem Franciſci recitauit Opuſcula.*

Epiſcopus Senegallorum l. 2. Hiſt. Seraph. Relig. Sedul. Com. in c. 15 Leg. B Franc. n. 7.

Epiſtola Franciſci de Bautio Ducis Andriæ, ad Andrienſium Epiſcopum, de prodigioſa ſtatione funeris S. FRANCISCI.

SCRIPTVRVS ego ad te Pontificis Nicolai progreſſum, qui Seraphici Patris Franciſci corpus viſitauerat perſonaliter, veritus ſum, ne, vt parum inſtructus, tamquam imperitus à probis & grauibus viris arguar. Attamen quoniam in negotio, quod aggredior, non leuitate (vt ita dicam) aut temeritate aliqua, quin potiùs reuerentia & deuotione fretus ſum, idcircò ad te admodum Reuerendum hanc epiſtolam, etſi incultam, omni tamen veritate plenam, deſtinare curaui. Ad te, inquam, qui poteſtate tibi

ſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono beati Petri Apoſtoli Sedem ſtrenuè gubernabat. Huic, dum Aſſiſij moram traheret, venit in mentem, vt B. Franciſci corpus oculis propriis inſpiceret, ob quam cauſam accerſitus eſt ab eo Dominus Petrus de Noceto; ad quem Pontifex, Vade, inquit, ad Guardianum loci huius, & meo nomine illi ſignificabis, me omnino viſitaturum eſſe & viſurum B. Franciſci corpus. Iuit autem Petrus, & iuſſa ſibi impoſita perficiens, reuerſus eſt ad Pontificem, dicens: Feci, Beatiſſime Pater, quod mandaſti. Guardianus autem, ijs auditis ſermonibus, nimio pauore correptus eſt, ita vt in magno dubitationis agone fuerit poſitus: ex vna enim parte contradicere non audebat voluntati Summi Pontificis; ex altera verò verebatur, ne tam ſacrum & pretioſum pignus auferretur ab Ordine, veluti per alios priùs fuerat attentatum, & ipſe poſtmodum calumniam ſuſtineret à ciuibus. Eapropter adiens Pontificem, modò huc, modò illuc, tamquam demens & vagus incedebat, celans animum ſuum. Cùm autem fortiter cogeretur, vt Pontificium impleret mandatum; petiit humiliter, vt rem iſtam Fratribus loci palàm facere permitteret Pontifex: qui poſtquam illos fuiſſet allocutus, ad Pontificem iterùm reuerſus eſt, dicens: Obedientiam, prout Ordinis dignitas expoſtulat, tibi præbere parati ſumus, Beatiſſime Pater, dummodò vnum, iuxta beneplacitũ noſtrum, impleueris. Porrò, ſi tui deſiderij cupis eſſe compos., tribus tantùm, & non pluribus tecum aſſumptis, ad locum deſcendere neceſſe eſt. Quinta verò noctis hora adueniente, deſcendet tua Sanctitas; & oculis propriis conſpicies quem ardenter videre deſideras. Quo audito Nicolaus Pontifex, qui rectè & ſinceriter ſe gerebat in negotio, lætus inquit, Aſſentior. Gallicus verò quidam Epiſcopus, magna auctoritate vir apud Pontificem, hæc audiens, Pontificem allocutus eſt, dicens: Non tibi conuenit, Beatiſſime Pater, horum Fratrum aſſentiri voluntati, propter ſcandalum, quod Eccleſiæ Dei aduenire poſſit. Ad quem Summus Pontifex, Non ſic erit, inquit; quoniam rectè ac fideliter in hoc negotio pergo; idcircò, Deo præſtante, mei deſiderij compotem me fore ſpero. His dictis, Pontifex Nicolaus elegit me Auſtergium, Petrum de Noceto, & præhabitum Epiſcopum Gallicum: Guardianum verò cum tribus Fratribus ſimul adeſſe mandauit, viſitaturis ipſis & viſuris corpus beati Patris: qui nobis iuncti, ſuiſque indumentis depoſitis, hora congruenti cùm adfuiſſemus ad paratum locum, amoti ſunt lapides, cum quibus ianua fabricata erat: gradusque marmoreos diligenter aſpeximus, quos & magno ſilentio deſcendimus. Et ecce oſtium ferreum habuimus obuium, in quo tres catenæ ferreæ ex ordine ſtabant, quæ illicò fuerunt apertæ clauibus. Tunc Guardianus flexis genibus Pontificem allocutus, ait: Ingredere, Pater ſanctiſſime. Qui ſolus ingrediens, ante pedes ſancti corporis proſtratus humiliter, tam vehementer plorabat, vt fremitus audiretur à nobis.

Auſtergij Cardinalis enarratio.

Nicolaus V. auet videre S. Franciſci corpus.

Deſcendit in templum ſubterraneũ, vbi corpus ſancti Franciſci

Poſtquam verò Summus Pontifex

tifex conſecutus eſt, quod deſiderium ſuum flagitabat; ad ſe reuerſus, introduxit & nos: qui cùm perueniſſemus ad locum, ſtupor equidem incredibilis omnes inuaſit. Verè inueſtigabiles viæ Domini, & iudicium eius ab omni humana cogitatione prorſus alienũ. Quis vnquam audiuit, aut quis talia effatus eſt, vt corpus humanum per tot æua mortuum ſuper plantas proprias rectè ſtaret? Sed non fuerat abbreuiata manus Domini. Erat autem locus ille, cernentibus nobis, inſtar paruæ Eccleſiæ, habens tres * tribunas in teſtudine rectas. Media verò, quæ ab interiori parte erecta erat, miro marmoreo tabulato fabricata videbatur: in cuius medio * laſtra marmorea poſita erat, ſupra quam ex Orientali latere corpus illud ſacrum Franciſci Seraphici erectum ſtabat, facie ad occaſum tendens, & oculis eleuatis in cælum: manus verò cooperta erant habitus manicis, & ſimul iunctæ, vt Fratres ferre conſueuerunt. *Erat autem corpus ita incorruptum, quaſi eſſet prima die poſitum; videbatur enim quaſi dormiens. Ex alio verò latere alium erectum ſtantem vidimus, habitu beati Dominici indutum, qui & manus ſimul iunctas habebat, cum articulis ſurſum iunctis, veluti mos eſt orantium: oculi verò eius ad beati Franciſci pedes intuebantur. Ambo autem ita lucidos & ſplendentes habebant oculos, vt nulla ad viuos eſſet differentia. Odor inſuper ſuauiſſimus talis erat, vt olfactus hominum numquam talem ſenſerit.

Rom. 11. v. 33.

Quod erectum ſtabat in pedes.

Iſa. 59. v. 1.

* *id eſt* fornices *ſiue* teſtudines.

* baſis *ſeu* fulcimentum aliquantùm à terra erectum.

Oculis eleuatis in cælum.

Cumque Summus Pontifex à lacrymis & gemitibus abſtinuiſſet aliquantulùm, ad beati Franciſci pedes iterùm procumbens, manu fimbriam eius veſtimenti extulit: nos verò ſine ſotularibus pedes adſpeximus. O igitur felices oculi, qui hæc videre meruerunt! O fortunati animi, qui hæc meditari digni inuenti ſunt! Magna enim his fuerat collata gratia, vt in ſeruum liquidò aſpicerent, quæ in Deum minimè videre poterant. Erat enim in pedis Sancti medio foramen cum ſanguine ita recenti, ac ſi tunc mucrone pes fuiſſet confoſſus. Cuius quidem rei aſpectu ſingultus magnus omnes arripuit. Et quis cogitare poſſet animi motionem? animum præ deuotione liqueſcere? alienari ſenſum? & vires totas deſtitui? Omnes autem ante receſſum è loco oſculum dedimus ſancto pedi, omneſque pariter ob odorem refocillati ſumus. Pes verò alius fimbria habitus operiebatur: nec nobis viſum fuit illum violenter arripere. Manus ſimiliter perforatæ vt pedes cernebantur, recentem ſanguinem oſtendentes. O igitur memoria profunda noſtræ redemptionis, in ſeruo intueri, quæ in Redemptore priùs fuerant! O igitur ſacra vulnera, & dulci oſculatione digna, quæ poſt humanum lapſum in remedium data ſunt! Et quis noſtrûm, qui ibidem aderamus, auſus fuit ampliùs corpus ſacrum tangere, niſi ſolus Summus Pontifex? Ipſe enim manus illius pretioſas deuotiſſimè oſculatus eſt, oſculumque ſacro ori dedit. A quinta verò noctis hora vſque ad vndecimam illic manſimus, ſuauiſſimo odore repleti. Cùm verò à narrantibus nuntiatum fuit nobis, diem

Vulnus pedis eius ſanguine manauit.

Item perforata manus cernebantur & ſanguinolenta.

diem propè eſſe, doluit quàm maximè: viſum enim fuerat nobis per horam ibi fuiſſe.

In illis verò tribunis ſociorum beati Franciſci corpora tumulata iacent: vnuſquiſque enim locum ſuum poſſidet, vnus hinc, & alter hinc: ante oſtium verò loci iacet corpus illius ecſtatici viri Dei Fratris Ægidij: quorum corpora abſque diminutione vlla, integra cernuntur, ſuauiſſimum odorem redolentia. Ad extremum autem cum magna animi fortitudine roborati, omnes inde receſſimus. Cardinalis verò Auſtergius, quem ſuperiùs memorauimus, quamuis in memorata infirmitate aliquantulùm conualuiſſet in die, attamen nocte ſequenti naturæ debitum ſoluit. Nec eſt dubitandum, quòd tantus homo, à quo hæc quę narrauimus, accepimus, dú ad vitæ perueniſſet extrema, cõpoſuiſſet mendacium, referens illa, quæ vera non eſſent. *Vera hæc.* Affirmabat quoque antequam ſpiritum cælo redderet, quòd Nicolaus Pontifex dum è loco illo ſacro recederet, promiſiſſet Guardiano, & ceteris qui ſimul aderant, nulli mortalium palàm facere quæ viderat, dum ipſe viueret, quamuis non paruipenderet illa manifeſta fieri apud homines deuotos & probos, qui non ſecundùm carnem ambulant. *Etſi non omnibus nota.*

Epitaphium ſepulchri B. P. Franciſci.

V. S. C. A.

FRANCISCI ROMANI
CELSA HVMILITATE CONSPICVI
CHRISTIANI ORBIS FVLCIMENTI
ECCLESIÆ REPARATORIS
CORPORI NEC VIVENTI NEC MORTVO
CHRISTI CRVCIFIXI PLAGARVM
CLAVORVMQ. INSIGNIBVS ADMIRANDO
PAPA NOVÆ FETVRÆ COLLACRYMANS
LÆTIFICANS ET EXVLTANS
IVSSV, MANV, MVNIFICENTIA POSVIT
ANNO DOMINI M. CC. XXVIII.
XVI. KALENDAS AVGVSTI.
ANTE OBITVM MORTVVS, POST OBITVM VIVVS.

INSCRIPTIONEM *hanc tumulo à ſe præparato poni curauit Gregorius Nonus. Illam exſcripſit Nobilis quidam Aſiſias, qui Ducem Mediolanenſem Sfortiam comitatus eſt, quando hoc corpus inuiſit: ab hoc deſcendit ad poſteros, à quibus ego eam accepi. Quatuor literæ capitales ita explicantur:* VIRO. SERAPHICO. CATHOLICO. APOSTOLICO. *Romanus verò dicitur Franciſcus, ob ſummam erga Romanam Eccleſiam ſubiectionem, conſtantemque erga Romanam fidem affectum, vel quia Aſiſium ditionis eſt Romanæ.*

DOCTA ET DEVOTA MAGISTRI NICOLAI DE LYRA CONTEMPLATIO,

in qua eruditiſſimè potiora Diui FRANCISCI Vitæ geſta, ſub decem Antiphonis, decemque Pſalmis, iuxta totidem eiuſdem Sancti nominis litteras, continentur.

EIVSDEM MAGISTRI AD LECTOREM.

POSTQVAM, *auxiliante Domino, ſcripſi quædam Opera ſuper vtrumq; Teſtamentum, publicè recitanda in ſcholis; eodem confiſus auxilio, volo conuertere calamum ad ſcribendum quoddam Opuſculum, magis recitandum in ſecreto deuotæ Orationis. Habebit autem hoc Opus breuè tres particulas, ſcilicet Præfationem, & Orationem, & Orationis expoſitionem. Secunda pars erit communis omnibus beato* FRANCISCO *deuotis. Prima verò & tertia magis conuenient hominibus literatis, qui non ſolùm debent orare, ſed etiam orationis ſuæ ſenſus intelligere, vt deuotiùs proferatur.*

PRÆFATIO.

Iob 5.v.1 VOCA, *ſi eſt qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum conuerterè.* Deus omnipotés, miſericors, & benignus, ſemper eſt paratus exaudire omnes ipſum inuocantes debitè pariter ac deuotè. *Propè eſt*

Deus ſemper paratus ad exaudiendum orantes.

Dominus omnibus inuocantibus eum Pſal.144.
in veritate. Propter quod cùm di- v.18.
citur in verbo propoſito, *Voca, ſi eſt qui tibi reſpondeat,* hæc coniunctio *ſi,* pro *quia* tenetur; quia Deus ſemper eſt paratus reſpondere per exauditionis effectum omnibus inuocantibus ipſum; dum tamen oratio ſua ſit pro ſe perſeuerans, & de pertinentibus ad ſalutem. Verumtamen, quia Sanctorum Deo præſentium orationes ſunt magis efficaces ad impetrandum, ideò benè ſubditur, *& ad aliquem Sanctorum conuertere;* ſcilicet per ſpecialem deuotionem, vt oratio tua velociùs exaudiatur apud Deum, per eius interceſſionem. Igitur ad beatum Franciſcum, Chriſti ſigniferum, me conuerto, ſcribens ad illius laudem decem Antiphonas ſecundùm numerum litterarum in hoc nomine FRANCISCVS cõtenta- *Operis*
tum, & per eaſdem litteras inci- *partitio.*
pientes, continenteſque curſum & ordinem vitæ ſuæ. Prima enim eſt de conuerſatione beati Franciſci in habitu ſæculari. Secunda, de conuerſione eius perfecta. Tertia, de approbatione Regulæ. Quarta, de efficacia prædicandi. Quinta, de feruore charitatis & deſiderio martyrij.

tyrij. Sexta, de exceſſu orationis, & ſpiritu prophetiæ. Septima, de obedientia creaturarum. Octaua, de Stigmatibus ſacris. Nona, de tranſitu ipſius. Decima, de ſignis poſt eius mortem oſtenſis, & Sancti canonizatione.

INCIPIT ORATIO *De conuerſatione B. Franciſci in habitu ſæculari.*

ANTIPHONA.

Franciſcus cum iuuenibus laſciuiam non ſequitur,

Munera dat pauperibus, ad maiora diſponitur.

PSALMVS LXXXVI.

FVNDAMENTA eius in montibus ſanctis: diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.

Glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & Principum, horum qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

Sicut erat in principio, *&c.*

ANTIPHONA. Franciſcus cum iuuenibus, *&c.*

De perfecta eius conuerſione ad Deum, & reparatione trium Eccleſiarum.

ANTIPHONA.

Relicto foris ſtrepitu quærit Chriſti vias,

Crucifixique monitu tres reparat Eccleſias.

PSALMVS CXVIII.

RETRIBVE ſeruo tuo, viuifica me: & cuſtodiam ſermones tuos.

Reuela oculos meos: & conſiderabo mirabilia de lege tua.

Incola ego ſum in terra; non abſcondas à me mandata tua.

Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas, in omni tempore.

Increpaſti ſuperbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.

Aufer à me opprobrium & contemptum: quia teſtimonia tua exquiſiui.

Etenim ſederunt Principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.

Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt: & conſilium meum iuſtificationes tuæ.

Gloria Patri, & Filio, *&c.*

Sicut erat, *&c.*

ANTIPH. Relicto foris, *&c.*

De approbatione Regulæ.

ANTIPHONA.

Antiſtes Innocentius videns creſcentem plantulam,

Templum cadens, attentiùs Fratrum approbat Regulam.

PSALMVS CXXII.

AD te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.

Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.

Miſerere noſtri Domine, miſere-

re noſtri, quia multùm repleti ſumus deſpectione.

Quia multùm repleta eſt anima noſtra, opprobrium abundantibus, & deſpectio ſuperbis.

Gloria Patri, &c.

ANTIPH. Antiſtes Innocentius, &c.

De efficacia prædicandi.

ANTIPHONA.

Nobilis prædicatio Franciſci, quam præambula

Dirigit reuelatio, & confirmant miracula.

PSALMVS CXXVI.

NISI Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite, poſtquam ſederitis, qui manducatis panem doloris.

Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini, filij; merces, fructus ventris.

Sicut ſagittæ in manu potentis, ita filij excuſſorum.

Beatus vir, qui impleuit deſiderium ſuum ex ipſis: non confundetur, cùm loquetur inimicis ſuis in porta.

Gloria Patri, &c.

ANTIPH. Nobilis prædicatio, &c.

De prærogatiua virtutum & deſiderio martyrij.

ANTIPHONA.

Charitatis incendium cum ceteris virtutibus

Incitat ad martyrium, quod quęrit totis viribus.

PSALMVS CXV.

CREDIDI, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius.

O Domine, quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini inuocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem.

Gloria Patri, &c.

ANTIPH. Charitatis incendium, &c.

De exceſſu orationis, & ſpiritu prophetia.

ANTIPHONA.

In Deum hunc oratio ſurſum eleuat ecſtatica,

Quem Dei radiatio luce replet prophetica.

PSALMVS CXXV.

IN conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati.

Tunc repletum eſt gaudio os noſtrum, & lingua noſtra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: Magnificauit Dominus facere cum eis.

Magnificauit Dominus facere nobiſcum: facti ſumus lætantes.

Con-

Conuerte Domine captiuitatem noſtram, ſicut torrens in Auſtro.

Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.

Euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos.

Gloria Patri, *&c.*

Antiph. In Deum hunc, *&c.*

De obedientia creaturarum ad ipſum.

Antiphona.

Seruo ſui Creatoris creaturæ deſeruiunt;

Eius, tamquam præceptoris, dæmones verbo fugiunt.

Psalmvs cxxviii.

Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Iſraël.

Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.

Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem ſuam.

Dominus iuſtus concidit ceruices peccatorum: confundantur & conuertantur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

Fiant ſicut fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur, exaruit.

De quo non implebit manum ſuam qui metet, & ſinum ſuum qui manipulos colliget.

Et non dixerunt qui pręteribant: Benedictio Domini ſuper vos, benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri, *&c.*

Antiph. Seruo ſui, *&c.*

De Stigmatibus ſacris.

Antiphona.

Chriſto iam chariſmatibus conformatus interiùs,

Paſſionis Stigmatibus conſignatur exteriùs.

Psalmvs cxxxvii.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.

In conſpectu Angelorum pſallam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Super miſericordia tua & veritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne, nomen ſanctum tuum.

In quacumque die inuocauero te, exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes Reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini.

Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta à longè reſpicit.

Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum; opera manuum tuarú ne deſpicias.

Gloria Patri, *&c.*

Antiph. Chriſto iam, *&c.*

De ſacro tranſitu ipſius.

Antiphona.

Viſio ſtellæ fulgidæ ſtolam primam certificat,

In morte carnis liuidæ candor ſecundam indicat.

Psal-

PSALMVS CXLI.

VOCE mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum.

Effundo in conſpectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuntio.

In deficiendo ex me ſpiritum meum, & tu cognouiſti ſemitas meas.

In via hac, qua ambulabam, abſconderunt ſuperbi laqueum mihi.

Conſiderabam ad dexteram, & videbam: & non erat qui cognoſceret me.

Periit fuga à me, & non eſt qui requirat animam meam.

Clamaui ad te Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium.

Intende ad deprecationẽ meam: quia humiliatus ſum nimis.

Libera me à perſequentibus me: quia confortati ſunt ſuper me.

Educ de cuſtodia animam meam ad confitendũ nomini tuo: me expectant iuſti donec retribuas mihi.

Gloria Patri, *&c.*

ANTIPH. Viſio ſtellæ, *&c.*

De canonizatione ipſius.

ANTIPHONA.

Signis mortem ſequentibus panditur Sancti gloria,

Adſcriptus cæli ciuibus colitur in Eccleſia.

PSALMVS CXXXVI.

SVPER flumina Babylonis, illic ſedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.

In ſalicibus in medio eius, ſuſpendimus organa noſtra.

Quia illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum:

Et qui abduxerunt nos; Hymnum cantate nobis de canticis Sion.

Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea.

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui:

Si non propoſuero Ieruſalem, in principio lætitiæ meæ.

Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem.

Qui dicunt: Exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.

Filia Babylonis miſera: beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.

Gloria Patri, *&c.*

ANTIPH. Signis mortem, *&c.*

Explicit ſecunda pars.

ADMONITIO LYRANI AD LECTOREM.

INCIPIT *Orationis expoſitio, circa quam, ſecundùm quod in Antiphonarum expoſitione, propono præmittere verba Domini Fratris Bonauenturæ quondam Albanenſis Epiſcopi, quæ mihi videntur melliflua; quibus viſis, Antiphonarum ſententia legentibus apparebit. In expoſitione verò Pſalmorum non ſic poſſunt eius verba litteræ Pſalmorum adaptari, propter varium modum loquendi Propheticum, qui, ſecundùm tactum Spiritus ſancti, de vna materia tranſit ad aliam. Applicabo tantùm ipſis ſententiam Legendæ beati Franciſci, prout potero, bono modo.*

CA-

CAPVT I.

Verba Domini Bonauenturæ in Legenda minori, capitulo primo, De conuerſatione beati Franciſci in habitu ſæculari.

FRANCISCVS de Vallis Spoletanæ partibus, ciuitate Aſſiſij, trahens originem; primumque Ioannes vocatus à matre, dehinc Franciſcus à patre, vocationis quidem paternæ vocabulum tenuit, ſed rem materni nominis non reliquit. Licet inter vanos fuerit hominum filios iuuenili ætate nutritus in vanis, & poſt aliqualem litterarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis; ſuperno tamen ſibi aſſiſtente præſidio, nec inter laſciuos iuuenes poſt carnis petulantiam abiit, nec inter cupidos mercatores ſperauit in pecunia & theſauris. In ipſo quippe iuuentutis flore firma ſe Domino ſponſione cōſtringens, quòd numquam, ſi poſſibilitas afforet, petentibus pro amore Domini ſe negaret; dum promiſſum tam nobile vſque ad mortem ſeruare non deſtitit, ad copioſiora in Deum dilectionis & gratiæ incrementa peruenit.

Hæc in prima Antiphona breuiter continentur, cùm dicitur: Franciſcus cum iuuenibus laſciuiam non ſequitur: munera dat pauperibus, ad maiora diſponitur.

Expoſitio primi Pſalmi.

FVNDAMENTA EIVS, &c. Secundùm vulgare dictum poëticum, *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.* Beatus verò Franciſcus optimè cœpit à tempore iuuentutis, vt patet per prædicta: propter quod de ipſo benè dicitur, FVNDAMENTA EIVS, id eſt, initia eius ſanctitatis, IN MONTIBVS SANCTIS, id eſt, in virtutibus excelſis. Quæ virtutes fuerunt caſtitas inter laſciuos iuuenes, & miſericordiæ largitas inter cupidos mercatores. Sicut & ſancti Lot excellens ſanctitas notatur à Doctoribus in hoc, quòd inter peſſimos homines ſanctè vixit, & quia ſcribitur libro De Eccleſiaſticis dogmatibus: *Bonum eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare; ſed melius eſt intentione ſequendi Chriſtum totum in ſimul donare; & abſolutus ſollicitudine, cum Chriſto egere.* Quod perfectiſſimè fecit beatus Franciſcus, ideò ſequitur:

Gen. 19.

Auctor lib. de Eccleſ. dogmatibus, c. 70. in Append. Tomi 3. Operum Auguſt.

DILIGIT DOMINVS PORTAS SION, id eſt, aggreſſum vitæ contemplatiuę, SVPER OMNIA TABERNACVLA IACOB. id eſt, ſuper exercitia vitæ actiuæ, quæ per tabernacula Iacob deſignantur, eò quòd in ipſis quædam lucta & diſtractio mentis admiſceantur, ſecundùm quod dicit Dominus: *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima; porrò vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et quoniam de B. Franciſco & de ſanctis Fratribus, ipſum contemptu temporalium & appetitu cæleſtium ſequentibus, multa digna laudibus dicta ſcriptaque ſunt, ideò ſequitur:

Lucæ 10. v. 41.

GLORIOSA DICTA SVNT DE TE CIVITAS DEI. Ciuitas autem eſt ciuium vnitas; & ideò Religio B. Franciſci benè deſignatur nomine ciuitatis, eò quòd efficaciter inducit ad vnitatem charitatis. Vnde dicit idem Sanctus in Regula ſua: *Si mater nutrit & diligit filiũ ſuum carnalem, quantò diligentiùs quis de-*

Regula 2. c. 6. To. 2

 bet

bet diligere & nutrire Fratrē ſuum ſpiritualem? Et quoniam verbis & exemplis B. Franciſci aliorumque Fratrum, bonorum reiecta ſæculari pompa, ciuitatem hanc Dei ſunt ingreſſi multi, de bono in melius proficientes, ideò ſubditur in perſona Domini:

MEMOR ERO RAHAB ET BABYLONIS SCIENTIVM ME. Sicut dixi diffuſiùs ſuper librum Pſalmorum, *Rahab* non eſt hîc proprium nomen mulieris, quæ recepit exploratores Hebrǫorum: ſed eſt nomen commune, ſignificans *ſuperbum* vel *ſuperbiam*, quæ in omni mortali peccato includitur. *Babylon* autem *confuſio* interpretatur. Dicit ergo Dominus: MEMOR ERO RAHAB ET BABYLONIS: id eſt, peccatorum confuſione, gratiam & gloriam adducente, quæ pudor eſt de peccatis commiſſis. SCIENTIVM ME: quia taliter confuſi proficiunt in notitia Dei, & ſui. De quibus adhuc ſubditur:

Ioſue 2.

ECCE ALIENIGENÆ, ET TYRVS, ET POPVLVS ÆTHIOPVM, HI FVERVNT ILLIC. Peccatores autem ante pœnitentiam alienigenæ ſunt, id eſt, ab alieno patre, ſcilicet diabolo, geniti. *Vos ex patre diabolo eſtis. Tyrus* autem interpretatur *anguſtia*, quæ frequenter maior eſt in perpetrandis peccatis, quàm in operibus meritoriis. *Laſſati ſumus in via iniquitatis* (inquiunt peccatores) *& perditionis, ambulauimus vias difficiles*, &c ET POPVLVS ÆTHIOPVM; id eſt, homines in fama denigrati, ante ſuam conuerſionem, à ſuorum turpitudine peccatorum; HI FVERVNT ILLIC. Nam plures de prædictis peccatoribus, veraciter pœnitentes, Religionem iſtam ingreſſi ſunt, nomine *Sion* ſignificatam, in ea conſummantes laudabiliter vitam ſuam. Dilatationem verò huius Ordinis & profectus beatus Franciſcus prophetice prædixit, ſecundùm quod dicit Dominus Bonauentura de ipſo: *Poſt hac conuerſus ad Fratres, Confortamini (ait) & gaudete, nec quia pauci eſtis, efficiamini triſtes; nec vos terreat mea vel veſtra ſimplicitas: quoniam, ſicut mihi à Domino in veritate oſtenſum eſt, in magnam multitudinem nos faciet creſcere Deus, ſuaque benedictionis gratia multipliciter dilatabit.* Et hoc eſt quod ſubditur:

Ioan. 8. v. 44.

Sap. 5. v. 7.

Bonau. c. 3. Legen. ad med.

NVMQVID SION DICET: HOMO. Hic homo eſt B. Franciſcus ad ſtatum innocentiæ reformatus, prout infrà, titulo De obedientia creaturarum ad ipſum, pleniùs apparebit. Et ipſe dilatationem ſui Ordinis per SION ſignificati prædixit. ET HOMO NATVS EST IN EA. nam reuocatio vitæ ſuæ per aſſumptionem perfectionis Euangelicæ, quædam natiuitas dici poſſet, ſecundùm illud: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* ET IPSE FVNDAVIT EAM ALTISSIMVS. id eſt, ipſe Chriſtus (qui eſt Altiſſimus) fundauit hanc Religionem, ponens beatum Franciſcum primarium lapidem, aptum ad ſuſtinendum, cum Dei adiutorio, ædificij ſuperædificandi magnitudinem. Et quoniam facta notabilia haberi debent in memoria, Scripturæ verò deſeruiunt memoriæ, ideò ſequitur:

Ioan. 1. v. 13.

DOMINVS NARRABIT, id eſt, narrari faciet, IN SCRIPTVRIS POPVLORVM, id eſt in picturis, quæ ſunt libri laicorum. In multis enim

Eccle-

Eccleſiis & locis facta beati Franciſci, ad excitationem deuotionis fidelium, depinguntur. ET PRINCIPVM HORVM id eſt in Scripturis Prælatorum & Clericorum, qui Principes ſunt, quantum ad regimen animarum, ſecundùm illud: *Vos eſtis genus electum, regale Sacerdotium.* Et plures de iſtis Principibus ad laudem beati Franciſci plurima conſcripſerunt. Dominus enim Gregorius Papa Nonus fecit Hymnum, *Proles de cælo prodiit.* & Antiphonam, *Plange turba paupercula.* & Proſam, *Caput draconis,* &c. Dominus Thomas Presbyter Cardinalis de Capua fecit Hymnum, *In cæleſti collegio.* Et Antiphonam, *Salue ſancte Pater,* &c. Dominus autem Raynerius de Viterbio Cardinalis fecit Hymnum, *Plaude turba paupercula,* &c. & Antiphonam, *Cælorum candor ſplenduit.* Dominus autem Frater Bonauentura de Balneoregio Epiſcopus Albanenſis ſcripſit vtramq; Sancti Legendã; in quarum maiori de talibus ſic loquitur, titulo De Stigmatibus ſacris: *Viderunt etiam Stigmata, ex familiaritate, quã cum viro ſancto habebant, aliqui Cardinales, qui laudes ſacrorum Stigmatũ Proſis, & Hymnis, & Antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorẽ, veraciter inſerentes, tam verbo quàm ſcripto perhibuerunt veritati teſtimonium.* ideò ſubditur:

1. Pet. 2. v. 9.

Bonau. c. 13. Legen. poſt med.

SICVT LÆTANTIVM OMNIVM HABITATIO EST IN TE. Nam Fratres, qui erant & qui ſunt in hac Religione, profeſſione & habitu venerabiles in ea, dicti viri, & alij conſimiles, qui erant, & qui ſunt, deuotionis affectu de gloria dicti Patris lætabantur communiter, & lætantur.

CAPVT II.

Dominus Bonauentura, de perfecta conuerſione eius ad Christum & reparatione trium Eccleſiarum.

Ex tunc à publicæ negotiationis tumultu ſe ſubtrahens, ſolitaria loca quærebat, amica mœroribus. In quibus cùm gemitibus inenarrabilibus inceſſanter intenderet, poſt longam precũ inſtantiam, qua ſibi perfectionis ſemitam à Domino poſtulabat oſtendi, ad votum exaudiri promeruit. Deuotione quoque ſibi aſſiſtente fidelium, qui præclaram in viro Dei iam cœperant noſſe virtutem, non ſolùm ſancti Damiani, verùm etiã Principis Apoſtolorum, ac Virginis glorioſæ ruinoſas ac derelictas reſarciuit Eccleſias: vt quæ per eum Dominus in poſterum operari diſponeret, ſenſibili foris opere myſterialiter præſignaret. Nam inſtar reparatæ triplicis fabricæ, ipſius ſancti viri ducatu, ſecundũ datam formam ab eo, Regulam, & doctrinam, Chriſti triformiter reparanda erat Eccleſia; ſicut & vox facta ad eum de Cruce tertiò replicãs, *Vade Franciſce, repara domum meam, quæ labitur,* de domus Dei reparatione mandatum præambulum extiterat ſignum, & nunc in tribus ab eo Ordinibus, inſtitutis cernimus eſſe completum. Et hoc eſt quod dicitur breuiter in Antiphona ſecunda, *Relicto foris ſtrepitu,* &c.

Expoſitio Pſalmi ſecundi.

RETRIBVE SERVO TVO, &c. Iſta poſſunt eſſe verba poſt eius retractionem à tumultu negotiationum ſæcularium, quibus orabat à Domino ſibi vitam Euangelicæ perfectionis oſtendi; quaſi dicens:

 cens:

cens: Tu qui retributor es bonorum omnium RETRIBVE mihi SERTO TVO pro carnalibus relictis ſpiritualia, & pro tranſitoriis æterna; ſicut dixiſti, Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, centuplum accipiet,* (id eſt ſpiritualia bona, quæ merito ſui ad carnalia ſic ſe habent, ac ſi centenarius numerus paruo numero comparetur, vt exponit beatus Hieronymus) *& vitam æternam poſſidebit.* Ideò ſubditur; VIVIFICA ME; vita gratiæ in pręſenti, & vita glorię in futuro. ET CVSTODIAM SERMONES TVOS; id eſt, Euangelica conſilia, quę ore tuo benedicto protuliſti. Heb. 1. *Multifariàm multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, id eſt, per Filium, eiuſdem numero naturæ cum ipſo.

Mat. 19. v. 29.

Hieron. l. 3. in Matth.

Heb. 1. v. 2.

REVELA OCVLOS MEOS, radio lucis æternæ, ET CONSIDERABO MIRABILIA DE LEGE TVA. id eſt, profunda myſteria ſacræ Scripturæ: vnde dicit Dominus Bonauentura capite De intelligẽtia Scripturarum: *Ad tantam autem mentis ſerenitatem, indefeſſum orationis ſtudium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt quamuis non habuerit ſacrarum litterarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus ſcrutaretur acumine: penetrabat enim ab omni labe purum ingenium myſteriorum abſcondita; & vbi magiſtralis ſcientia foris ſtat, affectus introibat amantis.* Sed quia *corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem terrena inhabitatio*; ideò beatus Frãciſcus adhuc in corpore corruptibili poſitus, orabat dicens:

Bon. c. 11 Legen. in princ.

Sap. 9. v. 15.

INCOLA EGO SVM IN TERRA: NON ABSCONDAS A ME MANDATA TVA, propter grauedinem corporis, ſed oſtendas ea mihi virtute lucis tuæ. & ad hoc rationem inducit, dicens:

CONCVPIVIT ANIMA MEA DESIDERARE IVSTIFICATIONES TVAS, IN OMNI TEMPORE. Et de domina Sapiẽtia ſcribitur: *Præoccupat autem eos, qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat.* Et quoniam diuinæ ſapientiæ myſteria abſconduntur ſuperbis, ſicut dicit Dominus Mat. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quoniam abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* ideò ſubditur:

Sap. 6. v. 14.

Mat. 11. v. 25.

INCREPASTI SVPERBOS: eis beneficium tuæ illuſtrationis denegando. Et quoniam ſequitur ad hoc mandatorum Dei tranſgreſſio, ideò ſubditur: MALEDICTI QVI DECLINANT A MANDATIS TVIS. Audient enim illud terribile verbum Iudicis: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius.* Angeli enim ſatanæ acriùs nituntur bonos ad malum impingere, vel ſaltem à melioribus impedire, ſicut in Collationibus Patrum ſcribitur de Abbate Ioãne, quòd ſemel immoderato ieiunio fuit nimis afflictus, & per hoc à melioribus impeditus: propter quod diabolus ad ipſum deridendum apparuit, dicens: Ignoſce mihi, Pater, quia procuraui tibi iſtud ieiunium. Et eodem modo diabolus ſub ſpecie boni conatus voluit beatum Franciſcum ab auſteritate vitæ impedire, dicens: *Franciſce, Franciſce. Cui, cùm quid quæreret, reſpondiſſet; Nul-*

Mat. 25. v. 41.

Collat. Pat. c. De abſtinent.

Bonau. c. 4. Legen. poſt princ.

Nullus eſt in mundo peccator (inquit diabolus) cui, ſi conuerſus fuerit, non indulgeat Dominus: ſed quicumque ſemetipſum pœnitentia dura necauerit, miſericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationem cognouit hoſtis fallaciam, quomodo fuerit niſus ipſum ad tepida reuocare, & ſic poſſet eũ ſicut Abbatem Ioãnem deridere. Et ideò beatus Franciſcus petebat à Domino:

AVFER A ME OPPROBRIVM ET CONTEMPTVM. ſcilicet dęmonum, modo dicto. QVIA TESTIMONIA TVA EXQVISIVI: conuerſus ſcilicet ad te per tuam gratiam, & tuo diuino illuſtratus lumine, in tenebris peccatorum nolo ampliùs ambulare, ſed in luce mandatorum

Pſal. 118. v. 104. tuorum: quia *lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Ideò per te vocatus exquiſiui teſtimonia tua, vt ea obſeruem, & opere compleam. Sed quia diabolus accedentes ad Deũ fortiùs tentat, & perſequitur, ideò ſubditur:

ETENIM SEDERVNT PRINCIPES, ET ADVERSVM ME LOQVEBANTVR: id eſt, dæmones à bonis operibus me impedire quærentes, ſicut

Epheſ. 6. v. 12. dicit Apoſtolus: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates mundi, rectores tenebrarum harum, contra ſpiritalia nequitiæ;* quibus reſiſtitur per exercitium virtutis perfectæ, ideò ſubditur: SERVVS AVTEM TVVS EXERCEBATVR IN IVSTIFICATIONIBVS TVIS. Ad hoc autem exercitium requiritur frequens meditatio legis diuinæ, ideò ſubditur:

NAM ET TESTIMONIA TVA MEDITATIO MEA EST. Vnde & de viro

Pſal. 1. v. 2. iuſto dicitur: *In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.* Et quia quod faciebat, aliis facere conſulebat, ideò ſubditur: ET CONSILIVM MEVM IVSTIFICATIONES TVÆ.

CAPVT III.

Dominus Bonauentura, de approbatione Regulæ.

INNOTESCENTE apud multos ſublimi eius ſanctóque propoſito, tam ex doctrinæ ſimplicis veritate, quàm vitæ, cœperunt ipſius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidẽ, relictis omnibus, habitu vitáque coniungi, quos & Fratres Minores vir humilis cenſuit appellari. Paucis admodum elapſis diebus, quibuſdam ſibi cohærentibus, cùm iam ad duodenarium numerum excreuiſſent, diſpoſuit Domini famulus cum illo ſimplicium cœtu Apoſtolicæ Sedis adire præſentiam, vt præoſtenſam ſibi à Domino normam viuendi, quam & breui ſermone conſcripſerat, ſuppliciter & inſtanter expoſceret eiuſdem ſacratiſſimæ Sedis auctoritate plenaria confirmari. Cùm autem ad Romanam Curiam perueniſſet, & adduceretur ante conſpectum Summi Pontificis, eſſetque Chriſti Vicarius in Palatio Lateranenſi, in loco qui dicitur Speculum, deambulans, altiſſimis meditationibus occupatus, Chriſti famulum tamquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egreſſo, ſequenti nocte huiuſmodi reuelatio facta eſt à Deo ipſi Summo Pontifici. Videbat namque inter pedes ſuos palmam paulatim ſuccreſcere, & in arborem pulcherrimam eleuari. Et eo mirante, quid hæc viſio vellet oſten-

 dere,

dere, diuina lux impreſſit menti ipſius Chriſti Vicarij, quòd hæc palma hunc pauperem, quem in præcedenti die repulerat, deſignabat. Et manè ſequenti mandauit per ſuos famulos per vrbem prædictum pauperem quæri. Quem inuentum iuxta Lateranum in Hoſpitali S. Antonij, ante conſpectum ſuum celeriter iuſſit adduci. Sed & viſionem, quā tunc temporis ſomno perceperat, in hoc viro fore complendam, ſpiritu diuino ſuggerente firmauit. Videbat namque in ſomnis (vt retulit) Lateranenſem Baſilicam fore proximam iam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus & deſpectus, proprio dorſo ſubmiſſo, ne caderet, ſuſtentabat. Verè, inquit, hic eſt ille qui opere & doctrina Chriſti ſuſtentabit Eccleſiam. Inde præcipua deuotione repletus, petitioni eius ſe per omnia inclinauit, ac Chriſti famulum ſpeciali ſemper amore dilexit. Proinde poſtulata cōceſſit, & adhuc plura concedere promiſit. Approbauit Regulam, dedit de pœnitentia prędicanda mandatum, & laicis Fratribus omnibus, qui ſeruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri, vt verbum Dei liberè prædicarent. Et hoc eſt quod dicitur breuiter in Antiphona: *Antiſtes Innocentius*, &c.

Expoſitio Pſalmi tertij.

AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS, &c. Iſte Pſalmus conuenienter oratio beati Franciſci dici poteſt, dum pro approbatione ſuæ Regulæ cum illo cœtu ſimplicium adiret Summi Pontificis præſentiam, non confidens de ſua ſapientia, aut eloquentia, ſeu alio ſubſidio ſæculari, ſed de ſola benignitate Dei mentem Summi Pontificis inclinandam ad ſuæ petitionis exauditionem, dicens: AD TE LEVAVI OCVLOS MEOS, QVI HABITAS IN CÆLIS. Et quoniam Fratres exiſtentes in eius comitatu idem ſimiliter flagitabant, ſubditur:

ECCE SICVT OCVLI SERVORVM IN MANIBVS DOMINORVM SVORVM, à quibus confidenter expectant auxiliū: ITA OCVLI NOSTRI, id eſt, mei & Fratrum meorum, AD DOMINVM DEVM NOSTRVM, DONEC MISEREATVR NOSTRI in exauditione noſtræ poſtulationis. Et ſubditur ratio diuinam benignitatem inclinans ad hoc, cùm dicitur:

MISERERE NOSTRI DOMINE, MISERERE NOSTRI, QVIA MVLTVM REPLETI SVMVS DESPECTIONE. Proprium enim eſt benignitatis diuinæ, deſpectos à mundanis hominibus reſpicere, ſecundùm illud 2. Machab. 1. *Domine contemptos & abominatos reſpice.* Beatus Franciſcus contemptus fuit & deſpectus etiam à propriis ciuibus & amicis, ſecundùm quod dicit Dominus Bonauentura: *Sciens autem ex hoc aduerſum ſe patris concitatum eſſe furorem, vt iræ locum daret, diebus aliquibus in quadam occulta fouea ieiunans & orans & lacrymans latuit; tandemque ſpirituali quadam repletus lætitia, & virtute indutus ex alto, exteriùs fiducialiter prodiit, & ciuitatem conſtanter intrauit. Quem cùm iuuenes cernerent facie ſqualidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à ſenſu; lutoque platearum velut ſtultum impeterent, & clamoroſis vocibus inſultarent; famulus Domini, nulla prorſus fractus aut mutatus iniuria,*

2. Machab. 1. v. 27.

Bon. c. 2. Legen. parum à princ.

vt

vt ſurdus in omnibus pertranſibat. Præomnibus autem pater ipſius furens & fremens, tamquam naturalis eſſet miſerationis oblitus, pertractum domi filium, verberibus & vinculis cœpit angere, vt dum eius per moleſtias corpus attereret, ad mundi blandimenta eius animum inclinaret. Similiter ſocij beati Franciſci ad diuerſas mūdi partes ab eodem miſſi pro prædicatione verbi Dei, fuerunt à ſuperbis hominibus multipliciter deſpecti & contempti; de quibus dicit Dominus Bonauētura: *Multa quidem eis in diuerſis partibus orbis inferebantur conuitia, tamquam perſonis deſpicabilibus & ignotis.* ideò ſubditur:

Indidem c. 4. ad med.

QVIA MVLTVM REPLETA EST ANIMA NOSTRA, OPPROBRIVM ABVNDANTIBVS, ET DESPECTIO SVPERBIS: propter quod nunc glorificati ſunt in cælis, ſecundùm illud Iob 12. *Deridetur iuſti ſimplicitas, lampas contempta apud cogitationes diuitum, parata ad tempus ſtatutum.*

Iob 12. v. 15.

CAPVT IV.

Dominus Bonauentura, de efficacia prædicandi.

FRETVS exinde gratia ſuperna Franciſcus, Summique auctoritate Pontificis, cum fiducia multa verſus Vallem Spoletanam iter arripuit, vt perfectionis Euangelicæ veritatem, quam mente conceperat, & profeſſione deuouerat, facto perficeret, & verbo doceret. Factus igitur Euangelicus præco, ciuitates circuibat & caſtra, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in virtute Spiritus annuntians verbum Dei, & regnum, Domino dirigente loquentem reuelationibus præuiis, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Et hoc eſt quod dicitur in Antiphona: *Notanda prædicatio*, &c.

Expoſitio Pſalmi quarti.

NISI DOMINVS ÆDIFICAVERIT DOMVM, &c. Temporibus Innocentij Papæ Tertij, plures non ſolùm de ſimplicibus Clericis, ſed etiam de Sacerdotibus Eccleſię ac Prælatis à perfectione pręcedentium declinauerunt, diuinum Officium, & per conſequens animarum ſalutem neglexerunt, vt patet per Decretalem ab eodem editā Extra. De celebrat. Miſſarū, Dolentes referimus. Propter hoc veroſimile eſt, quòd eodem tempore beatus Franciſcus cum ſua prole à Deo miſſus fuerit ad dictæ negligentiæ ſupplementum; & hoc per exempla ſanctæ vitæ, & verba ſanæ doctrinæ. Propter quod poteſt dici: NISI DOMINVS ÆDIFICAVERIT DOMVM, ſcilicet Eccleſiæ, quæ domus Dei dicitur, exemplis & doctrinis Prædicatorum Euangelicæ veritatis, de quibus fuit beatus Franciſcus & Fratres eius, IN VANVM LABORAVERVNT QVI ÆDIFICANT EAM. Nam plures eorum qui tenentur ex officio Eccleſiam ædificare verbo & exemplo, magis occupantur in vanis; propter quod adhuc ſubditur:

NISI DOMINVS CVSTODIERIT CIVITATEM; id eſt, Eccleſiam, de qua dicitur Apoc. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam, Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.* FRVSTRA VIGILAT, QVI CVSTODIT EAM. Plures enim ex officio ad eius cuſtodiam deputati, tantum de ſero vigilant in epulis & fabulis, quòd impe-

Apoc. 21. v. 10.

impediuntur à diuino Officio, & ſacræ Scripturæ ſtudio; ſecundùm quod dicitur in Decretali prælle-gata, Dolentes referimus, quod non ſolùm quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Eccleſiarum Prælati circa comeſſationes ſuperfluas, & fabulationes illicitas, vt de aliis taceamus, ferè medietatem noctis expendũt, & ſomno reſiduum relinquentes, vix ad diurnum concentum auium excitantur, tranſcurrendo vndiq; continua ſyncopa matutinũ. Ad quod euitandum benè ſubditur:

VANVM EST VOBIS ANTE LVCEM SVRGERE: SVRGITE, POSTQVAM SEDERITIS, QVI MANDVCATIS PANEM DOLORIS. id eſt, Vos qui viuitis de oblatis à pœnitentibus pro peccatis, ſecundùm quod dicitur, Oſeæ 4. *Væ ſacerdotibus, peccata populi comedent*. SVRGITE POSTQVAM SEDERITIS in menſa, competenti refectione habita; ad quam Clerici viuentes in deliciis & honoribus, putant Fratres pauperes eſſe miſeros, eò quòd carent talibus. Propter hoc ad repellendum hunc errorem ſubditur:

Oſeæ 4. v. 8.

CVM DEDERIT, ſcilicet Dominus, DILECTIS SVIS, id eſt pauperibus eius amore terrena contemnẽtibus, SOMNVM, ſcilicet mortis: ECCE HEREDITAS DOMINI; id eſt, gloria cæleſtis parata eis, Matth. 5. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum*. & in quo conſiſtit hæc gloria, oſtenditur cùm ſubditur: FILII MERCES, id eſt merces à Filio Dei data ſuis dilectis, ſupple *eſt*, FRVCTVS VENTRIS. Nam ipſemet merces eſt eorum, qui fructus eſt ventris virginalis. Beati namq; reficiuntur interiùs in aſpectu ſuæ Deitatis, & exteriùs in aſpectu ſuæ glorioſæ humanitatis. Et quoniam hæc merces redditur pro ædificatione Eccleſiæ verbis & doctrinis, ideò ſubditur:

Mat. 5. v. 3.

SICVT SAGITTÆ IN MANV POTENTIS, ITA FILII EXCVSSORVM. Beatus enim Franciſcus & ſequaces ſui benè dicuntur FILII, ſcilicet Dei, per adoptionis gratiam; ſunt etiam de numero EXCVSSORVM, nam præ ceteris excuſſi ſunt à pondere terrenorum; & iſti dicuntur SAGITTÆ, ſicut dicitur Iſa. 49. *Poſuit me quaſi ſagittam electam*. Dicuntur etiam SAGITTÆ IN MANV POTENTIS, ſcilicet Dei, ex cuius virtute penetrant vſque ad intima cordis; propter quod de beato Frãciſco ſcribitur: *Erant autem ipſius eloquia, non inania, nec riſu digna, ſed erant virtute Spiritus ſancti plena: erant medullas cordis penetrantia, vt in vehementem ſtuporem audientes conuerterent, & obſtinatorum mentes efficacia virtuoſa mollirent*. Et idem poteſt dici de beato Antonio de Padua, & aliis Prædicatoribus, beati Franciſci vitam imitantibus & doctrinam. Et quoniam viuente beato Franciſco multiplicati fuerunt per orbem, ideò ſubditur:

Iſa. 49. v. 2.

Bonau. c. 5. poſt princ.

BEATVS VIR, ſcilicet beatus Franciſcus, QVI IMPLEVIT DESIDERIVM SVVM EX IPSIS. deſiderabat enim ſummè, quòd Religio ſua, tamquam Domini pharetra, ſagittis talibus impleretur. Et quoniam ex hoc bono & aliis ſecurus venit ad exitum vitæ præſentis, ideò ſubditur: NON CONFVNDETVR, CVM LOQVETVR INIMICIS SVIS IN PORTA, id eſt mortis, ſicut de beato Martino legitur, quòd moriens conſtanter diabolum increpauit, dicens:

dicens: *Quid hic aſtas cruenta beſtia? nihil in me funeſti reperies, Abraham me ſinus excipiet.* Licet autem non legatur de beato Franciſco, quòd in morte ſic increpauerit diabolum verbo, tamen ſcribitur eius conſtantia contra dæmones facto. Nam de ipſo moriente dicit Dominus Bonauentura: *Vt autem veritatis exemplo monſtraret, quòd nihil erat illi commune cum mundo, illa infirmitate tam graui, quæ omnem languorem concluſit, ſuper nudam humum ſe totum nudatum in ſpiritus feruore proſtrauit; quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hoſtis iraſci, nudus luctaretur cum nudo*; & ſic in porta mortis non fuit cõfuſus, ſed euaſit victor glorioſus.

Seuer. Sulpit. in Epiſt. ad Baſſulam

Bonau. c. 14. Legen. ad med.

CAPVT V.

Dominus Bonauentura, de feruore charitatis, & deſiderio martyrij.

CHARITATIS quoque perfectæ feruorem, quo ſponſi amicus ferebatur in Deum, ex hoc potiſſimùm quis valeat aduertere, quòd per martyrij palmam ſeipſum hoſtiam puram Domino optabat offerre. Tribus namque vicibus ob hoc verſus partes infidelium iter aggreſſus, ſed bis diuina diſpoſitione prohibitus, tertia tandem vice poſt multa opprobria, verbera, vincula & labores innumeros ad conſpectum Soldani Babyloniæ Domino ducente perductus, in tam efficaci oſtenſione ſpiritus & virtutis euangelizauit Ieſum, vt admiraretur ipſe Soldanus, & nutu diuino in manſuetudinem verſus, benignum ei præberet auditum. Sicque factum eſt, vt Chriſti amicus mortem pro ipſo totis viribus exquireret, & tamen nullatenus inueniret; vt & merito non careret martyrij, & inſigniendus ſeruaretur in poſterum priuilegio ſingulari. Et hoc eſt quod dicitur in Antiphona: *Charitatis incendium*, &c.

Expoſitio Pſalmi quinti.

CREDIDI, PROPTER QVOD LOCVTVS SVM, &c. Propter feruorem charitatis igneę poterat beatus Franciſcus dicere: CREDIDI fide formata, charitate ferueti, PROPTER QVOD LOCVTVS SVM, non ſolùm mores fidelibus prædicando, ſed etiam fidem conſtanter infidelibus proponendo. EGO AVTEM HVMILIATVS SVM NIMIS. id eſt, afflictus valdè, ſecundùm illud: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* id eſt, ipſam affligebam Sed ſi quæratur de quo erat beatus Frãciſcus ſic afflictus; benè reſpondetur, quòd erat ex compaſſione ad Chriſtum paſſum; cuius plagas quaſi continuè mentis oculis intuebatur, ſicut dicitur in Legenda ſua: *Vna quippe dierum, dum ſic ſequeſtratus oraret, apparuit ei Chriſtus Ieſus, veluti cruci affixus, eidem tam efficaciter ingerens Euangelicum illud, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me; vt mentem ſuam intrinſecus & incendio dilectionis adureret, & abſynthio compaſsionis impleret. Nam & ad præmiſſæ viſionis contuitum, liquefacta eſt anima eius, & memoria paſsionis eiuſdem Chriſti viſceribus cordis ipſius adeò impreſſa medullitus, vt & crucifixi Domini plagas oculis mentis interiùs quaſi iugiter cerneret, & vix exteriùs à lacrymoſis gemitibus continere valeret.* Sed quoniam valdè pauci faciunt debitum ſuum de com-

Pſal. 34. v. 13.

Bonau. in Legen. minori c. 1. ante fin.

Mat. 16. v. 24.

compaſſione ad Chriſtum crucifixum, ideò dicitur:

EGO DIXI IN EXCESSV MEO: OMNIS HOMO MENDAX. Omnis enim omiſſio debiti includit mendacium facti. Sed quoniam aliqui valdè perfecti ſuum in hoc debitum fecerunt, ſicut Martyres pro Chriſto mortem viriliter ſuſtinentes, ideò benè ſubditur, IN EXCESSV MEO. Non tales excipiẽdi ſunt à generalitate mendacij, de quorum numero fuit ipſe beatus Franciſcus, qui fuit martyr deſiderio, ſicut prædictum eſt; & ideò ſubditur in perſona eius:

QVID RETRIBVAM DOMINO? &c. Et reſpondet:

CALICEM SALVTARIS ACCIPIAM. id eſt, amore Dei martyrum exquiram, quod ore Domini calix dicitur Mat. 20. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* Et quia hoc quærebat beatus Franciſcus, confidens de diuino auxilio, ideò ſubditur: ET NOMEN DOMINI INVOCABO, orans vt ſit mihi adiutor.

Mat. 20. v. 22.

VOTA MEA DOMINO REDDAM CORAM OMNI POPVLO EIVS, id eſt, non ſolùm coram populo Chriſtiano, qui ſuus eſt per fidem & deuotionem; ſed etiam coram populo Sarracenico, qui ſuus eſt per creationem & gubernationem. Et dictę redditionis ſubditur ratio, cùm dicitur: PRETIOSA IN CONSPECTV DOMINI MORS SANCTORVM EIVS; quia pretium huius mortis eſt ille, cuius bonitatis non eſt finis.

O DOMINE QVIA EGO SERVVS TVVS. Primò in habitu ſæculari, vt dictum eſt ſuprà cap. 1. & ſecundò in habitu Regulari; ideò repetitur: EGO SERVVS TVVS, ET FILIVS ANCILLÆ TVÆ; id eſt, Eccleſię Romanæ, cui promiſi obedire: vt patet in principio Regulæ ſuæ. Dicitur autem hæc Eccleſia ſponſa Dei, in quantum ei coniungitur per fidem & deuotionem; & eius ancilla, in quantum exhibet ei debitum famulatum: ſicut & beata Virgo dicitur eius mater & ancilla.

DIRVPISTI VINCVLA MEA. ſpiritualia & corporalia: ſpiritualia per meorum remiſſionem plenariam peccatorum, ſicut dicitur in Legenda: *Sanè iam Fratrum, Deo vocante, conſummato ſenario, cùm pius eorum Pater & Paſtor locum ſolitudinis nactus, in multa cordis amaritudine vitam deploraret adoleſcentiæ, non ſine culpa tranſactam, ſibique ac proli, quam in Chriſto genuerat, veniam poſtularet & gratiam, exceſſiua quadam in eum ſuperueniente lætitia, certificatus eſt de remiſſione plenaria omnium delictorum, vſque videlicet ad quadrantem nouiſſimum.* Item VINCVLA corporalia DIRVPISTI; quibus fuit ligatus, antequam Soldanus ſibi pacificum præberet auditum, vt ſuprà dictum eſt in textu Domini Bonauenturæ, in principio huius Pſalmi. TIBI SACRIFICABO HOSTIAM LAVDIS, ex quo tempus & locum non inueni tibi per martyrium offerendi hoſtiam meæ carnis. ET NOMEN DOMINI INVOCABO in ſecreto mei cordis contra diaboli tentationes, quibus à via Domini me auertere quotidie conatur.

Bonau. c. 3. Leg. ante med.

VOTA MEA DOMINO REDDAM IN CONSPECTV OMNIS POPVLI EIVS. id eſt, populi Chriſtiani (qui ſuus eſt populus non ſolùm creatione, ſed & fide) ex quo non potui inter infideles meum propoſitum adimplere. IN ATRIIS DOMVS DOMINI,

IN MEDIO TVI IERVSALEM, id eſt militantis Eccleſiæ, quæ domus Dei dicitur, & etiam Ieruſalem nominatur Apoc. 21. *Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo*, &c.

Apoc. 21. v. 10.

CAPVT VI.

Dominus Bonauentura, de exceſſu orationis, & de ſpiritu prophetiæ.

SENTIENS igitur Chriſti ſeruus corpore ſe peregrinum à Domino, cùm ad terrena foris deſideria pro Chriſti amore totus inſenſibilis eſſet effectus, ne foret abſque conſolatione dilecti, ſine intermiſſine orando ſpiritum Deo contendebat exhibere præſentē: nam ambulans & ſedens, intus & foris, laborans & vacans, adeò erat orationi vi mentis intentus, vt illi videretur, quidquid erat in eo non ſolùm cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis, dedicaſſe. Suſpendebatur multoties tantæ deuotionis exceſſu, vt ſupra ſemetipſum raptus, & vltra humanum ſenſum aliquid ſentiens, quid circa ſe ageretur exteriùs omnino neſciret. In Eccleſia quadam derelicta viſus eſt nocte orans manibus & brachiis extenſis ad modum Crucis toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgente circumdatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus cùm eleuatione facta perluſtratio teſtis eſſet. Prophetarum etiam ſpiritus multiplex in tam multiformis plenitudine gratiæ requieuit in eo, vt ipſius virtute mirifica ſe vir Dei præſentem aliquando exhiberet abſentibus, notitiamque certam haberet longè diſtantium, ſecreta quoque proſpiceret cordium, nec non & futurorum prænuntiaret euentus. Sicut multiplicium exemplorum euidentia comprobat, ex quibus aliqua ſubſcribuntur, ſed hîc propter breuitatē Operis omittuntur. Prædicta autem continentur in Antiphona, cùm dicitur: *In Deum hunc oratio*, &c.

Expoſitio Pſalmi ſexti.

IN CONVERTENDO DOMINVS CAPTIVITATEM, &c. Rationalis anima, eò quòd eſt ad imaginē Dei facta, capax eſt ipſius per cognitionem & amorem, & in hoc conſiſtit ipſius vera libertas; de quo tropologicè poteſt dici illud Apoſtoli: *Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt.* Galat. 4. v. 26.
Nam fidelis anima ſurſum eleuata per Dei cognitionē & amorem, eſt verè libera: ſed quando per corpus, *quod corrumpitur & aggrauat animam*, trahitur ad meditationem & amorem cupiditatum carnalium & terrenarum, captiuatur: à qua captiuitate Paulus Apoſtolus perſonam infirmorum aſſumens liberari petit, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* & reſpondet, dicens: *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Nam per eius gratiam homo à cupiditatibus terrenis & carnalibus ſegregatus, dicta captiuitate liberatur. Beatus verò Franciſcus & eius ſocij, ſaltem plurimi illorum, ita fuerunt liberati; propter quod poterat dicere: IN CONVERTENDO DOMINVS CAPTIVITATEM SION, id eſt, fraternitatis & congregationis noſtræ, nomine *Sion* deſignatæ, ſicut ſuprà dictum eſt cap. 1. FACTI SVMVS SICVT CONSOLATI. Dicitur autem SICVT CONSOLATI, & non ſimpliciter CONSOLATI: nam in vita præſenti

Sap. 9. v. 15.

Rom. 7. v. 24.

ſenti perfecta conſolatio non habetur, ſed in cæleſtibus expectatur.

Tvnc repletvm est gavdio os nostrvm, reddendo Deo gratias debitas de beneficiis iam acceptis, & etiam de promiſſis. Et lingva nostra exvltatione Dicitur autem exultatio, quaſi extrà ſaltatio, quod humanæ linguæ conuenit, quando per cognitionem propheticam, & tranſcendentia naturalem cognitionem, prænuntiat & prædicit: quod fuit in beato Franciſco, & in aliis ſociis eius. Et quoniam non ſolùm fuit notum Fratribus, ſed etiam aliis multis perſonis, ex hoc Deum laudantibus, ideò ſubditur:

Tvnc dicent inter gentes: Magnificavit Dominvs facere cvm eis. id eſt, magnificauit dona gratiæ, quæ cōceſſit Fratribus iſtis.
Tob. 12. v. 7. Et quoniam *ſacramenta Dei reuelare honorificum eſt*, vt Tob. 12. ideò beatus Franciſcus & alij Fratres donis prædictis dotati poterant dicere: Magnificavit Dominvs facere nobiscvm, ſua nobis beneficia miſericorditer conferendo. Facti svmvs lætantes, non ſolùm interiùs mente, ſed etiam exteriùs in corpore, ſecundùm illud Pſalmi 83.
Pſal. 83. v. 3. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et quoniam à tempore beati Franciſci fuerunt in Ordine aliqui Fratres defectuoſi, & per conſequens in captiuitate prædicta detenti, ideò pro liberatione talium orabant beatus Franciſcus & eius ſocij, dicētes:

Converte Domine captivitatem nostram, sicvt torrens in Avstro. Flante namque vento Aquilonari, qui ſiccus eſt, torrentes deſiccantur; flante verò Auſtrali vento, qui pluuioſus eſt, torrentes iterùm aquis replentur. Sic flante diabolo, qui vētus Aquilonaris dici poteſt, ſecundùm illud
Ierem. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum*, mentes hominum hu- Ierem. 1. v. 14.
more gratiæ deſiccantur; ſed ex oppoſito flante Spiritu ſancto, aquis gratię replentur, & incipiunt fluere aquis contritionis & deuotionis, quæ finaliter perducūt ad gaudium ſupernæ ciuitatis; ideò ſubditur:

Qvi seminant in lacrymis, in exvltatione metent. & ſubditur modus perfectionis, cùm dicitur:

Evntes per viam huius vitæ ad patriam, ibant de virtute in virtutem, et flebant, propria peccata deflentes & aliena: mittentes semina sva, id eſt, exhortationes ad bonum per exempla ſancta & verba, ſecundùm illud Lucæ 8. *Semen* Lucæ 8. v. 11.
eſt verbum Dei.

Venientes avtem venient cvm exvltatione ad brauium cæleſtis patriæ, portantes manipvlos svos, id eſt, fructus ſeminis ſui, qui ſunt manipuli gratioſi.

CAPVT VII.

Dominus Bonauentura, de obedientia creaturarum ad ipſum.

O Vere præclarum & admirabilem virum, cui ſuum ignis ardorem temperauit, aqua ſaporem commutat, abundans poculum petra propinat, inanimata deſeruiunt, manſueſcunt immitia, & irrationabilia ſtudioſè intendunt; ipſe quoque Dominus omnium ſua benignitate obediit ad votū, dum & liberalitate præparat cibum, & lucis præbet claritate ducatum; vt ſic ei tamquam viro ſanctitatis eximiæ, & om-

& omnis creatura ſubſeruiat, & ipſe Creator omnium condeſcendat. Non ſolùm autem creatura corporalis obediebat ſibi, ſed etiam ſpiritualis; nam orationis ſuæ virtute dæmones fugiebāt. Vt autem quietiùs ſpiritualium donorum immiſſiones ſuſciperet, ad ſolitudines & Eccleſias derelictas oraturus nocte pergebat, quamuis & ibi pugnas dæmonum horribiles ſenſerit, qui ſecum confligentes quaſi manu ad manum nitebantur ipſum ab orationis ſtudio perturbare. Verùm illis precum feruentium infatigabili virtute fugatis, vir Dei ſolitarius remanens & pacatus, nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lacrymis, pectora manu tundebat; & quaſi occultius ſecretarium nactus, nūc reſpondebat iudici, nunc ſupplicabat Patri, nunc colludebat ſponſo, nunc colloquebatur amico. Non ſolùm autem per ſeipſum, ſed etiam per internuntium, dæmones effugabat. Cōtigit aliquando ipſum Aretium deuenire, cùm tota ciuitas inteſtino bello quaſſata, propinquum ſui minabatur excidium. Hoſpitatus verò in ſuburbio, vidit ſuper ciuitatem exultantes dæmones, ac perturbatos ciues ad cædem mutuam ſuccendentes: vt autem ſeditioſas illas fugaret aëreas poteſtates, Fratrem Silueſtrum columbinæ ſimplicitatis virum, quaſi præconem præmiſit, dicens: Vade ad portam ciuitatis, & ex parte Dei omnipotentis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt exeant feſtinanter. Accelerat verus obediens Patris iuſſa perficere, & præoccupans in laudibus faciem Domini, ante portam ciuitatis cœpit clamare valenter: Ex parte omnipotentis Dei, & iuſſu ſerui eius Frāciſci, procul hinc diſcedite dæmones vniuerſi. Redit ad pacem continuò ciuitas, & ciuilitatis in ſe iura ciues omnes, cum magna tranquillitate, reformant. Et hoc eſt quod dicitur breuiter in Antiphona, *Seruo ſuis Creatoris*, &c.

Expoſitio Pſalmi ſeptimi.

SÆPE EXPVGNAVERVNT ME, &c. Beatus Frāciſcus ſedatis paſſionibus, & ad contemplationis altitudinem eleuatus, conuenienter poteſt *Iſrael* nominari. Igitur DICAT NVNC ISRAEL; id eſt, Franciſcus:

SÆPE EXPVGNAVERVNT ME A IVVENTVTE MEA. Scilicet corporales paſſiones, quæ ſunt concupiſcentia carnis & concupiſcentia oculorum. *Nam inter hominum filios iuuenili ætate fuit nutritus in vanis, & poſt aliqualem litterarum notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotiis.* quia tamen ei non præualuerunt, ſed magis econuerſò, ideò ſubditur: ETENIM NON POTVERVNT MIHI. *Aſſiſtente ſibi ſuperno præſidio, nec inter laſciuos iuuenes poſt carnis petulantiā abiit, nec inter cupidos mercatores ſperauit in pecunia & theſauris*; ſicut dictum fuit cap. 1. Et quoniam *a quo quis ſuperatus eſt, eius ſeruus efficitur*; ideò meritò creaturæ corporales ei ſubiectæ ſeruiebant: quia non ſolùm eas, ſed etiam malignos ſpiritus ſuperauit, ideò ſubditur: Bonau. c. 1. Legen. minoris, ad princ. Ibidem. 2. Pet. 2. v. 19.

SVPRA DORSVM MEVM FABRICAVERVNT PECCATORES; id eſt, dæmones manu ad manum mecum confligentes, vt prædictum eſt in textu Domini Bonauenturæ.

PROLONGAVERVNT INIQVITATEM SVAM; quia à principio mun-

mundi ad malum fidelium machinari non ceſſauerunt.

DOMINVS IVSTVS CONCIDIT CERVICES PECCATORVM. id eſt, dæmonum: nam ex beati Franciſci conſtantia, & diuina iuſtitia repellebantur; propter quod ſubditur: CONFVNDANTVR ET CONVERTANTVR RETRORSVM OMNES, QVI ODERVNT SION, id eſt beati Franciſci congregationem, nomine *Sion* deſignatam, vt ſuprà dictũ eſt c. I.

FIANT SICVT FOENVM TECTORVM, QVOD PRIVSQVAM EVELLATVR, EXARVIT. dęmones enim ſunt ſtipula gehennæ incẽdio pręparata.

DE QVO NON IMPLEBIT MANVM SVAM, QVI METET. In finali namque iudicio meſſores erunt Angeli ſancti, ſecundùm quod di-
Mat. 12. citur Mat. 12. Ipſi verò non colligent dæmones ad ſuum conſortium, ſed eos magis impellent ad gehennæ incendium Et quoniam per Dei ſententiam diffinitiuam ſunt damnati, ſubditur:

ET NON DIXERVNT, QVI PRÆTERIBANT per viam huius vitæ: BENEDICTIO DOMINI SVPER VOS, BENEDIXIMVS VOBIS IN NOMINE DOMINI. quia pro damnatis nullus debet orare.

CAPVT VIII.

Dominus Bonauentura, de Stigmatibus ſacris.

FIDELIS reuerà famulus & miniſter Chriſti Franciſcus, biennio antequam ſpiritum redderet cælo, cùm in loco excelſo ſeorſum, qui mons Aluernæ dicitur, quadragenarium ad honorem Michaëlis Archangeli ieiunium inchoaſſet, ſupernæ contemplationis dulcedine abundantiùs ſolito ſuperfuſus, ac cæleſtium deſideriorum ardentiori flamma ſuccenſus, ſupernarum cœpit immiſſionum cumulatiùs dona ſentire. Dum igitur Seraphicis deſideriorum ardoribus ſurſum ageretur in Deum, & affectus compaſſiua teneritudine in eum transformaretur, cui ex charitate nimia crucifigi complacuit; quodam manè circa Feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis in latere montis orans, vidit quaſi ſpeciem vnius Seraph ſex alas tam fulgidas quàm ignitas habentem, de cęlorum ſublimitate deſcendere: qui volatu celerrimo ad locum aëris viro Dei propinquum perueniens, non ſolùm alatus, ſed & crucifixus apparuit: manus quidem & pedes habens extenſos & cruci affixos; alas verò ſic miro modo hinc inde diſpoſitas, vt duas ſupra caput erigeret, duas ad volandum extenderet, duabus verò reliquis totum corpus circumplectendo velaret. Hoc videns vehementer obſtupuit, mixtumque dolori gaudium mens eius incurrit, dum & in tam gratioſo Chriſti aſpectu ſibi tam mirabiliter apparentis, exceſſiuam quamdam concipiebat lætitiam, & dira conſpecta crucis affixio ipſius animam compaſſiui doloris gladio pertranſibat. Intellexit quidem illo docente interiùs, qui & apparebat exteriùs, quòd licet compaſſionis infirmitas cum immortalitate ſpiritus Seraphici nullatenus conueniret; ideò tamen huiuſmodi viſio ſuis fuerat præſentata conſpectibus, vt amicus Chriſti pręnoſceret, ſe nõ per martyrium carnis, ſed per incendium mentis totum in Chriſti Ieſu crucifixi expreſſam ſimilitudinẽ transformandum. Diſparens igitur viſio

poſt arcanum ac familiare colloquium, mentem ipſius Seraphico interiùs inflammauit ardore, carnem verò Crucifixo conformi exteriùs inſigniuit effigie, tamquam ſi ad ignis liquefactiuam virtutem præambulam, ſigillatiua quædam eſſet impreſſio ſubſecuta. Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperunt ſigna clauorum, ipſorum capitibus in interiori parte manuum & ſuperiori pedum exiſtentibus, & eorum acuminibus apparentibus ex aduerſo. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipſa verò acumina oblonga, retorta, & repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia, carnem reliquam excedebant. Siquidem repercuſſio ipſa clauorum ſub pedibus adeò prominens erat, & extrà protenſa, vt non ſolùm plantas ſolo liberè applicari non ſineret, verùm etiam inter curuationem arcualem ipſorum acuminum faciliter immitti valeret digitus manus, ſicut & ab eis ipſe accepi, qui oculis propriis hæc omnia conſpexerunt. Dextrum quoque latus quaſi lancea transfixum, rubra cicatrice obductũ erat; quod ſæpè ſacrum ſanguinem effundens, tunicam & femoralia in tanta copia reſpergebat, vt poſtmodum Fratres ſocij ea lauantes pro tempore, indubitanter aduerterent, quòd ſicut in manibus & pedibus, ſic & in latere famulus Domini expreſsè haberet impreſſam ſimilitudinẽ Crucifixi. Et hoc eſt quod dicitur in Antiphona, *Chriſto iam*, &c,

Expoſitio Pſalmi octaui.

CONFITEBOR TIBI DOMINE, &c. Beatus Franciſcus impreſſionis ſacrorum Stigmatũ tempore feruenter orans in latere montis Aluernæ, potuit dicere competenter: CONFITEBOR TIBI DOMINE in confeſſione laudis, IN TOTO CORDE MEO; nam tunc in Deum ſurſum Seraphicis ardoribus agebatur; QVONIAM AVDISTI VERBA ORIS MEI, id eſt, verba orationis meæ: hoc enim percepit per hoc, quòd tunc *dono gratiæ abundantius ſolito ſuperfuſus, cœpit ſupernarum immiſſionum cumulatius dona ſentire*, vt prædictum eſt. Angeli verò ſancti iuſtis orantibus aſſiſtunt, & coram Deo preces eorum offerunt, ſicut dicitur Tob. 12. *Quando orabas cum lacrymis*, &c. *ego orationem tuam obtuli*, quod eſt verbum Angeli Raphaelis; ideò ſubditur: Bonau. c 6 Legen. minor. ad med. Tob. 12. v 12.

IN CONSPECTV ANGELORVM PSALLAM TIBI. Et ſubditur modus orandi, cùm dicitur: ADORABO AD TEMPLVM SANCTVM TVVM. tempore namque veteris Teſtamenti in exilium deportati, adorabant verſa facie ad Ieruſalem, ratione templi, ſicut dicitur 3. Reg. 8. & Daniel. 6. Vetus autem Teſtamentum fuit figura Noui; & ideò Chriſtiani exiſtentes in exilio huius mundi, debent adorare verſa facie mentis ad cæleſtem Ieruſalem, in qua eſt templum ſanctum gloriæ Dei; de quo dicit Pſalmiſta: *In templo eius omnes dicent gloriam*. Sic autem orabat beatus Franciſcus, propter quod dicere poterat: ADORABO AD TEMPLVM SANCTVM TVVM, ET CONFITEBOR NOMINI TVO, confeſſione laudis gratias agendo de beneficiis ei collatis. ideò ſubditur: Pſal. 28. v. 9.

SVPER MISERICORDIA TVA, ſcilicet in remiſſione peccatorũ meorum, vt dictum eſt ſupra; ET VERITATE Suprà c. 5

TATE

TATE TVA, in ſalutari donatione tuorum chariſmatum,&donorum; QVONIAM MAGNIFICASTI SVPER OMNE, NOMEN SANCTVM TVVM. Iungatur ſic littera: QVONIAM MAGNIFICASTI NOMEN SANCTVM TVVM; ſcilicet in me; quia Deus in ſe non magnificatur, cùm ſit infinitus: & hæc magnificatio fuit ſacrorum Stigmatum impreſſio; quę fuit occaſio fidelibus magnificandi nomen Domini deuotè. Sed quia hoc eſt priuilegium ſingulariter beato Franciſco conceſſum, ideò dicitur, SVPER OMNE ſcilicet collegium iuſtorum, ſicut de quolibet ſancto
Eccli.44. v.20. Confeſſore canit Eccleſia: *Non eſt inuentus ſimilis illi*, pro aliqua eius ſingulari gratia, ſine præiudicio aliorum Sanctorum. Et quoniam conformitas eſt cauſa dilectionis, & per conſequens exauditionis, ideò beatus Franciſcus Chriſto interiùs & exteriùs conformatus, poterat dicere:

IN QVACVMQVE DIE INVOCAVERO TE, EXAVDI ME, tua benignitate. Tanta enim nouitas in beati Franciſci corpore ſignũ fuit notabilis augmenti gratiæ in eius mente; ideò ſubditur: MVLTIPLICABIS IN ANIMA MEA VIRTVTEM. Et quoniam Dominus Gregorius Nonus, & Cardinales plurimi, ad quos regimen Eccleſiæ pertinebat, propter quod Reges dici poterant, ſacra Stigmata verbo & ſcripto, confeſſione laudis, confeſſi ſunt, vt ſuprà dictum eſt c.1. ideò ſubditur:

CONFITEANTVR TIBI DOMINE OMNES REGES TERRÆ, QVIA AVDIERVNT OMNIA VERBA ORIS TVI. id eſt, cognouerunt facta tua mirabilia in corpore beati Frãciſci: quòd autem factum aliquando nominetur verbum, patet 2. Reg. 1.
Quod eſt verbum, quod factum eſt? 2. Reg. 1. v. 4.
Et hoc maximè cõpetit verbo Dei,
cuius dicere eſt facere, Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt.* Pſal. 148. v. 5.

ET CANTENT IN VIIS DOMINI, id eſt, cantari faciant in Eccleſiis Dei, in quibus conuenit populus Chriſtianus ad audiendum Officiũ, QVONIAM MAGNA EST GLORIA DOMINI, in impreſſione ſacrorum Stigmatum in corpore ſancti Franciſci. Hoc enim cantari fecerũt in Proſis, Hymnis, & Antiphonis, quæ ad Dei gloriam & beati Franciſci honorem ediderunt. Et ſubditur dictę gloriæ ratio, cùm dicitur:

QVONIAM EXCELSVS DOMINVS, ET HVMILIA RESPICIT, vt attollat: ET ALTA, i. ſuperba, A LONGE COGNOSCIT, vt deſpiciat, vt exponit Auguſtinus. August. hic. Hoc autẽ impletum fuit in beato Franciſco, quem propter humilitatẽ ſuam ad illam celſitudinem erexit, de qua ſuperbum dæmonem eiecit, ſecundùm quod cuidam Fratri ſancto diuinitus oſtenſum fuit; de quo dicitur in Legenda: *Cùm enim eſſet in comitatu viri Dei, & vnà cum ipſo in quadam Eccleſia deſerta feruenti oraret affectu, in ecſtaſi factus, vidit inter multas in cælo ſedes, vnam ceteris digniorem pretioſis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra ſe præcelſi refulgentiam throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illam deberet aſſumi. Audiuit inter hæc vocem dicentem ſibi: Sedes iſta vnius de ruentibus fuit, & nunc humili ſeruatur Franciſco. Reuerſus demum Frater ad ſe ab orationis exceſſu, virum beatum exteriùs prodeuntem, ſolito fuit more ſecutus. Cumque incedentes per viam, de* Bonau. in Legen. maiori, c. 6. poſt med.

Deo

Deo inuicem loquerentur, Frater ille viſionis ſuæ non immemor, ſolerter quæſiuit, quid de ſeipſo ſentiret. Ad quem humilis Chriſti ſeruus: Videor mihi maximus peccatorum. Cui cùm Frater diceret ex aduerſo, quòd hoc non poſſet ſana conſcientia dicere, nec ſentire; adiunxit: Si quemcumque ſceleratum hominem tanta fuiſſet Chriſtus miſericordia proſecutus, arbitror ſanè, quòd multò Deo quàm ego gratior eſſet. Confirmatus fuit Frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate viſionis oſtenſæ, *Luc. 14. v. 11. * *Euangelio ſacro teſtante cognoſcẽs, quòd ad excellentiam gloriæ, de qua ſuperbus eiicitur, vere humilis exaltetur.* Et quoniam poſt Stigmatum impreſſionem beatus Franciſcus fuit interiùs & exteriùs armis Chriſti munitus, potuit dicere:

SI AMBVLAVERO IN MEDIO TRIBVLATIONIS, VIVIFICABIS ME: ET SVPER IRAM INIMICORVM MEORVM, id eſt, dæmonum, EXTENDISTI MANVM TVAM, eos repellendo ad precem meam; ET SALVVM ME FECIT DEXTERA TVA, me ab eorum impugnatione magna liberando. Sed quoniã merita beati Franciſci non valuerunt ſibi ſolùm, ſed etiam filiis ſuis remunerantur; ideò ſubditur:

DOMINVS RETRIBVET PRO ME: quaſi diceret, Pro meritis meis Deus retribuet bona filiis meis, ipſos conſeruando. Hanc autem conſeruationem deſiderabat beatus Franciſcus cõtinuari, propter quod orabat, dicens: DOMINE MISERICORDIA TVA IN SÆCVLVM, ſupple, ſit ſuper filios, quos dediſti mihi; propter quod ſubditur: OPERA MANVVM TVARVM, id eſt filios meos, NE DESPICIAS, eos deſerẽdo. ſed magis eos honoroſè continuè gubernando. Et in hoc exauditus fuit à Domino, ſicut dicitur in Legenda: *Cùm autem ſemel malis turbatus exemplis quorumdã Fratrum, anxio ſpiritu miſericordiæ Patrem precaretur pro filiis, huiuſmodi reſponſum reportauit à Domino: Cur tu pauper homuncio perturbaris? An ego te ſuper Religionem meam ſic paſtorem conſtitui, vt me principalem neſcias eſſe patronum? Hominem ſimplicem ad hoc te conſtitui, vt quæ in te fecero, non humanæ induſtriæ, ſed ſupernæ gratiæ adſcribantur. Ego hos vocaui, ſeruabo, & paſcam; & aliis excidentibus, alios ſubrogabo; & ſi nati non fuerint, faciam illos naſci; & quantiſcumq; fuerit impulſibus paupercula hæc concuſſa Religio, ſalua ſemper meo munere permanebit.* Bonau. c. 8. Leg. maiori, ante med.

CAPVT IX.

Dominus Bonauentura, de ſacro tranſitu beati Franciſci.

IPSE verò tranſitum ſuum longè antè præſciuit, dieq; obitus imminente, dixit Fratribus, ſui corporis tabernaculum deponendum in proximo, quemadmodum fuerat ſibi demonſtratũ à Domino. Biennio itaque ab impreſſione ſacrorum Stigmatum, anno videlicet à ſua conuerſione vigeſimo ſecundo, ad ſanctam Mariam de Portiuncula ſe deferri popoſcit; vt vbi per Virginem matrem Dei Spiritum conceperat perfectionis & gratiæ, ibidem mortis ſoluto debito, ad brauium perueniret retributionis æternæ. Poſt hoc Euangeliũ ſecundùm Ioannem, ab illo loco, *Ante diem feſtum Paſchæ*, ſibi legi popoſcit; vt Ioan. 13. in eo vocem dilecti pulſantis audiret, à quo ſolus eam iam carnis pa-

ries diſiungebat. Ipſe verò prout potuit, in huius Pſalmi vocem erupit: *Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum*, & ad finem vſque compleuit. *Me*, inquit, *expectant iuſti, donec retribuas mihi*. Tandem in eo cunctis cōpletis myſteriis, anima illa ſanctiſſima carne ſoluta, & in abyſſum diuinæ claritatis abſorpta, beatus vir obdormiuit in Domino. Vnus autem ex Fratribus & diſcipulis eius vidit animam illam beatam, ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubuectam nubecula, ſuper aquas multas in cælum tramite recto ſurſum ferri, tamquam ſublimis ſanctitatis candore prænitidā, & cæleſtis ſapientiæ ſimul & gratiæ vbertate repletam, quibus vir ſanctus promeruit introire locum lucis & pacis, vbi cum Chriſto ſine fine quieſcit. Caro verò ipſius, quæ priùs tam infirmitate quàm ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio reniteſcens, illius ſecundæ ſtolæ pulchritudinē prætendebat. Et hoc eſt quod dicitur in Antiphona, *Viſio ſtellæ ſplēdida*, &c.

Pſal. 141

Expoſitio Pſalmi noni.

VOCE MEA AD DOMINVM CLAMAVI, &c. Sicut patet ex * prædictis, iſte Pſalmus fuit oratio beati Franciſci moriētis. VOCE MEA AD DOMINVM DEPRECATVS SVM. Et dicitur hîc bis VOCE MEA, propter vocem mētis & corporis: nam in huius Pſalmi vocem erupit, prout poterat illa hora, vt prędictū eſt.

* Suprà in textu huius cap.

EFFVNDO IN CONSPECTV MEO ORATIONEM MEAM, ET TRIBVLATIONEM MEAM ANTE IPSVM PRONVNTIO. Vt enim moriendo Chriſto conformaretur, eius imminente morte grauibus fuit afflictus doloribus, ſicut dicitur in Legenda: *Vt autem viro Dei cumulus meritorum accreſceret, quæ omnia verè in patientia conſummantur, cœpit infirmitatibus variis laborare tam grauiter, vt doloroſis paſſionū moleſtiis per ſingula membra diffuſis, conſumptiſq́; iam carnibus, quaſi ſola cutis oſſibus cohæreret. Cumq́ue duris corporis angeretur doloribus, pœnales illas anguſtias, non pœnas, ſed ſorores ſuas eſſe dicebat; tantaq́ue in ipſarum tolerantia latè Domino laudes & gratias referebat, vt videretur ſibi aſſiſtentibus Fratribus, quòd pro glorиatione iucunda & humili, quaſi Paulum aſpicerent; & pro vigoratione imperturbabilis animi; alterum Iob viderent.*

Bonau. in Leg. maiori, c. 14. poſt med.

IN DEFICIENDO EX ME SPIRITVM MEVM. Videbat enim ſpiritus vitales corporis omnino deficere, & per conſequens ſpiritum rationalem ſtatim à corpore ſeparandū. ET TV COGNOVISTI SEMITAS MEAS ac ſi diceret cum Chriſto moriente: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*; dirige eum ad te per ſemitam rectam deducendo. Sed quoniam maligni ſpiritus inſidiantur iuſtis in morte, ſicut legitur de beato Martino, & idem vero ſimile eſt de beato Franciſco, ideò ſubditur:

Lucæ 23. v. 46.

Gregor. Tur. l. 2. de vita S. Mart.

IN VIA HAC, QVA AMBVLABAM, ABSCONDERVNT SVPERBI LAQVEVM MIHI; id eſt, dæmones. Vt autem perfectiùs Chriſto morienti, qui dixit in cruce, *Deus Deus meus, quare me dereliquiſti?* conformaretur; ideò dixit:

Matth. 27 v. 46.

CONSIDERABAM AD DEXTERAM, ET VIDEBAM: ET NON ERAT QVI COGNOSCERET ME. PERIIT

FVGA

FVGA A ME, ET NON EST QVI REQVIRAT ANIMAM MEAM. Licet enim humanitas Chriſti, in qua patiebatur, in ſuppoſito Verbi eſſet coniuncta Diuinitati, tamē dicebat ſe à Patre derelictum in manibus Iudæorum. Ita beatus Franciſcus moriens, quamuis eſſet Deo mente coniunctus per feruentiſſimā charitatem, & etiam quodammodò corpore, propter ſacrorum impreſſorum Stigmatum ſimilitudinem; tamen dicebat ſe incognitum. & irrequiſitum, quantum ad mortis corporalis euaſionem: quam tamen veraciter acceptabat, eò quòd per ipſam ſe venire ad gloriam præuidebat; propter quod dicebat:

CLAMAVI AD TE DOMINE, DIXI: TV ES SPES MEA, PORTIO MEA IN TERRA VIVENTIVM. INTENDE AD DEPRECATIONEM MEAM, me transferendo ad gloriam, QVIA HVMILIATVS SVM NIMIS: id eſt, valdè afflictus ex doloribus mortis.

LIBERA ME A PERSEQVENTIBVS ME; id eſt, à dæmonibus, qui maximè iuſtis inſidiantur in morte, vt ſuprà dictum eſt. Et quia tunc faciunt vltimum de potentia, ſcientes quòd nocere non poterunt eis vltrà, ideò ſubditur: QVIA CONFORTATI SVNT SVPER ME, licet defraudentur à ſua intentione; ideò ſubditur:

Suprà hoc cap. in expoſi. verſ. 5.

EDVC DE CVSTODIA ANIMAM MEAM, id eſt, de cuſtodia vel corpore mortali, quod eſt quaſi carcer animæ; propter quod dicebat Apoſtolus: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* AD CONFITENDVM NOMINI TVO, confeſſione laudis perfectæ. Nam anima corpore mortali detenta, non poteſt in Deum ferri liberè, *quia corpus, quod corrūpitur, aggrauat animam.*

Rom. 7. v. 24.

Sap. 9. v. 15.

ME EXPECTANT IVSTI, qui ſunt in gloria cęleſti, DONEC RETRIBVAS MIHI: ſcilicet gloriam animæ, quam ſtatim habuit exiens de corpore; propter quod ſub ſpecie ſtellæ ſplendidæ viſa eſt in cælū recto tramite aſcendere, vt ſuperiùs eſt expreſſum; & in generali reſurrectione gloriam corporis, quod fuit præfiguratum in candore nimio mortuæ carnis, quæ tamen priùs tam ex natura quàm infirmitate ad nigredinem declinabat.

Suprà in tex. huius capituli.

CAPVT X.

Dominus Bonauentura, de miraculis ſancti Franciſci, & eius canonizatione.

COEPIT autem vir beatus, continuo diuinæ faciei ſuper irradiante reſpectu, magnis & multis coruſcare miraculis, vt ſublimitas ſanctitatis eius, quæ ipſo viuente in carne ad morum directionem per exempla perfectæ iuſtitiæ innotuerat mundo, illo iam regnante cum Chriſto, ad omnem fidei firmitatem per miracula diuinæ potentiæ comprobaretur à cælo. Cumque in diuerſis orbis partibus glorioſa eius miracula, largaq; per ipſum impetrata beneficia, plurimos ad Chriſti deuotionem accenderent, & ad ipſius Sancti reuerentiam incitarent, acclamantibus tam linguis ſermonum quàm operum, ad aures Summi Pontificis Domini Gregorij Noni, quæ per ſeruum ſuum Franciſcum Deus operabatur, magnalia peruenerūt. Sanè cùm idem Paſtor Eccleſiæ non ſolùm ex miraculis auditis poſt mortem, verùm etiam experimentis in vita ipſius oculis viſis, & manibus contrectatis,

tis, ſanctitatem eius mirabilem, plena fide certificatus, agnoſceret, & per hoc in cælis glorificatum à Domino nullatenus dubitaret, vt Chriſto, cuius erat Vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrem, tamquam omni veneratione digniſſimum, pia conſideratione diſpoſuit. Ad omnem quoque certitudinem faciendam orbi terrarum de glorificatione viri ſanctiſſimi, inuenta miracula & conſcripta, & teſtibus idoneis approbata, examinari fecit per illos, qui minùs inter Cardinales fauorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter diſcuſſis, & ab omnibus approbatis, de Fratrum ſuorum, & omnium Prælatorum, qui tunc in Curia aderant, concordi conſilio & aſſenſu canonizandum decreuit. Veniens itaque perſonaliter ad ciuitatem Aſſiſij, anno Dominicæ incarnationis milleſimo ducenteſimo vigeſimo octauo, 17. Kalendas Auguſti, die Dominico, cum maximis, quæ longũ foret recenſere, ſolemniis beatum Patrem catalogo Sanctorum adſcripſit. Et hoc eſt quod dicitur in Antiphona: *Signis mortem ſequentibus*, &c.

Expoſitio Pſalmi vltimi.

SVPER FLVMINA BABYLONIS ILLIC SEDIMVS ET FLEVIMVS, &c. Cogitanti mihi de proſperitate noſtri ſtatus circa tempora canonizationis beati Franciſci Patris noſtri, & de aduerſitate quam nunc patitur in diuerſis partibus mundi, magis flere libet, quàm aliquid dicere. Cuius enim vel ſaxeum pectus lacrymæ Fratrum in diuerſis mundi partibus afflictorum, ad compatiendum non emolliant? Propter hoc igitur dicamus: SVPER FLVMINA BABYLONIS, id eſt, impetus multiplices tribulationis confuſibilis; SEDIMVS, id eſt manſimus, ſicut dicitur Deut. 1. *Sediſtis in Cades tempore multo.* Et nos diutiùs manſimus in tribulatione, ideò ſubditur cauſa fletus, dicendo: DVM RECORDAREMVR TVI SION; id eſt, Religionis noſtræ nomine *Sion* deſignatæ, vt ſuprà dictum eſt cap. 1. Deut. 1. v. 46. Quæ quidem recordatio fit, referendo tempora præterita ad moderna. Nam primis temporibus Summi Pontifices nobis ad nutum gratias & priuilegia conferebant; Prælati & Clerici nos eleëmoſynarum ſubſidiis nutriebant. Poſteà verò à tempore Bonifacij VIII. noſtra priuilegia in plurimis ſunt reſtricta, & aliqua reuocata. Clerus etiam pro parte magna ab eleëmoſynarum collatione manu[illegible] retraxit; & quod grauius eſt, quartam portionem vltra modum debitum exigendo, & alicubi recipiendo, multipliciter nos affligit.

IN SALICIBVS IN MEDIO EIVS, SVSPENDIMVS ORGANA NOSTRA. Per SALICES conuenienter intelligi poſſunt feſtiui dies, eò quòd filij Iſraël in Feſto tabernaculorum accipiebant ſalices de torrente in ſignũ lætitiæ. Leuit. 23. v. 40. Nos autem ſolebamus interdicti tempore diuinum Officium ſolemniter celebrare, ſed nũc oportet nos cum aliis organa noſtra ſuſpendere Quam quidem reſtrictionem aliqui Clerici improperant, & improperauerunt duriùs in huius reſtrictionis nouitate, propter quod poſſumus dicere:

QVIA ILLIC INTERROGAVERVNT NOS, QVI CAPTIVOS DVXERVNT NOS, dictam reſtrictionem impe-

impetrantes, VERBA CANTIONVM; dicentes nobis deriſoriè tempore interdicti, CANTATE, Cantate ſicut ſolebatis. quaſi dicerent irriſoriè: Nunc vos oportet nobis ceſſantibus conformari. quibus debemus humiliter reſpondere:

QVOMODO CANTABIMVS CANTICVM DOMINI IN TERRA ALIENA; id eſt, in terra interdicto ſuppoſita: hoc eſt, dicta non poſſumus, quia volumus mandatis Apoſtolicis obedire. Sed quoniam multi propter afflictiones ſupradictas reputant nos coram Deo datos obli-
Tobiæ 3. v.22. uioni, qui tamen *poſt tempeſtatem tranquillum facit, & poſt lacrymationem & fletum, gaudium & exultationem infundit*; ideò ſubditur in perſona eius:

SI OBLITVS FVERO TVI IERVSALEM. Per Ieruſalem, quæ interpretatur Pacifica, conuenienter intelligitur Religio noſtra, quia bea-
Tom. 2. Reg. 2. c. 3. tus Franciſcus dicit in Regula: *Conſulo, moneo, & exhortor Fratres meos in Domino Ieſu Chriſto, vt quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent, ſed ſint mites, pacifici, modeſti, manſueti, & humiles, honeſtè loquentes omnibus, ſicut decet.* Dicit igitur Dominus, hanc Religionem conſolando: SI OBLITVS FVERO TVI IERVSALEM, OBLIVIONI DETVR DEXTERA MEA; quæ poteſt ſuperbos deiicere, & humiles & afflictos releuare.

ADHÆREAT LINGVA MEA FAVCIBVS MEIS. Metaphorica eſt locutio, quæ de Deo loquitur more humano. Sicut enim per manum diuinam intelligitur virtus eius operatiua, ſic per linguam virtus eius expreſſiua. SI NON MEMINERO TVI in bonum: ſic enim promiſit Dominus beato Franciſco, dicens: *Quantiſcumque fuerit impulſibus conculcata hæc paupercula Religio, ſalua tamen meo munere permanebit.* ſicut ſuperiùs allegatum eſt cap. 8.

SI NON PROPOSVERO IERVSALEM, IN PRINCIPIO LÆTITIÆ MEÆ; reducendo Religionem iſtam ad proſperitatem priſtinam, quam habuit temporibus propinquis canonizationis beati Frãciſci, vt dictum eſt in principio huius Pſalmi. Et ego qui ſuperiora deſcripſi, anno mei Nouitiatus audiui à quodam Fratre antiquo, qui Ordinem intrauerat pro tempore beati Franciſci, quòd beatus Franciſcus adhuc viuens dixerat: *Fratres mei erunt primo poma dulcia, & poſteà inſipida, & poſteà acerba, & vltimò ad priſtinam dulcedinem reuertentur.* Tria autem prima videntur iam eſſe impleta. Nam à canonizatione ſancti Franciſci per plures annos Fratres fuerunt Prælatis, Principibus, Clericis, & laicis gratioſi; poſteà verò gratioſitas hæc fuit diminuta; & poſteà à tempore Bonifacij VIII. videtur, quantum ad multos, in contrarium verſa, maximè quantũ ad Clerum, qui multipliciter in diuerſis partibus orbis, Fratres tamquam odibiles perſequitur & affligit. Quod nos debemus non ſolùm humanæ malitiæ, ſed etiam noſtris demeritis imputare. Et quoniam, ſicut dicit beatus Gregorius, *Præteritarum* Gregor.
rerum exhibitio, certitudo eſt futurorum, ideò ex tribus iam impletis Hom. 1. in Euangelia.
ſperare debemus, quòd quartum adimplebitur Domino cõcedente. Sed quoniam Fratres non ſolùm debent orare pro ſuis benefactoribus, ſed etiam pro ſuis perſecutori-

 bus,

bus, ſicut dicitur in Regula, quòd
Tom.2. Reg.2. c.10. *debemus diligere eos, qui nos perſequuntur, reprehendunt & arguunt,*
Mat. 5. v.44. *quia dicit Dominus: Diligite inimicos veſtros, & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*; ideò ſubditur in perſona Fratrum adimplentium verbum Chriſti:

Memor esto Domine filio-
Gen. 25. v.30. rvm Edom, in bonum ipſorum. Eſau verò fuit alio nomine vocatus Edom Gen. 25. ipſe verò perſecutor fuit fratris ſui Iacob ſimplicis: & ideò filij Edom competenter dici poſſunt perſecutores huius pauperculæ Regulæ ſiue Religionis. Pro quibus tamen debemus orare, vt reſiliant à ſua peruerſitate, & ſic fiant nobis occaſio lætitiæ. ideò ſubditur: in die Ierusalem: id eſt, ad conſolationem noſtram. Sicut enim tribulatio frequenter vocatur nox in ſacra Scriptura, ſic conſolatio dies. Et cùm hoc Domino concedente fuerit impletum, poterimus cum Apoſtolo dicere:
Rom. 13. v.12. *Nox praceſsit, dies autem appropinquauit.* Sed quia nondum eſt hoc impletum, ſubditur adhuc de perſecutoribus noſtris:

Qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Aliqui namque de perſecutoribus noſtris falsò diſſeminauerunt, quòd noſtra Religio penitùs eſſet deſtruenda. Colligatio verò talium detractorum poteſt conuenienter dici filia Babylonis, id eſt digna confuſione; ſicut filius mortis dicitur homo 2.Reg.12
dignus morte, 2.Reg.12. ideò ſubditur: v.5.

Filia Babylonis misera, ratione culpæ; beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis; retribuendo tibi bona pro malis. Et hoc faciũt perfecti Fratres, orando pro perſecutoribus ſuis. Sed quoniam multi non ſunt ita perfecti, quin inſurgant aliqui motus iraſcibilis potentiæ ad vindictam, ideò ſubditur:

Beatus qui tenebit, id eſt, retinebit freno rationis, parvulos tuos, id eſt motus iraſcibiles, ne creſcant vſque ad malum conſenſus & operationis; et allidet eos ad petram, id eſt, Chriſtũ. Quod faciunt illi, qui remittunt omnem iniuriam amore Chriſti. Et hoc modo beatus Hieronymus exponit verſum iſtum, dicens: *Ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui cùm cœperit cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram. Petra autem eſt Chriſtus.* Cui ſit laus & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. Hieron. in Ep. ad Euſtoch.

BIBLIOTECA ...

INDEX

INDEX OPVSCVLORVM
PARTITIONVM ET CAPITVLORVM,

TOMI PRIMI.

I. EPISTOLA *ad vniuerſos Chriſti fideles.* Pag.2.
II. *Alia ad eoſdem.* pag.4.
Cap. I. *Exordium epiſtolæ, & cauſa ſcribendi.* 5
Cap. II. *De fide, & imitatione Chriſti Domini.* ibid.
Cap. III. *Maledictos eſſe diuina mandata præuaricantes; benedictos verò Deum diligentes.* 6
Cap. IV. *De confitendis peccatis, & Euchariſtia ſumenda.* ibid.
Cap. V. *De facienda pœnitentia, & proximo amando.* 7
Cap. VI. *De iuſtitia cum miſericordia adminiſtranda, & de eleemoſyna elargienda.* ibid.
Cap. VII. *De abſtinentia, & honore Eccleſiaſticis impendendo.* ibid.
Cap. VIII. *De vero Religioſo, & perfecta obedientia.* 8
Cap. IX. *De benignitate Prælati erga ſubditos.* ibid.
Cap. X. *De humilitate, & de miſeria corporis, & felicitate ſpiritus.* ibid.
Cap. XI. *De Chriſto Saluatore laudando.* 10
Cap. XII. *De cæcutione & deceptione peccatoris.* ibid.
Cap. XIII. *De infelici morte peccatorum.* 11
Peroratio. 12
III. *Epiſtola ad B. Antonium de Padua.* 15
IV. *Epiſtola ad B. Claram, & ceteras ſorores ſancti Damiani.* 16
V. *Epiſtola ad eaſdem.* 18
VI. *Ad fratrem Eliam Vicarium Generalem.* 19
VII. *Ad eumdem.* 21
VIII. *Ad Generalem Miniſtrum Fratrum Minorum.* 23
IX. *Ad Prouinciales Miniſtros eorumdem.* 26
X. *Ad Capitulum Generale.* 28
XI. *Ad aliud Capitulum Generale.* 30
XII. *Ad Sacerdotes totius Ordinis.* 33
XIII. *Ad vniuerſos Clericos.* 43
XIV. *Ad vniuerſos Cuſtodes Fratrum Minorum.* 54
XV. *Ad populorum Rectores.* 56
XVI. *Ad Fratrem Leonem.* 65
XVII. *Ad Dominam Iacobam de Septemſoliis.* 67
Verba ſacræ Admonitionis ad omnes Fratres. 70
Cap. I. *De fide erga Deum, de reuerentia erga Sacramentũ Altaris, & de digna eius ſuſceptione.* 70
Cap. II. *De malo propriæ voluntatis.* 72
Cap. III. *De perfecta obediẽtia.* ibid.
Cap. IV. *Quod nullus ſibi approprìet prælationem.* 73
Cap. V. *Quòd nemo ſuperbiat, ſed glorietur in Cruce Domini.* ibid.
Cap. VI. *De imitatione Domini noſtri Ieſu Chriſti.* 74
Cap. VII. *Vt bona opera ſequantur ſcientiam.* ibid.

Cap.

Cap. viii. *De peccato inuidiæ vitando.* 75
Cap. ix. *De dilectione inimici.* ibid.
Cap. x. *De caſtigatione corporis.* ibid.
Cap. xi. *Quòd nemo corrumpatur à Zelo malo alterius.* 76
Cap. xii. *De cognoſcendo Spiritum Dei.* ibid.
Cap. xiii. *De patientia in aduerſis.* ibid.
Cap. xiv. *De paupertate ſpiritus.* ibid.
Cap. xv. *De pace.* 77
Cap. xvi. *De munditia cordis.* ibid.
Cap. xvii. *De humilitate ſeruanda in donis Domini.* ibid.
Cap. xviii. *De compaſsione proximi.* ibid.
Cap. xix. *De humili ſeruo Dei.* 78
Cap. xx. *De bono & vano Religioſo.* ibid.
Cap. xxi. *De inani & loquaci Religioſo.* ibid.
Cap. xxii. *De correctione patienter ſuſcipienda.* 79
Cap. xxiii. *De humilitate.* ibid.
Cap. xxiv. *De vera dilectione.* ibid.
Cap. xxv. *Quòd ſerui Dei honorent Clericos.* 80
Cap. xxvi. *De virtute effugante vitium.* ibid.
Cap. xxvii. *De abſcondendo bono, ne perdatur.* ibid.
Verba ad humilitatem, obedientiam, deuotionem & patientiam inducentia. 87
De virtutibus quibus decorata fuit ſancta Virgo, & debet eſſe ſancta anima. 88
Opuſculum de vera & perfecta lætitia. 93
Expoſitio in Orationem Dominicam. 97
Laus Domini Dei altiſsimi. 100
Oratio B. Patris in ſuæ conuerſionis initio. 102
Alia præponenda Horis Canonicis. 103
Salutatio ad Virginem Mariam. 105
Oratio ad eamdem. 107
Alia ad eamdem. 108
Oratio B. Patris pro obtinenda paupertate. 109
Alia ad ſanctam Euchariſtiam. 116
Alia eiuſdem ad impetrandum diuinum amorem. 115
Alia eiuſdem in infirmitate. 117
Alia eiuſdem pro commendanda familia. 118
Alia quotidiana eiuſdem. 119
Teſtamentum eiuſdem B. Patris. 120
Laus eiuſdem Teſtamenti. 129

TOMI SECVNDI.

Prima *Regula pro Fratribus Minoribus.* Pag. 132
Prologus. 133
Cap. i. *Quòd Fratres debent viuere in obedientia, ſine proprio, & in caſtitate.* 133
Cap. ii. *De receptione, & veſtitu Fratrum.* ibid.
Cap. iii. *De diuino Officio, & ieiunio.* 135
Cap. iv. *De Miniſtris & aliis Fratribus, qualiter ordinentur.* 1 6
Cap. v. *De correctione Fratrum in offenſione.* ibid.
Cap. vi. *De recurſu Fratrum ad Miniſtrum, & quòd aliquis Frater non vocetur Prior.* 138

Cap. vii. *De modo ſeruiendi & laborandi.* ibid.
Cap. viii. *Quòd Fratres non recipiant pecuniam.* 139
Cap. ix. *De petenda eleëmoſyna.* 140
Cap. x. *De infirmis Fratribus.* 141
Cap. xi. *Quòd Fratres non blaſphement, nec detrahant, ſed diligant inuicem.* 142
Cap. xii. *De malo viſu, & frequentia mulierum vitanda.* 143
Cap. xiii. *De præſumptione fornicationis.* ibid.
Cap. xiv. *Quomodo Fratres debeant ire per mundum.* ibid.
Cap. xv. *Quòd Fratres non teneant beſtiam, nec equitent.* 144
Cap. xvi. *De euntibus inter Saracenos & alios infideles.* ibid.
Cap. xvii. *De Prædicatoribus.* 145
Cap. xviii. *Qualiter Miniſtri conueniant ad inuicem.* 147
Cap. xix. *Quòd omnes Fratres viuant Catholice.* ibid.
Cap. xx. *De Confeſsione Fratrum, & perceptione Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti.* ibid.
Cap. xxi. *De laude & exhortatione quam poſſunt facere omnes Fratres.* 148
Cap. xxii. *De Admonitione Fratrum.* 149
Cap. xxiii. *Oratio ad Deum, ſiue gratiarum actio, atque ad Fratres exhortatio.* 152
Exhortatio ad Fratres. 155
Secunda Regula pro Fratribus Minoribus. 168
Prologus. 170
Cap. i. *Regula & vita Minorum Fratrum.* ibid.
Cap. ii. *De his qui volunt vitam iſtam accipere, & qualiter recipi debeant.* ibid.
Cap. iii. *De diuino Officio, & ieiunio, & quomodo Fratres ire debeant per mundum.* 171
Cap. iv. *Quòd Fratres non recipiant pecuniam.* 172
Cap. v. *De modo laborandi.* 173
Cap. vi. *Quòd nihil ſibi approprient Fratres, & de eleemoſyna petenda, & de Fratribus infirmis.* ibid.
Cap. vii. *De pœnitentia Fratribus peccantibus imponenda.* 174
Cap. viii. *De electione Generalis Miniſtri huius Fraternitatis, & de Capitulo Pentecoſtes.* ibid.
Cap. ix. *De Prædicatoribus.* 175
Cap. x. *De admonitione & correctione Fratrum.* ibid.
Cap. xi. *Quòd Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum.* 176
Cap. xii. *De euntibus inter Saracenos & alios infideles.* ibid.
Laudes ſecundæ Regulæ Fratrum Minorum. 185
Prima Regula Sanctimonialium ſanctæ Claræ. 189
Cap. i. *Regula & vita Sororum pauperum.* ibid.
Cap. ii *Qualiter recipi debeant.* 191
Cap. iii. *De diuino Officio, & ieiunio, & quoties communicent.* 192
Cap. iv. *De electione Abbatiſſæ.* 193
Cap. v. *De ſilentio & modo loquendi ad Locutorium & ad Cratem.* 195
Cap. vi. *Qualiter Sorores non recipiant poſſeſſionem aliquam vel proprietatem, per ſe, vel per interpoſitam perſonam.* 196
Cap. vii. *De modo laborandi.* ibid.
Cap. viii. *Qualiter Sorores nihil ſibi approprient, & de infirmis Sororibus.* 197

Cap. ix. *De pœnitentia Sororibus imponenda.* 198
Cap.x. *De viſitatione Sororum ab Abbatiſſa.* 199
Cap.xi. *De Oſtiaria.* 200
Cap.xii. *De viſitatione.* 201
Regula Tertiariorum, ſiue Fratrum de Pœnitentia. 220
Cap.i. *De modo examinandi volentes intrare Ordinem.* 223
Cap.ii. *De forma recipiendi volentes intrare Ordinem.* ibid.
Cap.iii. *De forma habitus, & qualitate indumentorum.* 224
Cap.iv. *Quòd non vadant ad inhoneſta conuiuia, & ſpectacula, & quòd hiſtrionibus non dent.* 225
Cap.v. *De abſtinentia & ieiunio.* ibid.
Cap. vi. *Quoties debent confiteri per annũ & ſumere Corpus Chriſti.* 226
Cap. vii. *Quòd non ferant arma impugnationis.* 227
Cap.viii. *De dicendis Horis Canonicis.* ibid.
Cap.ix. *Quòd omnes, qui de iure poſſunt, faciant Teſtamentum.* ibid.
Cap.x. *De pace reformanda inter Fratres & alios extraneos.* 228
Cap.xi. *Quando moleſtantur contra ius aut eorum priuilegia.* ibid.
Cap.xii. *Quòd caueant, in quantum poſſunt, à iuramentis ſolemnibus.* ibid.
Cap.xiii. *De audienda Miſſa, & congregatione facienda.* 229
Cap.xiv. *De Fratribus infirmis & defunctis.* ibid.
Cap.xv. *De Miniſtris.* 230
Cap. xvi. *De viſitatione & correctione delinquentium.* ibid.
Cap.xvii. *De vitandis litigiis inter ſe, & cum aliis.* 231
Cap.xviii. *Qualiter, & per quos, in abſtinentiis poſſit diſpenſari.* ibid.
Cap.xix. *Quòd Miniſtri eorum manifeſtas culpas denuntient Viſitatori.* ibid.
Cap.xx. *Qualiter in prædictis nemo obligetur ad culpam mortalem.* 232

TOMI TERTII.

Collatio i. *Conſolatoria ad Fratres.* Pag. 286
Coll.ii. *De vocatione Fratrum Minorum, & de prædicando verbo Dei.* 287
Coll.iii. *De religioſa habitatione in eremitoriis.* 290
Coll.iv. *De vera obedientia.* 292
Coll. v. *De ſancta paupertate.* 294
Coll.vi. *De vitando mulierum adſpectu & conuerſatione.* 298
Coll.vii. *De petenda eleemoſynæ cum fiducia.* 301
Coll.viii. *De diſcretione in corpore alendo.* 303
Coll.ix. *De indiſcreta æmulatione in abſtinentia fugienda.* 305
Coll x. *De tolerandis quantiſper neceſsitatibus.* 307
Coll.xi. *De lætando ſpiritualiter in Domino.* 309
Coll.xii. *De humilitate & pace erga Clericos ſeruanda.* 313
Coll.xiii. *De cognoſcendo ſeruo Dei.* 315
Coll. xiv. *Quid Deo magis placeat, orare, an prædicare.* 318
Coll.xv. *De literis incumbentibus & Doctoribus.* 321
Coll. xvi. *De vanis & tumidis Prædicatoribus.* 324
Coll.xvii. *De conditionibus & laude boni Prædicatoris.* 328

Coll.

Coll.xviii. *De murmuratione & detractione.* 332
Coll.xix. *Quòd Fratres non vocentur Magiſtri.* 335
Coll.xx. *Quæ bona proueniant Ordini ex ſubiectione ad Eccleſiam.* 337.
Coll.xxi. *De tribulationibus Religionis, & Regulæ ſectatorum.* 339
Coll.xxii. *De ſancta conuerſatione inter fideles.* 340
Coll.xxiii. *Quomodo procedendum ſit ad infideles.* 343
Coll.xxiv. *De meditanda aſsiduè Chriſti paſsione.* 348
Coll.xxv. *Quare poſtquam Generalis officium depoſuit, tolerauerit Fratrum defectus.* 353
Coll xxvi. *De conditionibus quibus inſigniri debet Miniſter Generalis.* 358
Coll.xxvii. *De conditionibus Miniſtrorum Prouincialium.* 373
Coll.xxviii. *Qualiter conuerſandum ſit in Monaſterio ſanctæ Mariæ de Angelis, & quòd nullatenus à Fratribus dimittatur.* 377
Officium Paſsionis Dominicæ. 380
Canticum Solis. 398
Canticum 2. De effectibus diuini amoris. 402
Canticum 3. De vehemētia eiuſdem. 405
Apophthegmata. 422
Familiaria colloquia. 443
Prophetiæ. 474
Parabolæ & exempla. 484
Benedictiones. 491
Oracula & ſententiæ communes. 497

APPENDICIS OPVSC. DVBIORVM.

Sermo i. *De humilitate & patientia.* 510
Serm.ii. *Contra peccata mortalia.* 511
Serm.iii. *De bono eleēmoſynæ.* 511
Serm.iv. *De amore inimicorum.* 513
Serm.v. *De perfecta obedientia.* 513
Serm.vi. *De animæ æſtimatione vel dignitate.* 315
Serm.vii. *De Sacerdotum obligatione.* 516
Sex præcipuæ rationes quare Deus Optimus Maximus Religionem Minorum ſuæ conceſſerit Eccleſiæ. 517
Opuſculum decem Perfectionum veri Religioſi & perfecti Chriſtiani. 520.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Cùm pagina duabus columnis diſtinguatur, poſterior numerus, cui *c* littera præfigitur, priorem vel poſteriorem columnam deſignat.

ABBATISSA *eligatur canonicè profeſſa.* Pag. 193
inſufficiens deponatur. ibidem.
de laboritio ſubditarum diſponat. 196
Abbatiſſa quæ obſeruanda. 190. 199
familiaris ſit ſubditis. 199
Abſcondendum bonū ne perdatur. 80
Abſentium Fratrum nouit deſideria B. Pater. 561. c. 1
Abſtinendum à cibis & peccatis. 7
etiam quandoq; à licitis, vt illicitorum deſideriū ſupprimatur. 442
Abſtinendum à carnibus quando ſit Tertiariis. 225
Abſtinentia circa alia quæ ſeruanda iiſdem Tertiariis. 225
Abſtinentia indiſcreta fugienda. 305. & 306. c. 2
Abſtinentia non niſi in neceſſitate relaxanda. 434
Abſtinentiæ rigore ſenſuales motus reprimendi. 426
Acceptator perſonarum non ſit Superior. 27
Accuſatoribus non facilè credendum. 368. c. 1
Adiuuandi Fratres vt Regulam obſeruent. 175
Adiuuandi Prælati ſuperiores ab inferioribus. 452
Adorandi modus in Eccleſia. 121
Adorandus quomodo Deus. 2
Ædificia Fratrum Minorum qualia fuerint in initio Regulæ. 457
Ægidius tertius B. Patris ſocius ſanctitate eximius. 554. c. 2
Affectus interior reſpondere debet exteriori. 3. c. 2
Afflicti & tentati maximè conſolandi. 364. c. 1. 458
Afflictio non eſt addenda afflicto. 364. c. 2
erga Afflictos commiſeratio B. Patris. 549. c. 2
Agnus ad deuotionē excitat. 551. c. 1
Aliena reſtituenda ante Communionem. 263. c. 2
Alienis quinam bona ſua relinquant. 15. c. 2
Amicitia quæ vera. 25. c. 2
Amor inter abſentes moleſtus, gratus inter præſentes. 69. c. 2
Amore an odio Dei quis dignus ſit incertum. 316. c. 2
Ad amorem Dei impetrandum Oratio. 116
Amor eximius paupertatis in B. Patre. 571. c. 1
Amor pecuniarū viliſſimus. 159. c. 2
Amoris ſtimulus languorem aut deſidiam pellit. 19. c. 2
Angelus inter homines B. Pater Franciſcus. 579. c. 2
Angelorum panis quis. 471
erga Angelos ſanctos ingens B. Patris amor. 554. c. 1
Anima B. Patris videtur quaſi ſtella fulgida in cælū aſcendere. 572. c. 1
Animæ rationalis dignitas & æſtimatio. 515

Ani-

Animarum lucrũ Deo gratiſſimum. 313
erga Animas fidelium ingens amor B. Patris. 554.c.2
Apophthegmata B. P. Franciſci. 412
Apoſtatæ male intereunt. 480
Apparet B. Pater Epiſcopo Aſsiſij. 572.c.2
Aquam in vinum conuertit B. Pater edito ſigno Crucis. 544.c.1
Aqua qua manus lauit B. Pater, maximam pellit luem. 567.c.2
Arcana cordis nouit B. Pater. 560. c. 2
Aſpectus mulierum cauendus. 433
Aſperitas immoderata vitæ non placet B. Patri. 543.c.1
Aſperitate dæmones terrẽtur, deliciis ad tentandum animantur. 542.c.1
Aſpera delectatur veſte B. Pater. ibidem.
Aues ad B. Patris iuſſum tacent, & cantum reſumunt. 551.c.2
ei congratulantur. 552.c.1
in eius morte iubilant. 572.c.2
Aures in duplici differentia, interiores & exteriores. 37.c.1
Auſteritas B. Patris in ſe, & humanitas in proximum. 542.c.1

B

Beati Deum diligentes. 2.6
Benedictiones B. Patris. 492
Benedictio prima data F. Leoni. 492
Benedictio ſacri Conuentus Alanqueræ, ex quo Fratres, martyrio poſteà coronati, dimiſſi fuerant ad infideles. 492
zelatorũ inſtituti Minoritici. 493
ciuitatis Aſsiſij. 494
omnium Fratrum Minorum. 495
F. Bernardi de Quinta valle. ibid.
Fratrum exiſtentiũ in loco S. Mariæ Angelorum. 497
Benefactorem contumelia afficit, qui beneficia accepta non rectè diſpenſat. 38.c.2
Beneficiorum Dei grata memoria habenda. 461
Benignitas Fratrum erga quoſcumque. 139
Benignitas Prælatorum. 136
Bernardus primus ſocius B. Patris. 534.c.1
Bona temporalia Nouitiorum curare prohibentur Fratres. 170
itemque ex bonis illorum ſibi quidquam reſeruare. 444
Bonauenturã quid induxerit ad Vitam B. Patris ſcribendam. 527.c.1
Bonauenturæ apoſtrophe ad B. Patrem. 569.c.1
Bonauenturæ teſtimonium de præſentia Ambroſij in exequiis S. Martini. 540.c.2
Bonum abſcondendũ ne perdatur. 80
Bonum ſcientes & negligentes, inexcuſabiles. 357.c.1
Bona quæque Deo tribuenda. 78. 146. 445 451. 490
de Bono alterius quomodo gaudere quis poßit plus ipſo poſſeſſore. 504

C

Calicum vilitas & Sacerdotum præſtantia in primitiua Eccleſia. 48.c.1
Calicibus pretioſis an vti liceat Fratribus Minoribus. 51.c.2
Calor Dei internus, externum depellit algorem. 425
Calumnia Fratribus fugienda. 142
Canonicas preces intentiſsimè perſoluebat B. Pater. 558.c.2
Canonizatio B. Patris. 572.c.2
Canticum Solis. 398
Canticum continens ictus cæleſtis cupidinis. 402
Canticum continens diuini amoris vehementiam. 406
Capellani leges de ingreſſu Monaſteriorum Monialium. 200

Capitulum quoties conuocare teneatur Abbatiſſa S. Claræ. 194
Capitulorum celebrandorum locus, tempus, modus. 147
Capitula Prouincialia celebrãda. 475
Carbo ignitus videbatur B. Pater. 553.c.1
Carnalis non percipit ſpiritualia. 431
Caro plura contra ſpiritum molitur. 497
Caro animæ inimica. 160.c.2
Carnis rebellio maturè ſubiuganda. 426
Carnis & ſpiritus ſtudia contraria. 146
Carnis tentatio viro ſpirituali ſtatim abigenda. 426
Carnis concupiſcentias refrænat beatus Pater. 530.c.2
Carnibus an liceat veſci Fratribus & Clariſſis Natali Domini incidente in diem Veneris. 207.c.1
Carnem ieiuniis, vigiliis, & nuditate macerauit B. Pater. 577
pro Caſibus reſeruatis Fratres recurrant ad Miniſtros Prouinciales. 174
Caſtigat corpus ſuum B. Pater. 541.c.2
Catholicum Catholicè viuere & loqui decet. 147
Charitas mutua Fratrum. 141
Charitas Chriſti in Prælatis neceſſaria. 22.c.2
Charitas B. Patris in Deum. 566.c.1
erga pauperes. 528.c.2
Charitas e feruens impatientiam neſcit. 22.c.1
Charitatiuè Fratres corrigendi. 137
Chriſtus crucifixus apparet B. Patri. 529.c.2. 566.c.1
Chriſti claui quales. 111
Chriſti fides & imitatio. 5
via eſt ad cælum. 74
Chriſti pater, mater, & ſoror, &c. quis. 9
Chriſto per omnia ſimilis eſſe vult B. Pater. 571.c.1
in Chriſto vtraque natura credenda. 71
realiter præſens in Euchariſtia. ibidem.
Chriſtum præ oculis ſemper habebat B. Pater. 553.c.2
Chriſtum in leproſo oſculatur B. Pater. 529.c.2
Chriſtum in paupere contemplatur B. Pater. 550.c.1
Chriſtiani perfecti decem perfectiones. 520
Chriſtianas mulieres dedecent catena vel vincula aurea. 255.c.1
Cibi quicumque liciti tempore neceſſitatis. 141
Cicada tacet & cantum reſumit ad iuſſum B. Patris. 552.c.1
Cithara B. Patri diuinitus pulſatur. 544.c.2
Clauorũ & vulneris lateralis ſimilitudo in B. Patre qualis. 573.c.1
Claui pedibus B. Patris diuinitus impreſſi, excreſcunt. 570.c.1
Clerici vnde dicti. 45.c.1
licet malè viuentes honorandi. 80. 121
pax & humilitas erga illos ſeruanda Fratribus. 313
eorumdem officium. 171
quomodo diuinum Officium perſoluent. 29
Cogitationes cuiuſdam Fratris perſpicit B. Pater. 561.c.1
Cognitio ſui ad cognitionem Dei via. 120.c.1. 500
Colloquia quædam familiaria B. Patris. 443
Commercium quale inter mundum & Fratres. 295
Communicare quotidie an conſultum.

tum. 41.c.2
Compatres Fratres non fiant. 176
Conceptionis immaculatæ teſtimonia. 106.c.2
Concionatur ad Pontificem & Cardinales B.Pater. 564.c.1
Concordia magna in B.Patre carnis & ſpiritus. 570.c.2
Confeſſio publica peccatorum. 31
an licita. 32.c.2
Confeſſio vt fiat Sacerdotibus eiuſdem Religionis, moris & iuris eſt antiqui. 163.c.2
Confeſſio non nouiter inuenta. 13.c.2
Confeſſionis præmittendæ ſumptioni Euchariſtiæ quale præceptum. 53.c.1
Confeſſionis factæ non Sacerdoti quæ virtus. 165.c.2
an licita. ibidem.
Confidendum in Dei benignitate magis quàm in pecuniæ theſauris. 439
Confitendum frequenter. 517
quoties Sororibus S.Claræ. 193
quoties Tertiariis. 226
Confiteri quibus debeant Fratres Minores. 147
Conſcientia ſæpè examinãda. 269.c.2
Conſcientiarum ſuarum ſecreta vident inuicem ſocij. 538.c.1
Conſcientiæ ſecretum detegit B.Pater. 560.c.2
Conſolandi afflicti & tentati. 458
Conſolatio magna ex Paſſionis Dominicæ meditatione. 443
Conſtantia inuicta viri iuſti. 345.c.2
Conſtantia B.Patris in prædicando. 564.c.1
Contemnit munera Soldani B.Pater. 556.c.2
Contemptus ſui egregius in B.Patre. 530.c.1
Contemptu ſui gaudet B. Pater. 545.c.1
Contẽplatio docta & deuota M.Nicolai de Lyra, in qua eruditiſſimè, potiora D. Franciſci Vitæ geſta ſub 10. Antiphonis, totidemque Pſalmis iuxta totidem eiuſdem Sancti nominis litteras continentur. 588.
& eorumdem expoſitio. ibidem.
Contemplatio curioſo ſtudio præfertur. 453
Conuerſatio Fratrum Minorum inter ſæculares & infideles. 143. *& ſeq.*
talis in itinere qualis in cella. 341
Conuertit multos ad Deum B. Pater. 534.c.1
Conuertẽdi infideles duo modi. 161.c.2
Conuerſio B. Patris perfecta ad Deum. 530.c.2
Conuerſionis ipſius initium. 120
Conuerſionem in Euchariſtia varij ſignificandi modi. 46.c.2
Cordis arcana nouerat B.Pater. 560. c.2
Corpus Chriſti dignè ſumendum. 139.c.2. 49.c.1
quomodo dicatur videri in Euchariſtia. 47.c.1
an ſit viſibile in terra. ibidem.
ei exhibenda reuerentia. 44
irreuerentia in illud ex ignorantia prouenit. 45.c.2
Corpus inimicus hominis. 432
pro tali habendum. 149
quando caſtigandum. 75. 304. 305.c.1
non nimis curandum. 142
cum diſcretione ei prouidendum. 303. *& ſeq.*
eius miſeria & humilitas. 89
Corpus B.Patris Claræ & Sororibus oſculandum datur. 574.c.1.
tumulatur in Eccleſia S. Georgij. 574.c.1
exanime corpus futuræ gloriæ ſpem præ ſe fert. 573.c.1

illud

illud auet videre Nicolaus V. 585.c.1
Correctio qualis à Prælatiſ fieri debeat. 20.22.175
quomodo à ſubditis toleranda. 79
Corrigenda ſtatim delicta. 79
Crapula fugienda Religioſis. 141
Cratis cuſtodia. 196
ad Cratem quando & quomodo loquendum. ibidem.
Creaturæ quomodo ſolatium præbebant B.Patri. 541.c.2
Creaturas omnes fratres & ſorores vocabat B.Pater. 550.c.1
Crinium tonſio quid ſignificet in Monialibus. 203.c.2
Crucis apparitiones ſeptem oſtenſæ B.Patri. 570.c.1
Crucis via, ſola via dicenda; ceteræ non via, ſed præcipitia. 349.& ſeq.
Crucifixi imago B. Patrem alloquitur. 530.c.2
Crucifixus apparet B.Patri. 263.c.2 529
Cucullus & habitus Religioſorum quid ſignificent. 161.c.1
Curiæ magnatum non frequentandæ. 463
Curialitate Deo homines aſſimulantur. 506
in Curru igneo apparet B. Pater. 537.c.2
Cuſtodia oculorum. 486

D

DAemones indurant corda hominum. 467
ab illis prouenit ſubditi inobedientia. 470
triſtantur in noſtra ſpirituali lætitia. 465
eam impedire nituntur. 310
facilè fugantur. 467
deterrentur aſperitate, animantur verò ad tentandum deliciis. 542.c.1
quanta eorum ſcientia. 74
item quanta fallacia. 541.c.2
Dæmonis fœditas & intolerabilitas. 439
Dæmonis infeſtationes multas patitur B.Pater, quem egregiè pudefacit. 557.c.2
Dæmonis victor quomodo quis in pugna euadat. 343
Debitores Dei quando ſumus, ipſe verò quando noſter debitor. 97.c.2
Delicatè viuentes non iudicandi. 288
Deliciis dæmones ad tentandum animantur. 542.c.1
Delicta Fratrum corrigenda. 79
ſecundum illa erit plagarum modus. 61
Depoſita non admittenda. 194
Detrahentium proprietates. 332
eorum vox. ibidem.
Detractio Deo odibilis. 332
religioni nociua. 427
Detractor de generatione Cham. ibid.
Detractores ſunt doloſi. 334.c.2
ad Deuotionem excitantia verba B.Patris. 87
Deus quomodo adorandus. 2
vult omnes ſaluos fieri. 13.c.2
ſolus bonus. 15.c.1
quorum obliuiſcatur. 57
inuiſibilis in hac vita. 70.81.c.1
ſemper nobiſcum. 72
rectè Pater noſter dicitur. 99.c.1
reuelat maiora iis quos ſæpè celat minora. 319.c.1
ſolus timendus, & ad eius arbitrium omnia perferenda. 431
ſemper paratus ad exaudiendum orantes. 588.c.1
Dei gratia tribuēda fuga peccati. 428
Dei gratiæ & fauores publicari non debent. 502
Dei nomen reuerendum. 28
Dei ſecretum non reuelandum. 432
per Dei verba, quare dicamur crea-

ri & redimi. 47.c.2
Deo bona queque attribuenda. 78
Deo habitaculum exſtruere poſſumus in nobis ſolùm non negando conſenſum. 167.c.2
Diffidentia abſit à Fratribus Minoribus. 549.c.1
Diſciplina quomodo toleranda. 79
Diſcretæ & Officiales communi Sororum conſenſu eligendæ. 194
Diſcretio virtutum auriga. 543.c.2
Diſcurſus quæſtuoſi Fratribus cauendi. 140
Diſpenſatio in abſtinẽtiis penes quos. 231
Diues non poſsidet bona, ſed putat ſe illa poſſidere. 59.c.1
Diues ſomnianti ſimilis. 60.c.1
Dolor de peccatis internus externam non excludit lætitiam. 428
Duritiam Magnatum manſuetudo & patientia emollit. 443.469

E

ECcleſiæ ingens fructus ex variis Religionibus. 449
eiuſdem magnus profectus ſub B. Franciſco. 583.c.2
circa Eccleſiam ſponſam Dei prouidentia. 582.c.1.& ſeq.
Eccleſiaſtici venerandi. 7.147
Eleëmoſyna relicta Fratribus Minoribus à Chriſto in hereditatem. 301
eius pretium impretiabile. 498
arrha eſt cæli. 302.c.1
eius lucrum. 141.303.c.1
eius bonitas. 511
merces eius à quo detur. ibid.
eius remunerator quàm bonus. 512
emundat à peccatis. 14.c.1
quare facienda. 7
fideliter diſtribuenda. 272.c.2
de ea data ſiue non data gratiæ Deo referendæ. 512
ea aliquando oratione magis meritoria. 437
petenda cum fiducia & ſine verecundia. 141.501.512
vt ſit grata, non de alienis facienda. 500
Eleëmoſynas pauperes Chriſti præferre debent dominorum conuiuiis. 446
in Eleuatione Corporis Chriſti Oratio. 116
Elias cuius indolis & propenſionis fuerit, & cur ei traditus clauus Religionis à B. Patre. 21.c.1
in Elia Propheta ſpiritu & virtute venit B. Pater. 526.c.1
Epitaphium ſepulchri B. Patris. 587.c.1
Eruditionis B. Patris præclarum teſtimonium. 560.c.1
vnde illam habuerit. ibidem.
Euchariſtia ſumenda. 6.71
in Euchariſtia Chriſtus verè & realiter præſens. 71
Euchariſtiam indignè ſumentes ſupplicijs plectentur æternis. 51.c.2
ad eam quomodo accedendũ. 39.c.2
ſymbolum eſt pacis. 262.c.2
eam ouis adorat. 551.c.1
erga Euchariſtiam ingens amor B. Patris. 553.c.2
Exempla Prælatorum ſunt calcaria ſubditorum. 344.c.2
Exequiæ Angelicæ B. Patris. 574.c.1
Exercitia B. Patris in locis deſertis. 557.c.2
Expropriare ſe debent omnibus mundanis Dei milites. 430

F

FAlconis magna erga B. Patrem amor & ſolicitudo. 552.c.2
pro Familia commendanda Oratio. 118
Fatui Dei ſapientibus mundi potiores. 445
Feſtiuitates Sanctorum non conuiuiis

ſed eorum imitatione celebrantur. 437.500
Feſtum B. Patris quando celebrandum. 578.c.2
Fidelitas in officiis commendatur. 276.c.1
Franciſcus à Deo edoctus in fundatione ſuæ Religionis. 121
de grege multiplicando certior factus. 286
præco Dei. ibidem.
viſio mirabilis ei facta. 286
eius laus. 525.c.1
Seraph potius quàm homo. ibid.
quæ beneficia ei collata, & ad quæ miſſus. 526.c.1
venit in ſpiritu & virtute Eliæ. ibidem.
de eius conuerſatione in habitu ſæculari. 527.c.2
vouet ſe pauperi numquam eleëmoſynam negaturum. 528.c.1
infirmitate corripitur. ibidem.
retrahit ſe à tumultu ſæculari. 529.c.1
terrena omnia ei vileſcunt. ibid.
rapitur extra ſe. 534.c.2
ad eius votum Fratres omnes ex omnibus mundi partibus conueniunt. 535.c.2
docet Fratres plura ſanctitatis exercitia. 537.c.2
eius monitis inhæret B. Clara. 538.c.2
extra clauſtrum ſæcularibus ſe conformat. 541.c.2
ſubdito fame laboranti piè ſuccurrit. 543.c.1
ei tres mulieres occurrentes quid ſignificent. 547.c.2
ſimilis Moyſi & Eliſeo. 549.c.1
de petra aquã educit ſitienti ibid.
martyrij deſiderio flagrat. 554.c.2.& ſeq.
in itinere præ feruore ſocium præcurrit. 555.c.1
in Hiſpania morbo detinetur. ibid.
ſanctitatem ſuam celat quantum poteſt. 558.c.1
nomen Domini mirè eum afficit. ibid. c.2. inprimis verò nomen Ieſu. 559.c.1
ad fidei deuotionem multi accenduntur per hoc quòd hirundines eum prædicantem audiunt. 563.c.1
in ſcapha ſine remige in altum ſecedit, & inter vndas ſtat immobilis. ibid. c.2
verba illius magna fiducia. 571.c.1
funus eius & tumulus prodigioſus. 585.c.1.& ſeq.
ad multorum conuerſionem à Deo in mundum miſſus. 576.c.2
de eius natali Diploma. 579.c.1
de eius tranſlatione. ibidem.
Frater eodem modo ſemper amandus. 79
Fratres cur Religioſi vocētur. 21.c.2
cur dicantur Minores, & Superiores Miniſtri. 545.c.2
Fratribus quæ B. Pater moriens mandauerit. 571.c.2
quare miſſi in mundum. 28
qui veri Fratres dicendi. 31
eorum vita. 122
charitatiuè corrigendi. 137
nullum ſibi locum appropriare debent. 139
honorem & hilarem vultum ſibi inuicem debent. 139. mutuumque amorem. 173

G.

Gaudere de bono alterius quomodo quis poſſit magis ipſo poſſeſſore. 504
Gaudendum in tribulationibus. 146
Generalis ineptus deponendus. 174
Generalis officio cedit B. Pater. 545.c.2

in Generalem quis eligendus, quando, à quibus. ibidem.
Gloriandum in quo. 95. 503
in infirmitatibus. 74
Gloriandum an in Præfectura. 73
an in quacumque ſcientia. 74
ad Gratitudinem erga benefactorem Deum quomodo moueamur. 51. c. 1
erga quem minùs gratus homo ceteris animantibus. 73
Gratia Deo agenda de data & negata eleemoſyna. 512
Gratia Dei tribuenda fuga peccati. 428
Gregorij Papæ affectus erga B. Patrem. 482. c. 1

H

Habitatio religioſa in eremitoriis. 290
Habitaculum Deo in nobis exſtruere poſſumus ſolùm non negando conſenſum. 167. c. 2
Habitus profeſſorum. 171
Habitus peregrinorum vnde ſumpſerit originem. 251. c. 2
Habitus Tertiariorum color qualis. 247
vnde dictus eremiticus. 251. c. 1
Hæretici & ſuſpecti ad Ordinem non recipiendi. 233. c. 2
Hirundini præcipitur deſiſtere à cantu, & obedit. 563. c. 1
Homo quid magni faciat ſe Deo dando. 162. c. 1
Homo minùs gratus Deo ceteris animantibus. 73
Homicida, Religioſi inobedientes. 73
Honor Eccleſiaſticis exhibendus. 7
Horis Canonicis oratio præponenda. 103
Horæ Canonicæ cum magna deuotione dicendæ. 432
Horarum Canonicarum diſtributio noua non eſt. 156. c. 1
Hoſpitalitas pauperum Deo grata. 477
Humanitas B. Patris erga leproſos. 530. c. 1
Humilis verus quis. 79
Humilibus ineſt alta Dei ſapientia. 561
Humiles non deſpiciendi. 171
Humilitas ſectanda. 499
Humilitas neminem inferiorem nec ſuperbia ſuperiorem agnoſcit. 19. c. 2
Humilitas Superiorum. 137
ea Prædicatores maximè decet. 196
de ea Sermo. 137. 510
verba B. Franciſci ad eam inducentia. 87
Humilitas B. Patris. 545. c. 1
præ Humilitate non audet B. Pater cuiquam aperire viſionem. 567. c. 1
Hypocriſis fugienda Religioſo. 434. 441. 479

I

IEiunabat B. Pater per quadraginta dies eo tempore quo Chriſtus in deſerto. 553. c. 2
item in honorem Archangeli Michaëlis. 565. c. 2
Ieiunandũ quando Sororibus S. Claræ. 193
quando Fratribus tertij Ordinis. 226
Ieiunia Fratrum Minorum. 172
Ieiunij commendatio. 259. c. 2
Ieiunium Feriæ ij. iiij. vj. & Sabbati. 257. & ſeq.
Ieiunium diei Veneris commune omnibus Regularibus. 261. c. 1
Ieiunium perfectum quid requirat. 14. c. 1
Ieſu nomen mirabiliter B. Patrem afficit. 559. c. 1
Ignem alloquitur B. Pater, cuius ardorem non ſentit. 543. c. 2
in Illicitis non obediendum. 75

Imitandus Chriſtus in paupertate, obedientia,& caſtitate. 343
Imitatio Chriſti. 5
via eſt ad cælum. 74
Impatientiam neſcit charitate feruens. 22.c.1
Impoſsibile nihil Deus præcepit. 3.c.2
cum Incorrigibilibus quid agendum. 231
expellendi ſunt. 279.c.2
Indulgentiæ pro tranſlatione corporis B. Patris. 582
Infamia falſa citò deletur, non ſic vera. 234.c.2
ad Infideles quomodo procedendum. 343
inter Infideles eundi quibus danda licentia. 144.176. *quæ euntibus conditiones neceſſariæ.* 184
in Infirmitate Oratio. 117
in Infirmitatibus gloriandum. 74
Infirmitatibus multis grauatur beatus Pater. 570.c.2
Infirmorum cura. 141.229
illis ſeruiendũ & prouidendũ. 197
ad patientiam admonendi. 142
Infirmo quando cubandum. 198
Infirmos curandi vera ars. 66.c.1
Ingratitudo hominum erga Deum benefactorem. 51.c.1
Inimicus noſter verus quis. 75
Inimicũ quis veraciter diligat. ibid.
Inimici pro amicis reputandi. 149
qui odio habendi. 513
Iniuriis multis afficitur B. Pater. 531.c.2
Inobedientes Religioſi, homicidæ. 73
Inobedientia à diabolo procedit. 470
eam odit B. Pater. 546.c.2
Inſtruendus Frater in ſpiritu lenitatis. 26.c.2
Inſtructor qualis eſſe debeat. 229
Inuidia vitanda. 75
quomodo blaſphemia dicatur. ibid.
Inuocatio Sanctorum an nouiter inuenta. 100.c.1
Iraſcendum quomodo. 76
Itinerantes Fratres bini vadãt. 340
in Itinere quæ ipſis ſeruanda. 172. 341
Iudicio proprio paruus, diuino eſt magnus. 19.c.1
Iudicia Dei & hominum diuerſa. 55.c.1
Iurantes frequenter, nequaquam credendi. 269.c.1
Iurandi conſuetudo mala. 268.c.2
Iuramenta ſolemnia vitent Fratres tertij Ordinis. 228
Iuſtitia cum miſericordia adminiſtranda. 7
Iuſtitia non relaxanda ad retinendam Prælaturam. 369.c.1
Iuſtitiæ rigorem temperet Prælatus. 370.c.2

L

Laborandum Fratribus. 136
item Sororibus S. Claræ. 196
ſine præiudicio tamẽ orationis. 173
ad Laborem Adhortatio. 122. 364.c.2.469
pro Labore quid recipiendum. 173
Laborum præmium maius apud Deum quàm apud homines. 423
de Laboritio Sororum Abbatiſſa diſponat. 196
Lacrymæ lauãt ſordes animæ. 43.c.2
eas pluris facit B. Pater quàm oculos. ibidem.
Lætandum æqualiter de bonis alienis ac de proprijs. 77
Lætandum ſpiritualiter in Domino. 309
item in ſpirituali paupertate, non in opulentia mundana. 429
Lætantur ſoli iuſti. 511.c.2
Lætitia alia Sanctorum, alia peccatorum. 311.c.1
Lætitia duplex, exterior & interior. 312.c.1

Læti-

Lætitia perfecta Fratrum Minorum. 93
ad Lætitiã ſpiritualem quæ via. 310
Lætitia ſpiritualis diabolo reſiſtit. 312.c.1
contriſtat dæmones. 465
Laicorum officium. 171
Languor aut deſidia locum non habens, vbi amoris ſtimulus ſemper ad maiora perurget. 19.c.2
Laudandus nemo in hac vita. 434
Laus Dei. 101
ſeruitij diuini. 315
Regulæ Fratrum Minorum. 185
Leges Oſtiariæ. ibidem.
Leges peregrinorum ſeruandæ Fratribus in habitaculis. 295
Lenitas ſeueritati à Prælatis miſcenda. 23.c.2
Leproſum oſculo ſanat B. Pater. 532.c.2
in illo Chriſtum oſculatur. 529.c.2
erga Leproſos humanitas B.Patris. 530.c.1
Liberalitas B.Patris in pauperes. 530.c.1
Librorum vſus. 505
Lignum ſcientiæ boni & mali quid myſticè repræſentet. 72
Litigia inter ſe & alios, Fratribus vitanda. 231
Littera quos occidat, & ſpiritus quos viuificet. 74
de Litteris non nimiùm curandum. 176
Lucrum animarum Deo gratiſſimum. 313
Lucri plus ex vituperiis perpeſſis capitur quàm ab oblatis honoribus. 441
Lumen mentale corporeo præponderat. 433
Luporũ arcet rabiẽ B.Pater. 552.c.2
Lux B.Patri præſtatur in noctis tenebris. 545.c.1

M

Magiſtra Eccleſiarum Romana. 337.c.1
Magiſter quis verè dicẽdus. 335.c.1
talis nemo in terra præter Chriſtum. 335
Magiſtris virtus & doctrina neceſſaria. 273.c.2
Maledicit B. Pater ſui, & perit. 550.c.2
Maledictiones non curandæ in Dei obſequio. 425
Mandata diuina præuaricantes maledicti. 6
Maria Virgo quas virtutes habuerit. 88
ad Mariã Virginem ſalutatio. 105
ad eamdem oratio. 107.108
erga eamdem ingens amor B. Patris. 554.c.1
Martyrij deſiderio Syriam petit B.Pater, ſed reſtans venti. 554.c.2 555.c.1
Martyrij merito non caret B.Pater. 557.c.1
Medicus officioſus B.Patri à Deo compenſatur. 548
Meditatio Paſsionis Dominicæ aſſidua quàm vtilis. 348
Mendacium fugiendum. 470
Mendicandum humiliter & confidenter. 470
Menſa Domini quæ. 127.c.1
Mentale lumen corporeo præponderat. 433
Mentitur Spiritui ſancto qui ſiniſtra intentione ad Religionem accedit. 458
Mercaturam exercet B. Pater. 527.c.2
Mergit ſe in aquam congelatam B Pater. 542.c.2
Militaturi Deo ſe omnibus mundanis exproprient. 423.430
Miniſteria non ſunt inſtituenda ad vi-

vitam. 230
Miniſtri Generalis conditiones. 358
Miniſtri Prouincialis cōditiones. 373
Miniſtri mali deponendi. 136
Miniſtros verbi Dei veneratur B.Pater. 549.c.2
Minores quare miſſi in mundum. 28. 476. 517
abhorreant nomen Prioris. 138
quæ bona accipiant ex ſubiectione ad Eccleſiam. 337
contra ſtatus ſui perfectionem priuilegia non deſiderent. 434
haud diffidant. 549.c.1
Minorum vera & perfecta lætitia in quo. 93
Minorum ieiunia. 172
Minorū familia multiplicanda. 476
de quorum profectu multa B.Pater prædixit. 538.c.1
Minorita verus neminem ſe inferiorem agnoſcit. 126.c.2
Miracula varia edit B.Pater. 564.c.1.& ſeq. 574.c.1. 575.c.2. 578.c.1. 582.c.1.
Miſeratio B. Patris erga pauperes. 527.c.2
Miſericors benefacit animæ ſuæ. 14.c.1
Miſeria corporis. 8.9
Miſerendum peccantibus. 24
cum Miſericordia iuſtitia adminiſtranda. 7
Miſſarum ſolemnia non multiplicanda in die. 34
Monaſterium B.Mariæ Angelorum ſummè ſemper honorandum. 377
Monialium Monaſteria non ingredienda Fratribus. 176
qui admittendi. 200
Mors peccatorum infelix. 11
Mortis ſuæ diē prædicit B.Pater. 68
vnde de eo certior factus. 68.c.2
Mortem ſancti non timent, ſed æqualiter in ea ac in vita lætantur. 439
Mortis memoria à nimia ſæculi ſolicitudine auocat. 57.c.1
Mortuū reſuſcitat B.Pater. 582.c.1
Mortui multi reuiuiſcunt meritis B.Patris. 575.c.2
Mortui ſepeliendi. 229
pro iiſdem orandum. ibidem.
eorū funeribus aſſiſtendū. 274.c.1
Moyſi ſimilis B.Pater. 549.c.1.
Mulierum aſpectus cauendus. 433
earum item conſortia vitanda. 176. 288. 298
cum illis quid agendum. 298
Mulierū ſpecies periculoſa. 299.c.2
& ſecuritas inter illas. 300.c.1
Mulierum, quas vocant filias ſpirituales, curam ſuſcipere prohibentur Fratres, & quare. 161
Mundanas poſſeſſiones habere moleſtum eſt. 429
cum Mundo nihil ſibi eſſe commune teſtatur B.Pater. 571.c.1
Murmuratores quàm ſpurci & immundi. 333.c.2

N

Natalem Domini magna deuotione celebrat B.Pater. 559.c.9
Neceſſitas non habet legem. 160.c.1
Neceſſitas naturæ modica, plurima appetitus luxuria. 308.c.1
Neceſſitates vnde multæ in Religioſis. ibidem c.2
Neceſſitates aliquantiſper tolerandæ. 307
Neceſſitas patienter tolerata, pro martyrio à Deo imputatur. 304
Neceſſitati Fratrum tertij Ordinis ex quibus ſubueniendum. 229
Neceſſitatibus ſpiritualibus Fratrum Miniſtri prouideant. 138
Nominis Ieſu affectus mirus in B.Patre. 559.c.1
Nouitiorum habitus. 134
in eorum receptione quænam ſeruanda. 133

O

OBedientiæ definitio. 157.c.1
Obedientia perfecta quæ. 8. 513.292.
eius conditiones. 183.c.1
præcipua inter obſeruantias Regulares. 582.c.2
fit facilis ex charitate. 90.c.1
abſque ea difficilis. 90.c.2
debet eſſe prompta. 293.c.1
eius vires. 89
eius fructus. 513
eius emolumentum. 36.c.2.503
eius commendatio. 505
ad Obedientiam inducentia. 89.
ad eamdem adhortatio. 122
Obedientia non præcipit peccatũ. 136
non excutiendum eius iugum. 137
Obedientia ſubditorum. 136
quomodo differat à licentia. 501
per Obedientiam non facilè aliquid præcipiendum. 27.502
Obediens verus quis. 72
cui ſimilis. 472
perfectus quis. 487.
Obediendi quis perfectiſſimus modus. 518
Obediendum humiliter. 175.199
non Obediendum Prælato in illicitis. 73.14.c.2
Obitus B.Patris. 574.c.1.576.c.2
quem ipſe prædixit. 570.c.2
Obligatio qualis fuerit Fratribus ex vi primæ Regulæ circa diuinum Officium. 135.
Obſeruantiæ Regularis & diuini Officij cura habenda. 31
ad Obſeruandum Teſtamentum & Regulã ſine gloſſa adhortatio. 123
Occidit littera, ſpiritus viuificat. 74
Oculus animæ traditor. 300.c.2
Offenſæ liberaliter dimittendæ. 199
Offerebat B. Pater continuò corpus & animam Deo. 554.c.1
Officiales de communi Sororum conſenſu eligendæ. 194
Officium Clericorum & laicorum. 171
Officium diuinum cum attentione celebrandum. 502
ad illud exhortatio. 122
in illo non attendenda melodia vocis, ſed conſonantia mentis. 29
Officia ſcandaloſa inter ſæculares fugienda Fratribus. 138
de Opere bono non ſuperbiendum. 76
Opere magis quàm verbis Superior præcipiat. 27.28.c.1
Opera bona Dei potiùs quàm mundi amore facienda. 437
Oracula & Sententiæ communes B.Patris. 497
Oratio Dominica omnium maximè ſalutaris. 466
eius expoſitio. 97
Orat B. Pater ſine intermiſſione. 557.c.1
& ad orandum ſolitaria loca petit 557.c.2
Orantem B. Patrem interturbans Epiſcopus malè patitur. 558.c.2
Orandum cum intentione & quiete mentis. 500
Orandum ſpiritualiter contriſtato. 501
Orandum pro defunctis Sororibus S.Claræ. 192
quid Orandum Fratribus tertij Ordinis pro defunctis. 229
Oratio Religioſis maximè neceſſaria. 498.557.c.1
Orationis tempus an homini aliquod certum conſtitutum ſub reatu. 65.c.1
Oratio quid in ſe complectatur. 318
Oratio an prædicatio vtilior. 318. 319.c.2
Oratio prædicationi annectenda. 320.c.2
per Orationes Sanctorum peccatoribus

ribus ignoſcit Deus. 579.c.1
Oratio B. Patris in conuerſionis ſuæ initio. 102
Oratio præponenda Horis Canonicis. 103
Oratio pro obtinenda paupertate. 110
Oratio in eleuatione Corporis Chriſti. 116
Oratio ad impetrandum diuinum amorem. ibidem.
Oratio in infirmitate. 117
Oratio pro cõmendanda familia. 118
Oratio quotidiana B. Patris. 119
Ordinis ſui tribulationes prædicit B. Pater. 339
Ordinis refugæ benignè tractandi. 365
Ordinem inſtituit Pœnitentium beatus Pater. 538.c.2
Oſtiariæ leges. 200
Otioſa verba fugienda. 340
Otioſitas eſt animæ inimica. 158.c.2
Otioſi ſimiles muſcis. 543.c.1
Otium fugiendum. 138.469.502. 542.c.2
Ouis pietatis & ſacris Officiis intendens, ac Sacramentum Euchariſtiæ adorans. 551.c.1
Oues accurrunt & applaudunt B. Patri. 559.c.2

P

PAcis vnitas ſeruanda. 263.c.1
Pacifici veri qui ſint. 77
Panis pro Dei amore mendicatus, panis Angelorum. 471
Panem non eumdem nobis & Angelis appoſuit Dominus. 37.c.2
Panis B. Patri & ſociis eius diuinitus datur. 537.c.1
Parabolæ & Exempla B. Patris. 484
Paſſio Chriſti deflenda. 423
eius memoria aliis inculcanda. 351.c.1
Paſsionis Chriſti qui conſortes. 582. c.2
Paſsionis Dominicæ Officium. 382
Paſsio Dominica in tribulationibus ante oculos habenda. 344
eius meditatio aſsidua quàm vtilis. 348
Pati pro Chriſto quàm honorificum. 96.c.2
Patientia magna virtus. 265.c.2
quomodo probanda. 76
ea neceſſaria in prædicando Euangelio. 288
verba B. Patris ad eamdem inducentia. 87
de ea Sermo. 511
Patientia B. Patris. 570.c.1
Patientia in aduerſis decet Fratrem Minorem. 460
ad Patientiam infirmus admonendus. 142
Patienter neceſsitas tolerata pro martyrio imputatur. 304
Paupertas quanta virtus. 504
omnium virtutum regina. 110. 112.c.1.294.547.c.1
eius encomia. 112.c.2.498
eius theſaurus. 296.c.1.473
reges & heredes regni cælorum nos conſtituit. 181.c.1
ſpecialis via ſalutis. 294
ad eam quomodo perueniatur. ibidem.
ſignum perfectorum. 111
à pleriſque habita in contemptu. 110
martyrium eſt. 305.c.1
eam ſibi Chriſtus deſponſauit. 110
eſt fundamentum Ordinis Minorum. 297.c.1
Paupertate Euangelica quis opulentior ditioribus ſæculi. 115.547.c.1
illi quis totaliter inhæreat. 181.c.2
eius emolumenta. 559.c.1
ad eam plus conducit humilitas quàm rerum egeſtas. 90.c.1
Paupertatem deſerentes Fratres, mun-

mundi auxilio deſtituuntur. 195
Paupertatem Euangelicam amplexatur B.Pater. 533.c.2.547.c.1
Paupertatis eximius amor in B. Patre. 571.c.1.577.c.1
Paupertatis Minoritarum excellentia. 173
Paupertas Sororum S.Claræ. 196
pro Paupertate obtinenda oratio. 110
ad Paupertatis Zelum adhortatio. 122
Pauperes Chriſti qui. 77
vt ſe pauperioribus ſubueniāt. 436
circa illos infallibilis Dei prouidentia. 484
non negabit illis Deus victum & amictum. 431
Pauperum hoſpitalitas Deo grata. 477
eorum amator & Patriarcha beatus Pater. ibidem.
in illis paupertas Chriſti ac matris eius conſideranda. 464
Pax procuranda. 166.c.1.
per illam filij Dei ſumus. 167.c.1
omnibus annuntianda. 341
habenda in corde. ibidem.
laudabilis inter Eccleſiaſticos. 319.c.1
Peccantes inuerecundè, publicè redarguendi. 282.c.1
Peccantium ſemper miſerendum. 24
Peccantes Sorores corrigendæ. 198
erga Peccantes ſe gerendi modus. 20.22
Peccatum venenum, quo natura noſtra diſſoluitur. 39.c.1
ex minimo maximum facit creſcere diabolus. 300.c.1
Peccatum, quod teſtem non habet, non propalandum ab alio. 26.c.1
in Peccato mortali exiſtens qualis ſit anima. 511
Peccata confitenda. 6
eorum confeſſio publica. 31
Peccatorum fuga diuina gratiæ tribuenda. 428
à Peccatis puniendis Deus Sanctorum meritis ſe coercet. 483
Peccatorum ſupplicia patienter in hoc ſæculo ferenda. 442
in Peccata relabentis pœna grauior. 478
contra Peccata mortalia Sermo. 511
Peccator cæcutit & decipitur. 10
Chriſtum crucifigit. 73
Peccatorum mors infelix. 11
Pecunia vilipendenda. 288
Dei ſeruis non appetenda. 435
Pecuniæ amore nihil vilius. 159.c.2
Pecunia ab introeuntibus Religionem non recipienda. 134
Pecunias habens Frater fur eſt & latro. 140
Peregrinorum leges Fratribus ſeruandæ in habitaculis. 294
in Perfectionis via homines facilè teſcunt. 355.c.1
Perſonarum acceptator non ſit Superior. 27
ſed meritorum. 362.c.1
Philoſophia ſumma beati Patris. 562.c.1
Pietas B.Patris erga Deum & proximum. 549 c.2.& ſeq.
Planetæ quare dicantur quarto die creatæ. 401.c.1.
Pœnitentia facienda. 7
Pœnitentiæ vera magna vis. 553.c.1
Pœnitentia peccantibus miſericorditer imponenda. 174
quare. 182.c.1
Pœnitentia in confeſſione iniuncta an de eſſentia Sacramenti. 163.c.2
Pontifex catalogo Beatorum adſcribit B.Patrem. 578.c.2
Portiunculam quantum amarit beatus Pater. 533.c.1
ad illam deducit Fratres. 538.c.2
Poſſeſsio rerum mundanarum moleſta.

leſta. 429
Poſsidere ſe putat diues bona, quæ non poſsidet. 59.c.1
Potentes potenter tormenta patientur. 61.c.1
Prodigia B. Patris examinantur. 574.c.2. 584.c.1
Præcipiendum magis opere quàm verbis. 27
Præcipiendum non facilè aliquid per obedientiam. ibidem.
Præco Dei B.Pater. 422
Prædicare quæ poſſint omnes Fratres Minores. 148
ad Prædicandum an modò Fratribus neceßaria expreſſa Epiſcopi licentia. 182.c.2
Prædicandum populo ſanctæ vitæ exemplo. 472
Prædicantem B.Patrem audiunt hirundines, vnde multi ad fidei deuotionem accenduntur. 563.c.1
ad Prædicandum feruenter ſe præparat B. Pater. 562.c.2
Prædicandi efficacia in B. Patre. 561.c.2
Prædicat B.Pater auibus. 562.c.2
Prædicatio quid. 318
Prædicatio an oratio vtilior. 319.c.2
Prædicationis officium omni ſacrificio Deo gratius. 329
iniungi debet, non aſſumi. 145
Prædicationi an orationi ſibi inſiſtendum ſit, dubitat B.Pater 562.c.1
Prædicationi oratio annectenda. 320.c.2
eidem præmittenda oratio. 330.c.2
Prædicatione B. Patris multi conuertuntur. 538.c.2. 576.c.1
Prædicator prædicationis verbum apud ſe retinens, ſeruus nequam. 13.c.1
Prædicatoris boni laudes & conditiones. 328
Prædicatores decet humilitas. 146
ab omnibus humanis occupationibus debent eſſe liberi. 330.c.1
quantum meriti perdant per inanem gloriam. 331.c.2
quàm illis periculoſa vana gloria. 326.c.1
inuidia iis fugienda. 345.c.1
Prædicatores cum licentia Epiſcopi prædicent. 175
à Superioribus approbentur. ibid.
Prædicatori vano animarum fructus non adſcribendus. 324
huic præfertur Frater elinguis bonis exemplis alios ad bonum prouocans. 329
Præfectura, nō honos, ſed onus. 371.c.1
de ea quomodo gloriandum. 73
quomodo appetenda. ibid.
non optanda nec timenda. 78
ſacra eſt & honore digna. 20.c.1
Prælati benigni ſint ſubditis. 8.136
paſtores, non percuſſores. 21.c.2
ſubditos tolerent, & humeris ſuis portent. 23.c.1
medici eorum ſint. 23.c.2
lenitatē ſeueritati miſceant. ibid.
ſubditorum profectum intendant. 25.c.2
humiliter & charitatiuè eos corrigant. 175
neceſſitates eorum curent. 361.c.1
aſſlictos conſolentur. 364.c.1
temperēt iuſtitiæ rigorem. 370.c.2
ſint ſubditis affabiles. 374.c.1
benigni in correctione. 374.c.2
deſtruentes vitium, non vitioſum. 376.c.1
doceant ſubditos exemplo, non verbo. 499
rarò per obedientiā præcipiant. 502
Prælati orationi incumbant. 360.c.2
plus exemplo quàm ſermone proficiunt. 363.c.1
attendant quos eligant ſibi in ſocios. 371.c.2

veu-

ventri ne indulgeant, nec lautis vtantur cibis. 448
cur dicantur Miniſtri. 545.c.2
Prælatorum merces duplex. 367.c.1
eorum animus humilitate conciliandus. 453
eorum iudicio, non proprio ſtandum. 464
Prælatis Regularium quæ præcipuè curanda. 604
Prælatura potiùs onus quàm honos. 23.c.1. 209.c.2
ad illam retinendam non eſt relaxanda iuſtitia. 369.c.1
Præuaricantes mandata Dei maledicti. 6
Priuilegia contra ſui ſtatus perfectionẽ Religioſi non deſiderent. 434
Priuilegia ædis Portiunculæ. 379.c.1
Profeſſio Tertiariorum. 223
Profeſſor tertiæ Regulæ non ad culpam ſed ſolùm ad pœnam obligatur. 232
Profeſſus retrocedere non debet. 171
ei extra Religionem non licet vagari. 134
Profeſſorum veſtitus. 134.171
Prophetiæ aliquot B. Patris. 474
Prophetiæ ſpiritus in B. Patre. 560 c.1
Protector Cardinalis petendus à Fratribus. 177.200
Protectio Eccleſiæ magna circa Fratres Minores. 338.c.1
Prouidentia diuina condeſcendit placito B. Patris. 544.c.2
Prouidentia Dei circa ſponſam ſuam Eccleſiam. 582.c.1.583.c.2
Proximo non inferre malum parum eſt, niſi & benefaciamus. 13.c.2
Proximorum reconciliatio neceſſaria vt Dei amici ſimus. 238.c.1
Proximus amandus. 7
ſuſtinendus. 77
in Pugna cum dæmone quomodo quis victor ſemper euadat. 343
Puritas eximia B. Patris. 544.c.1

Q

Quæſtus ſuperfluos Fratres vitent. 43
item diſcurſus quæſtuoſos. 140

R

Raptus extra ſe B. Pater nihil ſentiebat. 557.c.2
Rationem reddituri Superiores pro ſubditis. 118.c.2
Recipi qualiter debeant Sorores ſanctæ Claræ. 191
Recipiendorum Fratrum conditiones. 170
in Receptione ad Ordinem tertium B. P. Franciſci quæ ſeruanda. 223
Recollectione duplici indigent Religioſi. 342.c.1
Redarguendi publicè, peccantes inuerecundè. 282.c.1
Refugæ Ordinis benignè tractandi. 365.c.2
Regula ſeruanda. 177
ad eam ſine gloſſa obſeruandam adhortatio. 124
Regula prima Fratrum Minorum. 133
Regula ſecunda Fratrum Minorum. 168
à Chriſto dictata. 449
eius excellentia. 186.c.1
eius inſtitutio. 533.c.1
eam conſcribit B. Pater. 535.c.2. & 541.c.1
eam confirmant ſacra Stigmata B. Patris. 541.c.2
Regula prima Sanctimonialium ſanctæ Claræ. 189
Regula Tertiariorum. 223
Religionis Fratrum Minorum tria vota. 133
Religio quàm efficax ad ſalutem. 186
munimen contra tentationum inſultus. 188.c.2

in ea non proprio ſed Prælati iudicio ſtandum. 464
eam ingrediens ſiniſtra intentione Spiritui ſancto mentitur. 458
Religionem Fratrum Minorum fouere Deo gratum. 471
de eius amplitudine. 489
de eius inſtitutione. 533.c.1
Religioſus verus quis. 28
quis malus, quis inanis & loquax. 78
quodnam munus eius & ſcopus. 166.c.2
Religioſi ad maiora tenentur quàm laici. 30
Religioſi inobedientes, homicidæ. 73
Religioſi otioſi muſcis ſimiles. 427
Religioſi nec cellulas debent habere proprias. 433
exemplo ſanctimoniæ magis quàm immunitatis priuilegiis in Eccleſia proficiunt. 453
magnatum curias non frequentent. 463
Religioſorum cucullus & habitus quid ſignificent. 161.c.1
Religioſis ſuperfluus quæſtus fugiendus. 140
& ſæcularia. 149
taciturnitas amanda. 427
paupertas in magna æſtimatione habenda. 477
oratio expetenda. 557.c.1
Religioſi perfecti decem perfectiones. 520
Religioſos confiteri Sacerdotibus ſui Ordinis moris & iuris eſt antiqui, & præcipitur à Bonifacio VIII. aliiſque Pontificibus. 163.c.2
Religioſæ rarò ad Cratem & Locutorium cum ſæcularibus loquantur, & quàm id nociuum. 213
item litteras nec mittant nec recipiant inſciis Superioribus. 214.c.2
Reliquias ſibi reuelatas B. Pater veneratur. 546.c.1
Reſtituenda bona quæcumque dominis ſuis. 425
Reſtituenda aliena ante Communionem. 263.c.1
Reuelat Deus maiora quos ſæpè celat minora. 319.c.1
Reuerentia Corpori Chriſti & verbis diuinis exhibenda. 44
Reuerentia erga Clericos. 121
erga diuina myſteria. ibidem.
Rixæ inter Fratres fugiendæ. 137
Romana Eccleſia ceterarum omnium Magiſtra. 337.c.1

S

Sacerdotum obligatio. 516
Sacerdotibus cum omni reuerentia ad ſumptionem Corporis & Sanguinis Domini accedendum. 34. 71
illis præſentibus an liceat alteri non Sacerdoti Euchariſtiam adminiſtrare. 14.c.2
Sacramentorum moralis efficacia probatur. 38.c.1
Salutatio ad B. Virginem Mariam. 105
Sancti omnes volũt ſaluos fieri. 3.c.1
vnde hoc proueniat. ibidem.
omnibus obſequiũ impendunt, ſed præcipuè indigentibus. 12.c.2
ipſorum de ſe opinio. 202.c.1
ſimplicitas eorum magni facienda. 425
diuinæ voluntati ſe conformant in tribulationibus. 440
Sanctitatis B. Patris ſplendor & ſpeculum. 545.c.1
Sanctitatem ſuam celat B. Pater quantum poteſt. 558.c.1
Sapientia quæ vera. 504
Saracem cuiuſdam humanitas erga Fratres. 539.c.1

à Saracenis capitur & malè tracta-tur B.Pater. 555.c.2
Scientia mundana vacua. 322
talis abiicienda vero pauperi. 296.c.1
Scientia duplex, vitæ & mortis. 74
Scientia dæmonis quanta. ibidem.
Scientia vnde in B.Patre. 560.c.1
Scientiæ cupiditas & curioſitas nimia, inutilis & vana. 321
in ea an gloriandum. 74
Scripturarum intelligentia in B.Patre. 559.c.2
Secreta Dei non propalanda. 80. 432.501
Sedes fulgens B. Patris in cælo. 446.c.1
Senſuales motus abſtinentiæ rigore reprimendi. 426
Senſus refrænandi. 143
Sententiæ quædam quibus B. Pater vti ſolitus erat ad ſuorum inſtructionem. 506
Sermo B. Patris ignitus valdè. 564.c.1
Sermones breues B.Patris. 506
Seruus Chriſti perfectus nihil præter ipſum habet. 113.c.1
Seruus Dei ex quibus cognoſcatur. 315.317.c.2
quò ſanctior, eò humilior. 450
Seruus fidelis inter Prælatos & diuites quis. 27.c.2
Seruitus Dei quàm nobilis. 315. 316. c.1
Silentij tempus & loca pro Sororibus ſanctæ Claræ. 195
Silentium vtile. 212.c.2
ſeruandum. 543.c.1
cum Simplicibus ſermocinatio Dei. 212.c.1
Simplicitas pura confundit ſapientiam. 92.c.2
Simplicitas ſancta vera ſapientiæ ſoror. 90.c.1
Singularitas mala in Religioſo. 479
Sitienti eduxit aquam de petra B.Pater. 549.c.1
Societatis emolumentum. 291.c.2
Sæcularium conuerſatio Religioſis timenda. 291.c.2
Soldanus benignè audit B. Patrem liberè veritatem prædicantem. 556
Solitaria loca petit ad orandum B. Pater. 557.c.2
Solitudo libera à ſcandalis. 291.c.1
Sorores S.Claræ qualiter recipiendæ. 191
Officium diuinum quomodo recitare debeant. 192
pro defunctis orent. ibid.
debita non contrahant. 194
à quibus cauere eas oporteat. 199
quæ ipſis vitanda. 199
nihil proprium reputandum. 197
Sororibus ſeruientibus extra Monaſterium quæ ſeruanda. ibid.
Spectacula inhoneſta vitãda. 256.c.2
Spiritus felicitas. 8
Spiritus quos viuificet. 74
Spiritus & carnis ſtudia contraria. 146
Spiritum Domini quis habeat. 76
Spiritus promptus carnis infirma neſcit. 126.c.1
Stadij ſpectaculum vnde exortum. 532.c.1
Statura corporis B.Patris. 586.c.1
Stigmata ſacra B.Patris. 565.c.2
ad eorum impreſſionem plura ceſſarunt incommoda. 568.c.1
ea celat B.Pater. ibid.
vident ea & oſculantur multi. 573.c.2
eorum veritas & certitudo. 583. c.1. & ſeqq.
Studia quæ Fratribus permiſſa. 16
illis incumbentes Fratres quales eſſe debeant. 455

Subditus Prælatum non vt hominem conſideret. 294.c.1
Subiici omni creaturæ quare debemus. 12.c.1
ex Subiectione ad Eccleſiam quid boni Ordini Minorum proueniat. 337
Subleuatur à terra B. Pater intus & foris irradiatus. 558.c.1
Subuenire debent Chriſti pauperes ſe pauperioribus. 436
Sudoris ſanguinei Chriſti Domini cauſa. 13.c.1
Superbia Religioni pernicioſa. 482
non Superbiendum de bono opere. 76
Superflua ædificia non decent Fratres Minores. 444, *nec ſuperfluus veſtitus & ſupellex.* 436
Superior non ſit perſonarum acceptator. 27
quomodo inferiorem ſe ſuperiorem iudicare poſſit. 157.c.2
matrem ſe non dominum oſtendat. 209.c.1
communem agat vitam cum ſubditis. 210.c.2
non diſcernendus ſenex an iuuenis ſit. 292
Superiorum onus graue. 22
eorum humilitas. 157
eorum obligatio. 516

T

TEmporis B. Patris diſtributio. 565.c.2
Tentatio carnis viro ſpirituali ſtatim abigenda. 344
Tentationes ad profectum permittuntur. 466
Tentationes Dei ſeruos fortiores reddunt. 441
Tentationes fugat ſchedula B. Patris. 561.c.1
Tentatione concuti quantum proſit Sanctis. 458
Te[illegible]ar. quid profiteantur. 223
ſi moleſtentur, recurrant ad Ordinarios. 228
profeſſionis eorum publicæ exemplar. 242
vtrùm veri Religioſi. 245.c.2
qualiter teneantur ad obſeruantiam diuinorum præceptorum. 241.c.2
color veſtimentorum. 247.c.2
cum quibus & quando in colore diſpenſandum. 248.c.1
vnde habitus eorum dictus eremiticus. 251.c.1
an liceat geſtare chordam. 253.c.2
an tempore Franciſci gauiſi ſint priuilegiis. 267.c.2
à carne quando illis abſtinendum. 225
quando ieiunandum. 226
quare tot dies abſtinentiæ illis indicti. 259.c.2
quoties confitendum & communicandum in anno. 226
ad inhoneſta ſpectacula & conuiuia non vadant. 225
eorum Viſitator vnde aſſumendus. 278.c.2
an teſtamentũ condere poſſint. 227
ad Teſtamentum B. Patris ſeruandum adhortatio. 103
eius laudes. 130
Toleranda hic pauca, vt bonis perfrui detur æternis. 469
Toleranda plura pro ratione temporis. 437
Tolerantia paſſionum ſuauis ex ſpe gloriæ. 442
ad Transformationem perfectam in Deum quid neceſſarium. 351.c.2
Trãſlatio corporis B. Patris. 575.c.1. 579.c.2
Tranſſubſtantiatio fit per actionẽ adductiuam, non productiuã. 81.c.2
in Tribulationibus gaudendum. 146
in illis paſſio Domini ob oculos ponen-

nenda. 344
Triſtitia extrinſeca ſiue Phariſaica prohibetur. 159.c.1
Tumultus hominum fugiat Religioſus. 438

V

Vana gloria fugienda. 499
quam periculoſa in Prædicatore. 326.c.1
quantum meriti Prædicator per illam perdat. 331.c.1
Vaticinium cuiuſdam de B. Patre. 528.c.1
Verbi Dei fructus varius & rarius in hominibus. 149
Verba diuina veneranda. 50.c.1
Verba magnæ fiduciæ B.Patris. 571.c.1
Veſtitur ab Epiſcopo B.Pater. 532.c.1
Veſtis Nouitiorum. 134
Profeſſorum. ibidem.
Tertiariorum. 224
Vexatio dat intellectum. 160.c.2
Victor in omni pugna quomodo quis euadat. 343
Virginem videre,& videri,quid mali ſecum ferat. 218.c.2
de Virginitate quodnā primum conſilium in lege Euangelica. 346.c.1
Virtutes quas habuerit B. Virgo Maria. 88
Virtutes quas habere debet deuota anima. ibid.
Virtutum cum vitiis cōtrarietas. 80
Virtutum connexio. 89 91.c.2
Virtutum auriga diſcretio. 543.c.2
Viſio B.Patris eiuſque expoſitio. 541
alia eiuſdem. 286
Viſio Monaldi. 540.c.2
Viſio cuiuſdam laureati Poetæ Imperatoris Friderici qui ex ea factus eſt Monachus. 539.c.1
alia eiuſdem. 540.c.1
Viſio Silueſtri Sacerdotis. 534.c.2
Viſio quædam militis religioſi de puero Ieſu apparente B.Patri in præſepio. 559.c.1
Viſio pulcherrima Seraphim. 566.c.2
Vita primorum Fratrum Minorum. 122
Vita noſtra continua lucta. 515
Vitia Fratribus vitanda. 176
ex Vituperiis perpeſſis maius lucrum quàm ex honoribus oblatis. 441
Viuentes delicatè,non iudicandi. 288
Vocatio Fratrum Minorū quæ. 286
unde maneant Fratres. 444
Voluntas pro facto in quibus accepteiur. 515
Voluntas propria quæ. 183.c.1
eius malum. 72
Voluntati diuinæ ſe conformant Sancti in tribulationibus. 440
quod omnibus & in omnibus neceſſarium. 160.c.1
Vota tria Religionis. 133
Vſus librorum. 505
Vulnus lateris non patitur videri B.Pater,ſed à quibuſdam videtur & contrectatur. 569.c.1
Vulnera quinque eiimpreſſa. 566.c.2
à multis viſa & tacta. 534.c.1

Z

Zelatores ſui inſtituti innapdi & fouendi. 458
ad Zelū paupertatis exhortatio. 122

FINIS.

F.BE-

F. BENIGNVS A GENVA ORDINIS MINORVM MINISTER GENERALIS ET SERVVS

Dilecto in CHRISTO P. F. LVCAE VVADDINGO *Sacræ Theologiæ Profeſſori*

SALVTEM.

DOLVIMVS hucuſque multos noſtri Ordinis viros, qui ſuis ſcriptis non ſine laude Dei Eccleſiæ fuerunt adiutorio & ſubſidio, temporum iniuria ab hominum memoria excidiſſe. Quapropter eam tibi commiſimus curam, vt his è tenebris eruendis, rerumq́ue noſtrarum monumentis perquirendis ſedulam nauares operam. Felices nobiſq́ue perquam gratas tuæ induſtriæ accepimus primitias, Opera videlicet noſtri Inſtitutoris & Seraphici Patris FRANCISCI; quorum etſi frequens apud noſtros Auctores memoria, rarum tamen & carum exemplar. Illa cum adhibitis à te Notulis & Commentariis ſummo cum gaudio noſmetipſi perfunctoriè percurrimus; quæ dum Chriſtianæ pietatis viris proficua, & noſtro nomini honorifica cenſemus, vt in commune bonum quantocyùs edantur in publicum, non ſolùm tibi indulgemus, verùm etiam amicè præcipimus, obſeruatis tamen ſacroſancti Concilij Tridentini, noſtræque Religionis conſtitutionibus. Inſtantem circa cetera quæ collegiſti noſtrarum

rerum

rerum monumenta ſolicitudinem , noſtrique in tuis orationibus tibi commendamus memoriam. Datæ in Conuentu noſtro Aracælitano, Romæ, 3. Nonas Iulij, M. DC. XXI.

F. Benignus à Genua, Miniſter Generalis.

EGO F. Bernardinus à Moncaluo, Procurator Generalis pro familia Ciſmontana Fratrum Minorum Regul. Obſeru. in Curia Romana, & per vniuerſam Italiam Vicarius Generalis, perlegi magna cum voluptate ex commiſſione R^mi^ P. F. Benigni à Genua, eiuſdem Ordinis Generalis Miniſtri, deſideratiſſima B. P. N. FRANCISCI Opuſcula, collecta & illuſtrata per F. LVCAM VVADDINGVM ſacræ Theologiæ Profeſſorem: quorum publicam editionem, tum propter ſummam quam ſpirant pietatem, tum propter docta & exacta quæ Collector adiecit Commentaria, magnæ futuram vniuerſæ Eccleſiæ cenſeo vtilitatis; nihilque in eis reperi, quod ſanctæ noſtræ fidei boniſque moribus aduerſetur. In quorum fidem noſtrum hoc exhibemus chirographum, in æde noſtra Aracælitana, 8. Kalendas Maij, M. DC. XXI.

F. Bernardinus à Moncaluo, Procurator & Vicarius Generalis.

CENSVRA.

EGO F. Ioſephus Vazquez, ſacræ Theologiæ Lector iubilatus, & in Curia Romana pro familia Vltramontana Fratrum Minorum Regularis Obſeruantiæ Commiſſarius Generalis, vidi quàm libentiſſimè ex commiſſione R^mi^ Patris F. Benigni à Genua, Ordinis Minorum Generalis Miniſtri, Opuſcula Seraphici P.N. FRANCISCI, à P.F. LVCA VVADDINGO, ſacræ Theologiæ olim in Conuentu Salmanticenſi Profeſſore collecta, cum adiectis ab eodem Notulis & Commentariis, & cetera quæ in S^mi^ Patris laudem in fine connectit, dignaque iudicaui quæ quamprimùm ad commune Eccleſiæ emolumentum typis committantur; ex quibus ſpero non mediocrem oriturum in populo Chriſtiano fructum, augendumque erga ſanctiſſimum Auctorem pium fidelium affectum. In quorum fidem hæc propria manu ſubſcripſi, in Conuentu noſtro Aracæli, Romæ, Pridie Idus Maij, M.DC.XXI.

F. Ioſephus Vazquez, Commiſſarius Generalis Curiæ.

A P-

APPROBATIO.

BEATI FRANCISCI Aſſiſiatis, Ordinis Minorum Inſtitutoris religioſiſſimi, Opuſcula varia in vnum Volumen congeſta, per tres Tomos diſtincta, Notiſque ac Commentariis illuſtrata per F. LVCAM VVADDINGVM, ex eodem Ordine S. Theologiæ olim apud Salmanticenſes Profeſſorem, digna iudicaui, quæ ad gratam pij Scriptoris memoriam poſtliminiò omnibus legenda proponantur, quòd in iis ipſum B. FRANCISCVM, ceu phœnicem aliquem in imagine rediuiuum intueri liceat, dum virtutes, quas vitâ & voce expreſſit, in eis elucent, & ad earumdem ſedulam imitationem Lectorem prouocant. Datum Antuerp. in Seminario Epiſcopali, die x. Octob. M. DC. XXI.

Laurentius Beyerlinck, Archipresbyter Eccleſ. Cathed. Antuerp. librorúmque Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Catholici, & Sereniſſimi Belgarum Principis Priuilegio cautum eſt; ne quis *B.P.* FRANCISCI *Aſsiſiatis Opuſcula, nunc primùm collecta, tribus Tomis diſtincta, Notis & Commentariis aſceticis illuſtrata, per* F. LVCAM VVADDINGVM *Hibernum Menapienſem, Ordinis Minorum Regul. Obſer. Prouinciæ D. Jacobi olim apud Salmanticenſes S. Theologiæ Profeſſorem*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum, & alia graui pœna mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ XII. Ianuarij, M. DC. XXII.

Signat

De VVitte.

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XXIII.

LABORE ET CONSTANTIA

4-3-12